
M. TULLIUS CICERO MANNUCCIORUM COMMENTARIIS ILLUSTRATUS ANTIQUAEQ...

Marcus Tullius Cicero




68
8 F
10

M · TVLLII
CICERONIS
OPERVM
TOMVS · SEPTIMVS

Continens

Epistolas, ad { *T. Pomponium Atticum,* / *M. Iunium Brutum,* / *Quinctum fratrem:* }

&

In eas Paulli Manutij Commentarium.

AD . ILLVSTREM . VIRVM


MATTHAEVM · SENAREGAM



CVM . PRIVILEGIIS

VENETIIS. CIƆ IƆ XXCIII

Apud Aldum.



ILLVSTRI · VIRO
MATTHAEO · SENAREGAE



VIx credas, ornatiſsime Senarega, quam ſaepe occurrit animus meus ad initia noſtrae ueteris neceſsitudinis; quanta etiam cum uoluptate contemplor diuinum ingenium tuum; quantum praeterea me recreat, meminiſſe, quae a Paullo patre meo ſaepius de te audiui; cum te, iuuenem ad gloriam, ad honores, ad Patriae utilitatem, & perpetuum decus natum, tam prudenter optimus uir, tui amantiſsimus, dicere ſoleret. Equidem, dum ego quoque tuas uirtutes intueor, dum res a te praeclare geſtas pro Patria conſidero, dum tot legationes in maximis, grauiſsimisq. negotijs omnium conſenſu tibi demandatas perpendo; laetor ſummopere iudicio Patris mei, tibi uero, & Ampliſsimae Genuenſi Reip. mirum in modum gratulor: tibi praecipue, qui ea praeſtitiſti pro communi Patriae ſalute, quae praeſtare nemo certe potuiſſet: ut facile Nobiliſsima Genuenſis Ciuitas poſt Deum opt. max. tibi acceptum referat, quod nunc ſua ampliſsima fulgeat dignitate, quod hodie tutiſsima, ac tam dulci fruatur libertate. Licet quamplurimi fuerint, ut ingenue fatear, quod negare non poſſum, qui te in primis auctorem fuiſſe ciuilis perturbationis uoluerint: tantam dicebant fuiſſe eloquentiae tuae, tantam ingenij tui ſubtilitatem,

tantam etiam apud omnes auctoritatem, & admirabilem prudentiam in magnis rebus tuo arbitratu tractandis. ceterum ijdem postea uno consensu affirmarunt, & palam nunc testantur, ac praedicant, te uindicem libertatis, auctorem quietis, Patriae tandem liberatorem exstitisse. Non solum uero, si longius intueri uolumus, Genuensis Resp. per te firmissimis confirmata est fundamentis, sed uniuersa Italia, immo etiam Christiana Religio: quae, tuo consilio, tua auctoritate nixae, pulcherrimam urbem, Italiae ueluti emporium, nobis conseruarunt. Nam tu, alter Mucius, alter Horatius, pro Patriae salute, apud summum Pontificem Gregorium XIII. incredibili ingenij tui uirtute, eloquentia, prudentia, pietate omnibus fere horis solicitus eras, eaque omnia tam grauiter, tam studiose, tam amanter tractabas, quae optime sciebas periclitanti Patriae necessaria esse. ut, magna omnium admiratione, eximia tua facultate dicendi, singulari erga Patriam pietate, incredibili animi tui doloris insinuatione, summus Pontifex commotus, statim animum, cogitationesq. omnes contulerit, ut pio uoto, ac desiderio tuo satisfaceret, & Genuensi Reip. nimium ciuili discordia afflictae, et iam undique hostium concursu circumuentae, auxilium, opportunamq. opem afferret. Tuae autem legationis tam illustre munus, tuum etiam tam singulare erga Patriam studium proprijs litteris sanctissimus Pater comprobare uoluit. quarum exemplum, iniuriam certe facerem uirtuti, neque recte agerem cum optima summi Pontificis uoluntate, nisi hoc in loco his meis litteris addi uellem. Hoc certe non erit minimum huic Ciceronis libro ornamentum, quem ego, Patris interpretatione exornatum, tuo inscribi a me nomini uolui; ut hoc meo labore fructum amoris, & ueteris obseruantiae in te meae ex tua gloria uberrimum capiam. Deberi autem hoc opus uel ea maxime de caussa tibi iudicaui, quod, cum adolescens esses, relictoq. Louaniensi celeberrimo gymnasio, te Venetias

netias contulisses, ut Patrem meum uideres, & cognosceres, cui carissimus, gratissimusq. fuisti, dum apud eum iucundissime totus in litterarum studio uiueres, in Etruscam linguam id transtulisti; quod nunc, maxima ingenij tui laude, per manus hominum circumfertur. Deus opt. max. te diu nobis incolumem seruet.

Vale. Venetijs, Idib. Maij CIↃ IↃ XXCIII.

Tibi, tuisq. uirtutibus deuinctissimus

Aldus Mannuccius, Paulli F. Aldi N.



GREGORIVS·PAPA·XIII.

Dilectis filiis, Nobili uiro, Duci, Gubernatorib. & Procuratorib. Reip. Genuensis.



ILECTI filij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Matthaeo Senaregae, uestro Legato, ad uos redeunti, iudicauimus deberi nostrum testimonium singularis prudentiae, modestiae, uigilantiae, grauitatis, &, quod caput est, fidei, ac religionis, summaeq. erga Patriam caritatis. haec enim omnia magna cum laude, dum apud nos fuit, praestitit in uestris negotijs. Quibus de caussis existimamus debere eum esse uobis omnibus in rebus commendatissimum. In quo & eam illi caritatem tribuetis, quae optimo ciui debetur, & nobis gratissimum facietis. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, Die vij. Aprilis. M D LXXVI. Pontificatus nostri anno quarto.







AD . ILL[MVM] . ET . REVER[MVM] .

S· ANGELI . CARDINALEM PONTIFICIVM . IN . PICENO . LEGATVM RAINVTIVM . FARNESIVM .

PAVLLI . MANVTII IN . SVOS . COMMENTARIOS CICERONIS . EPISTOLARVM AD . ATTICVM



PRAEFATIO





ENE audire, qui est recte factorum fructus, omnes fere uolumus, amplissime, ac praestantissime Rainuti: ipsum quidem recte facere, unde illud quasi ex fonte deducitur, paucorum hominum semper fuit. est enim tum perfectae naturae, tum doctrinae singularis. ut tamen natura sine doctrina facile possit ad laudem peruenire; doctrina sine natura laudabilis numquam, turpis etiam saepe sit. itaque uel in agris inculto homines ingenio uirtutem tamen coluere: doctrinis autem eruditi uiri, quae ad bene agendum esse instrumenta debuerant, iis ad perniciem suarum ciuitatum sunt abusi. quid de Pisistrato Graecae historiae loquuntur? quid nostrae de Caesare? doctum utrumque, & eloquentem fuisse; iis tamen utrumque sensibus, ut, exempla maiorum, & legum sanctissima iura contemnentes, libertatem suis ciuibus eripere praeclarum duxerint. ergo prima laus bonitatis est; quae nihil, nisi se ipsum, spectat, ipsa sibi finis est; altera doctrinae; quae nisi ad bonitatem referatur, laudabilis non est, ideoque, ut laudetur, finem sequitur se ipsa praestantiorem. quod si quis est, qui alterum cum altero coniunxerit, ut & bonus sit, & idem doctrinis institutus; neque rectum ideo solum cupiat, quia sit ipse ad rectum natura propensus, sed quia, quod rectum non est, id esse turpissimum intelligat: hic est, quem in uita humana diuina bona consecutum putemus. praeclara res, sed exemplo minus nota: id autem, ut ego opinor, ob eam caussam, quod unusquisque, in uitam Principis, tamquam in speculum, intuens, ad illius similitudinem se ipse fingit, & format. ideoq. uiri sapientes alterutrum recte cupiuerunt: ut aut reges philosopharentur, aut regnarent philosophantes: utrum esset futurum, ut ex uirtute penderemus. Quod si fuit ullum tempus, cum homines rationes, & cogitationes suas in philosophia constituerent: tum profecto coepit esse, cum auus tuus, ad Christianae Reipublicae, nimium magno periculo fluctuantis, gubernacula Dei iussu accersitus, sedit in sede Pontificia Pontifex dignissimus, ea praeditus non solum auctoritate, sed etiam sapientia, ut hic nos in tantis tempestatibus seruare solus a naufragio possit. cumq. laudandus est maxime, quod optime ipse sentit, optimis semper in studiis, consiliisq. defixus; tum, quod optimos uiros adsciuit sibi & consiliarios, & suae

uoluntatis


uoluntatis administros. in quo ego tantum soleo ponere; ut, si mihi ad alterutrum eligendum optio detur, non bonum Principem malim cum bonis administris, quam bonum cum sui dissimilibus. sed bene, quod habemus utrumque: & Pontificem, qualem res poscebat; & Collegium tali Pontifice dignissimum. itaque nunc emergit uirtus: honestum reuocatur: desertae per multos annos litterae patronos habent, diuque, ut auguror, habebunt. tu, Rainuti, fraterq. tuus, duo clarissima Italiae lumina, uterque Cardinalis, & Cardinalis uterque optimus, praeclaram consuetudinem tenebitis ab auo traditam. certe enim non ideo te Patauij per tot annos summi doctores erudierunt, ut ea, quae tantis uigiliis quaerebas, consecutus negligeres. amabis eadem, & fouebis: tuumq. erit proprium studium non solum colendae uirtutis, sed etiam ornandae. refer animum ad eos, qui, multis ante saeculis extincti, tamen in laude uiuunt: omnes reperies his gradibus adscendentes ad immortalitatem peruenisse, quorum tu quia facta imitaris; non dubito, quin eorum semper florentibus nominibus ita tuum nomen inseras, ut numquam exarescat. Materiem habes ad gloriam, Anconitanam prouinciam; quam nunc ita regis adolescens, ut ea praestes, quae saepe desideramus in senibus. quae quamquam ad eos solum, quibus cum potestate praees, pertinere uideantur: tamen illa tuae ditionis terminis non continentur. scis consuetudinem famae. illa nos per ora hominum sublimes uehit: benefacta simul & malefacta aeque circumfert: sed benefacta laudibus excipiuntur, malefacta conuiciis exploduntur. itaque noli putare, te Picentibus solis esse continentem, esse iustum, esse beneficum. Picentes haec uident, longinqui audiunt, & praedicant. te aiunt esse, ad quem aditus omnibus pateat: cui sit iustitiae, sit pietatis antiquissima cura; cuius & potestas timeatur, cum omnia possis; & bonitas diligatur, cum idem non plus licere tibi uelis, quam quantum leges praescribant. Macte, adolescens laudibus eximie, imitator aui, maiorumq. tuorum. recte cogitasti, In imperio laudem non esse, nisi cum is, qui imperat, imperio dignus est. quod quia tibi siue a natura, siue a disciplina, siue, ut ego arbitror, ab utraque simul contigit: quod ad naturã attinet, referimus ad Deum: de disciplina, te ipsum & laudamus, qui ad haec praeclara inuigilaueris; & amamus, quia sunt amabiles uirtute praediti. Me quidem & multis abhinc annis, cum Romae te uidissem, atque allocutus essem, in tui obseruantiam uoluntas inclinauit, iam tum de tua indole exspectantem ea, quae consecuta sunt: & postea Patauij, cum in studiis optimarum artium totus esses, iudicium impulit. haec tua Picentina legatio quasi operis perpolitio fuit: in qua thesauros philosophiae, multorum annorum studio congestos, explicas, & cum prouincia communicas. itaque, cum ego multo ante, quam istam tibi administrationem summus Pontifex demandasset, eos commentarios, quibus epistolas ad Atticum illustrare sum conatus, in tuo nomine emittere statuissem; postea simul cum tuis laudibus creuit uoluntas mea. Eos igitur nunc emitto, serius omnino, quam nonnulli exspectauerant: sed meam tarditatem opus ipsum excusat. epistolas ad Atticum interpretanti properandum non fuit. aliis in rebus possum esse quantumuis strenuus: in hac qui possum esse non tardus? primum multa difficilia, deinde non iisdem caussis omnia, sed alia propter breuitatem, alia propter historias, alia propter mores. Huc adde, quod mihi quibusdam in locis non satis fuit explicare ea, quae aperta non erant: sed tentaui, num etiam paullo floridius possem, quam nostri grammatici solent. Neque tamen sum nescius, fore multos, qui me in his commentariis, ut hebetem, quia nonnulla minus acute uiderim, uel fortasse etiam ut caecum, quia prorsus non uiderim, reprehendant. qui si mihi, cur id faciant, caussas afferant probabiles: non committam, ut iidem me etiam ut pertinacem possint reprehendere. amo enim ueritatem, neque eam in me ipso magis, quam in alio; itaque complectar, sicubi eam uidero. Tibi uero, clarissime Rainuti, quod in has Ciceronis epistolas laboris impendi, maxime ob eam caussam cupio probari; ut, si qui uere iudicare aut propter inscitiam non possunt, aut propter maleuolentiam nolunt, eos a consilio detrahendi tua deterreat auctoritas. Venetiis, ∞ D XLIX.

IN · EPISTOLAS
M · TVLLII · CICERONIS
A D
T · POMPONIVM · ATTICVM
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS





De ordine Epistolarum
Libri Primi.



NTE quam ad explanandum aggrediar, ordo ipse postulat, vt agatur de ordine epistolarum huius libri: quae, vt infra descriptum est, rectius, opinor, disponentur, quam quo modo ab imperitis librarijs collocatae nunc leguntur.

Quantum dolorem, epistola 1.

Hoc puto cum alijs argumentis, tum hoc praecipue, quod, ante nullas ad Atticum misisse litteras, indicat ipse non obscure, cum ait: Numquam a Pomponia nostra certior sum factus, esse, cum litteras dare possem. porro autem neque mihi accidit, vt haberem, qui in Epirum proficisceretur; neque dum te Athenis esse audiebamus.

Non committam, epistola 2.

Cum superiorem proximam ostenderim primam esse; secundus huic locus debeatur, necesse est. iterat enim & de litterarum missione, & de Quincti fratris animo erga Pomponiam. Existimo etiam (& haec, quae scribimus, scribimus opinantes, gratias habituri, si quis meliora dederit) hanc epistolam diuidi in duas oportere: vt prior in eo terminetur, Quid agas omnibus de rebus,

& quid acturus sis, fac nos quam diligentissime certiores: quae est aptissima epistolae clausula: deinde altera incipiat, Apud matrem recte est; quale est etiam sequentis epistolae initium. Priorem autem scripsit, nullis Attici litteris respondens, vt res declarat; alteram, cum responderet, acceptis ab Attico litteris paullo post, quam ipse scripserat. Puto etiam vnam non esse epistolam hac de caussa, quod de signis non scripsisset duobus locis, sed coniunctim. nisi si hoc dicas, per aliquot dies in manibus habitam, & extremam partem, spatio interiecto, acceptis ab Attico litteris, esse additam.

Apud te, epistola 3.

Tertia est, quia scribit, se Cincio pecuniam curasse: quam curaturum scripsit in proxima superiore.

Nimium raro, epistola 4.

Haec superiorem proxima sequitur. in illa enim dubitat, vtrum Lentuli naui Atticus vti possit; in hac ex Lentuli sermone affirmat.

Cum essem, epistola 5.

Cum enim in ea, quam tertia sede constituimus, ita scripsisset, Tulliola tuum munusculum flagitat, me vt sponsorem appellat; in hac, vt Atticum de munusculo magis vrgeret: Tulliola, inquit, iocans tibi diem dat, sponsorem non appellat. &, quoniam in hac epistola, signa Megarica nondum in nauim imposita, significatur; in illa vero, cuius initium est, Crebras, iam in Formianum aduecta perspicuum est: nimirum apparet, hanc ante illam esse collocandam. quod cum ita sit; illud, quod in hac ita scriptum est, De comitijs meis, accipio de praetorijs: nam de consularibus non potest: cum illa, quam post hanc esse scriptam ostendimus, a Cicerone praetore scripta sit, vt C. Macri condemnatio declarat: quem condemnatum a Cicerone praetore, testes locupletes affirmant, Valerius, & Plutarchus.

Et mea sponte, epistola 6.

In hac quia scribit idem, quod in proxima superiore, vt sibi Attici libri conseruentur; de comitijs praetorijs, non de consularibus, puto significari. & in hac quidem, statos comitiorum dies iam praeterijsse, manifestum est: in illa, nondum aduenisse. ergo & haec post illam constituatur; & de comitijs praetorijs intelligamus.

Crebras, epistola 7.

Cum de comitijs praetorijs in duabus superioribus agatur; ordo postulat, vt haec sequatur proxima, quam praetor scripsit, cum C. Licinium Macrum condemnasset. Valerius, Plutarchus.

Petitionis, epistola 8.

Haec vero cum anno, qui est praeturam consecutus, scripta sit, (scripta est enim Cotta & Torquato cos. cum Cicero prensaret) recte hunc locum sibi vindicabit, proxime post eam, quae in praetura scripta est.

Abs te, epistola 9.

Haec quoque prensationis anno, sed in extremo, consulibus iam ante designatis Caesare, & Figulo, scripta est, haud multo ante mensem Ianuarium, cum dicat, Tuo aduentu nobis opus est maturo; deinde inferat, Ianuario ineunte cura ut Romae sis. accersit autem Atticum ad comitia sua, consularia uidelicet, non praetoria; quia Catilinam appellat competitorem suum: qui competitor esse non potuit in petitione praeturae. quo enim anno praeturam Cicero gessit, Africam Catilina propraetor administrabat, ut est in oratione pro Coelio. ergo praeturam gessit ante Ciceronem. &, cum in hac epistola Atticum accersat ad comitia sua consularia; manifestum est, in epist. 7. de comitijs consularibus accipi non posse; ubi Atticum tantum abest ut accersat, ut etiam prohibeat.

Teucris illa, epistola 10.


Inter hanc, & proximam superiorem integrum triennium interest: tantum enim distat consulatus Messallae, & Pisonis, cuius haec initio scripta est, a consulatu Cottae, & Torquati, quo in extremo scriptam ostendimus proximam superiorem. neque tamen hoc toto triennio Atticum abfuisse credatur. fuit enim Romae Cicerone consule, ut ostendit epist. 15. l. 1. & 1. l. 2. sed, cum Romam maxime Ciceronis caussa rediisset, postea rursus in Graeciam ad sua negotia reuersus est. Nunc, quibus quaeque consulibus scripta, ostendamus.

I.	*Quantum dolorem,*	L. Caecilio Metello Cretico, Q. Marcio Vatia cos.
II.	*Non committam,*	ijsdem consulibus.
III.	*Apud te,*	C. Calpurnio Pisone, M'. Acilio Glabrione cos.
IV.	*Nimium raro,*	ijsdem consulibus.
V.	*Cum essem,*	ijsdem consulibus.
VI.	*Et mea sponte,*	ijsdem consulibus.
VII.	*Crebras,*	M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo cos.
IIX.	*Petitionis,*	L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato cos.
IX.	*Abs te,*	ijsdem consulibus.
		L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo cos. nullae litterae: M. Tullio Cicerone, C. Antonio, nullae: D. Iunio Silano, L. Licinio Murena, nullae.
X.	*Teucris,*	M. Pupio Pisone Calpurniano, M. Valerio Messalla cos.

Reliquae epistolae recto ordine dispositae. quarum primae quinque ijsdem consulibus, id est Pisone, & Messalla, scriptae sunt: tres uero postremae Afranio, & Metello Celere cos.


M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM
AD
T. POMPONIVM ATTICVM
LIBER. I.

Cicero S. D. Attico. 1.



ETITIONIS NOSTRAE, quã tibi summae curae esse scio, huiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura prouideri possit. Prensat unus P. Galba, sine fuco, & fallacijs, more maiorum. negatur. ut opinio est hominum, non aliena rationi nostrae fuit illius haec praepropera prẽsatio. nam illi ita negant uulgo, vt mihi se debere dicant. ita quiddam spero nobis profici, cum hoc percrebescit, plurimos nostros amicos inueniri. nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his litteris proficisci Cincius dicebat. In campo, comitijs tribunicijs, ad XVI. kal. Sext. competitores, qui certi esse uidebantur, Galba, & Antonius, & Q. Cornificius. puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse, ut frontem ferias. sunt, qui etiam Caesonium putent. Aquillium nõ arbitramur; qui denegat, & iurauit morbum, & illud suum regnum iudiciale opposuit. Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. de Aufidio, & Palicano, non puto te exspectare, dum scribã. de ijs, qui nunc petunt, Caesar certus putatur. Thermus cum Silano contendere existimatur: qui sic inopes & ab amicis, & existimatione sunt, vt mihi uideatur non esse ἀδύνατον, Curium obducere. sed hoc praeter me nemini uidetur. nostris rationibus maxime conducere videtur, Thermum fieri cum Caesare. nemo est enim ex ijs, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore uideatur: propterea quod curator est uiae Flaminiae: quae cum erit absoluta, sane facile * *eum libenter nunc ceteri consuli acciderim. Petitorum haec est adhuc informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo summã adhibebimus diligentiã: & fortasse, quoniam uidetur in suffragijs multum posse Gallia; cum Romae a iudicijs forum refrixerit, excurremus mense Septembri legati ad Pisonem, ut Ianuario reuertamur. Cum perspexero uoluntates nobilium, scribam ad te. cetera spero prolixa esse, his dumtaxat urbanis competitoribus: illam manũ, tu, mihi, cura, ut praestes, quoniam propius abes, Pompeij, nostri amici. nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non uenerit. Atque haec huiusmodi sunt. Sed est, quod abs te mihi ignosci peruelim. Caecilius, auunculus tuus, a P. Vario cum magna pecunia fraudaretur, agere coepit cum eius fratre Caninio Satyro de ijs rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. una agebant ceteri creditores, in quibus erat Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant magistrum fore, si bona venirent; L. Pontius. uerum hoc ridiculum est, de magistro nunc cognoscere. rogauit me Caecilius, ut adessem contra Satyrum. dies fere nullus est, quin hic Satyrus domum meam uentitet. obseruat L. Domitium maxime: me habet proximum. fuit & mihi, & Quincto fratri magno usui in nostris petitionibus. sane sum perturbatus, cum ipsius Satyri familiaritate, tum Domitij, in quo uno maxime ambitio nostra nititur. demonstraui haec Caecilio: simul & illud ostendi, si ipse unus cum illo uno contenderet, me ei satisfacturum fuisse: nunc in caussa uniuersorũ creditorum, hominum praesertim amplissimorum, qui sine eo, quem Caecilius suo nomine perhiberet, facile communem caussam sustinerent, aequum esse, eum & officio meo consulere, & tempori. durius accipere haec mihi uisus est, quam vellem, & quam homines belli solent. & postea prorsus ab instituta nostra paucorum dierum cõsuetudine longe refugit. Abs te peto, ut mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem miserrimo eius tempore uenirem; cum is omnia sua studia, & officia in me contulisset. quod si uoles in me esse durior, ambitionem mihi putabis obstitisse. ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscẽdum esse: ἐπεὶ οὐχ ἱερήιον, οὐδὲ βοείην. uides enim in quo cursu simus, & quam omnes gratias non modo retinendas, uerum etiam acquirendas putemus. Spero tibi me caussam probasse, cupio quidem certe. Hermathenã tua ualde me delectat, & posita ita belle est, ut totum gymnasium ἡλίου ἀνάθημα esse uideatur. multum te amamus. L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo cos. Filiolo me auctum scito, salua Terentia.*

EXPLANATIO



ETITIONIS *nostrae,* } peti consulatum a Cicerone, uideo esse qui credant: imperite: non enim petit, sed prensat, anno ante, quam petat: idq. ex consuetudine; quod, quid de quaque tribu sperandum, aut timendum esset, tanto ante scire non alienum uidebatur. nam, etsi non tributis, sed centuriatis comitijs consulatus daretur: cum tamen ex omnibus tribubus essent centuriae; (erant enim classiũ partes; & classes ipsae ex uniuerso populo) prensare tributis comitijs, & cuiusq. tribus animum tentare, non inutile putabant. itaq. & in oratione pro Milone, cũ de consularibus comitijs, idest centuriatis, loquitur, Conuocabat, inquit de Clodio, tribus: se interponebat. Nec desunt huius generis exempla: quae, ne satietatem afferat copia, libenter praetermitto. HVIVSMODI *ratio est,* } status hic est: ita se habet nostra petitio.

petitio. CONIECTVRA } nondum enim explorate iudicari poterat. PRENSAT } prensare, & prendere, est rogare. prensamus enim eos, a quibus aliquid studiose petimus. VNVS P. Galba } non, unus sine fuco, ac fallacijs; sed unus ex competitoribus: ideoque, ne coire cum insequentibus posset, interposui quam grammatici notam subdistinctionis appellant. quod enim infert, Non aliena rationi nostrae fuit illius haec praepropera prensatio; unum scilicet prensare Galbã, non obscure significat. Sed occurritur a quibusdam, negantibus unum prensare Galbam, cum, paucis interiectis versibus, & de Antonio, & de Cornificio legatur. Qui, puto, uidentur aliquid dicere; cum tamen nihil plane dicãt. neq. enim animaduertunt, quod magnopere oportuit, Ciceroni per plures dies hanc epistolam in manibus fuisse, ut in eã aliud alio tempore conijceret; neq. prius missam, quam consules designati sunt Caesar, & Figulus: quos tamen aperte indicat nondum fuisse designatos, cum scripsit illam partẽ, De ijs, qui nunc petunt, Caesar certus putatur. Ergo & prẽsauit primo solus Galba, & idem postea cum Antonio, & Cornificio. Prima epistolae pars desinit in eo, Dicebat; secunda, Acciderint. Huius autem generis epistolarum, quae pluribus diebus scriptae sint, exemplum est in epistola Coelij, quae est 9. lib. 8. fam. & in ea, quae prima est lib. 3. ad Q. fratrem. Quod ad competitores Ciceronis in consulatus petitione pertinet; sex omnino fuerunt, duo patricij, P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina, qui postea, coniuratione facta, caesus est, quattuor plebeij, ex quibus duo nobiles, C. Antonius, M. Antonij oratoris filius, L. Cassius Longinus; duo, qui tantum non primi ex familijs suis magistratum adepti erant, Q. Cornificius, & C. Licinius Sacerdos. solus Cicero ex competitoribus equestri loco natus. Haec Pedianus. MORE maiorum. } sine largitione, sine fuco, & fallacijs. Honores, inquit Nepos de Attico, non petijt, cum ei paterent propter uel gratiam, uel dignitatem; quod neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis legibus in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri sine periculo, corruptis ciuitatis moribus. In oratione etiam pro Cluentio cum laude usurpatur. Acta, inquit, est caussa more maiorum, sine ui, sine metu, sine periculo. Posset hoc tamen, More maiorum, cum sequentibus coniungi. Sed & Nepotis locus ualde me mouet, & uerbum, Negatur, per se positum, quiddam habere uidetur elegantius. PRAEPROPERA } quod ante me prensat, qui tamen plura in populum R. beneficia contuli. MIHI se debere } propter defensas multorum caussas. Quinctus frater in commentariolo de petitione consulatus. IN campo comitijs tribunicijs } satis docet hic locus, tribunos pl. ante cõsules solitos esse designari. nam, consularia comitia nondum facta, declarant, quae paullo post sequuntur. Creatos autem ante reliquos magistratus, eo etiam consentaneum est, quod magistratum inibant IV. idus Dec. cum reliqui magistratus Kalendis Ian. quod Dionysius aperte docet. CERTI } certo petituri, certi competitores. non enim explano, Certi, gratiosi ad populum: cum inferat, Sunt, qui etiam Caesonium putent: subaudi, petiturum. ANTONIVS, } hic in aedilitate, & praetura, Ciceronis fuerat collega, fuitq. post etiam in consulatu. Plura Pedianus, vbi orationem explanat in toga candida; & Quinctus frater de petitione. AVT risisse, aut ingemuisse, } quod Cornificius, neque clarus a maioribus, neque sua uirtute commendatus, tamen certus esse uideatur. RISISSE, } stultitiam Cornificij, de consulatu cogitantis. INGEMVISSE, } temporum condicionem, cum ea quae summis viris patere solis debeant, etiam infimi sperare audeant. Simile illud lib. 1. de Orat. Potes oratores putare eos, quos multas horas exspectauit, cũ in campum properaret, & ridens, & stomachans Scaeuola? VT frontem ferias. } Gemitus dolorem indicat, percussio frontis etiam indignationem. Oratores, qui frontem ferirent, Cicero laudat in Bruto, Quinctilianus improbat libro 11. quod scenicum id magis, quam oratorium, uideretur. Non displiceret haec distinctio: Ingemuisse. vt frontem ferias, sunt, qui etiam Caesonium putent. AQVILLIVM } C. Aquillium Gallum, iuris scientia clarum: quem Ciceronis anno petiturum, simile ueri uidebatur, quod eodem item anno collega fuisset in praetura. Pro Cluentio. Eius exstant adhuc nonnulla. IVRAVIT morbum, } ne uideretur animo humili, atque abiecto, qui consulatum anno legitimo non peteret, ualetudinem, & simul iuris ciuilis occupationem, excusauit. sic infra, ep. 12. l. 12. Veniam, & ipse perpetuũ morbum iurabo. Ne cenas Appuleij, augur auguris, obire cogeretur. REGNVM iudiciale } iuris interpretãdi munus; in quo ita excellebat, ut quasi regnare uideretur, omnibus, qui maiore aliqua de caussa in iudicium irent, ad vnum consilij caussa confluentibus. OPPOSVIT } contra rogantes, ut peteret, hoc opposuit, ut diceret, se gerendo magistratui uacare non posse, occupatum in iure respondendo. Tale illud ad Quinctum fratrem, lib. 2 epist. Mea factum est inuisa uerecundia, ut te proficiscens non tollerem. opposuisti semel ἀντίθετον caussam, Ciceronis nostri ualetudinem: conticui. iterum Cicerones: quieui. SI iudicatum erit &c. } antequam uerba Ciceronis explanemus, libet quaedam de Catilina ἐν ἐπιτομῇ subscribere. Ex praetura Africam obtinuit, Lepido, & Volcatio cos. quo anno Cicero praetor fuit. id Cicero ipse declarat in oratione pro Coelio, his uerbis: Fuit assiduus mecum praetore me. non nouerat Catilinam. Africam tum praetor ille obtinebat. secutus est annus: caussam de pecunijs repetundis Catilina dixit. Ex his uerbis satis constat, Catilinam reuersum esse Romam eo anno, qui est Ciceronis praeturã consecutus, id est eo, quo scripta est epistola prima huius libri: quo anno Cotta, & Torquatus consulatum gesserunt, quod ideo monere uolui, ne quis in errorẽ inducatur ex illis Pediani verbis, quae sunt in oratione, quam habuit Cicero in toga candida: quae uidentur significare Catilinam redijsse Romam Lepido potius, & Volcatio, quam, vt diximus, Cotta, & Torquato cos. sic igitur in ea oratione: A quibus Catilina consulatum petis? a principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse uoluerunt. Caussamque, cur eius habita ratio non sit, ponit Asconius interpres, quia quaerebatur repetũdarum. nam, etsi legati Afri Roma venerunt Lepido, & Volcatio cos.

& in senatu de rapinis Catilinae questi sunt: non tamen eo anno Catilina in urbem redijt, cum tamen redire se uelle, & consulatum petere, iam significasset. quod consilium abiecit postea, deterritus ea legatione, & spe obtinendi consulatus amissa, cum audisset, consulem Volcatium habuisse publicum consilium, an eius rationem habere deberet, si peteret consulatum. absens igitur ab oratoribus Africanis accusatus est Catilina in senatu. quod eiusdem Pediani verbis ostendemus. sic enim scripsit in explanatione orationis, quam proxime nominauimus. Catilina, inquit, ex praetura Africam obtinuit, quam cum grauiter uexasset, legati Afri in senatu iam tum absente illo questi sunt; multaeque graues sententiae in senatu de eo dictae sunt. querellae igitur fuerunt in senatu aduersus Catilinam absentem, rapinarũ caussa, Lepido, & Volcatio cos. accusatus autem est anno sequenti, cum ex Africa redijsset, Cotta, & Torquato cos. quod idem Pedianus ibidem proxime docet his uerbis: Ante annum, quam haec dicerentur, Catilina, cum redijsset ex Africa, Torquato, & Cotta cos. accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceronis fuit. defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone. Et Cicero in oratione pro Sulla, Parens tuus, ait, Torquate, consul reo de pecunijs repetundis Catilinae fuit aduocatus. Iam igitur, testibus Cicerone, & Pediano, Catilinam redijsse ex Africa, & accusatum esse repetundarum Cotta, & Torquato cos. ostendimus. quod cum ita sit; apparet administratam esse ab eo Africam per biennium. nam, si consulatum petere cogitauit Lepido & Volcatio cos. certe non id cogitauit eo ipso anno, quo profectus erat in prouinciam, sed tum scilicet, cum iam integrum annum Africae praefuisset. quattuor igitur proxime consequentibus annis aut petere uoluit consulatum Catilina, nec tamẽ petiit, aut petijt, & repulsam tulit. primus annus fuit Lepido, & Volcatio cos. quo anno, cum decedere ex Africa voluisset consulatus petendi caussa, postea non decessit, & a cõsulatus petitione destitit. deterritus enim est, ut iam dixi, Afrorum legatione, & grauissimis aduersus eum absentem senatus decretis: de quibus mẽtionem facit Cicero in oratione aduersus ipsum, & C. Antonium competitores. Alter annus fuit Cotta, & Torquato cos. quo anno petere quidem uoluit consulatum, sed prohibitus est, quod intra legitimos dies profiteri nequiuerit. nam quaerebatur repetundarum. atque hoc & satis aperte Sallustius declarat, & ipse Cicero in hac epistola non obscure, cum ait: Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. Et in altera epistola, cum ait: Hoc tempore Catilinam, competitorẽ nostrum, defendere cogitamus. Tertium annum fuisse liquet eum, quo M. Cicero, & C. Antonius designati consules sunt, Caesare, & Figulo cos. quo anno petijt Catilina, & repulsam passus est, ut & ipse Cicero, & omnes historiae demonstrant. Quartus annus fuit Cicerone, & Antonio cos. cum, deiecto Catilina, Silanus, & Murena consulatum sunt adepti. idque, ut omittam historicos tum Graecos, tum Latinos, satis ex orationibus Ciceronis aduersus ipsum licet intelligere. Bis igitur tantum Catilina consulatum petijt, cum tamen quater petere voluerit. & de duabus petitionibus Cicero significat his uerbis in oratione pro Coelio: Deinceps fuit annus, quo ego consulatum petiui. petebat Catilina mecum. numquam recessit. tot igitur annos uersatus in foro sine suspicione, sine infamia, studuit Catilinae iterum petenti. Et in epitome Liuiana ita scriptum est: Catilina bis consulatum petijt, & repulsam passus est. Absoluimus quod ad petitiones attinet. de accusationibus autem agemus infra, epist. 14. in illo loco: Bis absolutum esse Catilinam. Redeo ad epistolam. Beroaldus homo fuit, ut illa tempora ferebant, satis doctus: peccauit tamen saepe, quod humanum est, uel memoria, uel iudicio lapsus, is hoc in loco, primum contra ueteres libros, deinde contra ueritatem ipsam legendum opinabatur, pro, Meridie non lucere, Meridie non liquere. cumque alij postea sunt secuti. qui si paullo attentius Ciceronis sententiam examinassent; aliter sine dubio sensissent. quid enim? non hoc Cicero significat, fore Catilinam certum competitorem, si iudicum sententijs absoluatur? atqui non ambigitur. at uero, non liquere, num ualet, absoluere? potius indicium fuit condẽnationis, vt ex oratione pro Cluentio, & ex deprauatis Asconij verbis in III. Verrina facile tamen colligitur. Hoc igitur Cicero dicit: Si a iudicibus absoluetur Catilina, meus erit in consulatu competitor. erat enim reus repetundarum, adeo manifestis criminibus, ut cum iudicare insontem nemo posset, nisi idem iudicaret meridie non lucere. absolutus tamen est, accusatore P. Clodio praeuaricante, ut in oratione de haruspicum responsis, & Pediani commentarijs traditum est: consulatumque petijt, & repulsam tulit. Non me praeterit, doctos quosdam uiros legendum opinari, Si iudicatum erit, eius rationem haberi licere. nam reorum in petitione magistratuum ratio non habebatur. quod ex lib. de claris orat. in mentione Seruilij Glauciae, & Pediani interpretatione orationis contra competitores habitae, (ubi rationem Catilinae, de repetundis accusati, non esse habitam a consule Volcatio significat) itemque ex agraria II. licet animaduertere, in eo loco, Reus denique, quo minus decem vir fieri non possit, hac lege non excipitur. Quibus equidem commoueor exemplis: sed mihi numquam ea, quae a ueteribus libris tam longe distet, correctio probabitur. PALICANO} arbitror hunc esse M. Lollium Palicanum, de quo his uerbis accusatione III. in Verrem: Oblitos ne igitur hos putatis esse, quemadmodum sit iste solitus uirgis plebem Romanam concidere? quam rem etiam tribunus pl. in concione egit, cum eum, quem uirgis iste ceciderat, in prospectum populi Romani produxit. Quo loco Pedianus tribunum pl. ait esse M. Lollium Palicanum. Et de claris oratoribus: Cn. Carbonem, M. Marium, aptissimos cognoui turbulentis concionibus: quo in genere nuper L. Quinctius fuit: aptior etiam Palicanus auribus imperitorum. Item infra ep. 16. & Pedianus in Diuin. QVI *nunc petunt*,} ut proximis comitijs consules designentur. nã ceteri, quos nominauit, non petebant, sed prensabant ad insequentis anni petitionem. CAESAR} is est, quem a triumuiris proscriptum soror Iulia, Antonij triumuiri mater, seruauit. Plutarchus. CERTVS

putatur.}

putatur. } hic Certus, accipio alio sensu, atque supra. non enim dicit, Certus competitor putatur; cum iam dixerit, De ijs, qui nunc petunt: sed, putatur fore, ut consul designetur. THERMVS } Q. Minucius Thermus, plebeius, is, opinor, qui postea partem Asiae propraetor administrauit; vt fam. l. 2. ep. 18. & l. 13. ep. 53. & hic epist. 13. & 20. l. 5. SILANO } D. Iunio Silano, qui cum L. Licinio Murena consul fuit, proxime post Ciceronem, & Antonium. CVRIVM *obducere:* } contra illos in campum Martium ducere Q. Curium, aleatorem notissimum: in quem est illud Calui, apud Asconium: Et talis Curius pereruditus. &, OBDVCERE, proprie: quia candidatos amici & clientes in Campum, honoris caussa, deducebant. unde illud epist. 1. l. 2. Cum candidatum deducerem, quaerit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare. Aut, CVRIVM *obducere*, Curij vitia obtegere; cum hominis tam infamis uita sit. Sic, Obducta cicatrix, dicitur. IN *nostrum annum* } in eum, qui proxime sequitur. NOSTRVM autem, quod is erat annus, quo per leges ei petere consulatum liceret: ut in epistola ad Cassium: Haec tolerabilia, illud non ferendum, quod est, qui uestro anno consulem filium suum futurum putet. Et in Rullum: Est illud amplissimum, Quirites, quod hoc honore ex nouis hominibus primum me, multis posthabitis, affecistis, quod prima petitione, quod anno meo. Et ad petendum consulatum legitimus erat annus aetatis XLIII. ut latius in libro de Magistratibus. FIRMIOR } Thermo. cũ enim Flaminiam uiam munierit, cuius curator est: firmissimus erit candidatus. itaque uidetur e re mea esse, nunc eum designari cum Caesare; ne, in nostrum annum reiectus, absoluta Flaminia petat. SANE *facile eum &c.* } quis est tam lynceus, qui sententiam tantis in tenebris uideat? uerba uero restituere quis sine uetustis exemplaribus possit? at illa, quae quidẽ ego uiderim, cum uulgatis libris consentiunt. unum, quod in bibliotheca D. Marci, a Bessarione Cardinali cum alijs innumerabilibus dono datum, asseruatur, discrepat in uno, sed scriptura nihilo minus deprauata: habet enim, Numiriteri, vbi est in impressis, Nunc ceteri. Doctissimo viro, Carolo Sigonio, placet sic: Quae cum erit absoluta, sane facile eũ nunc Caesari consulem addiderim. vt, Libenter, tollatur, tamquam interpretatio verbi, Facile. Ego nihil aufero, parua tantum mutatione ita lego, ac distinguo; Quae tum erit absoluta, sane facile, cum libenter nunc Caesari consulem addiderim. Ceteri autem, pro Caesari, mẽdose factum est, ex eo fortassis, quia scriptum esset, C^ri. ADHVC *informata,* } nondum perfecta, sed rudis adhuc, & impolita. quasi dicat, non certa, & explorata, sed, ut coniectura prouideri potest. habes, inquit, quod ego de petitoribus cogito. intelligit autem simul & qui prensant, & qui petunt. INFORMARE } verbum a Formis deductũ. & est, cum quid non perfecte formatum, sed in aliquam formae similitudinem redactum. Sic, Informata proscriptio, quae tantum esset animo designata, ep. 6. l. 11. MVLTVM *posse Gallia,* } cisalpinae Galliae, cui Piso praeerat, cispadana pars fuit, quae suffragij ius cum tota Italia lege Pompeia obtinuerat, sicuti Transpadana ius Latij eadem lege. ad Quinctum fratrem lib. 2. Magna manus, inquit, ex Piceno, & Gallia exspectatur, vt etiam Catonis rogationibus de Milone, & Lentulo resistamus. Et oratione II. in Antonium: Ex omnium omnibus flagitijs nullum turpius uidi, nullum audiui, quam, quod, qui magister equitum fuisse tibi uidere, in proximum annum consulatum peteres, uel potius rogares, is per municipia, coloniasque Galliae, a qua cum consulatus noster petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum caligis, & lacerna cucurristi. Hirtius autem, quo libro prosequitur, quae de Gallico bello Caesar praetermiserat, in eo libro sic: T. Labienum Galliae Togatae praefecit, quo maiore commendatione conciliaretur ad consulatus petitionem. Per cispadanam igitur Galliam eunti ad Pisonem Ciceroni transeundum erat. Est autem Cisalpina, siue Togata Gallia, quae incipit a Rubicone ad mare superum; ab Arno autem ad inferum terminatur alpibus. CVM *Romae a iudicijs forum refrixerit,* } circiter idus Sextilis iudicia dimittebantur, subsequentibus ludorum diebus, quorum primi votiui XVII. Kal. Sept. committebantur: nec fere ad usque Ianuarium mensem repetita iudicia calebant. ideo infert, Vt Ianuario reuertamur: cum obire tempus iudiciorum uellet, in quibus propter eloquentiam uigebat. LEGATI } non, legati ad Pisonem, sed, excurremus ad Pisonem, legati. quam autem hic legationem significat? liberam, opinor: quia senatori ab urbe diutius abesse, nisi iure liberae legationis impetrato, non licebat. AD *Pisonem* } C. Calpurnium Pisonem, qui biennio ante cũ M'. Acilio Glabrione consul fuerat. est autem sciendum; etsi Cicero de Gallia Togata hic intelligat, non ideo tamen intelligi oportere, Pisonem ei praefuisse. praefuit enim Narbonensi, vt ex Dione constat. ideoq. pacificatorem Allobrogum, qui sunt Narbonensis Galliae populi, Cicero illum infra nominat. hoc igitur Cicero sperabat; cum per Galliam Togatam iret ad Pisonem, Narbonensem Galliam procõsulem administrantem, aliquid se in transitu posse proficere, appellandis, rogandisq. colonijs, & municipijs. & est hic non primus, sed alter annus, quo Narbonensem Galliam Piso regebat. usitatum enim erat, ut nõ modo annua, uerum etiam bima, interdum etiam trima, & quadrima prouinciarum esset administratio. itaque Macedoniae bienniũ praefuit C. Cotta, Ciliciae triẽnium Lentulus Spinther, Macedoniae quadriennium C. Antonius, vt alia mittantur exempla. CETERA } respexit ad proximum mẽbrum: Illam manum tu mihi cura ut praestes Pompeij nostri amici. Vt fit ordo: tu mihi eos praesta, qui cum Pompeio absunt. ego cetera spero fore, ut uolumus. HIS *dumtaxat urbanis competitoribus:* } modo ne, qui reipublicae caussa absunt, eorum aliquis ad petitionem ueniat. nam quos mihi ex ijs, qui nunc in urbe sunt, uideo competitorns fore, neminem pertimesco. Sic, Vrbani, pro, Ex urbe, dixit ep. 48. l. 12. Hanc ego huius loci sinceram duco sententiam. quidquid alij dixerint, ita non improbo, amicitiae caussa, vt, quo suadet ratio, libentius inclinem. ILLAM *manum* } nobiles uiros, cum Pompeio in Asiam ad bellum Mithridaticum profecto. CVRA *ut praestes,* } effice, ut meam petitionem

adiuuent,

adiuuent, missis Romam epistolis ad propinquos, & familiares. QVONIAM *propius abes*, } cum tu in Graecia sis, minus abes a Pompeio, quam ego, qui sum Romae: itaque per litteras & cum ipso potes, & cum ijs, qui una sunt, de honore meo commodius agere. Est autem, Propius abesse, minus distare. quo modo locutus est & in Tusc. 1. Quo propius aberat antiquitas ab ortu, & diuina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant uera, cernebat. Et libro de Sen. A morte propius absum. AD *mea comitia* } satis erit, si me illa manus litteris adiuuet: non peto, ut mea caussa Romam ad comitia ueniat. CAECILIVS, *auunculus tuus* } de hoc Nepos in Attici uita, & Valerius lib. 7. cap. 9. DOLO *malo* } quod inter Varium, & Caninium diceret conuenisse, ut ad fraudandos Varij creditores earum rerum uenditio fieret, quas mancipio uenditas, ab eo, qui emisset, repetere non liceat, nisi si dolo malo emptas esse constaret: quod Caecilius factũ affirmabat. LVCVLLVS, } alij de Lucio Lucullo accipiunt, ego de Marco fratre. Nam Lucius ab expeditione Mithridatica nondum redierat. rediit enim M. Catone tribuno pl. ut scribit Plutarchus: Cato autem tribunatum gessit Murena, & Silano cos. ut idem Plutarchus, & in oratione pro Murena, id est, biennio post, atque eo amplius, quam hac scripta sunt. P. SCIPIO, } hic est Scipio socer postea Pompeij, quem ex adoptione Metelli Pij Q. Metellum Pium Scipionem esse appellatum scribit Dio. lib. XL. MAGISTRVM } auctionis, cum in auctione bona uenirent, ut inter heredes, aut creditores diuiderentur; de sententia coheredum, aut creditorum eligebatur qui praeesset auctioni. is Magister dicebatur: ut l. 6. ep. 1. De hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciundis. Et Quinctilianus lib. VI. dictum recitat Ciceronis in Plactorij matrem: ludum habuisse, dum uixit: magistros, postquam mortua sit. ita infamem significauit & ab impudicitia, dum uiueret; & mortuam, ab aere alieno. Item pro Quinctio: Cui magistri fiunt, domini constituuntur, qui, qua lege, qua condicione pereat, pronuncient. SI *bona uenirent*, } si bona Varij, Caninio adempta, in auctione uenirent, ut ex ea pecunia satisfieri creditoribus posset. OBSERVAT } assectationis officio colit: ut illud Philippica II. Postea custoditus sum a te, tu a me obseruatus in petitione quaesturae. Et in epistola ad Gallum: Ego te in consulatu obseruaram. Obseruare enim dicuntur, qui aliquem officij honorisue caussa deducunt, & reducunt. DOMITIVM } Ahenobarbum, Porciae uirum, quae Catonis soror erat. fuit aliquot post annis consul cum Ap. Claudio Pulchro, mox in caussa Milonis quaesitor; postremo successor Caesari datus, ut esset proconsul in Gallia; orto inter Caesarem, & Pompeium ciuili bello, Pompeium secutus: Corfinij captus, & incolumis dimissus; cum se rursus ad Pompeium contulisset in acie Pharsalica a M. Antonio est interfectus. ETIAM *si id sit*, } etiam si propter ambitionem peccauerim. ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην } Homerus Iliados χ pronunciat hos uersus de Achille, qui Hectorem contento cursu sequebatur.

ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην
,, ἀρνύσθην, ἅτε ποσσὶν ἀέθλια γίνεται ἀνδρῶν,
,, ἀλλὰ περὶ ψυχῆς θέον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.

& Latine Virgilius:
,, Neque enim leuia, aut ludicra petuntur
,, Pramia, sed Turni de uita, & sanguine certant,

Sensus est. Quod auunculo tuo non satisfecerim, & caussam fateor ambitionem fuisse, & mihi tamen arbitror esse ignoscendum, quod, ut uides, haec me ambitio, quasi cursus quidam, non ad ludicrum, aut inane praemium, sed ad consulatum ferat. NON *modo retinendas*, } quod in Satyro feci. HERMATHENA *tua ualde me delectat, & posita ita belle est, ut totum gymnasium* ἡλίου ἀνάθημα *esse uideatur.* } statuam, inquit, Mercurij, & Mineruae, mihi a te missam, in gymnasio meo, Academia, ita belle constitui, ut illustrare tamquam Sol totum gymnasium uideatur. ἀναθήματα uocabantur, quae in templis, ornatus maxime gratia, dicata Deis ponebantur. qua ratione, ἡλίου ἀνάθημα dixit Cicero pro Solis dedicatio: quasi dixerit: ita ornat Hermathena tua, tamquam ἀνάθημα, Academiam meam, ut Sol ipse, qui cuncta illustrat, uniuerso gymnasio dicatus esse uideatur. Putat uir doctrina, & humanitate excellens, mihiq. uetere necessitudine coniunctus, Pompilius Amasaeus, legendum, ἡλίου αὔγασμα, idest, Solis splendor: quia scriptum reperit in suo libro satis antiquo, eliu auasma. sententia non dissimilis. uerum, cum & in meo, & in alijs antiquis libris uideam scriptum esse, ἡλίου ἀνάθημα, & Hermathena illa in Ciceronis gymnasio ἀναθήματος loco fuerit: argute mihi uidetur, ἡλίου ἀνάθημα, Cicero subiunxisse, ut simile simili redderet, & augeret etiam comparatione Solis Hermathenae ornamentũ. Qui pro, ἡλίου ἀνάθημα, legunt, ἑρμάθημα, ijs non assentior, tum quia discedunt a ueteribus libris; tum etiam, quia sententia magis augetur, & ex ipso quasi Sole splendorem accipit, si legatur, ἡλίου ἀνάθημα. De Academia sic Plinius lib. 31. cap. 2. Digna memoratu uilla est, ab Auerno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata porticu, ac nemore, quam & uocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis uoluminibus eiusdem nominis; in qua & monumentum sibi instaurauerat. huius in parte prima, exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis, celebrari carmine Laureae Tullij, qui fuit e libertis eius, ut protinus noscatur etiam ministerium eius ex illa maiestate. Ponam enim ipsum carmen, dignum ubique, & non ibi tantum, legi.

Quo

Quo tua Romanae uindex clarissime linguae
Silua loco melius surgere iussa uiret,
Atque Academiae celebratam nomine uillam,
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus.
Hic etiam apparent lymphae non ante repertae,
Languida quae infuso lumina rore leuant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quae medeantur, aquae.

MVLTVM *te amamus.*} de Hermathena: ut in proxima inferiore epistola: Te multum amamus, quod ea abs te diligenter, paruoq. curata sunt. & ep. 2. l. 7. L. IVLIO *Caesare, C. Marcio Figulo cos.* } docui, non uno die scriptam epistolam: &, cur dubitetur, caussa non est. scripserat illud ante comitia consularia, De ijs, qui nunc petunt, Caesar certus putatur: & illud, Nostris rationibus conducere uidetur, Thermum fieri cum Caesare. Comitijs uero habitis, cum Caesaris & Figuli designationem significare uellet, argute, eorum nominibus epistolam clausit. Designatis, cur non addiderit, quidam sine caussa mirantur: quasi uero ita peregrinaretur Atticus in rebus Romanis, ut hoc anno gerere consulatum nesciret Cottam, & Torquatum, Caesarem autem, & Figulum in proximum esse designatos. Figulum autem quem hic nominat, ante appellauit Thermum: quod ex Minucijs in Marcios adoptione transijsset, uetere cognomine conseruato.

Cicero S D. Attico. 2.

ABS TE tam diu nihil litterarum? Ego de meis ad te rationibus scripsi antea diligenter. hoc tempore Catilinam, competitorem nostrum, defendere cogitamus. iudices habemus, quos uolumus, summa accusatoris uoluntate. spero, si absolutus erit, coniunctiorem nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. Tuo aduentu nobis opus est maturo. nam prorsus summa hominum est opinio, tuos familiares, nobiles homines, aduersarios honori nostro fore. ad eorum uoluntatem mihi conciliandam maximo te mihi usui fore uideo. quare Ianuario ineunte, ut constituisti, cura ut Romae sis. Auiam tuam scito desiderio tui mortuam esse, & simul, quod uerita sit, nè Latinae in officio non manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent. eius rei consolationem ad te L. Sauseium missurum esse arbitror. Nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus: ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis? nam ad me de eo nihil scripsisti. Signa, quae nobis curasti, ea sunt ad Caietã exposita. nos ea non uidimus. neque enim exeundi Roma potestas nobis fuit. misimus, qui pro uectura solueret. te multum amamus, quod ea abs te diligenter, paruoq. curata sunt. Quod ad me saepe scripsisti de nostro amico placando, feci, & expertus sum omnia: sed mirandum in modum est animo abalienato; quibus de suspicionibus, etsi audisse te arbitror, tamen ex me, cum ueneris, cognosces. Sallustium praesentem restituere in eius ueterem gratiam non potui. hoc eo ad te scripsi, quod is me accusare de te solebat, in se expertus est illum esse minus exorabilem, meum studium nec tibi defuisse. Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus. Vale.

EXPLANATIO

DE MEIS *ad te rationibus* } de petitione consulatus. COMPETITOREM *nostrum* } non quia peteret, sed quia petiturus uideretur. nam Comitiorum dies longe aberat, utpote quae anno proximo non ante Quinctilem mensem futura essent. petijt autem, & repulsam tulit, ut supra demonstratum est. DEFENDERE } crimine repetundarum. est enim scripta haec epistola Cotta, & Torquato cos. quo anno Catilina caussam dixit de repetundis: ut iam probauimus. & apparet, post designatos Caesarem & Figulum iudicium illud esse factum: cum hanc epistolam scriptam esse constet post eam, quae ante est impressa, in qua de Caesare, & Figulo designatis in extremo legitur. Catilinam tamen a Cicerone non esse defensum, probat Asconius contra Fenestellam in explanatione orationis aduersus competitores. SVMMA *accusatoris uoluntate* } ex iudicum numero & accusator, & reus reijciebant, quos putarent sibi uel inimicos, uel, ut ut Asconij uerbis utar, ex aliqua re incommodos fore. Habemus, inquit, iudices quos uolumus, accusatore non reijciente. Accusatorem autem P. Clodium intelligit. Asconius. SIN *aliter acciderit*} si nobis minus erit coniunctus in ratione petitionis. TVOS *familiares, nobiles homines,* } maxime Q. Hortensium significat, iam inde a Verris accusatione sibi infensum: quem infra quoque Attici familiarem appellat, epistola ultima lib. 2. & Nepos in uita. Nobiles autem homines, quia summos honores gesserat Hortensius. erat enim tum consularis. de quo & in oratione pro Quinctio: Dicet Hortensius, excellens ingenio, nobilitate, existimatione. Et Pedianus haec in argumento Diuinationis: Defendebatur Verres ab Hortensio, facile & principe in senatu propter nobilitatem, & in foro ob eloquentiam rege caussarum. Nobiles igitur, etiam qui patricij non erant, dicebantur. erant enim Hortensij plebeij. DESIDERIO *tui* } qui tam diu abesses. QVOD *uerita sit* } deridet suspiciosae aniculae inanem superstitionem. LATINAE } mulieres. & festiue, quod mulier de mulieribus laboraret. nam, si

ad historiam respicimus, ex populis Latinis non tam mulieres, quam uiri in montem Albanum hostias adducebant: &, quattriduano sacrificio facto, accepta carne in suam quisque ciuitatem digressi reuertebant. ea dicta Visceratio: quoniam ex hostijs carnes in partes caesae distribuerentur. & uisceratio mox a Caesare populo data, apud Suetonium. Ferias autem Latinas, maximo Romanorum Latinorũq. magistratuum conuentu, consules prouocabant, cum interea cum populo agere non liceret: ut ob eam caussam Latinae aliquando a consulibus instaurarentur, cum tribunis pl. obsistere uellent, populares fere cupientibus. itaque ad Q. fratrem lib. 1. Consul, inquit, Lentulus dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinae instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. sic legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis. Liuius, Strabo, Plutarchus, Dionysius. Eius *rei consolationem* } Ridiculum est consolationem compositam ob mortem uetulae plus quam septuagenariae. etiam suspecta est mihi locutio, Eius rei consolationem. legendum putat homo doctus, amicus meus, Conflationem. nam & id obscure tetigerat, cum dixit, Verita est. neque enim uerita erat, ne celebrarentur Latinae, sed, bellum inter Latinos & Romanos ne suscitaretur. Saufeium } equitem Romanum, philosophum Epicureum, Attici familiarem. ep. 6. l. 4. & 1. l. 7, & Nepos in uita. Ex *quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis?* } genus loquendi, quod in re parum certa ueteres usurpabant: ut libro. XI. De Quincto filio nihil audiui: sed quaere ex Diochare, Caesaris liberto. is dicitur uidisse an euntem, an iam in Asia? Et in Bruto: Summa senectute M. Cato, legem suadens in Galbam, multa dixit: quam orationem in Origines suas retulit, paucis ante quam mortuus est an diebus, an mensibus? Nec dissimile illud ep. 12. Proximus Pompeio sedebam: intellexi hominem moueri; utrum, Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset, an esse tantas res nostras, quae tam libenti senatu laudarentur? De *nostro amico placando*, } Lucceium intelligit. infra: Accedebat hortator Sallustius, ut agerem quam diligentissime cum Lucceio de uestra uetere gratia reconcilianda. De *te* } Sallustius me accusare solebat, quod Lucceium tibi non placarem. Nec *sibi* } qui etiam ipsius Sallustij caussa laboraui. C. Pisoni } is cum uita excessisset, exsulante Cicerone, haud multo post nupsit Tulliola Furio Crassipedi, ut in epist. 4. libri II. ad Q. fratrem, & in epistola 7. l. 1. ad Lentulum; tertio, P. Cornelio Dolabellae, cum Cicero Ciliciam proconsul administraret, ut fam. epist. 19. l. 8. & deprehenditur error Plutarchi, & Pediani, qui Tulliolam bis dumtaxat nupsisse falso credunt, Pisoni, & P. Lentulo: cum Lentulus inter Ciceronis generos nemo usquam nec ab ipso Cicerone, nec ab alijs nominetur.

Cicero S. D. Attico 3.

Crebras exspectationes nobis tui commoues. nuper quidem, cum te iam aduentare arbitraremur, repente abs te in mensem Quinctilẽ reiecti sumus. nũc uero sentio, quod commodo tuo facere poteris, uenias ad id tempus, quod scribis. obieris Quincti fratris comitia; nos longo interuallo uiseris; Acutilianam controuersiam transegeris. hoc me etiam Peducaeus, ut ad te scriberem, admonuit. putamus enim utile esse, te aliquando iam rem transigere. mea intercessio & est, & fuit parata. Nos hic incredibili singulari populi uolũtate de C. Macro transegimus. cui cum aequi fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione, illo damnato, cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est: & ornamentum Academiae proprium meae; quod & Hermes commune omnium, & Minerua singulare est eius gymnasij. quare uelim, ut scribis, ceteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes. Quae mihi antea signa misisti, ea nondum uidi. in Formiano sunt: quo ego nunc proficisci cogitabam. illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietã, si quando abundare coepero, ornabo. Libros tuos conserua: & noli desperare, eos meos facere posse. quod si assequor, supero Crassum diuitijs, atque omnium uicos, & prata contemno. Vale.

EXPLANATIO

Quincti *fratris comitia*; } quibus aedilitatem Quinctus petebat. nam praeturam gessit triennio post, Silano, Murena coss. proximisq. consulibus Pisone, & Messalla, ex praetura est in Asiam profectus: petijt igitur aedilitatem Lepido, & Tullo consulatum gerentibus, gessit Cotta, & Torquato, quoniam inter aedilitatem & praeturam biennium intersit necesse est, uacuum ordinarijs honoribus. Acutilianam *controuersiam* } uide in epistola sequenti, & in ea, quae ab hac est tertia. Peducaeus, } Sex. Peducaeus, Attici amicissimus. Nepos in Attici uita. De *C. Macro transegimus.* } Non alienum est subijcere, quae Valerius, & Plutarchus tradunt. Valerius his uerbis: C. Licinius Macer, uir praetorius, Calui pater, repetundarum reus, dum sententiae dicerentur, in Maenianum conscendit: deinde M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, praetextam ponentem cum uidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum, perijsse, nec sua bona hastae posse subijci: ac protinus, sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coartatis, incluso spiritu, poenam morte praecurrit. qua cognita re, Cicero de eo nihil pronunciauit. igitur illustris ingenij orator, ab inopia rei familiaris, & a crimine domesticae dãnationis inusitato paterni fati genere uindicatus est. Plutarchus sic: Στρατηγίαν μετιὼν τῶν ἅμα σὺν αὐτῷ πολλῶν καὶ μεγάλων, πρῶτος ἁπάντων ἀνηγορεύθη, καὶ τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι. λέγεται δὲ καὶ Λικίνιος Μάκερ, ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα, καὶ Κράσσῳ χρώμενος βοηθῷ, κρινόμενος κλο-

λοπῆς, ὑπ' αὐτοῦ τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθὼς, ἔτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων, ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε, κείρατό τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος, καὶ καθαρὸν ἱμάτιον ὡς νενικηκὼς λαβὼν, αὖθις εἰς ἀγορὰν προῄει, τοῦ δὲ Κράσσου περὶ τὴν αὔλειον ἀπαντήσαντος αὐτῷ, καὶ φράσαντος ὅτι πάσαις ἑάλωκε ταῖς ψήφοις, ἀναστρέψας, καὶ κατακλιθεὶς ἀπέθανεν. Sed Pedianus, ubi explanat orationē pro Cornelio, in eadē pagina loquitur pugnātia. dicit enim, primo praetorem fuisse Ciceronem M'. Lepido, L. Volcatio cos. deinde, paucis interiectis uersibus, L. Cotta, L. Torquato: errore ita manifesto, ut Pedianum tam foede lapsum, mihi persuadere nō possim, peccatum potius a librario suspicer. utrum igitur probamus? ego non dubito, quin praeturam gesserit Lepido, & Volcatio cos. cum enim aedilis fuisset Hortensio, & Metello cos. ut ex libro de claris oratoribus, & ex accusationibus in Verrem notissimum est; aedilitas autem a praetura biennio distet, ut apparet ex epistola ad Furnium, fam. lib. x. praeturam gesserit, necesse est, Lepido, Volcatio cos. siquidem honores omnes adeptus est anno suo, ut gloriatur in II. de Officijs. non esset autem praeturam adeptus anno suo, si eam gessisset Cotta, & Torquato cos. nam ita inter aedilitatem & praeturam triennium interesset: cum biennium modo intersit, ut ex locis intelligitur. De hoc Macro uide quae scripta sunt in Bruto. Cvi *cum aequi fuissemus*} quem cum iure damnassem. Praetor enim hanc epistolam scripsit, quod iam ostendi. De *Hermathena*} quamquam & Mercurij & Mineruae signū hoc fuerit: quale tamen signum, & qua figura fuerit, utrum bicorpore, an bicipiti, aut bifronte, an etiā in una basi duo signa fuerint, dubitari potest. sed in hac difficultate uir summae doctrinae, & exquisitae industriae Fuluius Vrsinus opem tulit, inuento antiquo nummo, cujus ex una parte cernitur effigies Hadriani Imperatoris, ex altera signum hoc: cuius interpretatio haec est. Inferior pars lapis est quadrangula figura: quae Mercurium significat: itaque uocatur Ἑρμῆς τετράγωνος. Superior uero pars cum galea, clypeo, hasta Mineruam designat. ita fit Hermathena. Quadratis enim lapidibus, Mercurium ea figura referentibus, capita uel deorum, uel praestantium uirorum, qui de rep. bene meriti essent, imponere Athenienses consueuerunt, Mercurij nomine cum eorum nominibus coniuncto, quorum effigies quadrato lapide cernebatur. auctor est Plutarchus, accusatum esse Alcibiadem, quod una nocte eius modi omnia signa deiecisset.

Academiae *proprium meae*} haec Ciceronis uilla fuit, celebrata porticu, & nemore: quam nominauit Academiam ab exemplo Athenarum. Plin. lib. XXXI. Commvne: *omnium*} gymnasiorum, quia litteris, & ingenijs praeesse creditur Mercurius. uel, Commvne *omnium*, } non gymnasiorum, sed hominum: quibus felicitatem promittere uidetur. & hoc ad diuitias potius, quam ad litteras, refero. nam Lucianus in uotis, & Communem appellatum esse Mercurium, & diuitiarum caussa, significat his uerbis: Κοινὸς Ἑρμῆς, φασὶ, καὶ ἐς μέσον φέρων τὸν πλοῦτον. Aristoteles autem lib. II. ad Theodectem: Καὶ τὸ κοινωνικὸν φάναι, τὸν Ἑρμῆν εἶναι μάλιστα τῶν θεῶν. μόνος γὰρ καλεῖται Κοινὸς Ἑρμῆς. Minerva, *singulare eius gymnasij*. } cur Mineruae statua proprium & singulare ornamentum Academiae Ciceronis? quia & Academia gymnasium erat Athenis, unde suam uillam Cicero nuncupauit; & Athenae a Minerua conditae, ac nominatae: siquidem Graeci Ἀθήνην Mineruam uocant. uel, quod Mineruam Cicero praecipue coleret, cuius etiam signum domi habuit, ut ait Plutarchus. Evm *locum*} Academiam nostram. Caietam, } uillam in agro Caietano. Si *quando abundare coepero*, } si quando erit, ut mihi pecunia superet. Ornabo. } signis. Conserva, } quia se uenditurum Atticus significauerat. Sic infra: Bibliothecam tuam caue cuiquam despondeas, quamuis acrem amatorem inueneris. nam ego omnes meas uindemiolas eo reseruo, ut illud subsidium senectuti parem. Et epist. 9. Libros caue cuiquam tradas; nobis eos conserua. Noli *desperare*} uelim speres, me tamen posse tantam pecuniam cogere, ut emere tuos libros possim. Vicos, *& prata*} urbanas, rusticasque diuitias. Vicus duplex est, in urbe, & extra urbem. de utroque diximus ep. 10. lib. 2. fam. hic de urbano accipiendum. Pratis uero inter praedia rustica primas partes tributas a ueteribus, ait Columella l. 2. c. 17. & lib. 3. cap. 3. & Varro l. 1. de re r. c. 7. & Cicero Parad. VI.

Cicero S. D. Attico. 4

QVANTVM *dolorem acceperim, & quanto fructu sim priuatus, & forensi, & domestico, Lucij, fratris nostri morte; in primis pro nostra consuetudine tu existimare potes. nam mihi omnia, quae iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit; cum & meo dolore moueare, & ipse omni uirtute, officioq. ornatissimũ, tuiq. & sua sponte, & meo sermone amantem, affinẽ, amicumq. amiseris. Quod ad me scribis de sorore tua; testis erit tibi ipsa, quantae mihi curae fuerit, ut Quincti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet. quem cum esse offensiorem arbitrarer, eas litteras ad eum misi, quibus & placarem ut fratrem, & monerem ut minorem, & obiurgarem ut errantem. itaque ex ijs, quae postea saepe ab eo ad me scripta sunt, confido ita esse omnia, ut & oporteat, & uelimus. De litterarum missione, sine caussa abs te accusor. numquam enim a Põponia nostra certior sum factus, esse cui litteras dare possem. porro autem neque mihi accidit, ut haberem, qui in Epirum proficisceretur: neque dum te Athenis esse audiebamus. De Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras; ut primum a tuo digressu Romam ueni, confeceram: sed accidit, ut & contentione nihil opus esset; & ego, qui in te satis consilij statuerim esse, mallem Peducaeum tibi consilium per litteras, quam me dare. etenim, cum multos dies aures meas Acutilio dedissem, cuius sermonis genus tibi notum esse arbitror; non mihi graue duxi scribere ad te de illius querimonijs; cum eas audire, quod erat subodiosum, leue putassem. sed abs te ipso, qui me accusas, unas mihi scito litteras redditas esse; cum & otij ad scribendum plus, & facultatem dandi maiorem habueris. Quod scribis, etiam si cuius animus in te esset offensior, a me recolligi oportere: quid dicas? neque id neglexi, sed est miro quodam modo affectus. ego autem, quae dicenda fuerunt de te, nõ praeterij: quid autem contendendum esset, ex tua putabam uoluntate statuere oportere: quam si ad me perscripseris, intelliges, me neque diligentiorem esse uoluisse, quam tu esses; neque negligentiorem fore, quam tu uelis. De Tadiana re, mecum Tadius locutus est, te ita scripsisse, nihil esse iam, quod laboraret; quoniam hereditas usucapta esset. id mirabamur, te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi posse. Epiroticam emptionem gaudeo tibi placere. Quae tibi mãdaui, & quae tu intelliges conuenire nostro Tusculano, uelim, ut scribis, cures; quod sine molestia tua facere poteris. nam nos ex omnibus molestijs, & laboribus uno illo in loco conquiescimus: quo fratrem quotidie exspectamus. Terentia magnos articulorum dolores habet, & te, sororem tuam, & matrem maxime diligit, salutemq. tibi plurimam adscribit, & Tulliola, deliciae nostrae. Cura, ut ualeas; & nos ames; & tibi persuadeas, te a me fraterne amari.*

EXPLANATIO

LVCII, *fratris nostri*} patruelis, de quo in 2. de Oratore, & 5. de Finibus, utrobique in prooemio, & apud Pedianum, & in Verrem. AFFINEM} quia frater fuit sororis tuae uiro, Quincto fratri meo. SORORE *tua*} Q. Ciceronis uxore. MISI.} erat enim Quinctus in agro Arpinati. epist. 6. SI *cuius animus*} Lucceium intelligit, de quo ep. 9. QVID *dicas?*} de mea uidelicet intelligentia: qui ne id quidem neglexi, quod fortasse negligendum fuit. quantum enim hoc oneris est, quod mihi post multa mandata superimponis, ut, si cuius animus in te sit offensior, ego recolligam? NEQVE *id*} ne id quidem: ut in epistola ad Torquatũ prima lib. 6. Qui neque, cum id faciebamus, tam eramus amentes. Et ad Paetum, ep. 15. lib. 9. Quod altera epistola purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanae fuisse, sed auctorem commorationis urbanae, neque ego aliter accepi. NIHIL *esse iam, quod laboraret,*} Tadius cum ab herede nescio quid emisset; idq. postea compertum esset non ad eum, qui uendidisset, sed ad puellam, quae esset in tutela, pertinere: postulantibus puellae tutoribus restituere male emptum cogebatur. VSVCAPTA} capta res dicitur, quam a nobis occupatam nemo repetiit intra tempus lege definitum. ergo is, qui Tadio quiddam ex hereditate uendiderat, recte se aiebat uendidisse: eam enim hereditatem usucepisse, quod autem usucaptum esset, legibus ad se pertinere. DE *tutela legitima,*} in lege uidetur ita scriptum fuisse? Si quis quid usu ceperit, id usucapionis iure ad illum pertineto; ut ex bonis tamen pupillorũ, qui sint in tutela legitima, nihil usucapi possit. Hanc exceptionem dicit Atticum ignorare: quam si teneret, hereditatem, quae esset in tutela legitima, iniquo usucapionis iure usurpatam, recte uendi potuisse non putaret. Tutelae autem legitimae dicuntur, quae, cum quis intestato mortuus est, eis liberis lege dantur. dari autem agnatos, & cõsanguineos, item patronos, id est eos, qui ad legitimam hereditatem admitti possunt, scribit Vlpianus in consuetudine fuisse; & patronos ob eam caussam, ut, qui sperarent successionem, ijdem ea bona studiosius tuerentur. pro Flacco. IN *qua dicitur esse puella,*} audio, inquit, qui tutores puellae sunt, eos nõ a patre, sed a lege datos. itaque, cum tutela legitima sit, ex eius puellae bonis usucapere nihil potuit is, qui Tadio uendidit. GAVDEO *tibi placere.*} gaudeo te delectari possessione, quam in Epiro emeris. Et sane omnis Attico pecuniae redditus in Epiroticis & urbanis possessionibus cõstabat, ut in eius uita Nepos tradit. QVAE *tibi mandaui,*} loquitur de signis. epist. 2. 3. 5. 6. 7. 8. LABORIBVS} quos agendis caussis grauissimos sustinebat. Tusc. 1. Cum defensionum laboribus essem aliquando liberatus.

Cicero S. D. Attico. 5.

Non committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis. tu modo uideto, in tanto otio ut par mihi sis. Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam, & exaedificatam animo habebas, M. Fonteius emit HS CCCLↃↃↃXXX. *id te scire uolui, si quid forte ea res ad cognitiones tuas pertineret. Q. frater, ut mihi uidetur, quo uolumus animo est in Pomponiam, & cum ea nunc in Arpinati praedio erat, & secum habebat hominē χρηστομαθῆ D. Turranium. Pater nobis decessit ad* VIII. *kal. Dec. Haec habebam fere, quae te scire uellem. Tu, uelim, si qua ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quae loci sint eius, quem tu non ignoras, ne praetermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismet ipsis tum denique, cum illo uenimus, placeamus. Quid agas omnibus de rebus, & quid acturus sis, fac nos quamdiligentissime certiores. Apud matrem recte est; eaq. nobis curae est. L. Cincio HS* XXCD *constitui me curaturū idibus Febr. tu, uelim, ea, quae nobis emisse, & parasse scribis, des operam, ut quamprimum habeamus. & uelim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis. omnem spem delectationis nostrae, quam, cum in otiū uenerimus, habere uolumus, in tua humanitate positam habemus. Vale.*

EXPLANATIO

TV *iam dimensam*,} tu eam constitueras emere; &, quasi iam emisses, ita eius exaedificationem animo designabas. HS CCCLↃↃↃXXX.} sestertijs centum triginta millibus, id est scutatis nostrae monetae 3900. Et, ut de numeris aliquanto latius disseramus, de quibus uideo Priscianum incerte locutum; antiquas notas, quibus praeter ceteras usi sunt ueteres Latini, & earum significationem e regione subijciam. quod ad numerum figurarum attinet, tredecim erunt, totidem, quot Priscianus agnoscit: in ipsis autem figuris, quiddam est, cur ab eo dissentiam.

Antiquae notae:		significatio.
I	1	unus
V	5	quinque
X	10	decem
L	50	quinquaginta
C	100	centum
IↃ	500	quingenta
CIↃ	1000	mille
IↃↃ	5000	quinque millia
CCIↃↃ	10000	decem millia
IↃↃↃ	50000	quinquaginta millia
CCCIↃↃↃ	100000	centum millia
IↃↃↃↃ	500000	quingenta millia
CCCCIↃↃↃↃ	1000000	decies centena millia.

Non erat autem, inquit Plinius, apud ueteres numerus ultra centum millia. itaque & hodie multiplicantur haec, ut, decies centena millia, aut saepius, dicatur. Atque hae notae, si figuram consideres, eaedem omnes sunt, nisi quod in quinque primis deprehenditur dissimilitudo. nam, cum scribimus CIↃ, siue IↃↃ, & inde quae subsequuntur; non plus duabus utimur notis, I & C, hoc tamen obseruantes, ut C post I non tamquam auersa, sed quasi respiciens, constituatur. sic unamquamque summam, quam uolueris immensam, explicari primis quinque notis animaduertes. Haec est prima consideratio: sequitur altera, quod a prima nota ad usque eas, quas in extremo posui, alterius modo in quincuplum summa crescit, modo in duplum: quod, ipsas notas qui persequi singulas uoluerit, intelliget. Priscianus autem hanc rationem tractat imperite. primum, mille sic ait notari, X, & decem millia sic CXↃ. in quo repugnat uetustatis obseruatio, triplex enim genus est, quod antiquitatem maxime testatur, lapides, libri, nummi. & cum ego in singulis non ita negligenter sim uersatus, numquam tamen X, pro mille comperi, numquam CXↃ pro decem millibus. sed idem labat in sua sententia: infert enim paullo post: Decem millia, quod uerisimilius est, notantur per M, circumscriptam ex utroque latere; & M putat mille significare, quia nominis prima sit littera. quorum alterum concedo, ut M mille ualeat: alterum, quia cum ratione pugnat, concedere non possum, ut M ideo mille significet, quod in uerbo Mille princeps occurrat littera. mihi enim dubium non est, quin M inde sit deriuata, quod ueteres pro quingentis hac utebantur figura IↃ, unde, contra Prisciani sententiam, qui de origine D nescio quid ridicule comminiscitur, facta est D, negligentia simul & ignorantia describentium, dum antiquas notas elementa putāt. ergo pro quingentis, ut dixi, scribebant IↃ, pro mille CIↃ: unde fluxit M, errorem creante similitudine; quod M quandoque ita scribitur CIↃ, ut minimum discrepare uideatur a CIↃ, in antiquis autem libris & alias figuras pro mille usurpatas licet animaduertere, ut ∞, & CIↃ, quas peperit minus accurata librariorum festinatio, id agentium, ut CIↃ uno calami ductu perficerent. etiam ∞, & CIↃ pro mille reperias: quae deriuatae sunt ab CIↃ, corruptae scilicet a corrupta. Quaeritur etiam, cur L quan-

quandoque pro I posita reperiatur, ut in hac figura, CCCLↃↃↃ, & similibus. huius quoque mutationis culpam sustinet librariorum inscitia: qui cum antiquam notam, I, longiusculam uiderent, exempli gratia sic, CCCIↃↃↃ, decepti similitudine consonantem L putarunt, & pro CCCIↃↃↃ scripserunt CCCLↃↃↃ. Haec de numerorum notis. reliqua erant nonnulla: quae, quia satietati legentium placet occurrere, praetermitto. hac de re paullo plenius egit Aldus filius in libris de Quaesitis per epistolam. PATER *nobis decessit* } ut ipsi ratiocinamur, hanc epistolam scripsit multo ante petitionem cõsulatus: idq. satis uidemur probasse, cum de ordine harum epistolarum diceremus. hoc si ita est, non recte scripsit Pedianus, Ciceronem in petitione consulatus patrem amisisse. sed idem de duobus etiam Ciceronis generis errauit, Furium Crassipedem non agnoscens. Quod autem nonnulli, Patro nobis decessit, putant legendum: infirma coniectura est. nam de Pattone uiuo multis post annis mentio, ut ep. XI. & 19. l. 5. & 2. l. 7. LOCI *sunt eius*, } Academiae. ep. 3. 7. & 9. APVD *matrem* } Attici: quam extulit annorum nonaginta, natus ipse tunc septem & sexaginta. Caeciliae gentis eam fuisse, coniicitur; cum & Caecilius frater eius fuerit, is, qui Atticum testamento adoptauit; & mulieres nomine familiarum appellarentur. L. CINCIO } qui Romae curabat Attici negotia. HS XXCD } sestertiorum uiginti millia quadringenta; hoc est, scutati 612. cum enim haec linea — superimponitur notae, ad eius notae significationem addit millia. C uero cum praeponitur his notis, & D & M, detrahit centum. & omnino de sequenti nota antecedens minor nota tantum demit, quantum ipsa significat; ut IV, ualet quattuor; VL, quadragintaquinque; XC, nonaginta; & huiusmodi. CONSTITVI } non est decem, ut iuris ciuilis imperiti suspicari possent; sed genus quoddam significatur obligationis, iure praetorio introductum: de quo integer est titulus in Pandectis, de Constituta pecunia inscriptis, CVRATVRVM } pro signis Megaricis mihi a te emptis, in epistola sequenti. EA } signa. IN *tua humanitate* } spero, inquit, fore, ut tu mihi, quae tua humanitas est, bibliothecam conficias, in qua me otiosus oblectare possim.

Cicero S. D. Attico 6.

APVD te est, ut uolumus. mater tua, & soror a me, Quintoq. fratre diligitur. Cum Acutilio sum locutus. is sibi negat a suo procuratore quidquã scriptum esse; & miratur istam controuersiam fuisse, quod ille recusarat satisdari, amplius abs te non peti. Quod te de Tadiano negotio decidisse scribis; id ego Tadio & gratum esse intellexi, & magnopere iucundum. Ille noster amicus, & mehercule uir optimus, & mihi amicissimus, sane tibi iratus est. hoc, si, quanti tu aestimes, sciam; tum, quid mihi elaborandum sit, scire possum. L. Cincio HS CCLↃↃCCCC pro signis Megaribis, ut tu ad me scripseras, curaui. Hermae tui Pentelici cum capitibus aeneis, de quibus ad me scripsisti, iam nunc admodum delectant, quare uelim, & eos, & signa, & cetera, quae tibi eius loci, & nostri studij, & tuae elegantiae esse uidebuntur, quam plurima, quamprimumq. mittas, & maxime quae tibi gymnasij, xystiq. uidebuntur esse. nam in hoc genere sic studio efferimur, ut abs te adiuuandi, ab alijs prope reprehendendi simus. si Lentuli nauis non erit, quo tibi placebit, imponito. Tulliola, deliciolae nostrae, tuum munusculum flagitat, & me, ut sponsorem, appellat. mihi autem abiurare certius est, quam dependere. Vale.

EXPLANATIO

A SVO *procuratore* } scripserat Atticus, cum Acutilij procuratore se esse collocutum, eiq. pecuniã uoluisse persoluere, cum eo tamen, ut satisdatione sibi caueretur, neminem amplius eo nomine petiturum; illum autem recusasse. Et, Amplius non peti, frequens est in satisdationibus apud Iurisconsultos locutio; quam & Cicero usurpauit in epistola ad Sulpicium, fam. ep. 28. l. 13. cum, L. Mescinium commendans, ita scribit: Te rogo, ut, si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut satisdetur fide mea. Nec dissimile illud in Bruto: Ego tibi Brute non soluam, nisi prius a te cauero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum. Simillimum illud pro Q. Roscio: Quid ita satis nõ dedit, amplius a se neminem petiturum? DECIDISSE } cum tutoribus puellae. ep. 4. ILLE *noster amicus*, } Lucceius. ep. 9. CCLↃↃ CCLↃↃ CCCC } sestertiorum nummorum uiginti millia quadringenta, totidem plane, quot proxima in epistola superiore. diuersis enim notis eandem summam explicauit. MEGARICIS } ex Megaris, Atticae urbe. HERMAE *tui Pentelici* } Mercurij statuae ex marmorae Pentelico. Suidas. EIVS *loci*, }. Academiae. ep. 3. & 7. XYSTIQVE } Xystus quid sit, Vitruuius lib. 5. cap. XI. docet. NAVIS } quo imponas signa. TVVM *munusculum* } quod te illi ex Graecia missurum pollicitus es. epist. 9.

Cicero S. D. Attico 7.

NIMIVM raro nobis abs te litterae afferuntur: cum & multo tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quam ego, qui Athenas; & certius tibi sit, me esse Romae, quam mihi, te Athenis. itaque propter hanc dubitationem meam breuior haec ipsa epistola est; quod, cum incertus essem, ubi esses, nolebam illũ nostrum familiarem sermonem in alienas manus deuenire. Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me scripsi-

ſcripſiſti, uehementer exſpecto. quidquid eiuſdem generis habebis, dignum Academia tibi quod uidebitur; ne dubitaris mittere. & arcae noſtrae confidito. genus hoc eſt uoluptatis meae: quae γυμνασιώδη maxime ſunt, ea quaero. Lentulus naues ſuas pollicetur. peto abs te, ut haec cures diligenter. Chilius te rogat, & ego eius rogatu, Εὐμολπιδῶν πάτρια. Vale.

EXPLANATIO

NE DVBITARIS} ne te deterreat impenſa: & confidito, futurum mihi unde ſoluam. NAVES *ſuas.*} quas habet in Graecia. POLLICETVR} ad uecturam ſignorum. CHILIVS} poeta; de quo ep. 14. TE *rogat Εὐμολπιδῶν πάτρια.*} rogat, ut ritus Eumolpidarum mittas. Eumolpidae autem ſacrorũ praeſides Athenis; de quibus Aeſchines in oratione contra Cteſiphontem; ab Eumolpo Muſaei filio, de quo Suidas, & alij. Πάτρια σύρων, Athenaeus quoque dixit, id eſt, leges & ritus Syrorum, libro IIX. δειπνοσοφιστῶν.

Cicero S. D. Attico 8.

CVM eſſem in Tuſculano, (erit hoc tibi pro illo tuo, Cum eſſem in Ceramico) uerumtamen cum ibi eſſem, Roma, puer a ſorore tua miſſus, epiſtolam mihi abs te allatam dedit, nunciauitque, eo ipſo die poſt meridiem miſſuram qui ad te proficiſceretur. eo factũ eſt, ut epiſtolae tuae reſcriberem aliquid, breuitate temporis tam pauca cogerer ſcribere. Primum tibi de noſtro amico placando, aut etiam plane reſtituendo polliceor. quod ego, etſi mea ſponte ante faciebam, eo nunc tamen & agam ſtudioſius, & contendam ab illo uehementius, quod tantam ex epiſtola uoluntatem eius rei tuam perſpicere uideor. hoc te intelligere uolo, pergrauiter illum eſſe offenſum: ſed, quia nullam uideo grauẽ ſubeſſe cauſam, magnopere confido illum fore in officio, & in noſtra poteſtate. Signa noſtra, & Hermeraclas, ut ſcribis, cum commodiſſime poteris, uelim imponas, & ſi quod aliud οἰκεῖον eius loci, quem non ignoras, reperies, & maxime, quae tibi palaeſtrae, gymnaſijq. uidebuntur eſſe. etenim ibi ſedens haec ad te ſcribebam; ut me locus ipſe admoneret. Praeterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli poſſim includere, & putealia ſigillata duo. Bibliothecam tuam caue cuiquã deſpondeas, quamuis acrem amatorem inueneris. nam ego omnes meas uindemiolas eo reſeruo, ut illud ſubſidium ſenectuti parem. De fratre, confido ita eſſe, ut ſemper uolui, & elaboraui. multa ſigna ſunt eius rei, non minimum, quod ſoror praegnans eſt. De comitijs meis, & tibi me permiſiſſe memini, & ego iam pridem hoc communibus amicis, qui te exſpectant, praedico; & te non modo non accerſam, ſed prohibebo; quod intelligam multo magis intereſſe tua, te agere, quod agẽdum eſt hoc tempore, quam mea, te adeſſe comitijs. proinde eo animo te uelim eſſe, quaſi mei negotij cauſſa in iſta loca miſſus eſſes. me autem eum & offendes erga te, & audies, quaſi mihi, ſi qua parta erunt, non modo te praeſente, ſed per te parta ſint. Tulliola tibi diem dat, ſponſorem non appellat. Vale.

EXPLANATIO

CVM *eſſem in Ceramico*} Atticus hoc epiſtolae principio uſus erat, Cum eſſem in Ceramico. quem Cicero imitatus, & ipſe ita coepit, Cum eſſem in Tuſculano. Ceramici autem Athenis duo, de quibus Suidas his uerbis: *Κεραμεικοὶ δύο ἦσαν, ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω: ἔνθα καὶ τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ, καὶ τοὺς ἐπιταφίους ἔλεγον: ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ εἱστήκεισαν αἱ πόρναι.* DE *noſtro amico placando*} D. Lucceio. ep. 9. HERMERACLAS,} Mercurij & Herculis coniuncta ſigna imponas in nauim. ep. 7. EIVS *loci, quem non ignoras,*} Academiae: ut in epiſtola, quae huic, & ea, cui haec antecedit. PALAESTRAE,} Vitruuius lib. v. cap. vI. TYPOS *tibi mando, quos in tectorio atrioli poſſim includere.*} cum typos in tectorio atrioli uelit includere; licet opinari, Typos eſſe parua ſigna, in tabula marmorea inſculpta, quae nõ tota, ſed dimidia tantum exſtent. hodie communis Italica lingua, Figuras dimidiae eminentiae, uocat. Includere autem typos in tectorio, eſt, in ſumma parietis parte typos ita ſtatuere, ut marmoreae illae typorum tabulae cum tectorio, ideſt cum calce parietis, exaequentur. de marmorea autem tabula, ideo cõieci, quia, ſi imagines ipſae includerentur, oculis intuentium minus paterent. Plinius lib. 35. cap. 12. Dibutadis, inquit, filia, capta amore iuuenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumſcripſit: quibus pater eius impreſſa argilla, typum fecit, & cum ceteris fictilib. induratum igni propoſuit: cumq. ſeruatum in Nymphaeo, donec Corinthum Mũmius euerteret, tradunt. Et ibidem paullo poſt: Primus perſonas tegularum extremis imbricibus impoſuit, quae inter initia Protypa uocauit: poſtea idem ectypa fecit. Idem lib. 37. cap. 10. Hae ſunt gemmae, quae ad ectypas ſcalpturas aptantur. Hic audio placere docto uiro, & in litteris cum laude uerſato, non Typos, ſed Tubos legi: quia ſequitur, Putealia. mihi, Typos, congruere magis cum ſententia uidetur. quorſum enim tubi, qui ſunt ad aquam ducendam fictiles canales, in tectorio includantur atrioli? quod ſi legatur, Typi, belliſſime includentur, idq. etiam in more poſitum uidemus. Nam, quod ſequitur, Putealia: non refertur hoc neque ab tubos, neque ad typos: ſunt enim duae diſiunctae, diuerſaeq. res, quas Cicero Attico mandat, Typi, & Putealia: neque altera alteram, quaſi ſimilem, reſpicit: ſed Typi ad atriolum, Putealia ad puteos pertinent. Magis moueor, quod in omnibus antiquis libris, nulla omnino uarietate, uideo ſcriptum eſſe,

Lypos. quod ego, quid significet, intelligere nondum potui. INCLVDERE, } sedibus constituere aliquanto intra tectorium excisis. PVTEALIA *sigillata* } puteorum opercula, paruis signis exornata, qualia & hodie uidemus, in quibus incisae delectant imagunculae. Capitolinus in Gordiano iuniore: Medium lithostrotum (breuioribus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille. Bessarionis liber, Putealia signata: eadem scilicet sententia. nam, siue de signis intelligas, siue de sigillis ὑποκορισικῶς, minimi refert: utrumuis licet accipias. DESPONDEAS } uenditurum te promittas. OMNES *meas uindemiolas* } quidquid pecuniae possumus hinc inde contrahere, se ponimus ad emptionem tuae bibliothecae. Supra, Libros, inquit, tuos conserua; & noli desperare, eos meos facere posse. ITA *esse, ut semper uolui*, } optime ei cum tua sorore conuenire. PERMISISSE } ut eorum caussa Romam ne uenias. Et de comitijs accipe non consularibus, sed praetorijs, ut supra docuimus in ordine epistolarū. SPONSOREM *non appellat.* } Antea, quod tu ei promissum munusculum non mitteres, me sponsorem appellabat; nunc sponsorem omittit; te ipsum in iudicium uocat; itaque faciundum tibi est, ut promissum omnino soluas. In uulgatis libris, Sponsorem appellat, legebatur. ego negantem particulam interieci, sumptam ex antiquo Bessarionis exemplari, sententia, mihi quidem ut uidetur, mirifice comprobante.

Cicero S. D. Attico. 9.

ET mea sponte faciebam antea, & post, duabus epistolis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis, magnopere sum commotus. eo accedebat hortator assiduus Sallustius, ut agerem quamdiligentissime cum Lucceio de uestra uetere gratia reconcilianda. sed, cum omnia fecissem, non modo eam uoluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, uerum ne caussam quidem elicere immutatae uoluntatis. tametsi iactat ille quidem illud suum arbitrium, & ea, quae, iam tum, cum aderas, offendere eius animum intelligebam, tamen habet quiddam profecto, quod magis in animo eius insederit: quod neque epistolae tuae, neque nostra legatio tam potest facile delere, quā tu praesens non modo oratione, sed tuo uultu illo familiari tolles; si modo tanti putabis id, quod, si me audies, & si humanitati tuae constare uoles, certe putabis. ac, ne illud mirere, cur, cum ego ante significarem tibi per litteras, me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem uidear diffidere; incredibile est, quanto mihi uideatur illius uoluntas obstinatior, & in hac iracundia obfirmatior. sed haec aut sanabuntur, cum ueneris; aut ei molesta erunt, in utro culpa erit. Quod in epistola tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse; scito, nihil tam exercitum esse nunc Romae, quam candidatos, omnibus iniquitatibus; nec, quando futura sint comitia, sciri. uerum haec audies de Philadelpho. Tu, uelim, quae Academiae nostrae parasti, quamprimum mittas. mirum, quam illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat. Libros uero tuos caue cuiquam tradas. nobis eos, quemadmodum scribis, conserua. summum me eorum studium tenet, sicut odium iam ceterarum rerum: quas tu, incredibile est, quam breui tempore quanto deteriores offensurus sis, quam reliquisti.

EXPLANATIO

ILLVD *suum arbitrium*, } apparet, Atticum in quadam arbitrum controuersia contra Lucceij uoluntatem decreuisse. SVVM } quod saepe accusare solitus est. EPISTOLAE *tuae*, } ad illū. NOSTRA *legatio* } diligentia, quam ego, allegatus ad Lucceium a te, soleo adhibere. HVMANITATI *tuae* } nā humanitatis tuae non est, ab eo dissidere. DESIGNATVM } praetorē, non consulem, ut in proxima superiore. QVAMPRIMVM *mittas.* } de signis intelligi, perspicuum est. TRADAS } uendas. epist. 1. & 3.

Cicero S. D. Attico. 10.

TEVCRIS illa lentum sane negotium; neque Cornelius ad Terentiā postea rediit. opinor, ad Considium, Axium, Selicium confugiendum est. nam a Caecilio propinqui minore centesimis nummum mouere nō possunt. sed, ut ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, astutius, lentius uidi. libertum mitto: Tito mandaui: σκάζεις, atque ἀναβολαί. sed nescio, an ταὐτόματον ἡμῶν. nam mihi Pompeiani prodromi nunciāt, aperte Pompeium acturum, Antonio succedi oportere: eodemq. tempore aget praetor ad populum. res eiusmodi est, ut ego nec per bonorum, nec per popularem existimationem honeste possim hominem defendere; nec mihi libeat, quod uel maximum est. etenim accidit hoc, quod totum cuiusmodi sit, mando tibi, ut perspicias. Libertum ego habeo, sane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem, & clientem tuum. de eo mihi Valerius interpres nunciat, Chiliusq. se audisse scribit haec; esse hominem cum Antonio; Antonium porro in cogendis pecunijs dictitare, partem mihi quaeri, & a me custodem communis quaestus libertum esse missum. non sum mediocriter commotus: neque tamen credidi: sed certe aliquid sermonis fuit. totum inuestiga, cognosce, perspice, & nebulonem illum, si quo pacto potes, ex istis locis amoue. huius sermonis Valerius auctorem Cn. Plancium nominabat. mando tibi plane, totum, ut uideas, cuiusmodi sit. Pompeium nobis amicissimum constat esse. diuortium Muciae uehementer probatur. P. Clodium, Appij filium, te credo audisse, cum ueste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, cum pro populo fieret, eumq. per manus seruulae seruatum, & eductum:

eductum: rem esse insigni infamia: quod te moleste ferre certo scio. Quod praeterea ad te scribam, non habeo. & mehercule eram conturbatior. nam puer festiuus, anagnostes noster, Sositheus decesserat, meq. plus, quam serui mors debere uidebatur, commouerat. Tu uelim saepe ad nos scribas. si rem nullam habebis; quod in buccam uenerit, scribito. Vale. kalendis Ian. M. Messalla, & M. Pisone cos.

EXPLANATIO

TEVCRIS *illa*] superiores omnes epistolae ante consulatum scriptae, haec autem, ut e clausula manifestum est, ineuntibus magistratum Messalla, & Pisone, qui post Ciceronem, & Antonium consules anno altero fuerunt: ut, epistolarum haud paruum interijsse numerum, necesse sit: nisi si toto superiore triennio Romae mansit Atticus cum Cicerone. Neque mihi dubium est, quin, Teucris illa, principium sit epistolae, cum inferat paullo post; Vt ad prima illa redeam; idest, ad id, quod scribere primum institui: ut appareat, fuisse primam epistolae partem, in qua de Teucride ageretur. Sic & infra ep. 22. l. 13. Ad prima redeo; idest, ad sermonem de suis libris institutum. & Fam. ep. 29. l. 7. Ad prima redeo. sapienter haec reliquisti, si consilio; feliciter, si casu. Et in Laelio: Quamobrem ad illa prima redeamus. Cum uero, Teucris, ait, Antonium, quem Cicero collegam habuerat in consulatu, ficto nomine significari, declarant ea, quae sequuntur. eundemq. in epistola proxima ijsdem uerbis appellat; & in ea, quae proximam consequitur, promissa dicit praestitisse. LENTVM *sane negotium*,] tardat enim, & procrastinat solutionem eius pecuniae, quam debet. ep. 11. & 13. CORNELIVS] amicus, aut affinis Antonij, qui se ad Terentiam dixerat rediturum, ut de ea pecunia colloqueretur. CONSIDIVM, *Axium*, *Selicium*,] feneratorum nomina. Ad Axium Ciceronis epistolas nominat Suetonius, & Fronto Grammaticus. sed is Axius senator, non fenerator, de quo ep. 7. l. 3. mentio fit. Axius, inquit ep. 11. l. 10. de XII. millibus Pudens: saepe enim adscripsit, ut Gallio, quantum is uellet, darem. & Gellius lib. 7. c. 3. De Considio autem Valerius lib. IV. cap. 8. CONFVGIENDVM *est*:] ut ab ijs nummos sumamus; quando exigere ab Antonio non possumus. CAECILIO] & hic fenerator erat: sed benigniores aliquanto superiores tres. nā ab hoc nec ipsius propinqui nummum auferre poterant, nisi cum fenore centesimarum, quae usurarum omnium grauissima erat; & As dicebatur. pendebantur enim in anno duodeni nummi pro centenis. cum uero pro centenis octoni, besses; cum seni, semisses; cum quini, quincunx; cum quaterni, triens; cum terni, quadrans; cum bini, deunx; cum singuli, unciaria uocabatur usura: quam maiorem XII. tabulae primum, ut ait Tacitus lib. V. deinde etiam rogatio tribunicia uetuit, ut lib. VII. Liuius narrat: qui etiam de semunciario fenore instituto subiunxit. Tacitus omnino sublatas usuras docet, quae tamē denuo uarijs fraudibus exortae, paullatim consuetudine leges uincente, ad centesimas peruenerunt. Seneca libro epistolarum XXI. Quam durus fenerator Caecilius, a quo minoris centesimis propinquis nummus moueri non possit. CENTESIMIS] centesimae dicebantur usurae, quia singulis mensibus in fenus centesima sortis pars impenderetur. a menstrua enim solutione potius appellatas esse Centesimas credibile est, quam, quod nonnulli putant, quia tantum mensibus usura sortem adaequaret. Vnciarū fenus uocat Liuius. In quo miror errasse eruditos nostrae aetatis homines, opinantes Vnciarium fenus esse unicam centesimam annuam, cum sit unica menstrua. ILLA] Teucride. IMPVDENTIVS, *astutius; lentius.*] quia, caussis nectendis, solutionem differret. LIBERTVM *mitto: Tito mandaui:*] uerba sunt non Ciceronis, ut quidam existimant, sed Antonij, qui soluendae pecuniae diem produceret his uerbis: Libertum mitto; (subaudi, qui numeret) Tito mandaui; ut scilicet ipse tibi pro me satisfaceret. Antonij igitur, quem Teucridem appellat, σκήψεις haec sunt, atque ἀναβολαὶ. non enim ἀναβολάς, lego, sed ἀναβολαὶ, duobus ex antiquis libris, Bessarionis, & Caualcantis. σκήψεις autem, & ἀναβολαὶ, tergiuersationes, & dilationes, conuerto. NESCIO, *an* ταὐτόματον ἡμῶν] Antonius, inquit, non soluit: sed hoc optime cadit, ut deinde eius defendendi caussa mihi nulla sit. Et spectauit fortasse ad illum uersiculum, qui est in Graecis sententijs, ταὐτόματον ἡμῶν κάλλιω βουλεύεται, Casus melius, quam nos, consuluit. magis e re nostra est, eum non soluere, quam si, quod uolebamus, solueret. quod casu, non consilio nostro, fit. POMPEIANI *prodromi*] quos Pompeius, ex bello Mithridatico reuertēs, celeri cursu praemittit. ACTVRVM] in senatu. ANTONIO *succedi oportere*:] Antonium de prouincia Macedonia reuocandum, quod pecunias a socijs inique cogeret. reuocatus tamen non est: quia Cicero eum in senatu defendit. quod ipse scribit ad Sextium, ipsius Antonij quaestorem, fam. lib. V. postea defendit eundem in iudicio, maiestatis accusatum, Caesare, & Bibulo cos. cum Antonius triennium prouinciae praefuisset. Suetonius, Dio, Cicero pro domo, pro Sextio: & in ea, qua Coelium, quo accusante damnatus erat Antonius, defendit, hanc intelligit accusationem, cum ait: Ex reipublicae caussa uictoriam est, mihi quidem molestam, sibi tamen gloriosam, cōsecutus. quod infra in eadem oratione apertius his uerbis: Accusauit C. Antonium, collegam meum: cui misero praeclari in rempublicam beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati. Et in extrema oratione: Hominem consularem quod ab eo remp. uiolatam diceret, in iudicium conuertit. Accusauit eundem, condemnauitq. Q. Maximus: ut in oratione in Vatinium. AGET *praetor ad populum.*] ut Romam euocetur ad caussam de repetundis dicendam, quod socios diripuerit. infra enim de pecunijs iniuste coactis mentio fit. nec tamen hoc anno, id est Pisone, & Messalla cos. sed biennio post, idest Caesare, & Bibulo cos. caussam dixit C. Antonius. quod e Suetonio, & orat. pro domo planum fit. EXISTIMATIONEM]

multum, inquit, de mea detrahatur existimatione & apud bonos, & apud populum, si C. Antonium, manifestis criminibus reum, defendam. MANDO *tibi, ut perspicias.*} & perspicere Atticus id poterat non magno negotio, qui esset in Graecia, proximus Macedoniae, quam Antonius administrabat. IN *cogendis pecunijs*} contra quam legibus liceret. Cogendis autem, ex prouincialibus hominibus, auaro, & iniquo imperio. VALERIUS *interpres*} externarum legationum caussa senatus Valerio utebatur interprete, multarum linguarum perito. ep. 10. CHILIUSQUE} is, de quo supra ep. 7. CONSTAT } nondum enim aderat, sed Italiam iam attigerat, ex illo se referens memorabili Mithridatis bello. DIVORTIUM *Muciae* } Pompeius, deuicto Mithridate, reuertens, cum in Italiam peruenisset, nuncium remisit coniugi suae Muciae, Q. Mucij Scaeuolae filiae, quod adulterium cum C. Caesare commisisset, ut Suetonius tradidit. Et, ut ex historia, maximeq. ex Plutarcho, colligitur, uxores habuit Pompeius quinque, Antistiam, Aemiliam, Muciam, Iuliam, Corneliam: cum duabus, Antistia, Mucia, diuortium fecit: apud ipsum duae perierunt, Aemilia, Iulia: Cornelia superuixit. Illud addo; quod appelletur a Pediano Tertia, quae alibi Mucia nominatur, erratum non esse in nomine, sed Muciae cognomen fuisse Tertiam; ut, cum sorores haberet duas, utramque aetate maiorem, omnes autem Muciae uocarentur, ex cõsuetudine, quae tum erat, (nam a patre, hoc est a familia, nominabantur filiae) ipsa Tertia dicta, proprij cognominis appellatione internosceretur. Haec, ut sperabamus, haud paullo uberius in libro de Familijs explicare, consilium erat. P. CLODIUM } eum, qui Ciceronem tribunus pl. lata ad populum rogatione, quod ciues Romanos indicta caussa consul occidisset, publicatis bonis in exsilium egit. inimicitiarum autem caussa ex hoc ipso, quo de nunc scribit, pollutarum caerimoniarum crimine manauit. APPII } hic est Ap. Claudius Pulcher, qui consul fuit cum P. Seruilio Vatia Isaurico. C. CAESARIS, } erat enim Caesar pontifex maximus, itemq. praetor: & apud pontificem maximum, eius uxore sacrificium faciente, praesente Vestalium uirginum coetu, Bonae deae pro salute populi supplicabatur: cum ea sacra uiris adspici nefas esset. Pedianus hac de re, Clodius, inquit, quaestor designatus, deprehensus est cum ueste muliebri, cum intrasset eo, ubi sacrificium pro populo R. fiebat. Suetonius autem his uerbis in Caesare: Pompeiam duxit, Q. Pompeij filiam, L. Sullae neptem: cum qua deinde diuortium fecit, adulteratam opinatus a Pl. Clodio; quem inter publicas caerimonias penetrasse ad eam muliebri ueste, tam constans fama erat, ut senatus quaestionem de pollutis sacris decreuerit. Et infra: In P. Clodium, Pompeiae uxoris suae adulterum, atque eadem de caussa pollutarum caerimoniarum reum, testis citatus, negauit se quidquam comperisse, quamuis & Mater Aurelia, & soror Iulia apud eosdem iudices omnia ex fide retulissent. interrogatus, cur igitur repudiasset uxorem; Quoniam, inquit, meos tam suspicione, quam crimine, iudico carere oportere. Praeterea Cicero ipse, Plutarchus, Valerius, epitome Liuij. quamquam epitome mendum continet, quae stuprum illud confert in Metelli, non in Caesaris uxorem; aperte prorsus historia refellente; quod, id temporis pontificem maximum Caesarem fuisse, notissimum est. opinor autem inde errorem esse natum, quod, cum ibi pontificis maximi nomen desideraretur, aliquis historiae imperitus Metelli nomen scripsit, qui pontifex maximus ante Caesarem fuit. Caesarem enim in locum Metelli Pij pontificem Max. esse factum, Dio memoriae prodidit. PRO *populo*} hoc sacrificium, quod fiebat in operto, in honorem Bonae deae, Damium appellatum, quasi minime δημόσιον. in aedem. n. Bonae deae uirum introire, religiosum fuisse, Festus tradit. PER *manus seruulae seruatum, & eductum:*} Plutarchus inductum quidem ait a seruula, sed mox a mulieribus extrusum. M. MESSALLA, opinor hunc esse aliũ ab eo, qui praeturam petijt Cicerone consule, de quo in oratione pro Sulla. opinor autem ob eam caussam, quia, si praetor designatus est Cicerone consule, magistratum gessit anno proximo, Silano, & Murena cos. quorum annus eum annum proximus antecessit, quo Messalla cum Pisone consul fuit. consul igitur Messalla designatus esset in praetura; quod inusitatum erat. is autem praetor designatus non est: multo minus consentaneum uidetur, anno post repulsam praeturae proximo consulatum & petijsse, & adeptum esse.

Cicero S. D. Attico 11.

ACCEPI tuas tres iam epistolas, unam a M. Cornelio, quam a Tribus ei Tabernis, ut opinor, dedisti; alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit; tertiam, quam, ut scribis, anchoris solutis de faselo dedisti. quae fuerunt omnes rhetorum. pure loquuntur, cum humanitatis sparsae sale, tum insignes amoris notis. quibus epistolis sum equidem abs te lacessitus ad scribendum; sed iccirco: sum tardior, quod nõ inuenio fidelem tabellarium. quotus enim quisque est, qui epistolam paullo grauiorem ferre possit, nisi eam per lectionem releuarit? accedit eo, quod mihi non est notum, ut quisque in Epirum proficiscatur. ego enim te arbitror, caesis apud Amaltheam tuam uictimis, statim esse ad Sicyonem oppugnãdũ profectum. neq. id ipsum tamen certum habeo, quando ad Antonium proficiscare, aut quid in Epiro temporis pones. ita neque Achaicis hominibus, neque Epiroticis paullo liberiores litteras committere audeo. sunt autem post discessum a me tuum res dignae litteris nostris, sed non committendae eiusmodi periculo, ut aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint. Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam, praepositumq. esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante senatu, neque me inuito esse factum. sum enim & ab obseruando homine peruerso liber, & ad dignitatẽ in rep. retinẽdã cõtra illius uoluntatẽ solutus: et ille secũdus in

dicendo locus habet auctoritatem paene principis; & uoluntatem non nimis deuinctam beneficio consulis. Tertius est Catulus, quartus (si etiam hoc quaeris) Hortensius. Consul autem ipse paruo animo, & prauo; tantum cauillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quam facetijs, ridiculus, nihil agens cum rep. seiunctus ab optimatibus: a quo nil speres boni reip. quia non uult; nil metuas mali, quia non audet. eius autem collega & in me perhonorificus, & partium studiosus; ac defensor bonarum. quinimmo leuiter inter se dissident. Sed uereor, ne hoc, quod infectum est, serpat longius. credo enim te audisse, cum apud Caesarem pro populo fieret, uenisse eo muliebri uestitu uirum, idq. sacrificium cum uirgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam: (is fuit princeps; ne tu forte aliquem nostrum putes) postea rem ex S. C. ad uirgines, & pontifices relatam, idque ab ijs ne fas esse decretum. deinde ex S. C. consules rogationem promulgasse: uxori Caesarem nuncium remisisse. in hac caussa Piso, amicitia P. Clodij ductus, operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert, & fert ex S. C. & de religione, antiquetur. Messalla uehementer adhuc agit seuere. boni uiri precibus Clodij remouentur a caussa. operae comparantur, nosmet ipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur. instat, & urget Cato. Quid multa? uereor, ne haec, neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum reip. malorum caussa sit. Tuus autem ille amicus, (scin' quem dicam?) de quo tu ad me scripsisti, postea quam non auderet reprehendere, laudare coepisse, nos, ut ostendit, admodum diligit, amplectitur, amat, aperte laudat; occulte, sed ita, ut perspicuum sit, inuidet. nihil come, nihil simplex, nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum. Sed haec ad te scribam alias subtilius. nam neque adhuc mihi satis nota sunt: & huic terrae filio nescio cui committere epistolam tantis de rebus non audeo. Prouincias praetores nondum sortiti sunt. res eodem est loci, quo reliquisti. Τοποθεσίαν, quam postulas, Miseni, & Puteolorum, includam orationi meae. ad III. non. Decemb. mendose fuisse animaduerteram. Quae laudas ex orationibus, mihi crede, ualde mihi placebant: sed non audebam antea dicere: nunc uero, quod a te probata sunt, multo mihi ἀττικώτερα uidentur. in illam orationem Metellinam addidi quaedam. liber tibi mittetur; quoniam te amor nostri φιλορήτορα reddidit. Noui tibi quidnam scribam? quid? etiam. Messalla cõsul Antonianã domũ emit HS CDXXXVII. quid id ad me? inquies. tantum, quod ea emptione & nos bene emisse iudicati sumus; & homines intelligere coeperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam peruenire. Teucris illa lentum negotium, sed tamen est in spe. Tu ista confice: a nobis liberiorem epistolam exspecta. Vale. VI. kal. Feb. M. Messalla, & M. Pisone cos.

EXPLANATIO

TRIBVS *Tabernis,*} locus fuit non procul ab Vrbe: item in extrema Gallia munimentum Germanis oppositum, ut ostendit lib. 16. & 18. Ammianus Marc. ANCHORIS *solutis*} cum soluisses, illico nauigaturus. RELEVARIT?} contrarium contrario reddidit, iocatus in uerbis, Grauiorem, &, Releuarit: cum grauiorem dicat epistolam, quae scripta grauibus de rebus quasi pondus habet; ut tabellarius oneris partem releuare uideatur, cum epistolam legat. CAESIS *apud Amaltheam tuam uictimis,*} Sicyonij pecuniam Attico debebant. ea caussa Sicyonem ire cogitarat. sed uenuste Cicero metaphoram sumpsit de re militari: quod exercituum doctores non ad bellum prius exibant, quam uictimas caecidissent. Amalthea in Epiro Attici uilla, studijs & libris dicata. quemadmodum Academia Ciceronis, Puteolos inter & Auernum lacum, in litore. ep. 14. AD *Sicyonem oppugnandum*} ad exprimendam a Sicyoniis pecuniam. est autem, auctore Plinio, ciuitas Achaiae Sicyon. AD *Antonium*} in Macedoniam; quae contingit Epirum a Solis occasu, nescio, inquit, Sicyone mansurus quam diuisis. nam, inde ad Antonium se esse profecturum, Atticus antea litteris significauerat. ACHAICIS *hominibus,*} qui tibi, in Achaia pecunias exigenti, litteras reddant. PRIMVM *me non esse rogatum sententiam,*} in senatu primi sententias a consule rogabantur consules designati: si modo post consularia comitia senatus haberetur: sin ante, rogabat consul arbitratu suo, non quem uellet ex omni senatorum frequentia, sed quem uellet e numero consularium. & antiquae consuetudini dabatur, ut, quem ordinem interrogandi sententias consul Kalendis Ianuarijs instituisset, eum toto anno conseruaret. quo ordine Caesar neglecto primum Pompeium post affinitatem consul rogare sententiam coepit, cum antea Crassum solitus esset. Itaque, cum hoc legerem attentius, Primum igitur scito me non esse rogatum sententiam; facile conieci, Kalendas Ianuarias intelligi; quo primum die consules inito magistratu senatum habebant de rep. Quoniam autem, cum designati consules fuissent, ij sententiam primi rogabantur: uenit in mentem, quaeri posse, uter ex ipsis designatis prior rogaretur. nec difficile est quaerenti respondere. nam me quoque olim ex ipsa re in eandem dubitationem adductum, & aliquandiu haerentem, obseruatio uetusti moris expediuit. Sciendum igitur, siue patricius, & plebeius, siue duo plebeij designati consules essent, qui priore loco declaratus esset consul, eum in magistratu priorem quoque sententiam rogasse: ideoque rogauit in re Catilinaria non C. Antonius, sed M. Cicero, quia consul priore loco declaratus. nam genere pares erant, uterque plebeius. & hic pacificatorem Allobrogum rogat sententiam M. Pupius Piso consul, ex familia plebeia. M. Valerius Messalla, etsi patricius, tamen non rogat. plebeius igitur anteponitur patricio: cur? quia priore loco declaratus consul. Vter in magistratu prior rogaret, ostendit, quo conijcitur, & uter rogaretur, cum designati essent. ROGATVM} a M Pisone consule. PACIFICATOREM *Allobrogum,*} C. Calpurnium Pisonem: quem Galliae praefuisse, qua in prouincia sunt Allobroges, diximus in epistola prima. & opinor id Pisonem con-

sulem dedisse propinquitati, cum C. Pisonem sententiam primum rogauit. HOMINE *peruerso* } ipso ipso consule. TANTVM *cauillator,* } unum est in eo cauillandi genus, praeterea nihil. Quid sit autem Cauillatio, docet ipse in 2. de Oratore his uerbis: Cum duo sint genera facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum, & breue: illa a ueteribus superior Cauillatio, haec altera Dicacitas nominata est. sed, cum in illo genere perpetuae festiuitatis, ars non desideretur; natura.n. fingit homines & creat imitatores, & narratores facetos, & uultu adiuuante, & uoce, & ipso genere sermonis: tum uero in hoc altero dicacitatis, nihil habet ars loci; cum ante illud alterum facete dictum haerere debeat, quam cogitari potuisse uideatur. Non alienum est subijcere, quid de hoc ipso Pisone in libro de claris oratoribus. Marcus, inquit, Piso, quidquid habuit, habuit ex disciplina; maximeq. ex omnibus, qui ante fuerunt, Graecis litteris eruditus fuit. habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limauerat: quod erat in reprehendendis uerbis uersutum, & sollers, sed saepe stomachosum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facetum. is laborem, quasi cursum, forensem diutius non tulit; quod & corpore erat infirmo, & hominum ineptias, ac stultitias, quae deuorandae nobis sunt, non ferebat, iracundiusque respuebat, siue morose, ut reputabatur, siue ingenio, liberoque fastidio. is, cum satis floruisset adolescens, minor haberi est coeptus postea: deinde ex Virginum iudicio magnam laudem est adeptus: & ex eo tempore, quasi reuocatus in cursum, tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem; postea, quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. Pedianus autem sic; M. Pupius Piso eisdem temporibus, quibus Cicero, fuit, sed tanto aetate maior, ut adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret; quod in eo & antiquae uitae similitudo, & multae erant litterae. orator quoque melior, quam frequentior, habitus est. biennio tamen serior, quam Cicero, consul fuit; triumphauit proconsul de Hispanis, Q. Hortensio, Q. Metello Cretico consulibus, ante Ciceronis consulatum. De eodem paullo post; Consul autem ille, deterioris histrionis similis, suscepisse negotium dicitur. GENERE *illo moroso* } cauillandi plura genera, sed illud morosum, cum facie risum mouemus, nulla sermonis festiuitate. Recitabo Ciceronis uerba ex libro 2. de Orat. Primum, inquit, genus, quod risum uel maxime mouet, non est nostrum, morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum, naturae ridentur ipsae: quas personas agitare solemus, non sustinere. alterum genus est, imitatione admodum ridiculum, sed nobis tantum licet furtim, si quando, & cursim: aliter enim minime est liberale. tertium, oris deprauatio, non digna nobis. EIVS *autem collega* } M. Valerius Messalla. LEVITER *inter se dissident* } Leuiter, hic non ualet, parum, sed, aliquantum; ut infra, lib. 2. epist. 1. Mihi, quod defendissem, leuiter suscensuit. INFECTVM } inquinatum, contaminatum: a labe metaphora deducta, quae ex oleo facta, serpit late in ea re, quam semel infecit. Vereor, inquit, ne hoc malum, natum ex Clodij scelerata libidine, deinceps ipsum ex sese alia mala pariat. paullo post apertè: Vereor, ne haec neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum reip. malorum caussa sit. VIRVM } P. Clodium, Appij filium. epist. 10. VIRGINES } Vestales; quas sacrificio interesse solitas Plutarchus tradit. ROGATIONEM *promulgasse,* } proposuisse, in uulgus edidisse; (hoc enim significat Promulgare, auctore Festo) ut, si quis uellet tribunus pl. intercederet; ac nemine intercedente, lex ferretur; etiam ob eam caussam, ut quiuis e populo, rogatione inspecta, per otium examinare posset, antiquanda mox esset, an sciscenda. NVNCIVM *remisisse.* } quod a Clodio stupratam suspicaretur. Suetonius, Plutarchus. AMICITIA *P. Clodij ductus,* } Familiarissimum Clodij appellat in Parad. IV. QVAM *ipse fert,* } idest cuius lator futurus est. nam rogationi ferendae nondum dies uenerat; quae tamen nec ipso die lata est, concursu optimatum comitijs dimissis. epist. 12. DE *religione,* } de pollutis sacris. ANTIQVETVR. } Antiquare, & Abrogare putat amicissimus meus in suo libro idem esse; quem exempla ueterum refellunt. nam antiquat populus latam rogationem, cum perferri non sinit; abrogat autem, iam perlatam. OPERAE *comparantur* } homines mercede conducti, quorum suffragiis rogatio tollatur. LYCVRGEI } acerrimi legum propugnatores, qualem fuisse Lycurgum historiae narrant, qui Spartanis leges dedit. SCIN *quem dicam?* } forte Pompeium intelligit, paucis ante diebus e bello Mithridatico reuersum. PRAETORES } in ijs erat Q. Cicero, cui deinde obtigit Asia. AD III. *nonas Decembris,* } mendosa dies in quadam Ciceronis oratione. METELLINAM } quam scripserat contra concionem Metelli Nepotis. legenda est epistola ad Metellum Celerem, fam. l. 5. Gellius lib. XVII. cap. 17. Prisc. l. 9. Quinct. l. 9. c. 3. Fortunat. LIBER } ipsa oratio Metellina; ut infra l. 2. ep. 1. & alibi apud eundem, & alios quoque. ETIAM. } etiam est, quod scribam, praeter superiora. & est genus quoddam familiariter scribendi, saepe in extrema epistola usurpatum, ut epist. 4. 2. De muro statue, quid faciendum sit. Aliud quid? etiam. quando te proficisci istinc putes, fac ut sciam. Et ep. 19. eiusdem libri: Quid aliud? quid? hoc opinor. Et ep. 1. lib. 3. ad Q. fr. Quid praeterea? quid? etiam. Atticus etiam ita uidetur locutus in extremis litteris: quod indicat illud *τί λοιπόν;* ep. 3. l. 6. sumptum de communi sermone; cum aliquid nobis, praeter ea, quae diximus, de repente in mentem uenit. Terentius Hecyra, actu 5. sc. 3. PAR. Nil aliud dicam? BA. Etiam; cognosse anulum illum Murrhinam &c. Adelph. actu 2. sc. 3. SY. Numquid uis, quin abeam? SA. Immo hercle hoc, quaeso, Syre, &c. AVTRONIANAM *domum* } quae fuerat L. Autronij Paeti: qui consul designatus cum collega suo P. Sylla lege ambitus interrogatus poenas dederat; deinde coniurationis nomine damnatus, exsulabat. episto. 2. lib. 5. CDXXXVII. } tredecim millibus centum decem scutatis, ut nunc loquimur. AMICORVM *facultatibus* } ut ego, qui domum emi praeclaram in Palatio, a P. Sulla pecuniam mutuatus. & innuit, Messallam ad Autronianae domus emptionem ipsum quoque usum esse facultatibus ami-

corum,


amicorum. Gellius lib. XII. cap. 12. TEVCRIS *illa* } C. Antonius, qui debitam Ciceroni pecuniam non soluebat. ep.9. & 12. ISTA *confice* } expedi tua nomina, quae istic habes: exige, inquit, a tuis debitoribus, ut redire ad nos mature possis.

Cicero S. D. Attico 12.

VEREOR, ne putidum sit scribere ad te, quam sim occupatus: sed tamen ita distinebar, ut uix huic tantulae epistolae tempus habuerim, atque id ereptum e summis occupationibus. Prima concio Pompeij qualis fuisset, scripsi ad te antea, non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non grauis. itaque frigebat. tum Pisonis consulis impulsu leuissimus tribunus pl. Fusius in concionem produxit Pompeium. res agebatur in circo Flaminio: & erat in eo ipso loco illo die nundinarum πανήγυρις. *quaesiuit ex eo, placeret ne ei, iudices a praetore legi, quo consilio idem praetor uteretur. id autem erat de Clodiana religione ab senatu constitutum. tum Pompeius* μάλ' ἀριστοκρατικῶς *locutus est; senatusq. auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam uideri, semperq. uisam esse, respondit, & id multis uerbis. Postea Messalla consul in senatu de Pompeio quaesiuit, quid de religione, & de promulgata rogatione sentiret. locutus ita est in senatu, ut omnia illius ordinis cōsulta* γενικῶς *laudaret: mihique, ut assedit, dixit, se putare, satis ab se etiam de istis rebus esse respōsum. Crassus, postea quam uidit illum excepisse laudem, ex eo, quod hi suspicarentur homines ei consulatum meum placere, surrexit, ornatissimeq. de meo consulatu locutus est; ut ita diceret, se, quod esset senator, quod ciuis, quod liber, quod uiueret, mihi acceptum referre; quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam uideret, toties se beneficium meum uidere. Quid multa? totum hunc locum, quem in Aristocratia ego uarie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flāma, de ferro, (nosti illas* ληκύθους) *ualde grauiter pertexuit. Proximus Pompeio sedebā. intellexi hominem moueri; utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset; an esse tantas res nostras, quae tam libenti senatu laudarentur, ab eo praesertim, qui mihi laudem illam eo minus deberet, quod meis omnibus litteris in Pompejana laude perstrictus esset? Hic dies me ualde Crasso adiunxit: & tamen, ab illo aperte, tecte quidquid est datum, libenter accepi. ego autem ipse, dij boni, quo modo* ἐνεπερπερευσάμην *nouo auditori Pompeio. si umquam mihi* ἐπιχειρήματα *suppeditauerunt, illo tempore. Quid multa? clamores. etenim haec erat* ὑπόθεσις *de grauitate ordinis, de equestri concordia, de consensione Italiae; de immortuis reliquijs coniurationis, de uilitate, de otio. nosti iam in hac materia sonitus nostros: tanti fuerunt, ut ego eo breuior sim, quod eos usque istuc exauditos putem. Romanae autem res sic se habent. Senatus* Ἄρειος πάγος: *nil constantius, nil seuerius, nil fortius. nam, cum dies uenisset rogationi ex s. c. ferendae, concursabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis; & populum, ut antiquaret, rogabant. Piso autem consul, lator rogationis, idem erat dissuasor. operae Clodianae pontes occuparant. tabellae ministrabantur, ita ut nulla daretur, VTI ROGAS. hic tibi Rostra Cato aduolat, conuicium Pisoni consuli mirificum facit; si id est conuicium, uox plena grauitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. accedit eodem etiam noster Hortensius, multi praeterea boni. insignis uero opera Fauonij fuit. hoc concursu optimatum comitia dimittuntur: senatus uocatur, cum decerneretur frequenti senatu, contra pugnante Pisone; ad pedes omnium sigillatim accidente Clodio, ut consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam: homines ad XV. Curioni nullū s. c. facienti assenserunt: facile ex altera parte CCCC. fuerunt. acta res est. Fusius tertium concessit. Clodius conciones miseras habebat, in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messallam consulem contumeliose laedebat, me tantum comperisse omnia criminabatur. Senatus & de prouincijs praetorum, & de legationibus, & de ceteris rebus decernebat, ut ante, quam rogatio lata esset, ne quid ageretur. Habes res Romanas. sed tamen etiam illud, quod ego nō speraram, audi. Messalla consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator. ille alter uno uitio minus uitiosus, quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod* ἀπρακτότατος, *sed uoluntate ita* καχέκτης, *ut Pōpeium post illam concionem, qua ab eo senatus laudatus est, odisse coeperit. itaque mirum in modum omnes a se bonos alienauit. neque id magis amicitia Clodij adductus facit, quam studio perditarum rerum, atque partium. sed habet sui similem in magistratibus, praeter Fusium, neminem. bonis utimur tribunis pl. Cornuto uero pseudocatone. Quid quaeris? nunc ut ad priuata redeam? Τεῦκρις promissa patrauit. tu mandata effice, quae recepisti. Quinctus frater, qui Argiletani aedificij reliquum dodrantem emit HS* $\overline{\text{DCCXX}}$, *Tusculanū uenditat, ut, si possit, emat Pacilianam domum. Cum Lucceio in gratiam redi. uidero hominem ualde petitur. re nauabo operam. Tu, quid agas, ubi sis, cuiusmodi istac res sint, fac me quamdiligentissime certiorem. Idibus Febr. Vale.*

EXPLANATIO

PRIMA *concio Pompeij* } quam primam habuit, ex bello Mithridatico reuersus. FRIGEBAT. } iacebat, studiosum sui iam neminem habebat. L. FVSIVS } praenomē abest a Bessarionis antiquo libro; & recte abest; non enim hic L. Fusius, sed Quinctus; cui Caleno cognomen fuit; quem postea Pansae socerum fuisse, in commentarijs nostris in epistolas ad Q. fratrem satis probauimus, ex Philippicis orationibus, & ex Dionis historia, & Pediani commentarijs. IN *concionem produxit* } licebat tribunis pl. quemcumque uellent, arripere, & in concionem productum cogere pro ipsorum iure, & potestate, ut, quibus de rebus esset interrogatus, ijs de rebus responderet. itaque tribunus pl. C. Carbo minorem Africanum,



Africanum, excisa Numantia redeuntem, ab ipsa porta in concionem cum produxisset; quid de Ti. Gracchi nece sentiret, interrogauit. QVO *consilio*; quibus iudicibus uteretur in caussa Clodiana. DE *Clodiana religione*; de sacris Bonae deae, Clodij scelere contaminatis. PROMVLGATA *rogatione*; ab ipso, & Pisone consulibus. DE *istis rebus*; malim, De nostris rebus, id est, in consulatu gestis. de coniuratis enim intelligit supplicio affectis. quod factum Pompeius satis a se probatum significabat, cum senatus omnia consulta γενικῶς laudasset. nam Cicero animaduersione illa usus fuerat auctore senatu: ut, qui senatum laudaret, Ciceronis idem acta confirmare uideretur. In hac ipsa epistola paullo post, An, inquit, esse tantas res nostras, quae tam libenti senatu laudarentur? Et infra, ep. 14. De nostris rebus nimium diu tacuerat Pompeius. Et l. 2. ep. 1. Videtur posse aliquid nostris rebus lucis afferre. QVOD *hi suspicarentur homines*; hi, quibus praesentibus Pompeius loqueretur, & a quibus laudem excepisset. SVSPICARENTVR: non dicit, Viderent, sed, Suspicarentur; propterea quod Pompeius tantummodo γενικῶς senatus decreta laudauerat, de Ciceronis rebus nominatim nihil dixerat; sed ex laudatione senatus, quid de Ciceronis consulatu sentiret, conijciebant. IN *aristocratia*; tum, cum optimatis personam maxime sumo. nam ἀριστοκρατία, status est optimatum in rep. A duobus tamen antiquis libris, Bessarionis, & Caualcantis, & a uetere libro Vrbinatis bibliothecae, abest hoc, In aristocratia &c, opinor, recte abest. VARIE *pingere*; admodum exornare: μεταφορικῶς: quia uarietas in pictura delectat. DE *flamma, de ferro*; cum incendijs urbem, ciuitatem caede, mea uigilantia, meaq. uirtute dico esse liberatam. (NOSTI *illas* ληκύθους; non discedit a translatione. nam, ut pictores ἐκ τῶν ληκύθων, quae sunt ampullae pigmentorum, sumunt quae ad colorandum apta nouere: sic orationem suam Cicero cum uolebat eloquentiae ueluti coloribus illustrare, ad illa loca, de flamma, de ferro, quasi ad suas ληκύθους, confugiebat. Et Pli. l. 1. ep. 2. eodem uerbo usus est, eadem sententia: Marci, inquit, nostri ληκύθους non fugimus. In libro tamen Graecarum dictionum, qui, Λήκυθος, interpretatus est, hunc Ciceronis locum nominans uertit, Vniformis dicendi copia; sententiam, ut mihi quidem uidetur, non assecutus. VTRVM, *Crassum*; genus loquendi a ueteribus usurpatum, cum, de duabus rebus utram crederent, ignorabant. Tale fere illud est, ep. 6. l. x 1. Is dicitur uidisse, an euntem, an iam in Asia? & illud ep. 2. Nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis? MEIS *omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus*; locus est huiusmodi in oratione pro lege Manilia: ubi Pompeium ita laudat, ut, quod illi tribuit, Crasso detrahat, qui seruile bellum solus confecerat. locus hic est. Testis est iterum, & saepius Italia; quae, cum seruili bello taetro, periculosoq. premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit: quod bellum exspectatione Pompeij attenuatum, atq. imminutum est, aduentu sublatum, ac sepultum. In oratione etiam pro Sextio de eodem Pompeio sic: Ille uir, qui sceleratissimos ciues, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras, atque inauditas, qui praedonum infinitam manum, qui etiam seruitia uirtute, uictoriaq. domuisset. AB *illo*; a Pompeio. Ἀντεπερπερευσάμην; ostentaui me, adulatus sum. fortasse legendū, ἀντιπερπερευσάμην: a notiore uerbo, περπερεύομαι. quo utitur Paulus in epistola ad Corinthios, & Petrus Alexandrinus martyr: cuius uerba, Περπερεύονται ἐν περπερευόμενοι: explanat Theodorus Balsamo: περπερεύονται ἐν περπερείας, ἤτοι ἀλαζονείας. NOVO *auditori*; modo enim redierat Pompeius, Mithridate deuicto. Ἐπιχειρήματα; sententia probat hanc dictionem. quos tamen uidimus Caualcātis, & Bessarionis antiquos libros, eam non habent, sed eius loco; Si umquam mihi, περίοδοι, si καμπαί, si ἐνθυμήματα, si κατασκευαί, &c. quibus item uerbis eloquentiae uis indicatur. HAEC *erat* ὑπόθεσις; argumentum hoc erat orationis meae; de grauitate senatus, qui, Catonis sententiam secutus, de coniuratis sumendum supplicium censuerat; de equestri concordia, cum equites Romani ad opprimendam coniurationem cum senatu mire consenserunt; ut in oratione pro Sextio, & apud Plutarchum: de consensione Italiae; quae senatusconsultum de puniendis nefarijs ciuibus apprime laudauerat: de immortuis reliquijs coniurationis, hoc est de supplicio affectis Lentulo, Cethego, Cepario, Statilio, Gabinio, reliquijs coniurationis in urbe, Catilina emisso: de utilitate, quae in urbe fuit ipso consule: multis enim consulibus infamiae fuit, quod eorum anno ciuitas caritate laborarit, quam uitare prouidentia potuerint: de otio, quod ciuitati consul peperit coniuratione oppressa: ut in 1. de off. magnifice gloriatur his uerbis: Nobis remp. gubernantibus non togae arma cessere? Neque enim in rep. periculum fuit grauius umquam, nec maius otium. ita consiliis, diligentiaq. nostra celeriter de manibus audacissimorum ciuium delapsa arma ipsa ceciderunt. quae res igitur gesta est umquam in bello tanta? quis triumphus conferendus? Ἀρειόπαγος. seuerus, & fortis, ut Athenis Ariopagitarum consilium, a Solone constitutum. FERENDAE, ad populum. BARBATVLI *iuuenes*; dictum cum lasciuiae nota. nam apud Romanos, barbam alere, moris non erat. ep. 14. Gellius lib. 3. c. 3. GREX *Catilinae*. Magnam manum nobilium adolescentum Catilina, uarijs libidinum illecebris captam, ac deuinctam consuetudine tenuerat; ut qui, pro cuiusque studio, alijs scorta praeberet; alijs canes, atque equos, sua pecunia emptos, dono daret; postremo neque sumptui, neque modestiae suae parceret; dum illos sibi obnoxios, fidosque efficeret. Sallustius, & hic ipse in oratione pro M. Coelio. FILIOLA *Curionis*; filio C. Curionis; qui consul fuerat cum Cn. Octauio. sed filiolam uocat ad mollitiem, & impudicitiam indicandam. Hic est C. Curio, qui, Caesaris postea partes secutus, in Africa periit. cuius pater in senatu pro Clodio sensit. in quem etiam, & Clodium, Ciceronis oratio nominatur a Nonio, Rufiniano, Quinctiliano. ANTIQVARET; rogationem. ep. 11. LATOR *rogationis*; non quod iam ferret, sed quod eo die laturus esset: non tulit autem, quia, bonis uiris manifestam largitionē

in te

in re turpi, & consulis Pisonis improbissimam suffragationem non ferentibus, comitia sunt dimissa. PONTES *occuparant* } quibus cistae suffragiorum superimpositae. pontes igitur occuparant operae Clodianae, ut ex ijs quas uellent tabellas suffragium laturis ministraret, eas inquam dumtaxat, quae inscriptae essent, A. idest, Antiquo. nam, in quibus, V. R. idest, Vti rogas, scriptum erat, earum nulla dabatur. Libro. I. rhetoricorum ad Herennium: Caepio, ut Saturninum contra senatusconsultum, intercedentibus collegis, legem de semissibus & trientibus aduersus remp. uidit ferre, cum uiris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deijcit; impedimento est, quo secius feratur lex. Et Cicero libro. III. de legibus: Pontes etiam lex Maria fecit angustos. Pontes puto fuisse mensulas angustissimas pedibus altioribus, Pontes ad similitudinem dictas, non ad ueritatem: & singulas conijcio singulis tribubus aut centurijs appositas, cistis superstratas, suffragiorum tabellas cōtinentibus. qua de re dictum est in libro nostro de legibus. MINISTRABANTVR, } suffragium laturis distribuebantur. VT *nulla daretur, Vti rogas* } cum populus in campum Martium conuenerat, uti rogationem aliquam aut acciperet, aut antiquaret; tabellae singulis binae dabantur, diuerse inscriptae; altera sic, Vti rogas; qua significabant, se rogationem accipere, & uelle uti rogasset is, qui rogationem tulisset: altera cum littera A; quae erat antiquatae, idest sublatae rogationis nota. Liuius libro. x. Ego hanc legem, Quirites, quod bonum, faustū, felixq. sit uobis, ac reipublicae, uti rogastis, subeundam censeo. tametsi suspicor mendose scriptum in Liuio, Rogastis. non enim populus rogat, sed rogatus iubet. mallem igitur, Rogati. aut, Rogati sitis: ut & lib. XXXIII. Omnes quinque & triginta tribus, uti rogatae, iusserunt. Libro autem de legibus. III. Vos, inquit, legem, ut uideo, antiquastis sine tabella. NVLLA: } corrupti igitur, qui tabellas ministrabant, cum eas tantum darent, quibus antiquari rogatio posset. ROSTRA *Cato aduolat:* } inde concionaturus; maxime in Pisonem consulem. nam de Rostris ad populum concionabantur. VT *consules populum, &c.* } refertur hoc ad uerbum, Decernerentur. quod autem sequitur, ACCIPIENDAM; intellige, probandam. Sic etiam lib. III. de off. C. Mancinus rogationem suasit eam, quam L. Furius, & Sex. Atilius ex S.C. ferebant; qua accepta, est hostibus deditus. CVRIONI } contra quem, & Clodium Ciceronis oratio nominatur a Quinctiliano, Nonio, Rufiniano, & hic epist. 15. lib. 3. NVLLVM *S. C. facienti* } Curionis erat sententia, ut senatusconsultum, de promulganda rogatione factum, tolleretur. ei ita sentienti haud plures quam quindecim homines assenserunt. quid autem Curio spectabat? hoc uidelicet; ut, sublato senatusconsulto, a populi iudicio, cuius seueritatem pertimescebat, ad praetorem, eiusq. consilium, in quo tum gratiae, tum pecuniae futurus locus esset, quaestio de incestu Clodij transferretur. senatus populum iudicem uolebat; quem intelligeret maiore negotio corrumpi uniuersum posse, quam praetorem, & certum iudicum numerum, qui praetori in consilio assiderent. ergo non de iudicio, sed de iudicum genere, dissidebant. FVSIVS *tertium concessit.* } tertium cessit, cum ante bis cessisset. uel potius, Tr. tum cessit: ut sit Tr. pro, Tribunus. nam ueteres quandoque &, Trib. &, Tr. scribebāt: quod utrūque ualebat, Tribunus, unitatis numero: multitudinis, Tribb. &, Trr. sicuti Praett. & Prr. de praetoribus. potest enim ita disputari. Fusius tertium concessit: falsum est. neque enim ter actum est in senatu de Clodiana re: neque Fusius ante cesserat: cuius etiam opera factum erat, ne a senatu asperius decerneretur, ut ait Pedianus in Miloniana. rectius igitur, Tum cessit, uidelicet cum tam frequenti senatu agi, & decerni rem uideret: ideoq. Clodij miserae conciones destituti a tribuno, infensis patribus. Bessarionis tamen antiquus liber, itemq. Caualcantis, Tertium concessit. MISERAS, } sine auctoritate, quibus fidem populus non haberet. aut, *Miseras,* humiles, ad misericordiam eliciendam. LVCVLLVM, *Hortensium, C. Pisonem,* } L. Licinium Lucullum, Q. Hortensium, C. Calpurnium Pisonem, omnes consulares. MESSALLAM *consulem* } M. Valerium Messallam: sed, cum alter esset eodem praenomine is qui consul postea fuit cum Cn. Domitio Caluino, differentiae caussa, Consulem, adiecit. TANTVM } contumeliosis uerbis in me non utebatur: hoc unum dicebat, comperisse omnia, & me auctore fieri, quae contra ipsum fierent. DE *prouincijs praetorum,* ut proximi superioris anni praetoribus prouinciae decernerentur. DE *legationibus* } audiendis: quod Februario mense, quo scripta est epistola, fieri solitum, multis locis facile est animaduertere: ut ad Lentulum: Senatus haberi Februario toto non potest, nisi perfectis, aut reiectis legationibus. & ad Q. fratrem: Sancit lex Gabinia, ut ex Kalendis Februarijs usque ad Kalendas Martias legatis senatus quotidie detur. DE *ceteris rebus,* } decernebat senatus, ut, antequam rogatio de incestu Clodiano lata esset, nihil omnino ageretur. VNO *uitio minus uitiosus,* } Piso consul animo est bonis uiris infenso; re minus nocet, quia tardissimus est, & in agēdo minime omnium efficax. ita minus uitiosus est, quod inertiae uitium habet. ILLAM *concionem* } quam habuit productus ad populum a Fusio tribuno pl. ep. 12. PSEVDOCATONE, } ita studioso partium bonarum, ut Catoni simillimus existimetur. *Teucris* } C. Antonius persoluit, quod promiserat. idem ep. 10. & 12. RELIQVVM *dodrantem* } uniuersa hereditas librae, siue assis nomine significatur: & quia dodrans nouem unciarum est, factum, ut nouem item haereditatis partes dodrante significentur. ergo Argiletani aedificij heres erat Quinctus ex quadrante, quae quarta pars est, ut in libra, sic in hereditate: reliquum dodrantem, hoc est reliquas nouem partes, emit a coheredibus. HS DCCXXV, } septingentis uiginti quinque millibus: idest, ad nostratis pecuniae rationem, scutatis uno & uiginti millibus, septingentis quinquagenis. VENDITAT, } uenale proposuit. proscripsit, IN *gratiam redi:* } hortatio est, cum spe reconciliationis. infert enim: Videro hominem: renauabo operam. VIDERO *hominem: ualde petitur: renauabo operam* } alloquar hominem, experiar an eum tibi restituere possim. ualde enim hoc petitur a communibus uidelicet amicis. ego autem nauabo eandem operam, quam nauaui antea.

Cicero

icero S. D. Attico 13.

ASIAM *Quincto, suauissimo fratri, obtigisse audisti. nō enim dubito, quin celeri' tibi hoc rumor, quam ullius nostrum litterae nunciarint. nunc, quoniam & laudis auidissimi semper fuimus, & praeter ceteros* φιλέλληνες *& sumus, & habemur, & multorum odia, atque inimicitias reip. caussa suscepimus:* παντοῖς ἀρετῆς μιμνήσκεο; *curaque, & effice, ut ab omnibus & laudemur, & amemur. His de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam ipsi Quincto dabo. Tu me, uelim, certiorem facias quid de meis mandatis egeris, atque etiā quid de tuo negotio. nam, ut Brundisio profectus es, nullae mihi abs te sunt redditae litterae. ualde aueo scire, quid agas. Idibus Mart. Vale.*

EXPLANATIO

ASIAM] eam Quinctus per triennium administrauit. ep. 1. lib. 1. ad Q. fr. φιλέλληνες] quia Graecis litteris praeter ceteros delectamur. Asia enim in Graecia esse dicebatur, & Graeco sermone Asiatici omnes utebantur. ideo in epistola ad fratrem Graecos saepe uocat homines Asiaticos, & alijs in locis. & M. Coelius in epistola ad Ciceronem, Turpe, inquit, tibi erit, me pantheras Graecas non habere. CVRAQVE, *& effice*] cum scilicet in Asia fratris legatus eris. id enim Cicero futurum opinabatur. sed omissam ab Attico prouinciam, perspicuum est infra, ep. 14. & 15. & in eius uita. IPSI *Quincto*] in Asiā proconsulari cum imperio proficiscenti. DE *tuo negotio.*] de exigenda a Sicyonijs pecunia.

Cicero S. D. Attico 14.

QVAERIS *ex me, quid acciderit de iudicio, quod tam praeter opinionem omnium factum sit: & simul uis scire, quo modo ego minus, quam soleam, proeliatus sim. respondebo tibi* ὕστερον πρότερον, *Ὁμηρικῶς. Ego enim, quam diu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter, & uehementer proeliatus sum, ut clamor, concursusq. maxima cum mea laude fierent. quod si tibi umquam sum uisus in rep. fortis, certe me in illa caussa admiratus esses. cum enim ille ad conciones confugisset; in hisq. meo nomine ad inuidiam uteretur: dij immortales, quas ego pugnas, & quantas strages edidi: quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illā manum feci: quo modo sum insectatus leuitatem senum, libidinem iuuentutis. saepe, ita me dij iuuent, te non solū auctorem consiliorum meorum, uerum etiam spectatorē pugnarum mirificarum desideraui. postea uero quam Hortensius excogitauit, ut legem de religione Fusius tribunus pl. ferret; in qua nihil alind a consulari rogatione differebat, nisi iudicum genus; (in eo autem erāt omnia) pugnauitque, ut ita fieret; quod & sibi, & alijs persuaserat, nullis illum iudicibus effugere posse: contraxi uela, perspiciens inopiam iudicum, neque dixi quidquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum, atque testatum, ut non possem praeterire. itaque, si caussam quaeris absolutionis, (ut iam* πρὸς τὸ πρότερον *reuertar) egestas iudicum fuit, & turpitudo. id autem ut accideret, commissum est Hortensij consilio: qui dum ueritus est, ne Fusius ei legi intercederet, quae ex s. c. ferebatur, non uidit illud, satius esse, illum in infamiae relinqui sordibus, quam infirmo iudicio committi: sed ductus odio properauit rem deducere in iudicium; cum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. Sed iudiciū, si quaeris, quale fuerit; incredibili exitu, sic uti nunc ex euentu ab alijs: a me tamen ex ipso initio consilium Hortensij reprehendatur. nam ut reiectio facta est clamoribus maximis; cum accusator, tamquam censor bonus, homines nequissimos reijceret, reus, tamquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret; ut primum iudices consederunt, ualde diffidere boni coeperunt. non enim umquam turpior in ludo talario consessus fuit. maculosi senatores, nudi equites, tribuni nō tam aerarij, quam, ut appellantur, aerati. pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille nō potuerat; qui maesti inter sui dissimiles, & maerentes sedebant, & contagione turpitudinis uehementer permouebantur. hic, ut quaeque res ad consilium primis petitionibus referebatur, incredibilis erat seueritas, nulla uarietate sententiarum: nihil impetrabat reus: plus accusatori dabatur, quam postulabat: triumphabat (quid quaeris?) Hortensius se uidisse tantum: nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. me uero teste producto, credo, te ex acclamatione Clodij aduocatorum audisse, quae consurrectio iudicum facta sit, ut me circumsteterint, ut aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. quae mihi res multo honorificentior uisa est, quā aut illa, cum iurare tui ciues Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt; aut cum tabulas Metelli Numidici, cum hae, ut mos est, circumferrentur, nostri iudices adspicere noluerunt. multo haec, inquam, nostra res maior. itaque iudicum uocibus, cum ego sic ab his, ut salus patriae, defenderer, fractus reus. & una patroni omnes conciderunt. ad me autem eadem frequentia postridie conuenit, qua cum abiens consulatu sum domum reductus. Clamare praeclari Ariopagitae, se nō esse uenturos, nisi praesidio constituto. refertur ad consilium: una sola sententia praesidium non desiderauit. defertur res ad senatum: grauissime, ornatissimeq. decernitur. laudantur iudices: datur negotium magistratibus. responsurum hominem nemo arbitrabatur.* Ἔσπετε νῦν, μοι Μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. *nosti Caluum, ex Nanneianis, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. biduo per unū seruum, & eum ex ludo gladiatorio, confecit totum negotium: accersiuit ad se, promisit, intercessit, dedit. iam uero (odij boni, rem perditam) etiam noctes certarū mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones*

nes

nes non nullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. ita, summo discessu bonorum, pleno foro seruorum, xx. iudices ita fortes tamen fuerunt, ut, summo proposito periculo, uel perire maluerint, quam perdere omnia. xxxi. fuerunt, quos fames magis, quam fama, commouerit. quorum Catulus cum uidisset quendam, Quid uos, inquit, praesidium a nobis postulabatis? an, ne nummi uobis eriperentur, timebatis? Habes, ut breuißime potui, genus iudicij, & caussam absolutionis. Quaeris deinceps, qui nunc sit status reip. & qui meus. Reip. statum illum, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatũ putabam, qui bonorum omnium coniunctione, & auctoritate consulatus mei fixus, & fundatus uidebatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc iudicio: si iudicium est, triginta homines populi R. leuissimos, ac nequissimos, nummulis acceptis, ius, & fas omne delere, &, quod omnes non modo homines, uerum etiam pecudes factum esse sciebant, id Caluum, & Plautum, & Spongiam, & ceteras huiusmodi quisquilias statuere, numquam esse factum. sed tamen, ut te de rep. consoler, non ita, ut sperarunt mali, tanto imposito reip. uulnere, alacris exsultat improbitas in uictoria. nam plane ita putauerunt, cum religio, cum pudicitia, cum iudiciorum fides, cum senatus auctoritas concidisset, fore, ut aperte uictrix nequitia, ac libido poenas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat seueritas consulatus mei. Idem ego ille, (non enim mihi uideor insolenter gloriari, cum de me apud te loquor, in ea praesertim epistola, quam nolo alijs legi) idem, inquam, ego recreaui afflictos animos bonorum, unumquemque confirmans, & excitans. insectandis uero, exagitandisq. nummarijs iudicibus, omnem omnibus studiosis, ac fautoribus illius uictoriae παῤῥησίαν eripui: Pisonem consulem nulla in re consistere umquam sum passus; desponsam homini iam Syriam ademi: senatum ad pristinam suam seueritatem reuocaui, atque abiectum excitaui: Clodium praesentem fregi in senatu, cum oratione perpetua, plenissima grauitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes. nam cetera non possunt habere eandem neque uim, neque uenustatem, remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα uos appellatis. Nam, ut idibus Maij in senatum conuenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa reip. atque ille locus inductus est a me diuinitus; ne, una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent: uulnus esse eiusmodi, quod mihi neque dissimulandum, neque pertimescendum uideretur: ne aut ignorando stultissimi iudicaremur: bis absolutum esse Lentulum; bis Catilinam: hunc tertiũ iam esse a iudicibus in remp. immissum. Erras, Clodi: non te iudices urbi, sed carceri reseruarunt; neque retinere in ciuitate, sed exsilio priuare uoluerunt. Quamobrem, patres conscripti, erigite animos, retinete uestram dignitatem. manet illa in rep. bonorum consensio; dolor accessit bonis uiris; uirtus non est imminuta; nihil est damni factum noui, sed, quod erat, inuentum est in unius hominis perditi iudicio. plures similes reperti sunt. Sed, quid ago? paene orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Surgit pulchellus puer: obijcit mihi, me ad Baias fuisse. falsum: sed tamen quid huic simile est? inquam. quasi in operto dicas fuisse. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupiuit. nosti enim marinas. Quousque, inquit, hunc regem feremus? regem appellas, inquam, cum Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem spe deuorarat. Domum, inquit, emisti. putas, inquam, dicere, iudices emisti? Iuranti, inquit, tibi non crediderunt. mihi uero, inquam, xx iudices crediderunt: xxxi, quoniam nummos ante acceperunt, tibi nil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. Noster autem status est hic. Apud bonos ijdem sumus, quos reliquisti; apud sordem urbis, & faecem multo melius, quam reliquisti. nam, & illud nobis non obest, uideri nostrum testimonium non ualuisse. missus est sanguis inuidiae sine dolore, atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitij, rem manifestam illam redemptam esse a iudicibus, confitentur. Accedit illud, quod illa concionalis hirudo aerarij misera, & ieiuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat. & hercule multa, & iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus, usque eo, ut nostri isti comessatores coniurationis, barbatuli iuuenes, illum in sermonibus Cnaeum Ciceronem appellent. itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine ulla pastoricia fistula auferebamus. nunc est exspectatio comitiorum: in quae omnibus inuitis trudit noster Magnus Auli filium: atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset adscendere. Consul autem ille, deterioris histrionis similis, suscepisse negotium dicitur, & domi diuisores habere: quod ego non credo. sed S.C. duo iam facta sunt, odiosa, quod in consulem facta putantur, Catone, & Domitio postulante; unum, ut apud magistratus inquiri liceret; alterum, cuiusmodi diuisores haberent, aduersus remp. Lurco autem tribunus pl. qui magistratum simul cum lege Aelia inijt, solutus est, & Aelia, & Fufia, ut legem de ambitu ferret; quam ille bono auspicio claudus homo promulgauit. ita comitia in ante diem vi. kal. Sext. dilata sunt. noui est in lege hoc, ut, qui nummos in tribu pronunciauerit, si non dederit, impune sit; sin dederit, ut, quoad uiuat, singulis tribubus HS ∞ ∞ ∞ debeat. dixi, hanc legem P. Clodium iam antea seruasse: pronunciare enim solitum esse, & non dare. Sed heus tu, uides ne consulatum illum nostrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν uocabat, si hic factus erit, fabam mimum futurum? quare, ut opinor, φιλοσοφητέον, id quod tu facis, & istos consulatus non flocci, ἰατέον. Quod ad me scribis, te in Asiam statuisse non ire: equidem mallem, ut ires. ac uereor, ne quid in ista re minus commode fiat. sed tamen non possum reprehendere consiliũ tuum, praesertim cum egomet in prouinciam non sim profectus. Epigrammatis tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus; praesertim cum & Chilius nos reliquerit, & Archias nil de me scripserit. ac uereor, ne Lucullus, quoniam Graecum poema condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet. Antonio tuo nomine gratias egi; eamq. epistolam Manlio dedi. Ad te ideo antea rarius scripsi, quod non habebam idoneum, cui darem; nec satis sciebam, quid darem. te ualde uindicaui. Cincius si quid ad me tui negotij detulerit, suscipiam:

piam: sed nunc magis in suo est occupatus; in quo ego ei non desum. Tu, si uno in loco es futurus, crebras a nobis literas exspecta; ast plures etiam ipse mittito. Velim, ad me scribas, cuiusmodi sit Ἀμαλθεῖον *tuum, quo ornatu, qua* τοποθεσίας; *& quae poemata, quasq. historias de* Ἀμαλθείᾳ *habes, ad me mittas. lubet mihi facere in Arpinati. ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. nihil erat absoluti. Vale.*

EXPLANATIO

DE IVDICIO, } quo P. Clodius est absolutus. Ὕστερον πρότερον } primum enim respondebo, cur ego minus, quam soleam, procliatus sim; deinde, quod tu primum quaesieras, id ego secundo loco rescribam, quid acciderit de iudicio Clodiano. Ὁμηρικῶς } Homeri exemplo, qui hysterologia saepe utitur. DEFENDENDA *fuit,* } Pugnaui, inquit, ut omnino, quemadmodum senatus decreuerat, rogatio de incestu Clodiano ad populum ferretur; acriterq. in eo senatus decretum, auctoritatemq. defendi. ILLE } P. Clodius. IN *Pisonem, in Curionem,* } qui Clodio fauebant. & Pisonem consulem intelligit. NISI *iudicum genus* } Fusius enim a praetore, & eius consilio fieri iudicium uolebat; in rogatione autem consulari, ut populus iudicaret, scriptum erat. CONTRAXI *uela,* } qui antea caussam Clodianam uehementer oppugnaueram, destiti, & contentionem omisi, cum ex inopia iudicum haud dubie conijceré, quis exitus iudicij futurus esset. PRO *testimonio,* } cum Clodius iudicibus se probaturum affirmaret, quo die in sacris Bonae Deae deprehensus diceretur, eo die Interamnae apud C. Cassinium Scholam fuisse; Cicero contra testatus est, eo die se Clodium domi conuenisse, & allocutum esse. Plutarchus. ITA *notum atque testatum,* } notissimum enim erat, & maxime testatum, Clodium eo die Romae fuisse. ILLVM *in infamiae reliqui sordibus* } nam, si Fusius intercessione impediret, quo minus de re Clodiana populus iudicare posset; itaq. iudicium de Clodio nullum fieret; Clodius tamen in infamiae sordibus iaceret; quem non innocentia uideretur in iudicio seruasse, quod fortasse nunc uideri potest, sed tribunus nocentem iudicio eripuisse. INFIRMO *iudicio* } quod facile corrumpi posset. firmissimum autem, & integrum ab omni labe, Populi iudicium fuisset. PLVMBEO *gladio iugulatum iri* } quouis iudicio condemnatum iri. nam, ut ex plumbo gladius acie minus esset firma, quam qui e ferro: sic iudicium populi, quasi ferreus gladius plumbeo comparatus, multo esset firmius, quam iudicium a praetore datum. VT *reiectio facta est* } accusator, & reus in iudicio reijciebant, quos aliqua de caussa sibi infensos fore suspicarentur. in caussa Milonis quinos ex singulis ordinibus reiectos, Pedianus docet. ACCVSATOR, } Lentulus, de quo in oratione de haruspicum responsis. CLAMORIBVS *maximis,* } clamores oriebantur, quia reus, & accusator iudices reijcerét admodum dissimiles, hic homines nequissimos, ille optimos & integerrimos. TAMQVAM *censor bonus,* } censores enim eijciunt e senatu, quos nequam & improbos nouerunt. TAMQVAM *clemens lanista* } lanistae non gladiatores sunt, ut sensit amicus meus in suo libro, sed gladiatorum domini, & magistri, qui gladiatorum familias in ludo exercerent, & locarét. patet ex epistola M. Antonij, Philippica XIII. & ex oratione pro Sex. Roscio, & ea, quae est in Pisonem, in qua rempublicam lanistae comparat, quia Gabinium, & Clodium, tamquam lanista suos gladiatores pugnantes spectaret, & utriusque interitum, quia malum utrumque ciuem nosset, ita cuperet, ut lanista duorum gladiatorum, quos male se gerentes uideret. FRVGALISSIMVM } quia dixerat, Nequissimos, contrarium contrario reddidit. & respexit ad pecuniam; qua frugi homines egere non solent; quo spei minus est, in iudicio corrumpi posse. tales igitur reijciebat Clodius; retinebat minime frugales, id est egentes. VT *appellantur* } aerati appellabantur, quia pecuniam acceperant, ut Clodium absoluerent. itaque iocus a facetis hominibus in mutatione nominis quaerebatur; cum eos appellarent Aeratos tribunos, qui Aerarij appellari soliti essent. Varro lib. 4. Quibus attributa erat pecunia, ut militi redderét, tribuni aerarij dicti. Pedianus quoque, Pecunia, inquit, attributa dicitur, quae in stipendium militum adnumerari de aerario a tribunis aerarijs quaestori solet. Aerati igitur ob acceptam a Clodio pecuniá, unde illis hoc nomen haesit: aut Aerati, quod essent aere alieno obstricti. nam & nudos equites dixit. Consilium iudicum e triplici ordine constabat, senatoribus, equitibus, tribunis aerarijs. antea soli senatores lege Cornelia L. Sullae dictatoris iudicauerant. postea legem de communicandis inter tres ordines iudicijs tulit L. Aurelius Cotta praetor, Q. Hortensio oratore, & Q. Metello Cretico cos. de quo Pedianus, & alij. Illud uerisimile uidetur, sententiam de reo plures senatores, quam equites, & plures equites, quam tribunos aerarios, tulisse. ut esset praestantioris ordinis maior numerus. Adiuuat hanc opinionem Pediani locus in extremo commentario orationis pro Milone. iudicasse enim ostenditur XIIX. senatores, XVII. equites, XVI. tribunos aerarios. in commentario autem orationis pro Scauro minimus uidetur esse numerus senatorum, maximus tribunorum: contra quam ego existimo: nam ratio postulat, eos praestare numero, qui dignitate praestant. Itaque mendosum esse locum suspicor, & legendum, IV. & XX. senatores, non II. & XX. item XXII. tribunos, non XXV. in quo mutationis minimum fit, si quis antiquas notas consideret. Nec dubium, quin plebeij generis tribuni aerarij fuerint: cum in iudicijs plebem referrent. Sed eos inter diuites in prima classe census esse arbitror: quippe pecuniam in stipendia eroganda non nisi locupletibus commissam credibile est. Addo illud, quod mihi, nullo ueterú testimonio, tamen consentaneum uidetur, ita ternos e singulis tribubus delectos esse tribunos aerarios, ut essent omnino CV, sicuti centum uiri e singulis tribubus, quae XXXV. omnes erant, terni creabantur: quorum numerus erat CV, licet centum uiri nominarentur. TVI *ciues* } Athenienses. etsi ciuitatis beneficio, ab Atheniensibus delato, noluisse Atticum uti, Nepos tradit. respexit igitur non ad ius ciuitatis,

nitatis, sed ad Pomponij cognomen. Etiam infra l. 2. ep. 1. Tuus, inquit, ille ciuis Demosthenes in Philippicis orationibus enituit. XENOCRATEM } hic, testimonio dicto, cum ad Aras, ut mos Graecorum est, iurandi caussa accederet; una uoce omnes iudices, ne iuraret, reclamarunt, in oratione pro Balbo, & apud Valerium, & Laertium. TABVLAS *Metelli Numidici* } Q. Metello, Quincti filio, Numidico, caussam dicente de pecunijs repetundis, cum ipsius tabulae circumferrentur inspiciendi nominis caussa, fuit iudex nemo, ex illis equitibus Romanis, grauissimis uiris, quin remoueret oculos, & se totum auerteret; ne forte, quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam, uerum ne, an falsum esset, uideretur. in oratione pro Balbo. ABIENS *consulatu,* } cum in concione consulatum pridie Kalendas Ianuarias deposuit. deponebant enim eo die. DOMVM *reductus,* } eius frequentiae mentionem facit his uerbis in oratione in Pisonem: Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, ciuium esse in numero uideretur. PRAECLARI *Ariopagitae,* } ironia. nam Ariopagitae uere & religiose iudicabant: at in Clodiano iudicio plerique iudices pretio sententias uendiderunt. AD *consilium,* } actum est in consilio iudicum, num a senatu praesidium esset petendum, quo tutius iudicare possent. omnes, praeter unum, censuerunt. DATVR *negotium magistratibus.* } ut praesidium iudices habeant. ἔσπετε } cum Homerus iliados π, stragem illam, quam Hector, igne in Graecorum naues iniecto, edidit, explicare aggreditur, Musarum opem implorat his uersibus:

,, ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
,, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε νηυσὶν ἀχαιῶν.

Cicero autem, cum iudicij corrupti narrationem orditur, quasi in re magna, opem musarum Homericis uerbis petit. NOSTI *Clauum,* } M. Crassum, ut puto, significat; tribus modis eum designans, primum à caluitio; deinde, ex Nanneiannis cum appellat; postremo, cum dicit, Illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripserã. nam, laudatum a Crasso Ciceronem, apparet in epistola, quae ante proximam legitur. Surrexit, inquit, Crassus, ornatissimeq. de meo consulatu locutus est, ut ita diceret, se, quod esset senator, quod ciuis, quod liber, quod uiueret, mihi acceptum referre. Et, quia Crassus Sulla dictatore ingentes diuitias congesserat, bonis proscriptorum paruo pretio emendis; Nanneij autem proscriptorum e numero fuerunt, quorum bona a Crasso empta uerisimile est, indeq. eum non mediocriter fuisse ditatum; per iocum appellat eum ex Nanneianis; quasi dicat, Nanneiorum facultatibus ditatum. Nãneios autem dictatore Sulla proscriptos, & interemptos fuisse, cognoscitur ex libro, quem ad Marcum fratrem Q. Cicero scripsit de petitione consulatus. ET *eum ex ludo gladiatorio,* } ueteres in magna seruorum multitudine habebant, quos in ludo gladiatorio docendos, exercendosq. a lanistis, idest a magistris, curarent; quos deinde populo spectandos loco muneris exhibebant. ET *eum:* } non modo seruum, sed seruum ex ludo gladiatorio, hoc est ex omnibus uilissimum. nam alij colebant artes nobiliores, litteras, musicen, picturam, & huiusmodi. CONFECIT *totum negotium* } iudices corrupit. INTERCESSIT, *dedit,* } partim promisit se daturum, partim etiam dedit. tale illud libro 6. ep. 1. Adscribit, intercessisse se pro ijs magnam pecuniam. Et illud oratione. 11. in Antonium: Orabat Curio, ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem. tantum enim pro te intercessisse dicebat. INTRODVCTIONES } antiquus liber Vrbinatis bibliothecae, Productiones. quod est uerbum in eiusmodi re satis aptum, ut exemplis constat. SVMMO *proposito periculo* } quia plenum forum erat seruorum. VEL *perire* } cum sibi mortem, si Clodius damnatus esset, impendere cernerent ab ijs seruis, quorum plenum fuisse forum, proxime dixit. PERDERE *omnia* } totam remp. euertere, quam in iudicio esse positam, plane constat. maluerunt igitur recte sentire, etiam si rectum sensum consecutum mors esset, quam sententias ferre, contra quam leges, & iura praescriberent: quod si fecissent, actum esse de uniuersa rep. opinabantur. quasi, Clodium seruare, & remp. perdere, idem esset. CATVLVS } Q. Lutatius Catulus consularis, quem Sulla dictator optimum uirum appellauerat. Plutarchus in Pompeio. XXXI. FVERVNT } ergo iudices fuerunt in caussa Clodij quinquaginta, & unus, totidem, quot in Milonis caussa, in qua senatores iudicarunt XIIX. equites XVII. tribuni aerarij XVI. hoc ex Pediano. FACTVM *esse sciebant,* } incestum Clodij significat. CALVVM, *& Plautum, & Spongiam,* } iudicũ cognomina; quos quasi per contemptum nominat. nam Caluus, & Plautus, & Spõgia, cognomina sunt a partibus corporis male affectis & a uitijs imposita. CVM *religio, cum pudicitia* } religionem Clodius polluit, cum ingressus est eo, ubi sacra Bonae deae uirgines Vestales celebrabant; pudicitiam uiolauit, quia in ijs sacris adulterium cum Pompeia commisisse putabatur. hae autem conciderunt, quia uiolatas ulti iudices non sunt. IVDICIORVM *fides* } quae concidit, corruptis a Clodio iudicibus. SENATVS *auctoritas concidisset,* } quo modo concidisse uidetur senatus? quia factum non est, quod senatus censuerat, ut populus de Clodiano incestu iudicaret. NVLLA *in re consistere umquam sum passus:* } omnibus in rebus ei sum aduersatus. DESPONSAM *homini iam Syriam* } propemodum senatus promiserat, & desponderat Pisoni Syriam prouinciam, ut eam anno proximo proconsul administraret. Cicero contra pugnauit, & desponsam ademit, cum diceret, non esse habendam eius rationem a senatu, cuius opera senatus auctoritas concidisset. nam per Pisonem steterat, quo minus rogatio ex senatusconsulto ad populum ferretur; ut ep. 11. Piso operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert, & fert ex S. C. & de religione, antiquetur. & ep. 12. Piso consul, lator rogationis, idem erat dissuasor. ABIECTVM. } quod uideret, in iudicio Clodiano uictam ueritatem improbitati cessisse. CONTENTIONIS, } in ipsa altercatione omnia, inquit, habere tum uim, tum uenustatem uidebantur; quae nunc si a me perscriberentur, prorsus ut

languida, insulsaq. iacerent : itaque pauca narrabo. Ἀγῶνα uos *appellatis* } Atticum ut hominem Graecum agnoscit, quia diu uixerat Athenis, unde cognomen Attici retulerat. VNA *plaga accepta* } in Clodij absolutione. NE *aut ignorando,* } hoc membrum refertur ad illud, Neque dissimulandum. alterum membrum desiderari uidetur; ut, quoniam duo proposuit, ignorationem, & timorem, sit, quod utrique red datur. idq. etiam postulat disiunctiua particula Aut. LENTVLVM, } eum, qui cum Catilina coniurauit, & in carcere necatus est. Sallustius, Plutarchus, alij. CATILINAM, } etiam in oratione in Pisonem, At contra, inquit, bis Catilina absolutus, emissus etiam ille auctor tuus prouinciae, cum stuprũ Bonae deae puluinaribus intulisset. ego tamen ter absolutum Catilinam inuenio, primum, de incestu, quod Fabiam, uirginẽ Vestalem, stuprasset, Hortensio, & Metello cos. idq. Orosius lib. VI. & Pedianus in commentario orationis cõtra competitores tradiderunt. Iterum, crimine inter sicarios, ob necem M. Marij Gratidiani, Caesare, & Figulo cos. quod apud Dionem lib. 36. scriptum est. id etiam Cicero significat in oratione pro Sulla, cum ait: At idem non affuit alio in iudicio. Tertio, repetundarum ex Africa, Cotta, & Torquato cos. ut Ciceronis, Quincti fratris in libello de petitione consulatus, Pediani testimonio probatur. Quid igitur? an ab historia dissentit Cicero? minime: sed, cum Catilinam, item ut Clodiũ, contra leges absolutum uelit significare, de tribus absolutionibus unam omittit, in crimine scilicet incestus, ne Fabiae, Terentiae uxoris suae sorori, turpem impudicitiae notam inureret: quam etiam in oratione contra competitores expertẽ culpae dicit fuisse. loquitur igitur de ijs iudicijs, in quibus Catilina, cũ culpã cõmisisset, absolutus tamẽ est; repetundarũ. s. ex Africa, & inter sicarios. quibus criminibus manifeste tenebatur. PVLCHELLVS *puer* } ludit in formã, & cognomen Clodij: in formã, quia facie puellae similis erat, ut scribit Plutarchus in Caesare, & Cicerone: in cognomẽ, quia Clodius Pulcher, cognomine Claudiae familiae patriciae, appellabatur. erat enim & altera Claudia familia plebeia, in qua Marcellorũ cognomẽ. Adscriberẽ alia de Claudiorũ gente; sed neq. locus exigit, & reseruantur Antiquitatũ Romanarũ libris. Furor Pulchelli, infra quoque dixit. BAIAS } Baianas aquas; quo tum ualetudinis, tum etiã lasciuiae caussa frequentes conueniebant. FALSVM } aptius fortasse, Salsum: ut ironia sit, hoc sensu: Salse uero, Clodi, & peruenuste, opinor, tibi uideris dixisse, cum obiecisti, me ad Baias fuisse. uerum non sentis, quam hoc sit frigidum? at concedo: falsum est, & acutum, quod in me coniecisti: notasti perbelle mollitiem meam, qui balnea delicatus homo petierim: quid tum? conferamus nostrum uterque factum. ego ad Baias, tu in operto fuisti: num quae similitudo? nulla prorsus. nam mea mollities cum tuo scelere non uidetur esse comparanda. IN *operto* } cum in intimam Caesaris domum, ubi Vestales in operto sacra faciebant, muliebri uestitu penetrasti. Ita locutus est Paradoxorũ V. cum, eundem Clodium exagitans, Familiarissimus, inquit, tuus de te priuilegium tulit, ut, si in opertum Bonae deae accessisses, exsulares. quo modo igitur, tot legibus eiectus in exsulium, nomen exsulis non perhorrescis? Romae sum, inquis: & tu quidem in operto fuisti. HOMINI *Arpinati* } quasi semirustico. nam, si homo Romanus ad aquas calidas iret, ferendum; si Arpinas, non item. AQVIS *calidis?* } Baianis. calidae enim balneorum aquae. PATRONO *tuo,* } sorori tuae. Patronum appellat, quia mulier potẽs, & amatorũ gratia ualens, Clodium saepe non secus ac patronus defenderet: cuius etiam opera Sex. Clodium fuisse absolutum, legitur in oratione pro Coelio. QVI *Arpinates aquas concupinit.* } quae me, hominem Arpinatem, quem tu derides, sibi coniugem optauit. Plutarchus in Cicerone. NOSTI *enim marinas.* } cum stuprum a piratis passus es. de quo in oratione de haruspicum responsis. CVM *Rex tui mentionem, &c.* } Q. Marcius Rex, qui unam e Clodij sororibus, ut ait Plutarchus, in matrimonio habuerat, moriens in testamento nullam Clodij mentionem fecit. Clodius autem fore sperauerat, ut heres ab eo relinqueretur. DOMVM, *inquit, emisti,* } omnino fuit hoc Ciceroni inuidiosum: qui, cum homo nouus esset, domum emisset in Palatio, quae P. Crassi fuerat, uiri consularis. idq. etiam ei Sallustius obijcit in oratione. emit eam Cicero HS tricies quinquies, ut est in epistola ad Sextiũ, fam. libro V. cũ a P. Sulla, qui tum reus erat, mutua uicies accepisset: quod Gellius refert libro 12. cap. 12. IVRANTI *tibi non crediderunt,* } quia, cum Cicero iuratus, ut mos erat, testimonium in Clodium reum dixisset, iudices tamen eum absoluerunt. Pedianus de testium iureiurando. XX. IVDICES } qui te suis sententijs condemnarunt. Plutarchus in Cicerone XXV. memorat, qui Clodium damnarint, XXX. qui absoluerint. VEL *perire* } cum sibi mortem, si Clodus damnatus esset, impendere cernerent ab ijs seruis, quorum plenum fuisse forum, proxime dixit. PERDERE *omnia* } totam remp. euertere: quam in iudicio positam esse, plane constat. maluerunt igitur recte sentire, etiam si rectum sensum consecutura mors esset, quam sententias ferre, contra quam leges, & iura praescriberent. quod si fecissent, actum esse de uniuersa rep. opinabantur. quasi, Clodium seruare, & remp. perdere, idem esset. XXXI. } qui te, nummis ante acceptis, absoluerunt. NAM *& illud* } alterum, Et, quod huic respondeat, uidetur desiderari. sed Cicero saepe particulam, dictionemue, quae exspectatur, omittit; neque tamen coeptam sententiam absoluit. ut hic alterum, Et, omisit, atque eius loco intulit, Accedit illud. & in epistola ad Coelium, cum initium epistolae fecisset; Primum tibi, ut debeo, gratulor: non subiunxit, Deinde: sed sententiam potius attendens, quam uerba, intulit pro Deinde, Tum uero, quibus uerbis tibi gratias agam, non reperio. MISSVS *est sanguis inuidiae,* } profuit nobis ad extinguendam inuidiam, uideri nostrum testimonium nõ ualuisse. Sic & Liuius libro III. Dandus, inquit, inuidiae est sanguis. SINE *dolore:* } paruo meo damno, haud magna mea mercede. & μεταφορικῶς dixit, Sine dolore, quia bene habet, cum sanguis mittitur sine dolore aegrotãtis. FAVTORES *illius flagitij* } illi ipsi, qui

qui Clodium absolutum uoluerunt, nunc absolutionem pretio emptam confitentur. CONCIONALIS *hirudo aerarij* } quae in concionibus nullum poscendi finem faceret, insatiabilis ut hirudo. & Hirudo aerarij, quia omnis publica largitio, siue in plebem, siue in quem uelis alium facta, opes imminuit aerarij. Et Aerarium intellige, de pecunia ex annuis uectigalibus coacta. erant enim duo praeterea, quae sanctiora uocabantur. uide, quae diximus epist. 15. lib. 7. COMISSATORES *coniurationis* } Catilinae consortes in coniuratione: quem supra Gregem uocauit Catilinae, epist. 12. GLADIATORIBUS } cum munus gladiatorium significare uult, Gladiatoribus, dicit. ut libro 2. ep. 1. Quaerit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare. Et Philippica. IX. item in epistola Asinij, lib. X. fam. & Dare gladiatorium, Pedianus dixit, cum subintelligeret, munus. Ἐπισημασίας } significationes, ut plausum, & quae praeterea beneuolentiam significant. SINE *ulla pastoricia fistula* } sine ullo sibilo. nam odium sibilo, amor plausu significatur: ut in oratione pro Sextio. pastoriciae uero fistulae sonus a sibilo non longe distat, itaque & συρίζειν pro sibilare, & fistula sonum edere: σύριγγα uero pro sibilo, & fistula pastoricia reperimus. Qua de re scripsit ingeniose, & erudite, M. Antonius Muretus in Variarum lectionum libris. TRUDIT } quod eius opera futurum speraret, ut ea, quae Mithridatico bello egisset, confirmarentur. quod tamen, ob Afranij ignauiam, & inimicorum potentiam, consecutus non est. Dio libro XXXVII. AULI *filium*: } L. Afranium: quem ad petendum sequentis anni consulatum Pompeius trudebat. petijt autem, & obtinuit. bello Mithridatico legatus Pompeij fuerat. bello ciuili, legatus eiusdem cum Petreio fuit in Hispania. uictum, & post impetratam ueniam arma inferentem Caesar interfecit. Auli autem filium ideo uocat, opinor, quod pater nullo honore, nulla uirtute insignis fuisset: quasi per cõtemptum. etiam infra, Auli, inquit, filius, quam ignauus, & sine animo. & ep. 18. SED *quibus &c.* } nummis. DETERIORIS *histrionis* } histrioni similis est M. Piso cõsul, sed non boni histrionis. est enim cauillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur. ep. XI. DIVISORES } qui populo pecuniam diuiderent, ut consulem Afranium crearet. CATONE, & *Domitio* } affinitate coniunctis. nam Catonis sororem habebat Domitius in matrimonio. Plutarchus. INQUIRI } num domi diuisores haberent. CUIUSMODI *diuisores haberent* } legendum fortasse, uel, Cuius cuiusmodi, pro, qualescumque; quod honestis etiam de caussis domi possent diuisores haberi. & in epistolis, quae Familiares dicuntur, lib. IV. ep. 7. ubi scriptum est, Cuiusmodi res esset, libri sunt ueteres, in quibus legatur, Cuiuscuiusmodi res esset. uel, Cuiuscuiusmodi, igitur legerem, uel, Cuius domi: ut sit: cuius magistratus domi diuisores habitarent, eum magistratum aduersus remp. facere. nam & paullo ante, Consul suscepisse negotium dicitur, & domi diuisores habere. & in huiusmodi uoce alibi quoque reperio factam esse transpositionem litterarum, indeq. similem errorem fluxisse. ut in Oratore: Numerus non domo depromebatur. HABERENT: } habitarent, apud magistratus: ut apud Plautum in Bacchidibus: Quis istic habet? & Digestorum lib. IIX. titulo II. Quidam Iberus, qui habet post horrea mea. Sed Bessarionis, & Caualcantis antiqua exemplaria, Habitarent. LURCO } gentis Aufidiae cognomen. Et potest esse maternus auus Liuiae, uxoris Augusti. Suetonius in Caligula. SIMUL *cum lege Aelia inijt,* } tribunatum iniuit seruatis auspicijs ex lege Aelia. SOLUTUS *est Aelia, & Fufia,* } cum lex ferretur, omnes magistratus obnunciandi, idest impediendi, potestatem habebant. obnunciatio autem lege Aelia dabatur. ergo tribunus pl. M. Aufidius Lurco, legem de ambitu daturus, ne obnunciatione impediretur, solutus est a senatu & Aelia lege, & Fufia. facto senatusconsulto, ut ij, qui obnunciandi potestatem haberent ex Aelia lege, & Fufia, moram ne afferrent, quo minus de ambitu lex primo quoque tempore ferretur: qui obnunciasset, eum senatum existimare aduersus remp. fecisse. Sed quaeritur ab hominibus non imperitis; cum Lurco tribunus Aelia lege solutus, quae de auspicijs erat, obnunciationem non timeret, cur additum sit, Et Fufia. Respondetur: quia senatus, quo maturius lex ferretur, sustulit non solum obnunciationem, sed etiam religionem eorum dierum, quibus ferri lex non poterat: cum certi dies essent, quibus legem ferri lex Fufia non fineret. itaque P. Clodius, ut leges, & quas uellet, & quo tempore uellet, ferre posset, perniciosa rogatione tam Aeliam legem, quam Fufiam sustulit. In cuius tribunatum inuehens Cicero in oratione pro Sextio, Mitto, inquit, eam legem, quae omnium religionum iura, auspiciorum, potestatum, omnes leges, quae sunt de iure, & tempore legum rogandarum, una rogatione sustulit. Et in Pisonem: Te inspectante, & tacente, a P. Clodio, fatali portento, prodigioq. reip. lex Aelia, & Fufia euersa est, propugnacula, muriq. tranquillitatis, atque otij. CLAUDUS *homo promulgauit.* } cum ironia: quasi non bonum omen possit esse, cum legem claudus homo promulgauit; idq. potissimum sit contra Aeliam legem, quae auspicia tuebatur. Promulgare autem, supra diximus, quid significet. hanc legem non opinor esse perlatam: quia infra ep. 16. ita scriptum est: Facto, senatusconsulto de ambitu, de iudicijs, nulla lex perlata. DILATA } quia comitia plures dies abstulissent, uisum est, ut ante lex ferretur. PRONUNCIAVERIT, } promiserit se daturum. nam candidati nummos tribubus promittebant, si sibi, quem petebant, magistratum suffragijs demandassent. HS ∞ ∞ ∞ } scutatos nonaginta. sunt enim sestertij nummi. DEBEAT } quotannis, quasi tributum pendat. ἀποθέωσιν, } ego meum consulatum ita ornaui, atque illustraui praestantissimis rebus gestis, ut eum C. Curio recte ἀποθέωσιν, uocarit: quod, quemadmodum clari uiri, magnis meritis in deorum numerum relati ἀποθέωσιν, consequuntur; ita ego mearum actionum amplitudine effeci, ut meus consulatus, quasi numen quoddam, cum religione colendus esse uideatur. sed uides ne, Tite Pomponi, consulatum nostrum, si homo turpissimus Afranius

consul

consul factus erit, non iam futurum ἀποθέωσιν, sed fabulis illis similem, quae de Saturno, & Ioue narrantur? quae ut inanes, & fictae parui penduntur. FABAM *nummum*} hic antiquos libros uideo dissentire. Bessarionis exemplar, Fabam mimum; Caualcantus, Famam mimum. ego, nec ita magna litterarum mutatione, legendum puto, Fabulam numinum: ut ueteres fabulas significet, qualis illa de Iouis cycno, de Saturno expulso, de Minerua e capite Iouis orta, & huiusmodi, quibus poetae suos libros referserunt. & recte, Fabulam numinum: ut, quoniam, ἀποθέωσιν, dixit, quasi ἀποθέωσιν referat. Quod si quis huic opinioni non libenter acquiescit; forte, cur illam probet, magis erit, cuius auctores ego quoque sequor non inuitus, Paulum Magnulum Burnensem meum, cui Deus mortuo bene faciat, & M. Antonium Muretum, cui uiuenti cupio optima contingere. horum utrique, Fabulam mimum, ut legatur, uidetur placere; quod ad ueterem scripturam attinet, non temere; minimum enim mutant; quod ad sententiam, in primis apte. non enim res leuissima significari potuit accommodatius, quam si fabula mimus nominaretur? cum, Mimos, plane constet, minimum inter fabulas habere grauitatis. Confirmat hanc coniecturam locus Macrobij, quamquam mendosus, libro Saturnal. II. quo in loco eadem dictio, Nummum, per similitudinem litterarum, quasi per lubricam uiam, delapsa est in, Mimum. nam, ubi legitur in uulgatis libris, Cum iratus esse P. Clodius D. Valerio diceretur, quod ei petenti nummum, non dedisset; non dubito, quin, si sic legatur, uerius multo sit: Cum iratus esse P. Clodius D. Laberio diceretur, quod ei mimum petenti non dedisset. Satis enim constat, scribendis mimis Laberium eo tempore excelluisse. NON *flocci*,} contemnendos; qui ne flocci quidem sunt. Ἐατέον.} dimittendum. sunt, inquit, uiles isti consulatus dimittendi. Colenda nobis philosophia est: isti uero consulatus ne flocci quidem faciendi. MINVS *commode fiat*:} ne Quinctus, frater meus, excandescat, quia legatus cum ipso in Asiam ire nolis. IN *prouinciam non sim profectus.*} consul, cum in prouinciam Galliam ire posset, neglexit. l. 2. ep. 1. & fam. l. 5. ep. 2. & l. 15. ep. 4. & in orationibus Ciceronis. AMALTHEO} Attici gymnasio, in Epiro. supra muliebri genere dixit Amaltheam, ep. XI. & ita gymnasium nominauit a multitudine librorum: quia capra Amalthea, quae Iouem aluit, fabulosis poetarum carminibus celebratur, quod altero cornu ambrosiam, altero nectar copiose fuderit. ergo uel a copia nomen indidit gymnasio, uel quod legendis in eo libris animum pasceret suauissimo cibo, sicuti Amalthea suo praedulci lacte Iouem pauit: uel ab utraque caussa. CONTENTI *erimus*,} Amaltheum tuum ornare uelles epigrammatis egregie de me scriptis. ego, quod mittam, nullum habeo: itaque tuis cogemur contenti esse. nam & Chilius abest, & Archias de me nihil scripsit. Petierat enim Atticus, ut, si quid Archias de Cicerone scripsisset, mitteret, itemque, si quid Chilius. erat autem uterque poetica laude insignis. exstat pro Archia luculenta oratio. de Chilio supra epist. 7. NIL *de me scripserit*} inchoauit tamen: si modo uerum est, quod legimus in oratione pro Archia: potuit enim id Cicero dicere, quia caussae seruiendum putaret. dixit autem haec: Quas res nos in consulatu nostro uobiscum simul pro salute huius urbis, atque imperij, & pro uita ciuium, proq. uniuersa rep. gessimus, attigit hic uersibus, atque inchoauit. Quibus auditis, quod mihi magna res, & iucunda uisa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Et in extrema oratione: Petimus a uobis, iudices, ut eum, qui uos, qui uestros imperatores, qui populi R. res gestas semper ornauit, qui etiam his recentibus nostris, uestrisq. periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profitetur, in uestram accipiatis fidem. GRAECVM *poema*.} L. Lucullum Graecae linguae peritissimum fuisse, Plutarchus tradit, ut etiam historias Graece scripserit: de quibus ep. 15. AD *Caecilianam fabulam*} uereor, ne Lucullus, quoniam Graecum poema pertexuit, nunc Graecas etiam comoedias ordiatur, Caecilij poetae comici exemplo, ut ab eo epigrammata exspectare non debeamus. ANTONIO} Macedoniam administranti. epist. 10. GRATIAS *egi*} scripsi, gratissimum mihi fecisse, quod te, tuaq. negotia ex meis litteris humanissime sit complexus. in ep. 5. l. 5. fam. VINDICAVI.} ultus sum; quia tu quoque raro ad me scribis. CINCIVS} hic Romae Attici negotia curabat. FACERE} construere gymnasium eiusdem nominis in Arpinati. ideo dixit, Scribas cuiusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum. uide ep. I. l. 2.

Cicero S. D. Attico. 15.

MAGNA mihi uarietas uoluntatis, & dissimilitudo opinionis, & iudicij Quincti, fratris mei, demonstrata est ex litteris tuis, in quibus ad me epistolarũ illius exempla misisti. qua ex re & molestia sum tanta affectus, quantam mihi meus amor summus erga utrumque uestrum afferre debuit; & admiratione, quidnam accidisset, quod afferret Quincto, fratri meo, aut offensionem tam grauem, aut commutationem tantam uoluntatis. atque illud a me iam ante intelligebatur, quod te quoque ipsum discedentem a nobis suspicari uidebam, subesse nescio quid opinionis incommodae, sauciumq. eius animum; & insedisse quasdam odiosas suspiciones: quibus ego mederi cum cuperẽ, & antea saepe, & uehementius etiã post sortitionẽ prouinciae; nec tantum intelligebam ei esse offensionis, quantum litterae tuae declarant; nec tantum proficiebam, quantum uolebam. sed tamen hoc me ipse consolabar, quod non dubitabã, quin te ille aut Dyrrhachij, aut in istis locis uspiam uisurus esset. quod cum accidisset; confidebam, ac mihi persuaserã fore, ut omnia placarentur inter uos non modo sermone, ac disputatione, sed conspectu ipso, congressuq. uestro. nam, quanta sit in Quincto, fratre meo, comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus & ad accipiendam, & ad deponendam

ponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. sed accidit perincommode, quod eum nusquam uidisti. ualuit enim plus, quod erat illi non nullorum artificijs inculcatum, quam aut officium, aut necessitudo, aut amor uester ille pristinus; qui plurimum ualere debuit. Atque huius incommodi culpa ubi resideat, facilius possum existimare, quam scribere. uereor enim, ne, dum defendam meos, non parcam tuis. nam sic intelligo; ut nil a domesticis uulneris factum sit, illud quidem, quod erat, eos certe sanare potuisse. sed huiusce rei uitium totius, quod aliquanto etiam latius patet, quam uidetur, praesenti tibi commodius exponam. De ijs litteris, quas ad te Thessalonica misit, & de sermonibus, quos ab illo & Romae apud amicos tuos, & in itinere habitos putas; ecquid tantum caussae sit, ignoro: sed omnis in tua posita est humanitate mihi spes huius leuandae molestiae. nam, si ita esse statueris, & irritabiles animos esse optimorum saepe hominum, & eosdem placabiles; & esse hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiemq. naturae plerumque bonitatis; &, id quod caput est, nobis inter nos nostra siue incommoda, siue uitia, siue iniurias esse toleranda: facile haec, quemadmodum spero, mitigabuntur. quod, ego, ut facias, te rogo. nam ad me, qui te unice diligo, maxime pertinet, neminem esse meorum, qui aut te non amet, aut abs te non ametur. Illa pars epistolae tuae minime fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut prouincialium, aut urbanorum commodorum & alijs temporibus, & me ipso consule, praetermiseris. mihi enim perspecta est & integritas, & magnitudo animi tui: neque ego inter me, atque te quidquam interesse umquam duxi, praeter uoluntatem institutae uitae: quod me ambitio quaedam ad honorum studium, te autem alia minime reprehendēda ratio ad honestum otium duxit. uera quidē laude probitatis, diligentiae, religionis neq. me tibi neq. quemquam antepono. amoris uero erga me, cum a fraterno amore, domesticoq. discessi, tibi primas defero. uidi enim, uidi, penitusq. perspexi in meis uarijs temporibus, & sollicitudines, & laetitias tuas. fuit enim mihi saepe, & laudis nostrae gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. quin mihi nunc, te absente, non solum consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quae mihi suauissima tecum solet esse, maxime deest. Quid dicam, in publica re? quo in genere mihi negligenti esse non licet. An in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam, nunc ut dignitatem tueri gratia possim. an in ipsis domesticis negotijs? in quibus ego cum antea, tum uero post discessum fratris te, sermonesq. nostros desidero. Postremo non labor meus, non requies; non negotium, non otium; non forenses res, non domesticae; non publicae, non priuatae carere diutius tuo suauissimo, atque amantissimo consilio, ac sermone possunt. Atque harum rerum commemorationem uerecūdia saepe impediuit utriusque nostrum. nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolae tuae, per quam te, ac mores tuos mihi purgatos, ac probatos esse uoluisti. Atque in ista incommoditate alienati illius animi, & offensi, illud inest tamen commodi, quod & mihi, & ceteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando testificata tua uoluntas omittendae prouinciae; ut, quod una non estis, non dissensione, ac dissidio uestro, sed uoluntate, ac iudicio tuo factum esse uideatur. quare & illa, quae uiolata, expiabuntur; & haec nostra, quae sunt sanctissime conseruata, suam religionem obtinebunt. Nos hic in rep. infirma, misera, commutabiliq. uersamur. credo enim te audisse, nostros equites paene a senatu esse disiunctos. qui primum illud ualde grauiter tulerunt, promulgatum ex S. C. fuisse, ut de ijs, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quaereretur. qua in re decernenda cum ego casu non affuissem; sensissemq. id equestrem ordinem ferre moleste, neque aperte dicere; obiurgaui senatum, ut mihi uisus sum, summa cum auctoritate; & in caussa non uerecunda, admodum grauis, & copiosus fui. Ecce aliae deliciae equitum, uix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornaui. Asiani, qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se, cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse: ut induceretur locatio, postulauerunt. ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus. nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. inuidiosa res, turpis postulatio, & confessio temeritatis. summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a senatu. huic quoque rei subuentum est maxime a nobis; perfectumque, ut frequentissimo senatu, & libentissime uterentur: multaq. a me de ordinum dignitate, & concordia dicta sunt kalendis Decembr. & postridie. neque adhuc res confecta est, sed uoluntas senatus perspecta. unus enim contradixerat Metellus consul designatus. diu erat dicturus, ad quem propter diei breuitatem peruentum non est, heros ille noster Cato. sic ego, conseruans rationem, institutionemq. nostram, tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam. sed tamen, quoniam ista sunt infirma, munitur quaedam nobis ad retinendas opes nostras tuta, ut spero, uia, quam tibi litteris satis explicare non possum, significatione parua ostendam tamen. utor Pompeio familiarißime. uideo, quid dicas. cauebo, quae sunt cauenda: ac scribam alias ad te de meis consilijs capessendae reip. plura. Lucceium scito consulatum habere in animo statim petere. duo enim soli dicuntur petituri. Caesar cum eo coire per Arrium cogitat: & Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse coniungi. Rides? non sunt haec ridicula, mihi crede. Quid aliud scribam ad te? quid? multa sunt; sed in aliud tempus. Te si exspectari uelis, cures ut sciam. iam illud moleste rogo, quod maxime cupio, ut quamprimum uenias. Nonis Dec. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

MAGNA *mihi &c.* } Quinctus Cicero iracunde scripserat ad Atticum. POST *sortitionem prouinciae,* postquam ei Asia prouincia sorte obuenit. quo perspicuum fit, non eo solum iratum fuisse Quinctum, quia cum ipso legatus in Asiam Atticus ire nollet. VISVRVS } in itinere, quod in Asiam haberet. A DOMESTICIS } a sorore tua: quae, cum uxor sit Quincti fratris, animum illius iracundia commotum sedare, tibiq. restituere & potuit, & debuit. IRRITABILES *animos esse optimorum saepe hominum, & eosdem placabiles.* } Horatius de seipso, ep. 20. lib. 1. Irasci celerem, tamen ut placabilis essem. Hoc & Aristoteles notauit lib. IV. ἠθ.

Παύονται δὲ ταχέως, ὃ καὶ βέλτιστον ἔχουσι.

Vide & ep. 1. lib. 1. ad Q. fr. INTEGRITAS, *& magnitudo animi tui;* } integritas, quod amicitiam cum fide colas: magnitudo animi, quia tuis commodis non inseruias. DOMESTICOQVE } filiam, filium, uxorem significat. NEGLIGENTI *esse non licet* } quo magis tuum consilium desidero. PROPTER *ambitionem* } ut honores consequerer. DIGNITATEM } partam ex honoribus, quos gessi. QVOD *una non estis,* } in hoc munere administrandae Asiae. ILLA, *quae uiolata* } uinculum illud affinitatis, quo coniunctus es cum Quincto fratre, nonnihil uidetur esse laxatum; sed rursus adstringetur, & in ueterem gratiam coibitis. HAEC *nostra* } amicitia, quae inter nos est, quam sanctissime conseruauimus, eadē semper erit, semperq. a nobis religiosissime coletur. COMMVTABILI } propter equites a senatu alienatos. NOSTROS *equites* } quod & ipse, & Atticus equestri loco nati erant. QVAERERETVR. } id enim ad equites pertinebat, qui cum senatoribus, & tribunis aerarijs lege Aurelia iudicabant. infra, l. 2. ep. 1. Quid uerius, inquit, quam in iudicium uenire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? censuit hoc Cato. assensit senatus. equites curiae bellum. ID } quod senatus ita decreuisset. quod propterea, ut opinor, moleste equites ferrent, quia lege de captis ob iudicandum pecunijs equester ordo non teneretur. uide orationem pro Cluentio. NEQVE *aperte dicere:* } ne, si quererentur, suam ipsi culpam proderent, & ideo queri uiderentur, quod acceptae pecuniae crimen ad eos pertineret. CVM *auctoritate:* } quia meam orationem senatus attentis auribus excipere uisus est: aut quia senatum moueri obiurgatione mea sensi. NON *uerecunda* } quid enim impudentius, quam senatus aequissimum decretum reprehendere? DELICIAE } accipiendum a contrario sensu. nam leuitatem, & imprudentiam equitum significat, ep. 12. l. 2. ASIANI, } Asiae publicani, idest equites. nam erant omnes publicanorum societates ex ordine equestri. DE *censoribus conduxerunt,* } a censoribus conduxerunt Asiae uectigalia. nam locandorum uectigalium cura penes censores erat. Et est perelegans, & usitata locutio, qualis illa in ep. ad Sextium, Ego de Crasso domum emi. PERSPECTA, } in eam partem, ut equitum ratio duceretur. quod tamen factum non est, Catone contra acerrime pugnante. &, ut dicam, quod mihi in mentem uenit, in eas caussas inspicienti, quibus afflicta resp. concidit: ex hac primum radice enatum ciuile bellum uidetur. Cum enim urbs Roma ex tribus ordinibus, senatu, equitibus, & plebe constaret: duobus ordinibus libertatem tuentibus, nulli umquam improbo ciui satis firmae uires ad opprimendam remp. fuissent. itaque in oratione IV. in Catilinam, Hinc, inquit, cum equitibus Romanis coniunctionem si perpetuam in rep. tenuerimus; confirmo uobis, posthac malum ciuile, ac domesticum ad nullam reip. esse uenturum partem. Hoc uir prudentissimus non uidit Cato: qui animo optimo, & summa fide utens, dum aerarium nimis pertinaciter defendit, equites a senatu alienauit. ita, duorum ordinum disiuncta concordia, euersum est quod erat summum reip. firmamentum. at Caesar, qui tyrannidem spectaret, auide occasionem in consulatu amplexus, equitum, qui a senatu nihil adhuc impetrabant, caussam suscepit, effecitque, ut tertia debitae pecuniae parte senatusconsulto leuarentur. quo facto equestrē ordinem sibi adiunxit; (& iam antea plebem tenebat) unde imminutae senatus opes; & res omnis publica ad tres uiros, Caesarem, Pompeium, Crassumq. translata. Vbi sunt, qui, cum eloquentiam in Cicerone laudarunt, ut imprudentem, atque etiam, si dijs placet, ut perniciosum patriae ciuem insimulant? scilicet ea, quae consecuta sunt, non uidit: immo uero, & uidit, &, ne acciderent, etiam prouidit. non ille senatui auctor fuit, ut equitibus, etsi non aequa postulantibus, tamen concordiae caussa consuleretur? nō agrarijs legibus restitit? cum id agi uideret, ut populus beneficio uinctus, a quibus agros accepisset, ad eorum arbitrium leges malas ferret, ueteres bonas abrogaret. nōn Pompeium monuit, primum ut societatem cum Caesare ne coiret, deinde ne dirimeret? quoties ille in his epistolis proximam reip. calamitatem non falsus uates canit? quoties queritur de auaritia magistratuum, de uitijs principum, de stultitia bonorum? illum ipsum, quem tanti faciebat, quem omnes historiae praedicant, M. Catonem, in rep. peccantem, quandoque reprehendit. Orbis, inquit ep. 9. l. 2. in republica est conuersus, citius omnino, quā potuit. id culpa Catonis.] Culpam autem intelligit eam, quia equites a senatu disiunxerat. quod ipse libro offic. III. aperte declarat his uerbis: Ego cum Catone meo saepe dissensi. nimis enim mihi uidebatur praefracte aerarium, uectigaliaq. defendere, omnia publicanis negare, multa socijs; cum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris soleremus; eoq. magis, quod illa ordinum coniunctio ad salutem reip. pertinebat. Et in epistola ad Lentulum: Dignitatem illam consularem fortis, & constantis senatoris, nihil est, quod cogitemus: amissa est culpa eorum, qui a senatu & ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienarunt. Hoc igitur, si ad rerum exitum spectamus, grauissimum Catonis peccatum in rep. fuit: alterum, quia Pompeij affinitatem contempsit, ut ipse dicebat,

reip.

reip. caussa, ne quando Pompeium minus recta cupientem aut adiuuare contra legum religionem, aut oppugnare contra ius affinitatis cogeretur. sed illud non uidit, infringi posse popularium ciuium exitiosam potentiam, tanti uiri opibus ad senatus auctoritatem adiunctis. cumq. in uno Pompeio, utrã in partẽ se dedisset, magnũ esse momẽtũ uideretur: fuit praecauendum, ne, alienatus a senatu, ad eos se conferret, cũ quibus postea cõiunctus popularem Caesaris caussam firmauit, publicã euertit. perdidit igitur remp. Cato non minus, quam Pompeius, aut etiam, quam ipse Caesar: siquidem euentorum caussae non minus, quam ipsa euenta considerantur. repudiatus enim a Catone Pompeius, filiã Caesaris Iuliam duxit uxorem. inde in rep. nihil iure actum, nihil more, cuncta ad gratiam administrata, socero, & genero sibi inuicem suffragantibus. Haec uisum est ut subijcerem, aliena fortasse a proposito, sed pangebam Rhamberto meo, petenti, ut in his commentarijs sumptam grammatici personam nonnumquam deponerem: cui si satisfactum est, ex illius iudicio satis uberem capio fructum industriae meae. deinde sexcenti reprehendant: non laboramus. METELLVS. } Q. Caecilius Metellus Celer, consul designatus anno legitimo. praetor enim fuerat Cicerone consule, idest biennio ante: quod erat spatium inter praeturam, & consulatum legibus constitutum. QVI *erat dicturus,* } ego pro, Qui, non dubito quin legendum sit, Diu. nam quia Catonis consuetudinem notat, diutius eum pro aerario contra equites dicturum non ignorabat. Ita locutus est & M. Coelius in epistola quadam: Renunciatum nobis erat, Hirrum diutius dicturum. prendimus eum: non modo non fecit: sed, cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si, ut numeraretur, postularet, tacuit. Solebat autem M. Cato, cum quid in senatu perfici nollet, diem dicendo eximere. Valerius libro II. cap. V. A ME *conglutinatam concordiam.* } concordiam equitum, & senatus: conglutinatam autem in consulatu Ciceronis. ep. 16. & l. 2. ep. 1. ISTA *sunt infirma,* } meum praesidium est concordia senatus, & equestris ordinis: sed, quoniam ea minus firma est, munio me amicitia Pompeij. VIDEO, *quid dicas.* } dicis, cauendum mihi esse, ne Pompeij causa de instituto actionum optimarum cursu deflectam. sed noli laborare: cauebo, quae sunt cauenda. DVO *enim soli* } ratio, cur Lucceius, cum differre consulatus petitionem antea cogitasset, postea, statim petere, animum induxit. nam, cum duos modo sibi fore cõpetitores uideret, M. Calpurnium Bibulum, C. Iulium Caesarem; maiorem spem nactus est adipiscendi consulatus. multis autem competitoribus, petere ipse non esset ausus, qui se non ita gratiosum esse in suffragijs intelligeret. CVM *eo coire* } cum eo societatem inire contra Bibulum. Lucceium enim Caesar collegam malebat in consulatu; ut qui non dubitaret, Bibulum optime de rep. sentientem suis actionibus aduersaturum. itaque (ut Suetonij uerba recitemus) e duobus consulatus competitoribus, L. Lucceio, Marcoq. Bibulo, Lucceium sibi adiunxit, pactus, ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaq. polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret. qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu concordi, & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem e rep. fieri. igitur cum Bibulo consul creatus est. PER *Arrium* } Arrij opera, qui erat utrique familiaris. CVM *hoc* }. cum Lucceio, ad Caesarem consulatu deijciendum. POSSE } quasi difficile esset. MOLESTE *rogo,* } Moleste, refertur ad personam legentis, idest, cum molestia tua: quo modo etiam dixit Terentius, Quorum opera suo quisque tempore usus est sine superbia. non enim intelligit, sine superbia eos fuisse, qui usi sunt, sed eos, quorum opera quisque usus est.

Cicero S. D. Attico 16.

NIHIL mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, quicum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem, qui me amet, qui sapiat, quicum loquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. abest enim frater ἀφελέστατος, & amantissimus Metellus. non homo, sed litus, atque aer, & solitudo mera. tu autem, qui saepissime curam, & angorem animi mei sermone, & consilio leuasti tuo; qui mihi & in publica re socius, & in priuatis omnibus conscius, & omnium meorum sermonum, & consiliorum particeps esse soles, ubinam es? ita sum destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiola, & mellito Cicerone consumitur. nam illae ambitiosae nostrae, fucosaeq. amicitiae sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent. itaque, cum bene completa domus est, tempore matutino, cum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quocum aut iocari libere, aut suspirare familiariter possimus. quare te exspectamus, te desideramus, te iam etiam accersimus. multa sunt enim, quae me sollicitant, anguntque: quae mihi uideor, aures nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse: ac domesticarum quidem sollicitudinum aculeos omnes, & scrupulos occultabo; neque ego huic epistolae, atque ignoto tabellario committam. atque hi (nolo enim te permoueri) non sunt permolesti, sed tamen insident, & urgent, & nullius amantis consilio, aut sermone requiescunt. In rep. uero, quamquam animus est praesens, tamen uoluntas etiam atque etiam ipsa me deficit. nam, ut ea breuiter, quae post tuum discessum acta sunt, colligam; iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse. etenim post profectionem tuam primus, ut opinor, introitus fuit in caussam fabulae Clodianae: in qua ego nactus, ut mihi uidebar, locum resecandae libidinis, & coercendae iuuentutis, uehemens fui, & omnes profudi uires animi, atque ingenij mei,

non odio adductus alicuius, sed spe non corrigendae, sed sanandae ciuitatis. afflicta resp. est empto, constupratoq. iudicio. uide, quae sint postea consecuta. Consul est impositus is nobis, quem nemo praeter nos philosophos adspicere sine suspirio posset. quantum hoc uulnus? facto S. C. de ambitu, de iudicijs, nulla lex perlata, exagitatus senatus, alienati equites Romani. sic ille annus duo firmamenta reip. per me unum consti tuta, euertit: nam & senatus auctoritatem abiecit; & ordinum concordiam disiunxit. Instat hic nunc ille annus egregius. eius initium eiusmodi fuit, ut anniuersaria sacra Iuuentutis non committerentur. nam M. Luculli uxorem Memmius suis sacris initiauit. Menelaus, aegre id passus, diuortium fecit. quamquam ille pastor Idaeus Menelaum solum contempserit: hic noster Paris tam Menelaum, quam Agamemnonem liberum non putauit. Est autem C. Herennius quidam tribunus pl. quem tu fortasse ne nosti quidem: tametsi poteris nosse: tribulis enim tuus est; & Sextus, pater eius, nummos uobis diuidere solebat. is ad plebem P. Clodium traducit; idemq. fert, ut uniuersus populus in campo Martio suffragium de re Clodij ferat. hunc ego accepi in senatu, ut soleo: sed nihil est illo homine lentius. Metellus est consul egregius, & nos amat; sed imminuit auctoritatem suam, quod habere dicit caussam promulgatam. illud idem de Clodio. Auli autem filius, o dij immortales, quam ignauus, ac sine animo miles; quam dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad male audiendum quotidie praebeat. Agraria autem promulgata est à Flauio, sane leuis, eadem fere, quae fuit Plotia. sed interea πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ᾽ ὄναρ quisquam inueniri potest. qui poterat, familiaris noster (sic est enim: uolo te hoc scire) Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. Crassus uerbum nullum contra gratiam: ceteros iam nosti: qui ita sunt stulti, ut, amissa rep. piscinas suas fore saluas sperare uideantur. unus est, qui curet, constantia magis, & integritate, quam, ut mihi uidetur, consilio, aut ingenio, Cato; qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem uexat, neque ijs a senatu responsum dari patitur. ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere ante, quam publicanis responsum sit. quare etiam legationes reiectum iri puto. Nunc uides, quibus fluctibus iactemur: & si ex ijs, quae scripsimus, tamen etiam a me non scripta perspicis; reuise nos aliquando; &, quamquam sunt haec fugienda, quo te uoco, tamen fac, ut amorem nostrum tanti aestimes, ut eo uel cum his molestijs peruenire uelis. nam, ne, absens censeare, curabo edicendum, & proponendum locis omnibus. sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est. quare cura, ut te quamprimum uideamus. Vale. XI. kal. Febr. Q. Metello, & L. Afranio cos.

EXPLANATIO

ABEST} Asiam enim propraetor administrabat. AMANTISSIMVS.} de fratre dictũ, non de Metello. est igitur apponenda nota, quae periodum claudit. METELLVS} consul; qui in consuetudine ita non hilaris esset, ut homo non uideretur, sed litus, atque aer, & solitudo mera. & apparet, hunc Ciceroni amicissimum fuisse, cum unum nominet ex tot amicorum numero. ep. 16. & 17. & l. 2. ep. 1. EXHAVRIRE} effundere ex animo meo, ut deinde me non angant. ANIMVS} mihi quidem animus non deest in administranda republica, sed, quia diutius eam uideo stare non posse, spe destitutus, quotidie minus curo. FABVLAE *Clodianae*:} quod propter sceleris nouitatem non minus nota res esset, quam quaeuis fabula. EMPTO, *constupratoq. iudicio.*} empto, quia iudices, accepta pecunia, Clodium nocentem absoluerunt; constuprato, quia noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. IMPOSITVS} quasi onus inuitis. L. Afranium intelligit. ep. 16. DE *ambitu*,} ut, qui nummos in tribu pronunciasset, si non dedisset, impune esset; sin dedisset, ut, quoad uiueret, singulis tribubus HS tria millia deberet. ep. 14. DE *iudicijs*,} ut quaereretur de ijs, qui ob rem iudicandam pecuniam accepissent. ep. 15. NVLLA *lex perlata.*} cum & de ambitu, & de iudicijs factum esset senatusconsultum, & ex senatusconsulto promulgatum esset; tribuni pl. intercesserunt, quo minus lex ferri posset. in quo respublica magnum uulnus accepit. ep. 14. EXAGITATVS *senatus*,} a tribunis pl. seditiose concionantib. ALIENATI,} a senatu; quia decreuisset, ut quaereretur de ijs, qui ob iudicandum accepissent. ep. 15. ILLE *annus*} proximus superior, Pisone, & Messalla cos. DVO *firmamenta reip.*} senatus auctoritatem, & ordinum concordiam. PER *me unum constituta*} in consulatu. nam in epistola ad Lentulum nona, fam. l. 1. Tenebam, inquit, memoria, nobis consulibus ea fundamenta iacta Kalendis Ianuarijs confirmandi senatus, ut neminem mirari oporteret, nobis Decembribus tantum uel animi fuisse in illo ordine, uel auctoritatis. Hoc primum fuit reipublicae firmamentum, a Cicerone constitutum. ad alterum quod attinet, idest ad ordinum concordiam; legimus, & notauimus, quod oratione. IV. in Catilinam scriptum est his uerbis: Quid ego hic equites Romanos commemorem? qui uobis ita summa ordinis, consilijq. concedunt, ut uobiscum de amore reipublicae certent: quos ex multorũ annorum dissensione huius ordinis, ad societatem, concordiamq. reuocatos hodiernus dies uobiscum, atque haec caussa coniungit. quam coniunctionem si, in consulatu confirmatam meo, perpetuam in rep. tenuerimus: confirmo uobis, posthac malum ciuile, ac domesticum ad nullam reip. esse uenturum partem. Et in epistola, quae superiorem prima antecedit: Statum illum reipublicae, quem tu meo consilio,

silio,

silio, ego diuino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione, & auctoritate consulatus mei fixus, & fundatus uidebatur, nisi quis nos Deus respexerit, elapsum scito de manibus. Et in prima sequentis libri: Equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino, te signifero ac principe, collocaram, senatum deseruit. ABIECIT, } quo modo senatus auctoritas abiecta? quia, facto senatusconsulto de ambitu, & de iudicijs, nulla tamen lex perlata. nam, cum ex senatusconsulto promulgata rogatio esset, intercedentes tribuni pl. impedierunt: quo planum factum est, haud magni senatus uoluntatem aestimari. ORDINVM } equitum, & senatus. ep. 15. INSTAT } adest: quale illud in Pisonem: Instant magnificentissimi ludi. Et in Catilinam: Confido poenam aut instare iam plane, aut certe appropinquare. EGREGIVS. } εἰρωνικῶς: quasi egregius non possit esse Afranio consule. ep. 16. IVVENTVTIS } deae, quae Iuuentuti praeesse creditur: quae & Iuuentas dicta. unde in libr. de claris orat. Ludi Iuuentatis, Salinatore facti. haec sacra à iuuenibus instituta, Festus tradit. NON *committerentur* } dictum eodem sensu, quo ludos committere. quod infra suo loco explanabitur. MEMMIVS } Caius, ut opinor; qui & Pōpeij Magni uxorem de stupro appellauit. Suet. in lib. de claris gramm. SVIS *sacris.* } sacris Iuuentutis, quibus ipse praeesset. INITIAVIT. } argute: nam cum, Vitiauit, dicturus esset, iocans in litterarum mutatione, intulit, Initiauit, ne discedere uideretur a sermone de sacris instituto. MENELAVS } Lucullus, uitiatae mulieris uir, ut Helenae Menelaus. PASTOR *Idaeus.* } stuprator Helenae Paris, a pastoribus in Ida monte educatus, pastorq. ipse diu creditus. TAM *Menelaum, quam Agamemnonem* } tam M. Lucullum, quam Lucium, eius fratrem. Paris, inquit, ille Troianus solum Menelaum affecit iniuria, fratrem eius Agamemnonem separatim nulla re laesit: noster autem Paris Memmius tam Menelaum contempsit, quam Agamemnonem ante contempserat: id est: qui ante L. Lucullo iniuriam fecerat, cum eum ex bello Mithridatico redeuntem tribunus pl. die ad populum dicta, triumphare aliquandiu prohibuit, idem nunc Marcum, eius fratrem, non dubitauit offendere. Sed de iniuria, in Lucium illata, quaeret aliquis, unde hauriam. unde, nisi ex historiae fonte? Plutarchus in Lucullo, Ἀναβὰς, inquit, εἰς Ῥώμην, πρῶτον μὲν κατέλαβε τὸν ἀδελφὸν Μάρκον ὑπὸ Γαΐου Μεμμίου κατηγορούμενον ἐφ' οἷς ἔπραξε ταμιεύων Σύλλα προστάξαντος. ἐκείνου δ' ἀποφυγόντος ἐπὶ τοῦτον αὐτὸν ὁ Μέμμιος μεταβαλλόμενος, παρώξυνε τὸν δῆμον, καὶ ὡς πολλὰ νενοσφισμένῳ, καὶ μηκύναντι τὸν πόλεμον, ἔπεισεν αὐτῷ μὴ δοῦναι θρίαμβον. ἐλθόντος δ' εἰς ἀγῶνα τοῦ Λουκούλλου μέγαν, οἱ πρῶτοι καὶ δυνατώτατοι καταμίξαντες ἑαυτοὺς ταῖς φυλαῖς, πολλῇ δεήσει καὶ σπουδῇ, μόλις ἔπεισαν τὸν δῆμον, ἐπιτρέψαι θριαμβεῦσαι. Et in Vticensi: Λεύκουλλος ἐπανελθὼν ἐκ τῆς στρατείας, ἧς ἔδοξε τὸ τέλος καὶ τὴν δόξαν ἀφῃρῆσθαι Πομπήιος, εἰς κίνδυνον ἦλθε, τοῦ μὴ θριαμβεῦσαι, Γαΐου Μεμμίου κατασιάζοντος αὐτὸν ἐν τῷ δήμῳ, καὶ δίκας ἐπάγοντος. LIBERVM *non putauit.* } nihil fecit, liberi hominis loco non habuit. Vt illud lib. III. in Verrem: Superbia qua fuerit, quis ignorat? quemadmodum is tenuissimum quemque contempserit, despexerit liberum esse numquam duxerit. Et epist. 3. ad M. Brutum: Coeperat esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. NVMMOS *uobis diuidere* } nummos in uestra tribu uiritim diuidere. In Plauti Aulularia magister curiae argentum diuidit in uiros. TRADVCIT } ut adoptione plebeius fiat. nam, quia tribunatus pl. patricio homini non dabatur, ideo Clodius, qui patriciae gentis erat, ad plebem transire adoptionis iure cupiebat: ut deinde tribunus factus, Ciceroni diem ad populum diceret, quod ciues Romanos contra leges occidisset. infra: Haec sunt in rep. nisi illud etiam ad temp. putes pertinere, Herennium quendam, tribunum ple. tribulem tuum, saepe iam de P. Clodio ad plebem trāsducendo agere coepisse. huic frequenter interceditur. SVFFRAGIVM *de re Clodij ferat.* } suis suffragiis comprobet adoptionem Clodij, quod anno proximo Caesaris consulis opera factum est. de quo Suetonius: Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium, inimicum eius, frustrà iampridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaq. nona traduxit. uide Gellium de iure adoptandi, & arrogandi, libro. V. cap. XIX. ACCEPI *in senatu ut soleo* } exagitaui in senatu, ut soleo, huiusmodi homines. epist. 14. bis. LENTIVS } ignauius, tardius. HABERE *dicit caussam promulgatam.* } Bessationis antiquus liber, Habet dicit: Caualcantis, Habet ut dicit. in antiquis libris, Habere, ego quidem nondum uidi. itaque, quod mendosum esse potest, id ut explanem, non laborabo. Putaui aliquando sic posse corrigi: Ab re dicit censum promulgatum: hoc sensu: Metellus ait, sine caussa censum promulgatum: id est, propositum esse decretum senatus, ut comitia censorum consules haberent, quo census haberi posset. in quo imminuit auctoritatem suam: indicat enim cupiditatem censurae. dum consul est, censores creari nollet; uellet, cum e magistratu exierit: ut creari tum ipse possit. Confirmat nostram sententiam quod est in epistolae clausula de censu promulgato, & quod est ep. 18. de eiusdem Metelli cupiditate triumphandi. Potest etiam sic: Auet, ut dicit. in quo Metellus suam imminuebat auctoritatem, qui promulgatum iri ab Herennio caussam Clodianam cuperet, ut pugnare posset: cum illud idem de Clodio diceret, quod antea solitus esset, sua se manu, si fureret, interfecturum. hoc autem ab eo dici solitum, legitur in oratione pro M. Coelio. Auet, autem cum h scriptum ab antiquis, ex uetustis lapidibus apparet. fit igitur mutatio nulla: siquidem & B pro V in iisdem lapidibus incisam obseruauimus, ut Baleas pro ualeas. AVLI *autem filius.* } alter consul L. Afranius, Auli filius. ep. 13. IGNAVVS } etiam Dio, psallendi, quam rerum gerendarum, petitiorem fuisse, lib. 38. tradit. MILES } quod minime milites imitaretur, qui & strenui, & animosi solent esse: Afranius autem ignauus, & sine animo. uel, Miles, quia cum Pompeio diu militauerat. Plutarchus in Sertorio, Pompeio. Dio. lib. 37. MILES *quam dignus* } non improbo: cum & ita scriptum uideam in antiquis libris, & sententiam confirmare uideatur histo-

ria. militauit enim Afranius sub imperatore Pompeio. ut, qui miles fuerit, eum tamen ignauum esse, ac timidum in consulatu, cum quadam admiratione Cicero dicat. non improbo igitur, ut dixi, scripturam hanc, impressis libris diuulgatam; sed idem tamen probo maxime Vbaldini Bandinelli, praestantis ingenio uiri, coniecturam. is legendum putabat: Milliesq. dignus, qui Palicano, &c. QVI *Palicano* } quem Palicanus, sicut facit, quotidie probris, maledictisq. uexet. Sic Liuius lib. IV. Petijsse, inquit, uiros domi, militiaeq. spectatos: primis annis sugillatos, repulsos, risui patribus fuisse: desisse postremo praebere ad contumeliam os: idest, non amplius ad petendum processisse, ne repulsi contumeliam pro honore ferrent. De Palicano in epistola I. AGRARIA } lex de agris. uide ep. 17. PROMVLGATA *est* } proposita: ut intercedat, qui uelit; nemine intercedente, ad populum feratur. Dio lib. XXXVII. A FLAVIO } tribuno pl. LEVIS } minimi ponderis, quod in ea populare nihil sit. epist. 17. PLOTIA } agraria, ut opinor, ipsa quoque tribunicia. aliae Plotiae fuerunt, ut de ui, quam Pedianus, & Coelius in epistola nominat: item ea, qua, ut in Suetonio legimus, C. Caesar L. Cinnae, uxoris fratri, reditum confecit. de qua, ut puto, loquitur Gellius lib. XIII. cap. 3. QVI *poterat*, } cui, propter opes, & auctoritatem, maximis rebus partam, licebat tueri remp. is silet. TOGVLAM *illam pictam* } ludit in uestem Pompeij triumphalem: qua, illi concessum est, ut ludis Circensibus uteretur. Dio lib. 37. Paterculus autem lib. 2. his uerbis: T. Ampius, & T. Labienus tribuni pl. legem tulerunt, ut Pompeius ludis Circensibus corona aurea, & omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta, coronaq. aurea. id ille non plus, quam semel, & hoc sane nimium fuit, usurpare sustinuit. Nunc sensum explanemus. Pompeius remp. non curat, neque ijs aduersatur, quibus deberet: quaesita gloria contentus, uerbum contra quemquam facere non uult: tacitus fruitur inani gloriosa pictae togulae. De toga picta Liuius lib. X. Festus, Ausonius in gratiarum actione pro consulatu, Capitolinus in Gordiano. Illud addo, multis ante Pompeium annis & a populo, & a senatu concessum esse L. Paullo, qui Macedoniam deuicit, ut ludis Circensibus triumphali ueste uteretur. in lib. de uiris illustr. PISCINAS *suas* } L. Lucullum, Q. Hortensium designat, homines consulares, magnaq. praeditos auctoritate; itemq. L. Philippum; qui non consularis, erat tamen eloquentia, grauitate, honore florentissimus ciuitatis. hi piscinis ita delectabantur, ut omnem de rep. curam uiderentur abiecisse: qui non intelligerent, amissa rep. nec suas piscinas saluas esse posse. hos appellat Piscinarios ep. 17. & 18. & l. 2. ep. 1. Nostri, inquit, principes digito se caelum putat attingere, si muli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant. Et eodem libro, ep. 9. Si erit nebulo iste cum his dynastis in gratia, non modo de Cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare. Plura Plinius, Plutarchus, Macrobius, Varro. RESPONSVM } de locatione Asianorum uectigalium. epist. 14. PATITVR } die enim dicendo eximit: ita res non perficitur. quod anno sequenti facere conantem Caesar consul prehendi, & in carcerem duci iussit. Gellius, Suetonius, alij. Hac de re sic in oratione pro Plancio: Cum senatus impediretur, quo minus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus R. redderetur. NIHIL *decernere* } est enim prius explicanda publicanorum caussa; quam Cato uetat ad exitum perduci. ETIAM *legationes* } puto fore, ut legationes audiri non possint mense Februario, sed in aliud tempus reijciantur, dum, quod agitur de publicanis, expeditur. Februariis autem mensis legationibus audiendis dabatur: ad Q. fratrem, & in epist. fam. Pedianus, & alij. NE *absens censeare*, } dicam te uenturum, ne censores absentem censeant. SVB *lustrum* } paullo ante lustrum: quod fiebat omnibus iam censis. Liuius lib. I. Seruius Tullius, censu perfecto, instructum exercitum omnem sue, oue, taurisq. tribus lustrauit: idq. conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est. Sub lucem, Virgilius dixit: sub horam pugnae, Suetonius; pro, paullo ante. GERMANI *negotiatoris* } quia negotiatores peregrinabantur: &, quamquam censum audirent Romae promulgatum, reditum tamen quam maxime poterant differentes, qui a sua re admodum aegre diuellerentur, nō nisi sub lustrum ueniebant, ciuibus fere omnibus iam censis. Germani, meri, nimium cupidi, & in lucello supra quam satis est occupati. unde, Germana ironia, Germana patria, Germani Campani, & huiusmodi apud Ciceronem.

Cicero S. D. Attico. 17.

NON modo, si mihi tantum esset otij, quantum est tibi; uerum etiam, si tam breues epistolas uelim mittere; (quod tu soles facere) te superarem, & in scripto multo essem crebrior, quam tu: sed ad summas, atque incredibiles occupationes meas accedit, quod nullam a me epistolam ad te sino absque argumento, ac sententia uenire. Et primum tibi, ut aequum est, ciui amāti patriam, quae sunt in rep. exponam: deinde, quoniam tibi amore nos proximi sumus, scribemus etiam de nobis ea, quae scire te non nolle arbitramur. Atque in rep. nunc quidam maxime Gallici belli uersantur metus. nam Aedui, fratres nostri, pugnant: Sequani male pugnarunt: & Heluetij sine dubio sunt in armis, incursionesq. in prouinciam faciunt. senatus decreuit, ut consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, uacationes ne ualerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliae ciuitates, darentq. operam, ne eae cum Heluetijs se iungerent. legati sunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, &, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus Clodiani filius. Atque hoc loco illud non queo praeterire, quod, cum de consularibus mea prima sors exisset, una uoce senatus frequens

frequens retinendum me in urbe censuit. hoc idem post me Pompeio accidit: ut nos duo, quasi pignora reip. retineri uideremur. quid enim ego aliorū in me ἐπιφωνήματα exspectem, cum haec domi nascantur? Vrbanae autem res sic se habent. Agraria lex a Flauio tribuno pl. uehementer agitabatur auctore Pompeio, quae nihil populare habebat, praeter auctorem. ex hac ego lege, secunda concionis uoluntate, omnia illa tollebam, quae ad priuatorum incommodum pertinebant: liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio cos. publicus fuisset: Sullanorum hominum possessiones confirmabam: Volaterranos, & Artemitanos, quorum agrum Sulla publicarat, neque diuiserat, in sua possessione retinebam: unam rationem non reijciebam, ut ager hac aduenticia pecunia emeretur, quae ex nouis uectigalibus per quinquemium reciperetur. Huic toti rationi agrariae senatus aduersabatur, suspicans Pompeio nouam quandam potentiam quaeri. Pompeius uero ad uoluntatem perferendae legis incubuerat. ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium priuatorum possessiones: (is enim est noster exercitus, hominum, ut tute scis, locupletium) populo autem, Pompeioq. (nam id quoque uolebam) satisfaciebam emptione; qua constituta diligenter, & sentinam urbis exhauriri, & Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. sed haec tota res interpellata bello refrixerat. Metellus est consul sane bonus, & nos admodum diligit. ille alter ita nihil est, ut plane, quid emerit, nesciat. Haec sunt in rep. nisi illud etiam ad remp. putes pertinere, Herennium quendam, tribunum pl. tribulem tuum, sane hominem nequam, atque egentem, saepe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepisse. huic frequenter interceditur. Haec sunt, ut opinor, in rep. Ego autem, ut semel nonarum illarum Decembrium, iunctam inuidiae, ac multorum inimicitijs, eximiam quandam, atque immortalem gloriam consecutus sum, non destiti eadem animi magnitudine in rep. uersari, & illam institutam, ac susceptam dignitatem tueri. sed, postea quam primum Clodij absolutione leuitatem, infirmitatemq. iudiciorum perspexi: deinde uidi nostros publicanos facile a senatu disiungi, quamquam a me ipso non diuellerentur; tum autem beatos homines (hos piscinarios dico, amicos tuos) non obscure nobis inuidere: putaui, mihi maiores quasdam opes, & firmiora praesidia esse quaerenda. itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam uoluntatem, ut in senatu non semel, sed saepe, multisq. uerbis suis mihi salutem imperij, atque orbis terrarum adiudicarit. quod non tam interfuit mea, (neque enim illae res aut ita sunt obscurae, ut testimonium, aut ita dubiae, ut laudationem desiderent) quam reip. quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio, ex illarum rerum dissensione, arbitrarentur. cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, ut uterque nostrum in sua ratione munitior, & in rep. firmior hac coniunctione esse possit. odia autem illa libidinosae, & delicatae iuuentutis, quae erant in me incitata, sic mitigata sunt comitate quadam mea, me unum ut omnes illi colant. nihil iam denique a me asperum in quemquam fit, nec tamen quidquam populare, ac dissolutum: sed ita temperata tota ratio est, ut reip. constantiam praestem, priuatis rebus meis, propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malorum, odium in me improborum, adhibeam quandam cautionem, & diligentiam. atque ita tamen nouis amicitijs implicati sumus, ut crebro mihi uafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam:

Νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

Ac nostrae quidem rationis, ac uitae quasi quandam formam, ut opinor, uides. De tuo autem negotio saepe ad me scribis: cui mederi nunc non possumus. est enim illud S. C. summa pedariorum uoluntate, nullius nostrum auctoritate factum. nam, quod me esse ad scribendum uides; ex ipso S. C. intelligere potes, aliam rem tum relatam, hoc autem, de populis liberis, sine caussa additum. & ita factum est a P. Seruilio filio, qui in postremis sententiam dixit. sed immutari hoc tempore non potest. itaque conuentus, qui initio celebrabātur, iā diu fieri desierunt. tu si tuis blanditijs tamen a Sicyonijs nummulorum aliquid expresseris; uelim, me facias certiorem. Commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te. in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum, eruditumq. uideatur; non dicam, quod tibi, ut opinor, Panhormi Lucullus de suis historijs dixerat; se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam, & obsoleta dispersisse. apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit, & inuito. Latinum si perfecero, ad te mittam. tertium poema exspectato; ne quod genus a me ipso laudis meae praetermittatur. hic tu, caue, dicas, τίς πατέρ' αἰνεῖ; si est enim apud homines quidquam, quod potius sit; laudetur, nos uituperemur, qui nō potius alia laudemus. quamquam non ἐγκωμιαστικὰ sunt haec, sed ἱστορικά, quae scribimus. Quinctus frater purgat se mihi per litteras; &, affirmat, nil a se cuiquam de te secus esse dictum, uerum haec nobis coram summa cura, & diligētia sunt agenda: tu modo nos reuise aliquando. Cossinius hic, cui dedi litteras, ualde mihi bonus homo, & non leuis, & amans tui uisus est, & talis, qualem esse eum tuae mihi litterae nunciarant. Vale. Idibus Martijs.

EXPLANATIO

QVOD *tu soles facere*} qui hebes in litteris non sit, intelliget, opinor, aut subesse mendum in hoc membro, aut in eo, quod huic proximum antecedit, abundare Tam. restituerem sic, diuinationi si locus esset: Si tam breues epistolas uelim mittere, quam tu soles; facile te superarem. SCRIPTO} sunt, qui reponant, Scribendo, ex ingenio scilicet: nam antiqui libri, quos quidem ego uiderim, habent, Scripto. QVONIAM *tibi amore nos proximi sumus*} quoniam tibi, secundum patriam, rerum omnium carissimi sumus. GALLICI *belli uersatur metus.*} Aedui, & Sequani bellum inter se gerebant. sed, quoniam Aedui fratres populi R. propterea de exitu belli Romae timebatur; tum, quod, Aeduis uictis, summum erat periculum, ne gens bellicosa in Italiam irrumperet. Caesar lib. I. FRATRES *nostri*} senatus, cognita Aeduorum fide, Fratres, Consanguineosq. saepenumero appellauerat. Caesar, Plutar-

Plutarchus, Strabo, Tacitus. PVGNANT} cum Sequanis. ad extremum Sequani, Germanis mercede conductis, uictoria potiti. Caesar. HELVETII} quibus anno proximo superiore Orgetorix persuaserat, ut de finibus suis cum omnibus copijs exirent: perfacile esse, cum uirtute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. Caesar lib. 1. de bell. Gal. PROVINCIAM} Allobroges, prouinciam populi R. CONSVLES} Afranius, & Metellus; ut citeriorem Galliam tuerentur, ulteriorem bello peterent. VOCATIONES *ne ualerent*;} octaua in Antonium, Grauius inquit, esse Tumultum, quam Bellum, hinc intelligi licet, quod bello Gallico uacationes ualent, tumultu non ualent. CVM *auctoritate*} qui statuerunt, quod ipsis e rep. uisum esset. nam erat quandoque legationum genus sine auctoritate, dumtaxat cum mandatis. Q. METELLVS *Creticus*,} qui consul fuerat cum Q. Hortensio, & Cretici cognomen assumpserat a Creta deuicta. in quo Plinius, & Florus ueritatem ignorauerunt. filium enim Metelli Macedonici crediderunt. quod quam plane sit falsum, in libro de mendosa historia declarabimus. L. FLACCVS,} qui praetor fuerat Cicerone consule. Sallustius, Cicero, Plutarchus. Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον,} quasi dicat: duobus clarissimis uiris, Metello consulari, & Flacco praetorio non recte Lentulus, qui nullis honoribus commendetur, additus est tertius. Prouerbium hoc apte usurpatur, ubi nobilior cum ignobiliore coniungitur; aut id, quod conuenit in una re, transfertur ad aliam: aut cum lenti, uilissimo legumini, unguentum adspergitur, quod alioqui magnificis, & exquisitis epulis adhiberi solitum. Pollux lib. 6. cap. 19. Plinius lib. 13. cap. 3. Plutarchus lib. 3. Symposiorum, Athenaeus lib. 1. Aelianus lib. 12. cap. ultimo. Suet. in Nerone. Gellius autem de hoc prouerbio meminit lib. 13. cap. 28. CLODIAE *filius*} malo, Clodiani filius; ut emendat historiae Romanae peritissimus Carolus Sigonius. distinguebantur enim ueteres non matris nomine, sed patris praenomine, aut cognomine. Sic lib. 3. ad Q. fratrem, Lentulus Flaminis filius: quod erant Romae plures Lentuli. nec fit litterarum magna mutatio, si referamus animum ad ueterem orthographiam. fuit enim, cum diphthongus, AE, scriberetur, AI. Sic in lapidibus Aimilius, pro Aemilius; Paitus, pro Paetus. itaque, si, Clodiai, conuertas in Clodiani, una tantum addita littera locus emendabitur. De Lentulo Clodiano lib. 18. c. 4. Gellius, & antiquus nummus uiri doctissimi Fuluij Vrsini, CN. LENTVL. CLODIANVS. CVM *haec domi nascantur?*} quid enim aliorum laudationes exspectem, cum tantopere lauder a senatu? & quasi se excusat, quia dixerat, Nos duo quasi pignora reipub. quid enim, inquit, externos laudatores exspectem? Cum sermo habetur ijs de rebus, quas in nostra potestate sitas alij sine caussa suppeditant, recte usurpamus, Nobis nascuntur illa domi. AGITABATVR} ualde Flauius laborabat de agraria lege perferenda: nihil non tentabat. AVCTORE *Pompeio.*} qui Afranium, & Metellum cos. ideo fieri curauerat. ea tamen lex perlata non est. Dio lib. xxxvij. POPVLARE,} quod populo ualde placeret. ep. 16. PRAETER *auctorem*:} praeter ipsum Pompeium; quem populus diligebat. SECVNDA *concionis uoluntate*} quod sine summa eloquentia fieri non poterat, ut populus contra sua commoda concionanti assentiretur. TOLLEBAM} tria capita, dicebam, & probabam, nō recte in lege esse posita. LIBERABAM} persequitur ea capita, quae tollebat ex lege. LIBERABAM:} eximebam e lege: possessoribus relinqui uolebam. Flauius autem in lege tulerat, ut priuatis ademptus diuideretur populo R. eisq. tantum pecuniae redderetur, quantum pro eius agri emptione numerassent. P. MVCIO, L. CALPVRNIO *cos.*} quo anno tribunus pl. Ti. Gracchus legem agrariam tulit. PVBLICVS *fuisset*:} qui cū post eos consules priuatis esset uenditus, plebi quasi publicum distribui Cicero nolebat. SVLLANORVM *hominum possessiones*} uictor Sulla donauerat amicis suis eorum agros, qui Marium secuti contra ipsum arma tulerant. CONFIRMABAM} Sullanis possidentibus eripi nolebam. PVBLICARAT,} quia Marium in bello iuuissent. NEQVE *diuiserat*,} fam. ep. 1. lib. 13. Volaterrani, inquit, Sullani temporis acerbitatem subterfugerunt benignitate Deorum immortalium: summoq. studio populi R. a me in consulatu meo defensi sunt. cum enim tribuni pl. legem iniquissimam de eorum agris promulgassent; facile senatui, populoq. R. persuasi, ut eos ciues, quibus fortuna pepercisset, saluos esse uellent. IN *sua possessione*} nam in lege Flauius posuerat, ut, quando eorum agri a Sulla publicati fuerant, publice diuiderentur. VNAM *rationem*} unum illud caput Cicero probabat, de pecunia ex nouis uectigalibus cogenda. qua emptus ager plebi diuideretur. tulerat enim Flauius, ut uel agri, qui aut tum essent, aut aliquando publici fuissent, uel, si hoc non placeret, alij agri, nouorum uectigalium pecunia empti, plebeijs agros non habentibus distribuerentur. secundum caput Cicero probauit. Ex *nouis uectigalibus*} non ex omnibus, (nimium enim id fuisset) sed ex nouis. quae autem erant noua uectigalia? bello scilicet proximis annis quaesita, nationibus maxime per Cn. Pompeium in populi R. potestatem redactis. Plutarchus haec tradit: cum tributa, quae reip. pendebantur, bis millies HS, idest sex, ut nunc loquimur, scutatorum milliones ante bellum Mithridaticum fuissent, ex Pompeij uictorijs aucto imperio facta esse ter millies, & quadringenties, idest, decem milliones, & ducenta scutatorum millia. PER *quinquennium*} per tot enim annos uectigalia locabantur. POMPEIO} quo auctore lex ferretur. AGRARIORVM} hominum de plebe, qui agros cuperent ad egestatem depellendam. NOSTER *exercitus*,} hoc est ij, qui nobis fauent. infimi enim, & pauperes, ut rerum nouarum cupidi, Ciceronem haud omnes amabant, quem scirent in consulatu acerbissimum ijs fuisse, qui res nouas quaesierant. locupletes contra in oculis ferebant, cuius uigilantia sublatam coniurationem intelligerent, quam egentes, & perditi ciues, diuitum fortunis infensi, fecissent. SENTINAM *urbis exhauriri*} cum homines sordidi migrarent in eos agros, quos pecunia publica emptos accepissent. BELLO,} timore Gallici belli, maximeq. Heluetiorum. REFRIXERAT,} omissa fuerat. & sane de Flauia lege perlata nihil

exi stat

existat. Ille *alter* } alter consul L. Afranius. Qvid *emerit* } emerat consulatum: quem tamen ignorare nunc uidetur. ep. 13. Ad *plebem transducendo* } ne idem iteremus, uide supra, ep. 16. Intercedi tvr. } legem promulgauerat, de Clodo adoptando. ei legi intercedebant alij tribuni. Vt *opinor,* } praeter haec, opinor, inquit, nihil est, quod ad te scribam de republica. Illarvm *nonarum Decembrium,* } quo die supplicium sumpsit de coniuratis. pro Flacco: O nonae illae Decembres, quae me consule fuistis: quem ego diem uere natalem huius urbis, aut certe salutarem appellare possum. Disivngi, } primum, quod moleste tulissent factum esse senatusconsultum, ut de ijs, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quaereretur: deinde, quod non impetrassent de inducenda locatione Asianorum uectigalium. ep. 16. Piscinarios } piscinarum studiosos, Hortensium, & Lucullum. uterque enim Attici amicus, Hortensius etiam familiarissimus, ut l. 2. ep. 25. & Nepos in uita. Firmiora *praesidia* } cum disiungi uiderem senatus, & equitum concordiam; quod mihi sperauceram fore firmissimum praesidium (siquidem, eorum sententias, auctoritatemq. secutus, in perditos ciues animaduerteram; ut, ex ea re, si qua umquam in me tribunicia tempestas oriretur, senatus, & equites pro mea salute pugnaturi uiderentur) ad alia praesidia conuersus, coniunxi me cum Pompeio, & in gratiam redij cum iuuentute. Tacvera t: } nondum laudauerat eas res, quas ego in consulatu gesseram. laudauerat autem Crassus, non libente Pompeio. ep. 12. Saepe, *multisq. uerbis suis* } otiosa dictio, Suis, uidetur. nec enim ita loquimur: Saepe, multisq. uerbis meis illum sum cohortatus. at, si, Saepe, multisq. uerbis, recte, & ad Latine loquendi consuetudinem aptius. Quod si cui receptam uocem extrudere religio est; uideat etiam atque etiam, (nam ego ad arbitrium meum nihil reuoco) an, mutatione parua, rectius hoc sit: Saepe, multisq. uerbis huius mihi salutem imperij. amat enim Cicero ad dictionem Imperium, aliquid fere adijcere; quo facilius intelligatur: ut, Communis imperij, Nostri imperij, Huius imperij. Priora duo notauimus in oratione pro Balbo. O nomen nostri imperij, o populi Romani excellens dignitas, o Cn Pompeij sic late longeq. diffusa laus, ut eius gloriae domicilium communis imperij finibus terminetur. Tertium in oratione in Catilinam: Id, quod primum, atque huius imperij, disciplinae maiorum proprium est, facere non audeo. Et in de Amicitia: Inimicissimus huic imperio. Ex *illarum rerum dissensione* } quia Pompeio non probarentur, quae in consulatu gessissem. In *sua ratione* } ad priuatas opes retinendas. Qvae *erant in me incitata,* } propterea quod acerbe in iuuentutem Cicero erat inuectus ep. 14. Popvlare, *ac dissolutum:* } omnibus do operam, ut satisfaciam, ita tamen ut nihil agam, quod, quasi uiro graui minus dignum, reprehendi possit. Epicharmvs } potest fieri, ut illud, Epicharmus, glossa sit eius, quod antecessit, Vafer ille Siculus. itaque, quod ad me quidem attinet, existimo. atque hoc ineptiarum genere imperiti librarij ueterum scripta referserunt. Sic l. 2. ep. 1. Ille tuus ciuis Demosthenes: cum neque necessarium sit Demosthenis nomen; &, si tollatur, uenustius quiddam habere sententia uideatur. de hoc Horatius, opinor, in epistola ad Augustum:

,, Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro,
,, Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi.

Inuenit comoediam Syracusis, ut testatur Suidas: quin etiam hunc locum, quem Cicero adducit, recitat in dictione νᾶφε, & Polybius ἐν τῷ τῆς ἱστ. λόγῳ ιζ haud procul a fine. Quinctus frater Latine usurpauit in libello de petitione consulatus. Est autem trochaicus quadratus catalecticus. De *tuo autem negotio* } factum erat senatusconsultū alijs de rebus; sed hoc additum in extremo, ut liberi populi soluere ne cogerentur. lib. 2. epist. 1. Pedariorvm } senatores, qui curules magistratus gessissent, curru in curiā honoris gratia uehebantur: ceteri pedibus itabant: unde Pedariorum nomen. Gellius l. 3. cap. 18. Nostrvm } qui curules magistratus gessimus. Me *esse ad scribendum* } me affuisse, dum scriberetur senatusconsultum. nam in senatusconsultis adscribebantur eorum nomina, qui affuissent. eaeq. dicebantur Senatusconsulti auctoritates. in epist. fam. ep. 7. l. 8. & in prooemio libri 3. de Oratore. Aliam *rem* } primo relatum est non de populis liberis, sed alia de re, ut ex ipso senatusconsulto potes intelligere: deinde ex sententia Seruilij additum est illud, ne liberi populi cogerentur soluere. quod si de populis liberis primo actum esset, ego, qui scirem a Sicyonijs pecuniam tibi deberi, tua causa repugnassem, neque scribendo affuissem. ep. 1. l. 2. Ap. servilio *filio,* } uiuebat enim pater P. Seruilius Isauricus. Sic ad Q. fratrem lib. 2. Carpebatur Pompeius a Bibulo, Curione, Fauonio, Seruilio filio. Et ad eundem l. 3. Seruilius pater significat, ualde te sibi gratum fecisse, quod de sua uoluntate erga Caesarem diligentissime locutus esses, & ubi patri, & filio praenomen idem esset, additum est, Pater, & Filius, ut internoscerentur: ex quo in his epistolis saepe, Quinctus pater, Quinctus filius. In *postremis* } quia, qui curulem magistratum gesserant, ij si a censore nondum in senatum lecti essent, iure tamen magistratus in senatum introibant, & dicendae sententiae ius habebant. Gellius l. III. c. 18. Conventvs } recenti re homines conueniebant: ut inducendi senatusconsulti rationem inirent, quod illud, De populis liberis, additum esset cum iniuria, damnoq. multorum. postea conuenire desierunt, cum intelligerent immutari non posse. idem ep. 1. lib. 2. Tvis *blanditijs* } quando iudicio cum ijs agere non potes, impediente senatusconsulto proxime facto. Nvmmvlorvm *aliquid* } Attico enim Sicyonij debebant. epist. xi. & lib. 2. epist. 7. Homini *Attico* } tibi ludit in cognomen Attici. De *suis historijs* } de bello Marsico Graece scriptis, Plutarchus. Barbara *quaedam, & obsoleta* } non Attica, sed Barbara, & nimis antiqua. Tertivm *poema* } tertium opus de consulatu meo, uersibus conscriptum. primus. n. commentarius Graece cōpositus, alter Latinus, tertiū poema. Τίς πατέρ' αἰνήσει } a filiis

a filijs patres laudantibus, quod ipsi laudabiles non sint, transtulit Cicero ad seipsum laudantem, quasi qui non laudaretur ab alijs. Plutarchus in Arati principio dilucide explanat, & ait esse τὴν παλαιὰν παροιμίαν. QVOD *potius sit*, } quod sit laudabilius nostro consulatu. usitata locutio. SECVS *esse dictum* }. scripserat enim Atticus, se putare, Quinctum, & Romae, & in itinere de ipso minus commode locutum. epist. 15.

Cicero S. D. Attico. 18.

CVM e Pompeiano me Romam recepissem ad IV. id. Maij, Cincius noster eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu idibus Febr. dederas. ei nunc epistolae litteris his respondebo. Ac primum, tibi perspectum esse iudicium de te meum, laetor; deinde, te in ijs rebus, quae mihi asperius a nobis, atque a nostris, & iniucundius actae uidebantur, moderatissimũ fuisse, uehementissime gaudeo; idq. neque amoris mediocris, & ingenij summi, ac sapientiae iudico. qua de re cum ad me ita suauiter, diligenter, officiose, humaniter scripseris, ut non modo hortari te amplius non debeam, sed ne exspectare quidem abs te, aut ab ullo homine tãtum facilitatis, ac mansuetudinis potuerim: nihil duco esse commodius, quam de his rebus nihil amplius scribere. cum erimus congressi, tum, si quid res feret, coram inter nos conferemus. Quod ad me de rep. scribis, disputas tu quidem & amanter, & prudenter; & a meis consilijs ratio tua non abhorret: (nam neque de statu nobis nostrae dignitatis est recedendum, neque sine nostris copijs intra alterius praesidia ueniendum: & is, de quo scribis, nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum, atque populare) uerumtamen fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis, sed mehercule reip. multo etiam utilior, quam mihi, ciuium improborum impetus in me reprimi, cum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem sententiam confirmassem, & a spe malorum ad mearum rerum laudem conuertissem. quod si cum aliqua leuitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti aestimassem: sed tamen a me ita acta sunt omnia, non ut ego illi assentiens leuior, sed ut ille me probans grauior uideretur. Reliqua sic a me aguntur, & agentur, ut non committamus, ut ea, quae gessimus, fortuito gessisse uideamur. eos bonos uiros, illos quos significas, & eam, quam mihi dicis obtigisse, σπάρταν nõ modo numquam deseram, sed etiam, si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo. illud tamen, uelim, existimes, me hãc uiam optimatum post Catuli mortem nec praesidio ullo, nec comitatu tenere. nam, ut ait Rhynton, ut opinor,

Οἱ μὲν παρ' οὐδὲν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει.

mihi uero ut inuideant piscinarij nostri, aut scribam ad te alias, aut in congressum nostrum reseruabo. a curia autem nulla me res diuellet: uel quod ita rectũ est; uel quod rebus meis maxime consentaneum: uel quod, a senatu quanti fiam, minime me paenitet. De Sicyonijs, ut scripsi ad te antea, non multum spei est in senatu: nemo est enim iam, qui queratur. quare, si id exspectas, longum est: alia uia, si qua potes, pugna. cum est actũ; neque animaduersum est, ad quos pertineret; & raptim in eam sententiam pedarij concurrerunt. inducendi S. C. maturitas nondum est: quod neque sunt, qui querantur & multi partim maleuolentia, partim opinione aequitatis delectãtur. Metellus tuus est egregius consul. unum reprehendo, quod otium e Gallia non magnopere nunciari gaudet. cupit, credo, triumphare. hoc uellem mediocrius: cetera egregia. Auli filius uero ita se gerit, ut eius consulatus non cõsulatus sit, sed Magni nostri ὑπώπιον. De meis scriptis, misi ad te Graece perfectum consulatum meum. eum librum L. Cossinio dedi. puto te Latinis meis delectari, huic autem Graeco Graecum inuidere. alij si scripserint, mittemus ad te: sed, mihi crede, simul atque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur. Nunc (ut ad rem meam redeam) L. Papirius Paetus, uir bonus, amatorq. noster, mihi libros eos, quos Ser. Claudius reliquit, donauit, cum mihi, per legem Cinciã licere capere, Cincius amicus tuus diceret: libenter, dixi, me accepturum, si attulisset. nunc, si me amas, si te a me amari scis, enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique, ac seruos tuos, ut scheda ne qua depereat. nam & Graecis ijs libris, quos suspicor, & Latinis, quos scio illum reliquisse, mihi uehementer opus est. ego autem quotidie magis, quod mihi de forensi labore temporis datur, in his studijs conquiesco. per mihi, per, inquam, gratum feceris, si in hoc tam diligens fueris, quam soles in ijs rebus, quas me ualde uelle arbitraris: ipsiusq. Paeti tibi negotia commendo: de quibus tibi ille agit maximas gratias; &, ut iam inuisas nos, non solum rogo, sed etiam suadeo. Vale.

EXPLANATIO


EPISTOLAM *reddidit* } rescriptam ad eam, cuius initium est, Magna mihi. INIVCVNDIVS } de discordijs, Quincti, & Pompeiae. MODERATISSIMVM *fuisse* } quod ea moderatissime tuleris. NEQVE *de statu nostrae dignitatis est recedendum* } recederem autem, si susceptam de rep. curam abijcerem. Responderat Atticus ad illud, Vtor Pompeio familiarissime, quod est ep. 15. NEQVE *sine nostris copijs* } non debeo Pompeij amicitiam tanti facere, ut ueteres amicorum copias negligam, sine quibus intra alterius praesidia uenire, idest uni Pompeio me totum credere, tutum non est. sic igitur faciam: firmabo, ut institui, meas opes amicitia Pompeij: & tamen, quia non unius fidei sunt omnia committenda, ueterum amicorum praesidia non dimittam. hae sunt enim copiae nostrae. ET *is, de quo scribis* } manifestum est, Cn. Pompeium intelligi. NIHIL *non summissum, atque populare* } uerbum enim non faceret, quod quemquam de populo possit offendere. quo minus exspectare ab eo constantiam, & animi firmitudinem

firmitudinem debeo. ergo non committemus, ut sine nostris copijs intra illius praesidia ueniamus. FLVCTVANTEM *sententiam confirmassem*, } cum eius animus in tuenda rep. nutare interdum uidere tur, confirmaui. A SPE *malorum*. } speraucrant enim improbi homines contentionem mihi fore aliquam cum Pompeio ex illarum rerum, quas in consulatu gesseram, dissensione. ep. 17. AD *mearum rerum laudem* } tantum abest, ut propter eas res a me dissenserit, ut eas etiam in senatu non semel, sed saep laudarit. ep. 17. NVLLAM *rem tanti aestimassem*. } nihil tanti fuisset, ut cum eo me coniungerem. BONO *uiros*. } quos paullo ante suas Copias uocauit. Σπάρταν } remp. quam semel meridam suscepi, numquam deseram. Adagium est in Suida, & Plutarcho, Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει; de ijs, quibus, cui fortunae munere contigisset, ut Spartae nascerentur, degenerare a tam nobilis patriae testata uirtute sine magno dedecore non liceret. POST *Catuli mortem* } perierat non multo ante. nam Pisone, & Messala cos. anno proximo superiore uiuebat: ut ep. 14. & apud Plutarchum in Crasso. HANC *uiam optimatum* } rectam rationem in rep. NEC *comitatu* } scribit Plutarchus in Crasso, Ciceronis, Catuli, Catonis fuisse quandam in defendenda libertate societatem, & consensionem. RHINTON } poeta comicus Tarentinus: de quo Suidas. Οἱ μὲν παρ' οὐδὲν εἰσὶν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει; } iambicus senarius. Latine sic: Alij quidem prope nihil sunt, alijs autem nihil curae est. qui me, inquit, recta sentientem adiuuare, & in optimatum uia pergentem forsitan sequi uellent, infirmi ab auctoritate non possunt; qui possent, negligunt. PISCINARII } Hortensius, & Lucullus; quos Ciceronis, noui hominis, dignitas angeret. ep. 17. A CVRIA } saepe Curiam pro senatu, Forum pro populo ponit, figura grammaticis obseruata. A curia, igitur, a senatu. ego me, inquit, ad popularem rationem non dabo, ut Pompeius, ut Caesar, ut omnes non boni ciues. senatui semper ita affixus haerebo, ut nulla res diuellat. REBVS *meis maxime consentaneum* } ne dissentiam a me ipso, qui in consulatu meo nihil gessi non auctore senatu. NON *multum spei est in senatu* } ut senatus factum senatusconsultum de liberis populis inducat ep. 17. & 1. l. 2. IAM, } nam initio fuerant, qui quererentur: quod epistola proxima dixit: Conuentus, qui initio celebrabantur, iamdiu fieri desierunt. ep. 17. ALIA *uia* } quando in senatu spes non est. AD *quos pertineret*, } non animaduersum est, illud, De populis liberis, addi sine multorum damno non posse. ep. 1. l. 2. PARTIM *maleuolentia*, } sunt in senatu, qui odio prosequantur eos, ad quos intelligunt ex senatusconsulto rei familiaris iacturam peruenire: itaque, ne inducatur, pugnabunt. OPINIONE *aequitatis* } ut ea, quae recta sunt, constanter tueri uideantur. Et, Opinione aequitatis, quasi non tam de ipsa aequitate, quam de opinione hominum, & inani quadam specie laborent. MEDIOCRIVS } quasi aperte Metellus ostenderet, se bellum malle, quam otium. AVLI *uero filius* } Afranius consul. epist. 14. & 16. MAGNI *nostri ὑπώπιον* } Pompeij macula, & infamia: quia Pompeij potissimum opera ad consulatum Afranius peruenerat. ep. 14. SER. *Claudius* } frater Paeti: de quo in epistola ad ipsum. Paetum, his uerbis: Seruius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret, Hic uersus Plauti non est, hic est, quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum, & consuetudine legendi. Frater autem Claudius Papirij, non germanus, (nam eodem uterque appellaretur nomine) sed aut consobrinus, aut ex eadem matre, diuerso patre. ep. 1. l. 2. PER *legem Cinciam licere capere* } iocatur in legem Cinciam, quae erat de donis, & muneribus. in 11. de oratore, Saepe, inquit, sententiose ridicula dicuntur, ut M. Cincius, quo die legem de donis, & muneribus tulit, cum C. Centho prodijsset, & satis contumeliose, Quid fers, Cinciole, quaesisset; ut emas, inquit, Cai, si uti uelis. Et in de Senectute: Quadriennio post factus sum praetor: quem magistratum gessi Tuditano, & Cethego cos. cum quidem ille admodum senex suasor legis Cinciae de donis, & muneribus fuit. Et Liuius lib. IV. Quid legem Liciniam excitauit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? quid legem Cinciam de donis, & muneribus, nisi quia uectigalis iam, & stipendiaria plebs esse senatui coeperat? *Cincius* } hic Attici negotia Romae procurabat. ep. 6. AGIT *maximas gratias:* } de eo, quod ipse tua sponte ipsius caussa iam fecisti. Tale illud in epist. fam. ep. 1. l. 111. Omnino tibi agit gratias; sed idem scribit, meas litteras maximum apud te pondus habituras.




IN·EPISTOLARVM M. TVLLII. CICERONIS AD T. POMPONIVM·ATTICVM LIBRVM. II.

PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.



Kal. Iun. eunti mihi Antium, & gladiatores M. Metelli cupide relinquenti, uenit obuiam tuus puer. is mihi litteras abs te, et commentarium consulatus mei Graece scriptum reddidit. in quo laetatus sum, me aliquanto ante de ijsdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse. nam, si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres. quamquam illa tua (legi enim libenter) horridula mihi, atque incompta uisa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant; &, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, uidebantur. meus autem liber totum Isocratis μυροθήκιον, atque omnes eius discipulorum arculas, ac non nihil etiam Aristotelica pigmenta consumpsit: quem tu Corcyrae, ut mihi alijs litteris significas, strictim attigisti, post autem, ut arbitror, a Cossinio accepisti. quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente, ac fastidiose probauissem. quamquam ad me rescripsit iam Rhodo Possidonius, se, nostrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de ijsdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum. quid quaeris? conturbaui Graecam nationem. ita, uulgo qui instabant, ut darem sibi, quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt. tu, si tibi placuerit liber, curabis, ut & Athenis sit, & in ceteris opidis Graeciae. uidetur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. Oratiunculas autem, & quas postulas, & plures etiam mittam: quoniam quidem ea, quae nos scribimus adolescentulorum studijs excitati, te etiam delectant. fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerit ciuis ille tuus Demosthenes, & quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerit, ut σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος uideretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur: quarum una est in senatu kalendis Ian. altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quinta de proscriptorum filijs; sexta, cum prouinciam in concione deposui; septima, qua Catilinam emisi; octaua, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges inuocarunt; decima in senatu, nonis Dec. sunt praeterea duae breues, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. hoc totum σῶμα, curabo, ut habeas. &, quoniam te cum scripta, tum res meae delectant; ijsdem ex libris perspicies, & quae gesserim, & quae dixerim. aut ne poposcisses: ego enim tibi me non offerebam. Quod quaeris, quid sit, quo te accersam; ac simul, impeditum te negotijs esse significas; neque recusas, quin, non modo si opus sit, sed etiam si uelim, accurras: nihil sane est necesse: uerumtamen uidebar mihi tempora peregrinationis commodius posse distribuere. nimis abes diu, praesertim cum sis in propinquis locis: neque nos te fruimur, & tu nobis cares. ac nunc quidem otium est: sed, si paullo plus furor Pulchelli progredi posset, ualde te ego istinc excitarem. uerum praeclare Metellus impedit, & impediet. qd quaeris? est consul φιλόπατρις,

&, ut

& , ut semper iudicaui, natura bonus. ille autem non simulat, sed plane tribunus pl. fieri cupit. qua de re cum in senatu ageretur, fregi hominem, & inconstantiam reprehendi, qui Romae tribunatum pl. peteret, cum in Sicilia aedilitatem saepe dictitasset. sed neque magnopere dixi esse nobis laborandum: quod nihilo magis ei liciturum esset plebeio remp. perdere, quam similibus eius me consule patriciis esset licitum. Iam, cum se ille septimo die uenisse a Freto, neque sibi obuiam quemquam prodire potuisse, & nocte se introisse dixisset, in eoq. se in concione iactasset: nihil ei noui dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam, tribus horis Roma Interamnam: noctu introisse; item ante: non esse itum obuiam; ne tum quidem, cum iri maxime debuit. quid quaeris? hominem petulantem modestum reddo, sed non solum perpetua grauitate orationis, sed etiam hoc genere dictorum. itaque iam familiariter cum ipso cauillor etiam, ac iocor. quin etiam, cum candidatum deducerem, is quaerit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare. negaui. at ego, inquit, nouos patronos instituam. sed soror, quae tantum habeat consularis loci, unum mihi solum pedem dat. noli, inquam, de uno pede sororis queri. licet etiam alterum tollas. non consulare, inquies, dictum. fateor: sed ego odi illam male consularem. ea est enim seditiosa: ea cum uiro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio. quod eos mihi esse amicos moleste fert. Quod de agraria lege quaeris, sane iam uidetur refrixisse. Quod me quodam modo molli brachio de Pompeii familiaritate obiurgas: nolim ita existimes, me mei praesidii caussa cum illo coniunctum esse: sed ita res erat instituta, ut, si inter nos esset aliqua forte dissensio, maximas in rep. discordias uersari esset necesse. quod a me ita praecautum, atque ita prouisum est, non ut ego de optima illa mea ratione decederem; sed ut ille esset melior, & aliquid de populari leuitate deponeret: quem de meis rebus, in quas eum multi incitarant, multo scito gloriosius, quam de suis, praedicare. sibi enim bene gestae, mihi conseruatae reip. dat testimonium. hoc facere illum, mihi quam prosit, nescio; reip. certe prodest. quid, si etiam Caesarem, cuius nunc uenti ualde sunt secundi, reddo meliorem? num tantum obsum reip.? quin etiam, si mihi nemo inuideret; si omnes, ut erat aequum, fauerent; tamen non minus esset probanda medicina, quae sanaret uitiosas partes reip. quam quae exsecaret. nunc uero, cum equitatus ille, quem ego in Cliuo Capitolino, te signifero, ac principe, collocaram, senatum deseruerit; nostri autem principes digito se caelum putent attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant; alii autem negligant: non ne tibi satis prodesse uideor, si perficio, ut nolim obesse, qui possunt? nam Catonem nostrum non tu amas plus, quam ego. sed tamen ille, optimo animo utens, & summa fide, nocet interdum reip. dicit enim tamquam in Platonis πολιτείᾳ, non tamquam in Romuli faece, sententiam. quid uerius, quam in iudicium uenire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? censuit hoc Cato: assensuit senatus. equites curiae bellum, non mihi: nam ego dissensi. quid impudentius publicanis renunciantibus? fuit tamen, retinendi ordinis caussa, facienda iactura. restitit, & peruicit Cato. itaque nunc, consule in carcere incluso, saepe item seditione commota, adspirauit nemo eorum, quorum ego concursu, itemq. consules, qui post me fuerunt, remp. defendere solebant. Quid ergo? istos, inquies, mercede conductos habebimus? Quid faciemus, si aliter non possumus? an libertinis, atque etiam seruis seruiamus? sed, ut tu ais, ἅλις σπουδῆς. Fauonius meam tribum tulit honestius, quam suam, Lucceii perdidit. accusauit Nasicam inhoneste, ac modeste tamen dixit: ut Rhodi uideretur molis potius, quam Moloni, operam dedisse. mihi, quod defendissem, leuiter succensuit. nunc tamen petit iterum reip. caussa. Lucceius quid agat, scribam ad te, cum Caesarem uidero, qui aderit biduo. Quod Sicyonii te laedunt, Catoni, & eius aemulatori attribuas Seruilio. quid? ea plaga non ne ad multos bonos uiros pertinet? sed, si ita placuit, laudemus; deinde in dissensionibus soli relinquamur. Amalthea mea te exspectat, & indiget tui. Tusculanum, & Pompeianum ualde me delectant; nisi quod me, illum ipsum uindicem aeris alieni, aere non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt. In Gallia speramus esse otium. Prognostica mea cum oratiunculis propediem exspecta. & tamen, quid cogites de aduentu tuo, scribe ad nos. nam mihi Pomponia nunciari iussit, te mense Quinctili Romae fore. id a tuis litteris, quas ad me de accessu tuo miseras, discrepabat. Paetus, ut antea ad te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donauit. hoc illius munus in tua diligentia positum est. si me amas, cura, ut conseruentur, & ad me perferantur. hoc mihi nil potest esse gratius. Et, tum Graecos, tum uero Latinos diligenter ut conserues, uelim. tuum esse hoc munusculum putabo. Ad Octauium dedi litteras: cum ipso nil eram locutus. neque enim ista tua negotia prouincialia esse putabam: neque te in Toculionibus habebam. sed scripsi, ut debui, diligenter. Vale.

EXPLANATIO

E̲VNTI *mihi Antium* } huc se nobiles Romanos animi caussa contulisse, legimus in Strabone. Aberat autem Roma Antium stadijs CCCVII, hoc est milliarijs XXXIIX cum dimidio. nam, ut ait Plutarchus in C. Graccho, τὸ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ. GLADIATORES *M. Metelli* } gladiatorum certamina cum alij cupide uiserent, ego cupide reliqui. TVVM } commentarium Graece scripserat Atticus de consulatu Ciceronis. Nepos in Attici uita. LEGI *enim libenter* } quod & tua essent, & de rebus meis, ideo libenter legi: sed, ad genus orationis quod attinet, horridula mihi, atque incompta uisa sunt. &, Libenter, quasi diligenter; ut contra non libenter leguut, qui negligenter. ORNATA *hoc ipso, quod ornamenta neglexerant*, } Sic in Oratore: Vt mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat: sic haec subtilis oratio, etiā incompta, delectat. Fortasse imitatus est Terentij figurā ex Phormione:

,, Virgo pulchra: &, quo magis diceres,
,, Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem.

Quale etiam uetus illud in mulieres, odoratis unguentis non utentes: Ideo bene olere: quia nihil olerent. quod est apud Plautum in Mustellaria. Cui sētētiae nō dissimilis illa Varronis in satyra Menippea, quā recitat Macrobius l. 3. Bellaria ea maxime sunt mellita quae mellita nō sunt. ISOCRATIS μυροθήκιον } non discedit a translatione unguentorum, quia dixerat, Horridula, & Olere. Attici oratio, quia sine pigmentis, horridior: nitida Ciceronis, quia cum pigmentis. EIVS *discipulorum* } multos docuit Isocrates, quorum notissimi Ephorus, & Theopompus; ille, ut ingenio tardior, & calcaribus concitandus, sic uita probior; hic ut acrior, & freno coercendus, ita & improbior. Haec Suidas. Isocratem apud Plutarchum deridet Cato maior, quod eius discipuli senescerent dicendo, ut apud Ditem caussas agerent. STRICTIM *attigisti*, } cursim legisti, missum uidelicet ab alijs: (iam enim diuulgatus erat; siquidem & Posidonius eum Rhodi legerat, ut infra proxime). post autem eum, opinor, accepisti, quem ego tibi Coffinio dederam. Sic locutus & Sallustius in Catilina: Strictim, ut quaeque memoria digna uidebantur, perscribere. (ita enim legit Aldus filius ex Nonio, non, ut in peruulgatis libris, Carptim.) Et l. 1. de Orat. Quasi per transennam praetereuntes, strictim adspeximus. FASTIDIOSE } cum omnia in eo diligentissime examinassem, usque ad fastidium. ORNATIVS } quod homo Graecus uideretur praestare posse. ADOLESCENTVLORVM *studijs excitati.* } quia uidemus adolescentulos eloquentiae studio teneri. FVIT *enim mihi commodum &c.* } licuit enim mihi ad Demosthenis imitationem curare, ut orationes aliquot meae, de rep. in consulatu habitae, legerentur. DEMOSTHENES } tolle Demosthenis nomen, ut illud tantum remaneat, Ille tuus ciuis: elegantiae multo plus, nec tamen obscuritatis quidquam erit. REFRACTARIOLO } concertatorio, quod ad restringendum ualet. Seneca ep. 74. contumaces, & refractarios, & contemptores magistratuum negat esse philosophiae fideliter deditos. In Bruto dixit Cicero de Thucydide: Hoc forense concertatorium iudiciale non tractauit genus. CONSVLARES } quas nominat proxime. IN *senatu kal. Ian.* } de lege agraria contra P. Seruilium Rullum, tribunum pl. quae exstat, sed initium desideratur, eamq. significat in epistola ad Lentulum, cum inquit: Memoria tenebam, nobis consulibus ea fundamenta iacta Kalendis Ianuarijs confirmandi senatus, ut neminem mirari oporteret, nonis Decembribus tantum uel animi fuisse in illo ordine, uel auctoritatis. ALTERA *ad populum* } quae exstat. Plinij uerba haec sunt lib. VII. cap. 30. Sed quo te, M. Tulli, piaculo taceam? quo ue maxime excellentem insigni praedicem? quo potius, quam uniuersi populi illius gentis amplissimi testimonio, & tota uita tua, consulatus tantum operibus electis? Te dicente, legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicauerunt tribus. te suadente, Roscio, theatralis auctori legis, ignouerunt, notatasq. se discrimine sedis aequo animo tulerunt. te orante, proscriptorum liberos honores petere puduit. &c. DE *Othone*} pro Roscio Othone: cui plebem Cicero reconciliauit, moleste ferentem, quod is tribunus pl. quadriennio ante Ciceronem consulem legem tulisset, ut equites in theatro separatim a plebe in quattuordecim proximis ordinibus sederēt. Plutarchus in Cicerone, & Plinius lib. VII. Idē in oratione pro Murena, & Pedianus in Corneliana. PRO *Rabirio*, } pro C. Rabirio perduellionis reo, ad Quirites. quae exstat oratio. DE *proscriptorum liberis* } Sulla proscriptorum liberis aditum ad magistratus lege obstruxerat. his petentibus, ut, abrogata Sullae lege, honores capere liceret, Cicero consul dissuasit. Sed operaepretium est, subiungere ex oratione in Pisonem, quod huic epistolae non parum lucis afferre uideatur. Ego, inquit, Kalendis Ianuarijs senatum, & bonos omnes legis agrariae, maximarumq. largitionum metu liberaui. ego agrum Campanum, si diuidi non oportuit, conseruaui; si oportuit, melioribus auctoribus reseruaui. ego in C. Rabirio, perduellionis reo, XL. annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra inuidiam, atque defendi. ego adolescentes bonos, & fortes, sed usos ea condicione fortunae, ut, si essent magistratus adepti, reip. statum conuulsuri uiderentur; meis inimicitijs, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui. ego prouinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu, & pecunia instructam, & ornatam, in concione deposui. ego L. Catilinam, caedem senatus, interitum urbis non obscure, sed palam molientem, egredi ex urbe iussi. ego tela extremo mense consulatus mei, intenta iugulis ciuitatis, de coniuratorum nefarijs manibus extorsi. QVA *Catilinam emisi* } exstat. QVAM *habui ad populum* } exstat, & item quae consequentur duae.

INVO-

INVOCARVNT ; } mallem, Indicarunt: ut subaudiatur, coniurationem. iudices enim Allobroges consul Cicero in senatum introduxit.in orationibus,& Sallustius. DVAE *breues,* } una,quae in Rullum ad populum tertia legitur,breuissima:alteram desideramus. LIBRIS } orationibus, ut in Oratore,Nos etiam in hoc genere frequentes,ut illa sunt in quarto accusationis.quartam enim orationem in Verrem intelligit. PVLCHELLI } Clodij.ep.14.l.1. METELLVS *impedit,* } obstitit enim,ne plebeius fieret P. Clodius: ut in oratione de haruspicum responsis, & pro M. Coelio. NON *simulat,* } antea caussam occultauerat,cur ex patricio plebeius fieri uellet: nunc non simulat: praesefert, ideo se de transitione ad plebem cogitare,ut deinceps tribunus fieri possit.quod patricio non licet.ep.16.l.1. IN *Sicilia* } ubi quaestor fuerat.quaesturam autem aedilitas consequebatur: sed plebeijs hominibus inter utramque interpositus tribunatus pl.patebat.Clodius autem patricius , quia tribunatu legibus excludebatur,aedilitatem se statim petiturum dictitarat: postea,ut Ciceroni diem diceret, plebeius factus tribunatum petijt,& adeptus est. SAEPE *dictitasset.* } sic Bessarionis & Caualcantis uterque liber. subaudi,se esse petiturum.Omnino abundare uidetur dictio , Saepe, cum frequentatiuum uerbum sequatur; sed ferri potest;cum & Matius in epistola ad Ciceronem dixerit,Frequentes uentitasse, pro, Saepe uentitasse. PATRICIIS } patricij Sergius Catilina,Cornelius Lentulus,principes coniurationis. A FRETO } quod iacet inter Messanam Siciliae ciuitatem,& Rhegium Calabriae,in extrema Italia. PRODIRE } cum,summa celeritate usus,praeter spem omnium affuerit. TRIBVS *horis Roma Interamnam :* } designat illud tempus,cum Clodius,de sacris pollutis accusatus,quod noctu intrasset eo , ubi Vestales pro populo faciebant,apud iudices testimonio Cassinij Scholae probauit,se, qua hora diceretur inter sacra deprehensus,Interamnae fuisse: quod tamen perspicue falsum intelligebatur: quia & Cicero eum, & multi eo die Romae uiderant,tribus horis ante horam deprehensionis , ut tum quidem Interamnae esse Clodius non potuerit, nisi si tribus horis Roma Interamnam posset accurrere . quod cum minime posset, propter locorum maiora interualla;cauillans tamen Cicero, factum id a Clodio dicit, quia iudicibus probare uisus est,quoniam est absolutus. ITEM *ante:* } cum noctu introiuit domum Caesaris, ubi sacra Bonae deae a mulieribus celebrabantur. CVM *iri maxime debuit,* } cum afficiendus supplicio fuit,quod Bonae deae sacra uiolasset.Et iocatur in ambigua significatione.nam Ire obuiam , prodire obuiam proprie ualet, [illegible], resistere:ut libro 4.Huic obuiam it Cato. Qua ratione & Brutus in quadam epistola dixit, Maleuolentiae hominum in me, si poteris, occurres. CVM *candidatum deducerem,* } candidatos ad commendationem clari uiri Martium in campum deducebant. Q. Cicero de petitione consulatus. SICVLIS *locum gladiatoribus dare.* } Siculis,meis clientibus,locum dare, ubi gladiatorum certamina spectare possent.amicis enim,& tribulibus ad spectacula locus dabatur: ut in oratione pro Murena. GLADIATORIBVS: } cum gladiatores pugnarent.Sic locutus est ep.19.& fam. l.16. ep.21.& in prima in Antonium in extremo,& in nona item in extremo. NOVOS *patronos instituam.* } nouos patronos Siculis dabo,quando tu,uetus eorum patronus,locum ijs dare gladiatoribus non consuesti.Et patronus Siculorum Cicero iam inde a quaestura sua Siciliensi. SED *soror,&c.*} quia se ipsum designauit,cum dixit: Nouos patronos,(nam & ipse quaestor fuerat in Sicilia) intulit, Sed locum dare Siculis non facile potero,cum soror mea,quae tantum habeat loci , unum mihi solum ad spectandum pedem det.quasi dicat: poteris igitur tu multo minus,cui consularis soror non est . CONSVLARIS } uxor consulis Q. Metelli, quae propterea loci plurimum in spectaculis haberet. PEDEM } de pede,qui est in mensura , Clodius intellexit; Cicero uertit ad genus concubitus , quo mulieris utrumque pedem tolli significat Ouidius in tertio de arte amandi:

,, Melanion humeris Atalantae crura ferebat.

Et Nouius in Quaestione,apud Nonium: Mammas teneas: pedes extollas: suauies,cum gemit. Nec dubitabatur,quin Clodius cum tribus sororibus rem habuisset.unde illud in epistola ad Lentulum : Qui non pluris fecerat Bonam deam,quam tres sorores . Pedis autem mensura sedecim pollices fuere. & in uncias duodecim, ut as, diuidebatur,uncia uero in quattuor sicilicos. NON *consulare* } obscenum,minimeq. dignum ; quod a Cicerone,homine consulari , diceretur . MALE *consularem.* } facit enim, quae consulis uxorem non deceant. SEDITIOSA: } hanc fratris Clodij patronum appellauit ep. 14. l.1.& gratia multum posse,ostendit in extrema oratione pro M.Coelio, cum eius opera Sex. Clodium dicit absolutum. VIDETVR *refrixisse.* } tota res agraria,interpellata bello,refrixerat, dixit ep.17.l.1. MOLLI *brachio* } leuiter: translatione ab ijs,qui pueros errantes leuiter percutiunt. DE *populari leuitate* } ut grauiorem se ciuem in rep. praestaret. ep. 18. l. 1. BENE *gestae* } bello Mithridatico . CONSERVATAE } exstincta Catilinae coniuratione. CVIVS *nunc uenti ualde sunt secundi.* } quod existimatione,& auctoritate maxime floreret.Sic Horatius ep.2.l.2.Hoc paces habuere bonae, uentiq. secundi. NVM *tantum* } quantum tu uideris suspicari,qui me de Pompeij familiaritate obiurgas. QVAM *quae exsecaret* }. ciues enim populares,minus recte sentientes,quos alij non sapientes oppugnarent, ego potius studeo lenire,& artificio quodam ad reip.partes transducere. Ita non uideor improbandus, qui, quod in ciuitate,quasi in corpore,uitiosum est,sanare uelim potius,quam exsecare. Notat nimiam, Catonis maxime, seueritatem,quae reip.noceret. EQVITATVS *ille* } equites Romani, quos ego con sul cum senatu coniunxeram. IN *cliuo Capitolino,* } in aede Concordiae,ad radices assurgentis Capitolij.qua in aede consul Cicero senatum consuluit,quid de coniuratis deprehensis statuendum uideretur,cum etiam equites Romanos adhibuisset.quod initium fuit eius concordiae, quae inter equites, & senatum est consecuta: ut supra docuimus,ep.16.l.1. TE *signifero,ac principe.* } cum te quoque, equestris ordinis

ordinis principem, ad eam consultationem adhibui. Sed persistit Cicero in translatione rei militaris: & quia dixerat, Equitatus, intulit, Te signifero: cum nihil aliud significet, quam, in senatu Atticũ, qui principem locum ordinis equestris obtineret, cũ ceteris equitibus affuisse. NOSTRI *autem principes* } principes ciues Lucullus, & Hortensius, piscinarum studiosi. epist. 16. 17. 18. lib. 1. MVLLI *barbati* } Mullos dictos a mullis calceamentis, de quibus Festus, & Plinius libro IX. cap. 17. ex Fenestellae testimonio. Barbatos autem Cicero uocat, quia, quod idem Plinius ibidem tradit, barba gemma inferiore labro insigniuntur. Eodem modo idem Cicero Parad. V. Barbatulos, ait, mullulos de piscina exceptantem. IN *piscinis sint*, } id quod perquam rarum fuit: si quidem in uiuarijs, piscinisq. eos non creuisse, Plinius ait. OBESSE, } reip. & Pompeium maxime, ac Caesarem intelligi, perspicuum est. VERIVS. } aequius: ut pro Murena, Negat uerum esse allici beneuolentiã cibo. Item Caesar, Liuius, Virgilius, Horatius. IN *iudicium uenire* } accusari apud iudices. EQVITES *curiae bellum*, } indixerunt, subaudi. & Curiam accipe pro senatu: ut sit continens pro contento. RENVNCIANTIBVS? } petentibus, ut locatio Asianorum uectigalium induceretur. lib. 1. epist. 15. RETINENDI *ordinis caussa* } ne ordo equester alienaretur a senatu. publicani enim equites Romani. FACIENDA *iactura* } fuit satisfaciendum equitibus, locationis inductionem postulantibus; quamquam id cum aerarij iactura fieret. CONSVLE *in carcere inclusο* } L. Flauius tribunus pl. Metellum consulem in carcere inclusit, quia legem agrariam perferri nõ sineret. aliis tamen tribunis opem ferentibus, & Pompeio suffragante, aliquot post horis exiuit. Dio lib. XXXVII. ADSPIRAVIT *nemo eorum* } maxime equites Romanos significat: quorum opera cum Cicero consul usus esset in defendenda rep. post alienati à senatu propter senatusconsultum de iudiciis, & quia de inductione Asianorum uectigalium minime impetrabant, non modo non concurrerunt ad opẽ Metello ferendam, aut iuuandos optimates in seditionis tumultu, sed nec adspirarunt, id est ne iuuandi quidem uoluntatem indicarunt. MERCEDE *conductos* } quid ergo, inquies, feremus istos equites, in iudicio pecuniam accipientes? LIBERTINIS, *atque etiam seruis* } praestat, equites Romanos, corruptos, & mercede conductos, iudices habere, quam libertinis, & seruis seruire: a quibus contra perditos ciues opem implorare cogemur, si equestris ordinis praesidio priuamur. uide, quae de Libertinis dixit Aldus filius in lib. de Quaesitis. ἅλις σπουδῆς. } sat studij: subaudi, positum est a nobis in tuenda ordinum concordia. nunc, ut dies postulat, ita uiuamus: quando iam officio satis, superq. fecimus. MEAM *tribum tulit honestius*, } tribum ferre dicitur, cui tribus uel magistratum petenti, uel commodum aliquod suffragiis defert. Tribus autem Ciceronis uidetur Cornelia fuisse: cum, in ea censeri solitos esse Arpinates, Liuius libro XXXIIX. significet. QVAM *suam*. } utramque tulit, sed meam honestius, quam suam. LVCCEII *perdidit*: } non tulit tribum Lucceij. Et apparet, Fauonium magistratum petiisse, nec mirũ, perdidisse Lucceij tribum, quippe cum Lucceius Caesaris, Fauonius Catonis familiarissimus esset, Cato autem & Caesar cum natura, tum uitae instituto dissidentes. perdidit igitur tribum hominis nõ amici, Ciceronis tulit; qui senatus partes sequebatur, ut Cato, & Fauonius non populum, ut Caesar. INHONESTE, } cum non haberet, quod in Nasicam dicere posset. turpiter igitur, & inhoneste accusauit. est autem hic, ut opinor, Scipio ille, quem Q. Metellus Pius adoptauit: cui Nasicae cognomen fuisse, ob eam caussam crediderim, quia & pater eius, ut scripsit Dio, & auus, & proauus, & atauus Nasicae dicti sunt. consul fuit cum genero suo Pompeio Magno. MOLESTE } cum uideatur laudare Fauonium, reprehendit. nam, Modeste, est leniter, frigide, non uehementer: quod est uitiosum in accusatore. MOLONI } qui Fauonium Rhodi eloquentiam docuerat. NVNC *tamen petit iterum*. } repulsam igitur tulerat priore petitione. REIP. *caussa* } exagitatio Fauonij cum excusatione, quod iterum peteret: iterum enim petere non sua, sed reip. caussa: alioqui post priorem repulsam non fuisse petiturũ. QVID *agat*, } de petitione sua. petiit enim consulatum paullo post cum Bibulo, & Caesare, sed praeteritus est. CVM *Caesarem uidero*, } qui cum Lucceio contra Bibulũ coiuerat, ideoq. Lucceij omnia consilia, quod ad petitionem attineret, scire poterat. sup. ep. 15. l. 1. SYCIONII *te laedunt*, } qui debitam tibi pecuniã non soluunt. ep. 18. l. 1. CATONI, *& eius aemulatori Seruilio* } quorum opera factum est senatusconsultum de populis liberis. Nondum igitur curulem magistratum Cato gesserat, cum S. C. factum est. supra enim, Illud senatusconsultum summa pedariorum uoluntate, nullius nostrum auctoritate factum. ep. 18. l. 1. EA *plaga* } illud senatusconsultum non tibi solum, sed multis praeterea bonis uiris detrimentum attulit; qui creditam ante pecuniam ijs populis, quos senatus proxime liberos esse iussit, exigere nõ possunt. ep. 18. l. 1. & 2. l. 6. DEINDE *indissensionibus*. } planius ad sententiam, Ne in dissensionibus. ut hoc dicat: Quando ita senatus decreuit, laudemus. nam reprehendentes, qui assentiret, non haberemus: frustra autem dissentire stultum est. Forte etiam sic: Ne in discessionibus. fieri enim solitas esse discessiones senatorum in diuersas partes, notum est: cum aliquid in senatu decernendum esset. AMALTHEA *mea* } gymnasium & ipse Amaltheae nomine exstruxerat, Attici exẽplo. ep. 14. l. 1. INDIGET *tui* } quod attinet ad ornatũ, & τοποθεσίαν. ep. 14. l. 1. VINDICEM *aeris alieni* } coniuratio Catilinae propter aes alienũ facta, odio maxime creditorum. recte igitur uindex, & seruator creditorũ Cicero, quia coniuratos occiderat. & Vindex dupliciter ponitur, uindex coniurationis, qui coniurationem opprimit, uindex libertatis, qui libertatem restituit: ut hic, uindex aeris alieni, qui creditores seruat: quod μεταφορικῶς dixit in epistola ad Sextium, Non putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidione feneratores exemerit. Sic, Vltor Catilinae, in oratione in Pisonem: & Vltor inimicorum, in epistola ad Lentulum: diuerse: nam illud pro Catilina, hoc contra inimicos. AERE *non Corinthio* } sensus est: Tusculani, & Pompeiani aedificatio magnum mihi aes alienum attulerunt, sed iocatur in ambiguitate uerbi: cum aes Corinthium

thium maxime laudaretur. Hoc *circumforaneo* } quod ab argentarijs fenerantibus sumitur, qui tabernas habebant in porticibus circa forum. SPERAMVS *esse otium* } uide ep. 16. & 18. l. 1. PROGNOSTICA *mea* } Arati uersus, ab ipso latinitate donatos; quibus prognostica continentur, ut futurae pluuiae ex ranarum clamore. ep. 16. l. 15. AD *Octauium.* } uideamus, Octauius hic qui sit, & qua de re agatur: quod arbitror non omnibus patere. Hoc tempore Asiam regebat Q. Cicero, Macedoniam C. Octauius. de quo his uerbis in epist. 2. l. 1. ad Q. fratrem: Et mediocri me dolore putas affici, cum audiam, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus uicinus C. Octauius? sic enim legimus, non Cn. ut patet ex infrascripto lapide. & Suetonius in Augusti uita: Octauius pater, ex praetura Macedoniam sortitus, fugitiuos, residuam Spartaci, & Catilinae manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere deleuit, negotio sibi in senatu extra ordinem dato. prouinciae praefuit non minore iustitia, quam fortitudine. namque, Bessis, ac Thracibus magno proelio fusis, ita socios tractauit, ut epistolae M. Ciceronis exstent, quibus Quinctum fratrem, eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiae administrantem, hortatur, & monet, imitetur in promerendis socijs uicinum suum Octauium. Macedoniam igitur administranti commendari Atticus cupiebat; cum in ea prouincia negotiorum quiddam haberet: ideoq. & C. Antonio, eandem prouinciam ante Octauium regenti, Cicero eum litteris commendauerat, fam. l. 5. ep. 5.

Lapis in hortis Colotianis, Romae.

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. P---
PATER. AVGVSTI
TRIB. MIL. BIS. Q. AEDIL. PL. CVM. C. TORANIO
IVDEX. QVAESTIONVM
IMPERATOR. APPELLATVS. EX PROVINCIA
MACEDONIA

DEDI *litteras* } commendaticias. cum ipso enim, ante quam discederet, nil eram locutus; quia non putabam te negotia in prouincijs habere, (erat autem Macedonia Romanorum prouincia) sed dumtaxat in ijs locis, quae Romanis magistratibus non parent, ut in Epiro, aut Athenis, aut Sicyone. IN *toculionibus* } nomen fortasse deductum a τόκος, quod est usura. ut sit: Non putabam te esse in ijs, qui usuram exercent, pecuniam cum fenore exigentes a prouincialibus. nec mirum, si uerbo utatur Cicero, a Graeca lingua deriuato, cum ad Atticum scribat, Graecae linguae studiosissimum.

Cicero S. D. Attico. 2.

CVRA, amabo te, Ciceronem nostrum. ei nos θεῖοι uidemur. Πελληναίων in manibus tenebam. & hercule magnum aceruum Dicaearchi mihi ante pedes exstruxeram. o magnum hominem, & a quo multo plura didiceris, quam de Procilio. Κορινθίων, καὶ Ἀθηναίων puto me Romae habere. mihi heredes. lege. hoc doceo: mirabilis uir est. Ἡρώδης, si homo esset, eum potius legeret, quam unam litteram scriberet: qui me epistola petiuit: ad te, ut uideo, comminus accessit. coniurasse mallem, quam restitisse coniurationi, si illum mihi audiendum putassem. De Lollio sanus non es. de Vinio laudo. Sed, heus tu, ecquid uides kal. uenire, Antonium non uenire? iudices cogi? nam ita ad me mittunt; Nigidum minari in concione, se iudicem, qui non affuerit, compellaturum. uelim tamen, si quid est de Antonij aduentu, quod audieris, scribas ad me: &, quoniam huc non uenis, cenes apud nos utique prid. Kal. caue aliter facias. Cura, ut ualeas.

EXPLANATIO

CICERONEM *nostrum* } Quinctũ Ciceronem, Quincti filium ex Pomponia, Attici sorore. erat autẽ apud auunculum. Θεῖοι } non libenter mecum solet esse Quinctus filius, quod seueritatem disciplinae meae non ferat: ut recte me patruum putet, idest minime indulgentem; quales patrui sunt. nã patres amore uicti filijs saepe denegare non possunt, etiam quae sentiant minus expedire. itaque, epist. 5. lib. 10. Pater, inquit, nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat. & pro M. Coelio: Fuit in hac caussa pertristis quidam patruus, censor, magister: obiurgauit M. Coelium. & apud Persium: Cum sapimus patruos. & apud Horatium: Patruae metuentes uerbera linguae. Vere tamen ut dicam, subolet de mendo nescio quid, primum quia, quod ad sententiam pertinet, magnopere non probo; putidum enim, & insulsum quiddam est, Ei nos θεῖοι uidemur; cur Graece, θεῖοι, potius, quam Latine, Patrui? deinde, quod caput est, scriptos libros hic ab impressis uideo dissentire. in eo, qui Bessarionis fuit, perspicue legitur, Cura, amabo te, Ciceronem nostrum. ἀπολίσαι uidemur. In alio, Cinos θεῖοι uidemur. πελληναίων. } librum Dicaearchi de populis Pelenaeis. de quibus Suidas. DICAEARCHI } quem infra suas delicias appellat. Siculus fuit, Aristotelis auditor, philosophus, rhetor, geometra. PROCILIO. } qui & ipse multa scripserat, grammaticus doctissimus, cuius scripta fortasse magis Atticum delectabãt, quam Dicaearchi. MIHI *heredes.* } obscurus, & forte mendosus locus. neque secus antiqui libri: praeter unum

unum Ducis Vrbinatis,in quo est,Mihi credas. Ἡρώδης } Atheniensis, & opinor is,de quo lib. XIV. QVAM *unam litteram scriberet* } Atticus enim litteris significauerat,Herodem ad se accessisse, ut scripta sua legeret. COMMINVS *accessit,* } uenit enim ad te,ut scriptorum suorum molestissima lectione conficeret. LOLLIO } Lollia familia Romae:& in antiquis libris ita scriptum,non,ut in uulgatis, Lolio. SANVS *non es* } non recte sentis. μεταφορὰ a corpore ad animum. VINO } alij, Vinio. placet. nota familia,de qua Horatius,

,, Augusto reddes signata uolumina Vini.

KALENDAS *uenire;* } quo die C.Antonius,a Q.Maximo accusatus,caussam dicere debebat. NON *uenire?* } ex Macedonia prouincia redeuntem, quam auare,& infeliciter administrauerat,uide ep. 10. l. I. ITA *ad me mittunt,* } ita mihi Roma scribitur a meis.Fortasse,quod Cicero C.Antonium,collegam suũ in consulatu,defendere statuisset. nam certe defendit eum,accusante Coelio,ut in oratione pro Coelio legitur, & in ea pro domo. NIGIDIVM } praetorem:uel fortasse tribunum pl.non enim apud Nigidiũ; sed apud Q. Claudium,& Cn.Lentulum Antonium esse accusatum, alterum scilicet de repetundis, alterum de maiestate quaerentem,ostendit oratio in Vatinium. COMPELLATVRVM } euocaturum,coacturum. HVC *non uenis,*}quoniam Romam recta proficisceris,nec uis de itinere deflectere,ut in uillas ad me uenias; Romae domi meae cenato,tertio quidem Kalendas, si poteris, idest illo ipso die,quo te ad Vrbem futurum scribis; si minus,utique pridie Kalendas.

Cicero S. D. Attico. 3.

PRIMVM, *ut opinor,* εὐαγγέλια. *Valerius absolutus est Hortensio defendente. id iudicium Atilio condonatum putabatur: & Epicratem suspicor, ut scribis, lasciuum fuisse: etenim mihi caligae eius, ut fasciae cretatae, non placebant. quid sit, sciemus, cum ueneris. Fenestrarum angustias quod reprehendis, scito te* Κύρου παιδείαν *reprehendere. nam, cum ego idem istuc dicerem, Cyrus aiebat, radiorum* τὰς διαφάσεις *latis luminibus, non tam esse suaues. etenim* ἔστω ὄψις μὲν, ἡ α: τὸ δὲ ἐρώμενον, β γ: ἀκτῖνες δὲ, δ, καὶ τ. *uides enim cetera. nam, si* κατὰ εἰδώλων ἐμπτώσεις *uideremus, ualde laborarent* εἴδωλα *in angustijs. nunc fit lepide illa* ἔγχυσις *radiorum. cetera si reprehenderis, non feres tacitum, nisi si quid erit eiusmodi, quod sine sumptu corrigi possit. Venio nunc ad mensem Ianuarium, & ad* ὑπόστασιν *nostram, ac* πολιτείαν: *in qua* συγκατικῶς εἰς ἑκάτερον, *sed tamen ad extremum, ut illi solebant,* τὴν ἀρέσκουσαν. *est res sane magni consilij. nam aut fortiter resistendum est legi agrariae; in quo est quaedam dimicatio, sed plena laudis: aut quiescendum: quod est non dissimile, atque ire in Solonium, aut Antium: aut etiam adiuuandum; quod a me aiunt Caesarem sic exspectare, ut non dubitet. nam fuit apud me Cornelius. hunc dico Balbum, Caesaris familiarem. is affirmabat, illum omnibus in rebus meo & Pompeij consilio usurum; daturumq. operam, ut cum Pompeio Crassum coniungeret. Hic sunt haec, coniunctio mihi summa cum Pompeio, si placet, etiam cum Caesare, reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium. sed me* κατάκλεισις *mea illa commonet, quae est in libro* III.

Interea cursus, quos prima a parte iuuentae,
Quosq. adeo consul uirtute, animoq. petisti,
Hos retine, atque auge famam, laudesq. bonorum.

Haec mihi cum in eo libro, in quo multa sunt scripta ἀριστοκρατικῶς, *Calliope ipsa praescripserit; nõ opinor esse dubitandum, quin semper nobis uideatur*

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

sed haec ambulationibus compitalicijs reseruemus. Tu pridie Compitalia memento. balneum calefieri iubebo: & Pomponiam Terentia rogat: matrem adiungemus. Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας *affer mihi de libris Quincti fratris. Vale.*

EXPLANATIO

OPINOR, εὐαγγέλια. } opinor mihi debes εὐαγγέλια, quia Valerium absolutum significo. VALERIVS } non uidetur hic esse L.Valerius Flaccus: qui absolutus est Caesare consule, ut est in ultima epist. huius libri: nunc autem consulatum nondum Caesar inierat. aut igitur alius Valerius est: aut Flaccus bis accusatus. DEFENDENTE. } mecum. exstat Ciceronis oratio. ATILIO } qui pro Valerio absoluendo prensauerat. ET *Epicratem* } iam non agitur de iudicio Valerij Flacci, sed responsio est ad alteram partem epistolae ab Attico acceptae. & Epicratem, opinor, Pompeium, quasi, omnia tenentem: siquidem eo tempore princeps in rep. Pompeius. & infra non semel eum fictis nominibus designat, ut cum appellat Sampsiceramum, Arabarchen, Hierosolymarium, Megabocchum: de quibus singulis suo loco. SVSPICOR } de absente Pompeio. EIVS *caligae,* } de Pompeij lasciuia dicit se ex eius caligis suspicari, quibus in urbe solus uteretur; quoniam militare calceamentum erat, non urbanum. & sane Põpeius in uestitu, neglecta uulgari consuetudine, inane quiddam amauit ad speciem. unde illud, epist. 16. Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. VT *fasciae cretatae,* } ita mihi non placebant eius caligae, ut ante cretatae fasciae non placuerant. Romani ueteres, qui ualetudine infirma erant, fascijs crura tegebant: alioqui notabantur ut lasciui. quod Quinctiliani uerbis intelligitur. ait enim lib. XI. Palliolum, sicut fascias, quibus crura uestiuntur, & focalia, & ligamina aurium, sola excusare potest ualetudo. Et Suetonius nuda crura fuisse ostendit, cum ait in Iulio: Vt animaduertit, undique se strictis pugionibus peti; toga caput obuoluit; simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit; quo honestius

caderet,

caderet, etiam inferiore corporis parte uelata. Suffragatur illud Plinij apud Quinctilianum, demissa ad talos toga Ciceronem usum esse, ut uarices tegeret. Propterea Clodio, quod fasciolis purpureis ob lasciuiam uteretur, in oratione de haruspicum resp. Cicero objicit. Quamquam non hic Pompeij lasciuiam in fasciis carpit Cicero, sed in colore: cum addit, Cretatae: quod est, candidae: qui color, ut ait Isidorus, quodam cretae genere dabatur: unde Cretatae fasciae, & apud Martialem Cretata mappa. Nam, quod ad fascias attinet, ualetudine Pompeius excusabatur: nec id ignotum Ciceroni fuisse credibile est. habebat enim ulcus in crure: itaque fascia necessario utebatur. ulcere sanato, fasciam deposuit. At Cicero fascias nominat. Id quidem amplificandi gratia, ut saepe: cum re uera unam fasciam significet. Haec autem simul omnia, de ulcere, de fascia, eaq. non semper, sed aliquandiu gestata, probabo historia teste. Ammianus Marcellinus lib. 17. Duo, inquit, haec obseruarunt in Pompeio Magno, ludibriosa, & irrita, quod genuino quodam more caput digito uno scalpebat, quodq. aliquandiu, tegendi ulceris caussa deformis, fasciola candida crus colligarat: quorum alterum factitare ut dissolutum, alterum ut nouarum rerum cupidum asserebant, nihil interesse oblatrantes argumento subfrigido, quam partem corporis redimiret regiae maiestatis insigni. Necuero Valerius Max. de fasciis crura uestientibus, sed de fascia crus aegrum alligante, lib. 6. cap. 2. locutus est. Pompeio, inquit candida fascia crus alligatum habenti, Fauonius, Non refert, ait, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cauillatione regias eius uires exprobrans. Regum enim insigne, diadema erat, idest fascia, qua frontem alligabant. Lasciuiam igitur Pompeij Cicero notauit in colore potius, quam in fascia: rerum nouarum cupiditatem Fauonius in fascia potius, quam in colore: uel in utroque pariter: quando & regium diadema candidum erat. Κύρου παιδείαν. } Cyri architecti doctrinam. & allusit ad Xenophontis librum, qui inscribitur Κύρου παιδεία. fam. lib. 7. epist. 14. Radiorvm, &c. } aiebat Cyrus architectus, cum radij oculorum per fenestras latis luminibus egrederentur, eas egressiones non tam esse suaues. Etenim } argumentum pro fenestrarum angustiis contra latitudinem. Ab oculis nostris exeunt radij, qui quo longius progrediuntur, eo latius, alter ab altero, disiunguntur: ut ab oculis nostris ad locum, quem spectamus, fiat radiorum quasi pyramis quaedam. &, si hunc totum radiorum, id est uisionis cursum Graecis litteris a principio ad finem notare uelis; in principio, idest in oculis nostris, unde uis oritur uidendi, statues α; extremum, quo spectamus, notabis duabus litteris β γ; spatium inane, quod interiacet, qua disiuncti duo radij currunt, duae item litterae signabunt δ ε. ergo, si quis in cubiculo constitutus aciem aliquo per fenestram uelit intendere, quo angustior erit aditus fenestrae, eo magis oculorum radios in exitu cohibebit; ideoq. erit illa suauior, quia radios disiungi quamminime patietur. &, ut suaues angustae fenestrae, ita non suaues uastae. ὄψις, } adspectus, uisionis initium, oculi ipsi. Vides *enim cetera.* } uides, cum ita sit, quo iunctiores radij per fenestras exeant, eo illas esse suauiores. lato autem aditu non ita iuncti exibunt: latis igitur luminibus fenestrae non tam suaues. Nam, *si &c.* } si per simulacrorum incidentias uideremus, & uidendi sensus, ut aiebat Epicurus, e rerum simulacris fieret, in oculos nostros se se inserentibus, sequeretur, ut ipsae rerum imagines, εἴδωλα quae dicuntur, non facile per angustas fenestras ingredi, & ad oculos peruenire possent; itaq. in ipso aditu impeditae laborarent. sed non ita est. neque enim, ut putat Epicurus, uisio fit ex imaginibus rerum ad oculos aduolantibus, sed potius, ut Stoici sentiunt, ex radiis, qui ab oculis ad res ipsas emittuntur. si Epicurum igitur sequimur, latae fenestrae fiant potius, quam angustae; ne imagines ingredientes, paruo aditu coartatae, laborent, unde adspectus oculis difficilior. sin Stoicis assentimur: angustae fiant potius, quam latae: ut radij quammaxime iuncti per eas emittantur: quo iuuari uidetur sensus oculorum. & apparet, Ciceronem cum Stoicis sentire, quia infert, Nunc &c. Nvnc } positum pro, Sed: ut alibi, cum superiora tollit: quale illud, Nunc ut Apelles, fam. lib. 1. epist. 9. Fit *lepide* } contra quam sentit Epicurus. Illa ἔγχυσις } illa effusio radiorum per angustas fenestras. iuncti enim egredientes radij, deinde se effundunt. Gellius lib. 5. cap. XVI. Si *reprehenderis,* } in aedificio. Ad *mensem Ianuarium,* } quo Caesar, & Bibulus cos. magistratum inituri erant. Ὑπόθεσιν *nostram,* } subiectam rem, in qua uersamur. In *qua* Σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον, } ego tibi, inquit, de rep. nunc in utramque partem disputabo, more Socratico: deinde ad extremum dicam, quae mihi placeat sententia: quo modo ueteres illi Socratici solebant; qui cum εἰς ἑκάτερον, disputassent, ad extremum, quid ipsis placeret, exponebant. deinde incipit disputare. Agraria lex promulgabitur: quid agendum? resistam, an quiescam? si resisto: magnam subeo dimicationem: afficietur iniuria Pompeius, Caesar offendetur, uterque popularis. si quiesco: hoc quidem est deserere remp. non secus ac si in Solonium, aut si Antium abirem. magni igitur consilij res est: siquidem in utramque partem magna insunt momenta rationum: sed explica tuam sententiam, M. Tulli: dic aliquando τὴν ἀρέσκουσαν. ego, inquit infra, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis uideatur εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Caesarem* } consulem, qui ad uoluntatem perferendae legis incubuerat, ut a populo gratiam iniret. Suetonius, Plutarchus. Balbvm } Gaditanum, sed a Pompeio ciuitate donatum: pro quo exstat oratio. Alter autem Balbus, de quo in hoc libro infra, gentis Atiae fuit, maritus Iuliae Caesaris sororis, ex qua genuit Augusti matrem Atiam. Suetonius in Augusto. Conivngeret } alterum alteri offensum reconciliaret. unde Trium uiratus ille reip. exitiosus. Scribit Plutarchus, cum Caesar Pompeium, & Crassum dissentientes uidisset, cogitasse futurum in primis e re sua, si eos cõiungeret: ni faceret, haud fere quidquam eorũ, quae moliretur, posse perficere. Pax } quies: ut illud in Somnio Scipionis: Quaeso, ne me e somno excitetis,

G &pax

& pax sit rebus. SENECTVTIS *otium* } summum otium: quale senibus esse solet: qui fere nihil, aetatis uitio, curant. *κατάκρισις* } sanctio. in 3. enim libro de consulatu meo quasi sanctione quadam me ipse obstrinxi reip. cum Calliopen induxi praescribentem mihi, quid agerem. *εἷς οἰωνὸς* } Homeri locus Iliadis lib. 12. de Hectore auguria contemnente, & unum esse optimum augurium affirmante, Certare pro patria. AMBVLATIONIBVS *compitalicijs* } quia scripserat Atticus, se pridie compitalia cũ eo futurum. Compitalibus igitur, dum alij ludis operam dabunt, nos haec ambulantes conferemus. De die compitalicio Macrobius lib. 1. Sat. Varro de lingua Lat. Cicero in Pisonem, & hic l. 8. ep. 7. ROGAT } ut ueniat ad nos. MATREM } Attici: quae uixit annos xc. Nepos in uita. *Περὶ φιλοτιμίας.* } libros duos de honorum studio, quos nominat in eius uita Laertius,

Cicero S. D. Attico. 4.

*FECISTI mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti: ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) millesimam partem uix intelligo. pro eo tibi praesentem pecuniam solui imperaui; ne tu expensum muneribus ferres. At, quoniam nummorum mentio facta est; amabo te, cura, ut cum Titinio, quoquo modo poteris, transigas. si in eo, quod ostenderat, non stat; mihi maxime placet, ea, quae male empta sunt, reddi, si uoluntate Pomponiae fieri poterit. sine id quidem; nummi potius reddantur, quam ullus sit scrupulus. ualde hoc uelim ante, quam proficiscare, amanter, ut soles, diligenterq. conficias. Clodius ergo, ut ais, * ad Tigranem? uelim, Syrpiae condicione; sed facile patior. accommodatius enim nobis est ad liberam legationem tempus illud, cum &, Quinctus noster iam, ut speramus, in otio consederit, & iste sacerdos Bonae deae cuiusmodi futurus sit, sciri possit. interea quidem cum musis nos delectabimus animo aequo, immo uero etiam gaudenti, ac libenti. neque mihi umquam ueniet in mentem Crasso inuidere, neque paenitere, quod a me ipse non desciuerim. De geographia, dabo operam, ut tibi satisfaciam: sed nihil certi polliceor. magnum opus est; sed tamen, ut iubes, curabo, ut huius peregrinationis tibi opus exstet. Tu quidquid indagaris de rep. & maxime quos cõsules futuros putes, facito, ut sciam. tametsi nimis sum curiosus: statui enim nihil iam de rep. cogitare. Terentiae saltum perspeximus, quid quaeris? praeter quercum Dodonaeam nihil desideramus, quo minus Epirum ipsam possidere uideamur. Nos circiter kal. aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. tu, si in Formiano non erimus; si nos amas, in Pompeianum uenito. id & nobis erit periucundum, & tibi non sane deuium. De muro, imperaui Philotimo, ne impediret, quo minus id fieret, quod tibi uideretur. censeo tamen, adhibeas Vettiũ. his temporibus, tam dubia uita optimi cuiusque, magni aestimo unius aestatis fructũ palaestrae Palatinae, sed ita tamen, ut nihil minus uelim, quam Pomponiam, & puerum uersari in timore ruinae. Vale.*

EXPLANATIO

SERAPIONIS *librum* } de geographia, de qua Cicero scribere cogitabat. uide epist. 6. & 7. TRANSIGAS: } conficias: numeres pecuniam pro rebus, quas ab ipso emimus. IN *eo, quod ostenderat,* } ostenderat se haud immenso pretio contentum fore. MALE *empta* } nimio empta. REDDI } uenditori Titinio. VOLVNTATE *Pomponiae* } non igitur solus Cicero, sed cum Q. fratre, aut cum Pomponia, fratris uxore, eas res de Titinio emerat. NVMMI *potius reddantur.* } malim, Addantur: ut hoc dicat. si ea, quae male empta sunt, Pomponia reddi non uult: adde nummorum aliquid ad id, quod iam numeratum est; solue Titinio pecuniam uel quantam petet: prorsus explicarem, ne scrupulus ullus, aut negotij quidquam supersit. SCRVPVLVS } negotium, aut molestia ex infecta re. AD *Tigranem* } legatus ad Tigranem, Armeniae regem, Clodius. ep. 7. SYRPIAE *condicione* } antiquus liber Bessarionis, Syrpae condiciones. utrumque obscurum, & fortasse deprauatum. TEMPVS *illud,* } cum abierit Clodius. QVINCTVS *noster* } qui Asiam regebat. IN *otio consederit,* } tum expeditus, ut speramus, administratione prouinciae, imperio tertij anni terminato. SACERDOS *Bonae deae* } P. Clodius: qui muliebri uestitu ad sacra Bonae deae accesserat, quo iure sacerdotes solent. ironia. CVIVS*modi futurus sit* } nihil enim acturus contra me uidetur, qui de legatione ad Tigranem cogitet. itaque nihil impedit, quo minus liberam mihi legationem liceat sumere. SCIRI *possit* } hoc abest a Bessarionis antiquo libro. Caualcantis autẽ exemplar sic: Sacerdos bene de te cuiusmodi futurus scius sit. uulgata lectio sententiam habet non absurdam: sed, cum in scriptis libris aliam scripturam uideam; uenit in mentem suspicari, ne quis ex ingẽnio locum restituerit. QVOD *a me ipso non desciuerim.* } quod de ueteri meo defendendae reip. cursu gratia e caussa non deflexerim. MAGNVM *opus est;* } quia sunt difficiles res ad explicandum. ep. 6. PRAETER *quercum Dodonaeam:* } si quercus essent in Terentiae saltu, ut in Epiro tua sunt, iuxta Dodonam ciuitatẽ; ego ipsam mihi uiderer in Italia possidere. cetera non minus abunde sunt, quam in tuis Epiroticis possessionibus: quae hoc uno praestant, quod proximas habent nobiles illas quercus Dodonaeas, quae uocales olim fuisse dicuntur. praeterea nihil est in tota Epiro, quod ego in hoc saltu non habeam. Herodotus l. II. VETTIVM. } Chrysippum Vettium architectum, Cyri architecti libertum: de quo fam. l. 7. ep. 14. PALAESTRAE *Palatinae,* } quae erat in Ciceronis domo Palatina. de muro enim, quem restitui uolebat, spectabantur ij, qui se palaestra exercebant. POMPONIAM, *et puerum* } ipse enim consumere aestatem in itinere cogitabat, sumpta libera legatione. PVERVM } Quinctum Ciceronem, Quincti filium ex Pomponia. IN *timore ruinae* } propter infirmitatem muri, de quo palaestra spectabatur.

Cicero

Cicero S. D. Attico.

CVPIO equidem, & iam pridem cupio Alexandriam, reliquamq. Aegyptum uisere, & simul ab hac hominum satietate nostri discedere, & cum aliquo desiderio reuerti: sed hoc tempore, & his mittentibus, αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους. quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo praemio de sententia esse deductum? πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει, Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus. quid uero historiae de nobis ad annos DC *praedicarint? quas quidē ego multo magis uereor, quam eorum hominum, qui hodie uiuunt, rumusculos. sed, opinor, excipiamus, & exspectemus. si enim deferetur; erit quaedam nostra potestas; & tum deliberabimus. & iam hercule est in non accipiendo non nulla gloria. quare, si quid θεοφάνης tecum forte contulerit, ne omnino repudiaris. de istis rebus exspecto tuas litteras, quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat; ecqui consules parentur; utrum, ut populi sermo, Pompeius, & Crassus, an, ut mihi scribitur, cum Gabinio Ser. Sulpicius; & num quae nouae leges, & num quid noui omnino; &, quoniam Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur. quo quidem uno ego ab istis capi possum. Videte ciuitatem meam. Sed quid ego haec, quae cupio deponere, & toto animo, atque omni cura φιλοτεχεῖν? sic, inquam in animo, sic uellem ab initio. nunc uero, quoniam, quae putaui esse praeclara, expertus sum, quam essent inania; cum omnibus musis rationem habere cogito. Tu tamen de Curtio ad me rescribē certius; & num quis in eius locum paretur; & quid de P. Clodio fiat: & omnia, quemadmodum tu polliceris, ἐπὶ χολῆς scribe: & quo die Roma te exiturum putes, uelim ad me scribas, ut certiorem te faciam, quibus in locis futurus sim: epistolamq. statim des de ijs rebus, de quibus ad te scripsi. ualde enim exspecto litteras tuas. Vale.*

EXPLANATIO

AEGYPTVM } fore uidebat, ut Caesar consul legatum mitteret ad faciendam cum Ptolemaeo, Aegypti rege, societatem, eam legationem & sibi deferri cupiebat; & tamen uerebatur, ne alieno reip. tempore discedentem infamia sequeretur. Caesar lib. III. de bello ciuili. HIS *mittentibus*, } Caesare, & Pompeio legationem deferentibus: quibus Ciceronis discessus uoluptati futurus esset, quod, absente reip. patrono, ipsi se omnia sperarent ex libidine administraturos. αἰδέομαι } Homeri uersus de Hectore. Πουλυδάμας } conuicium Catonis timebo, ut Polydamantis Hector, si certamen cum Achillē recusaret. Iliados χ. EXCIPIAMVS, } quod ad Aegyptiam legationem attinet, ne properemus, sed excipiamus, & exspectemus, num deferatur. CONTVLERIT } quod Pompeij consilia probe nosset, ob intimam familiaritatem. itaque epist. 17. Velim, inquit, ex Theophane expiscere, quonam in me animo sit Arabarches. cum eo loco Pompeium designet. & lib. 5. ep. XI. Pompeius mihi uidebatur in Hispaniā iturus. id ego minime probabam: qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius, quam nunquam illum discedere. ergo Graecus incumbet. ualet autem auctoritas eius apud illum plurimum. Hic est Theophanes ille Mitylenaeus, de quo his uerbis in oratione pro Archia: Quid noster hic Magnus, qui cum uirtute fortunam adaequauit? non ne Theopanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum ciuitate donauit? & Plutarchus saepe. SE *destitutum*, } a Caesare: cuius opera, consulem se designatum iri sperauerat, propterea quod ei consulatū petenti suffragatus erat, ut est ep. 5. NEPOS, } cum Q. Metellus Nepos proficiscatur, quem opinio erat in locum auguris mortui petiturum; cuinam auguratus deferetur? & innuit, Nepotem certum augurem fuisse futurum, nisi Roma discessisset: cur? quia fratris in locum surrogari aequum erat. perierat enim Q. Metellus Celer augur, ut ex oratione in Vatinium cognouimus: Nepos autem & Celer fratres, patrueles tamen, non germani, cum eodem utantur praenomine. Atque hic locus indicat, qui ab urbe abessent, eos fieri augures nō potuisse, cum tamen id lex non uetaret, ut lib. I. ep. XI. ad M. Brutum. QVONIAM *Nepos proficiscitur*, } in prouinciam, ex praetura: quam uero prouinciam, ignoratur. nam de Hispania, non est, ut intelligi possit: quam rexit Metellus post consulatum; ut ex Plutarcho in Caesare, & Dione lib. XXXIX. si diligenter inspiciatur, facile est cognoscere. at haec epistola Caesare, & Bibulo cos. scripta est, biennio ante Metelli consulatum, anno post eius praeturam proximo. CAPI *possum.* } si enim isti auguratum mihi deferrent, captus beneficio dissentire ab ijs in rep. non possem. Nondum enim erat augur Cicero; nec fuit nisi post reditum ab exsulio. quāquā in ep. quam scribit ad Catonem, dicit se auguratum neglexisse: sed scribit ad Catonem, id est ad hominem seuerissimum, ab omni prorsus ambitione alienum. VIDETE *ciuitatem meam.* } hemistichium ex uetere poeta, in miserabilem ciuitatis adspectum. QVAE *putaui esse praeclara* } magistratus, & honores. EXPERTVS *sum* } quia summi honores, summa cum laude gesti, mihi tamen, ut uideo, contra perditorum conatus praesidij minimum attulerunt. iam enim, equitibus a senatu alienatis, cum Q. Catulus, & Q. Metellus, duo fortissimi reip. propugnatores, obijssent; Pompeij, Caesaris, & Crassi facta coitio esset; Bibulus consul, armis foro pulsus, domi se teneret; senatus duces non haberet; afflicta langueret optimatum caussa; non dubie Cicero impendentem exsulij sui calamitatem cernebat. CVM *omnibus musis rationem habere* } prorsus me litteris dedere. RESCRIBE *certius*, } num ita grauiter laboret, ut desperetur. QVID *de P. Clodio* } num legatus ad Tigranem eat.

Cicero S. D. Attico. 6.

QVOD tibi superioribus litteris promiseram, fore, ut opus exstaret huius peregrinationis: nihil iam magnopere confirmo. sic enim sum complexus otium, ut ab eo diuelli non queam. itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antij festiuam copiam: aut fluctus numero. nam ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneae. a scribendo prorsus abhorret animus. etenim γεωγραφικὰ, quae constitueram, magnum opus est: ita ualde Eratosthenes, quem mihi proposueram, à Serapione, & ab Hipparcho reprehenditur. quid censes, si Tyrannio accesserit? & hercule sunt res difficiles ad explicandum, & ὁμοειδεῖς, nec tam possunt ἀνθηρογραφεῖσθαι, quam uidebantur: &, quod caput est, mihi quaeuis satis iusta caussa cessandi est. quin etiam dubitem, an hic Antij considam, & hoc tempus omne consumam: ubi quidem ego mallem diu nimirum, quam Romae, fuisse. tu uero sapientior Buthroti domum parasti. sed, mihi crede, proxima est illi municipio haec Antiatum ciuitas. esse locum tam prope Romam, ubi multi sint, qui Vatinium numquam uiderint? ubi nemo sit, praeter me, qui quemquam ex XX uiris unum esse saluum uelit? ubi me interpellet nemo, diligant omnes? hic, hic nimirum πολιτευτέον: nam istic non solum nō licet, sed etiam taedet. itaque ἀνέκδοτα a nobis, quae tibi uni legamus, Theopompino genere, aut etiam asperiore multo pangentur. neque aliud iam quidquam πολιτεύομαι, nisi odisse improbos, & id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi uoluptate. Sed, ut ad rem, scripsi ad quaestores urb. de Quincti fratris negotio. uide, quid narrent, ecquae spes sit denarij, an cistophoro Pompeiano iaceamus. Praeterea de muro, statue, quid faciendum sit. Alitud quid? etiam. quando te proficisci istinc putes, fac ut sciam. Vale.

EXPLANATIO

FESTIVAM } iucundam, qua hilaritas excitetur. FLVCTVS *numerò.* } quod ab ijs fieri solet, quos ipsum nihil agere delectat. LACERTAS } pisces, alacerti, humani membri, similitudine dictos. Sed malim, Lacertos, ut eos appellant Plinius, Celsus, Martialis, alij. Lacertorum autem tria genera. maximus est colias, de quo Plinius lib. 32. cap. ult. medius graculus, qui uidetur esse, quem Romae merlucium uocant: minimus scomber, uulgo notus, Romae, & in Gallia macarello, a maculis, quibus, & forma terrestri lacertae non dissimilis. SERAPIONE, *& Hipparcho* } Serapio Antiochensis, a Plinio in Indice nominatus, scripsit περὶ τῆς γεωγραφίας. Hipparchus autem Nicaeus errata collegit Eratosthenis, ut ait Strabo lib. 2. quo loco eius librum appellat πρὸς Ἐρατοσθένην. Ὁμοειδεῖς, } nam & de montibus, & de fluminibus, & de situ urbium, aliaq. huiusmodi saepius iteranda. quo fit, ut, cum eaedem res fere semper occurrant, uarietate orationis distingui uix possint. TYRANNIO } qui & ipse scripserat τὰ γεωγραφικά. QVIN ETIAM *dubitem* } placeret, Qui etiam; hoc sensu. Vide, quam sim complexus otiū. prorsus antea peregrinari statueram, & in ea peregrinatione aliquid scribere τὸ γεωγραφικόν. nunc quādoque cogito, omisso peregrinandi consilio, Antij considere. QVI *etiam dubitem:* } cui etiam aliquādo ueniat in mentem Antij considere. Hoc *tempus* } quod ponere statueram in peregrinatione. BVTHROTI } procul a strepitu rerum urbanarum. PROXIMA *est* } simillima est, quod ad solitudinē, & amoenitatē attinet. Iterat idē l. 4. ep. 8. his uerbis: Scito Antiū Buthrotum esse Romae, ut Corcyrae illud tuum. nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius. VATINIVM } tribunū pl. Caesaris consulis ministrū in seditionibus. VIGINTI *uiris* } quos Caesar, perlata lege agraria, ad aestimationē agri Campani creauerat; cū insuper quinque creasset, qui aestimatū diuiderēt. ep. 7. l. 2. & 2. l. 9. & Dio lib. 38. VNVM *esse saluum* } Caualcantis liber, Viuum est saegium. Bessarionis, Viuum est segium. uulgata lectio lumē interpretationis non desiderat, cum sententia pateat. Πολιτευτέον } reip. opera nauanda, in litteris, uidelicet, & libris, doctissimorum hominum exemplo. Ἀνέκδοτα } uel recondita quaedam, quae in apertum non proferantur, tibi uni pateant; uel qualia nemo adhuc edidit. THEOPOMPINO *genere* } Theopompus in historijs suis hominum mores aspere accusabat. Πολιτεύομαι, } opera, quam nunc quidē, Antij dum sum, reip. nauo, haec est, odisse improbos. DE *Quincti fratris negotio* } quod Q. Ciceroni, Asiam regenti, a populo Romano in sumptum debebatur, id sibi ille denario, id est Romana pecunia, non cistophoro, qui nummus erat Asiaticus, curari uolebat. uide igitur, inquit Cicero, ecquae spes sit denarij, an cistophoro contenti esse cogamur. Pompeianum appellat, quod in Asia magnam pecuniā Pompeius in cistophoro habebat, quaesitam quo tempore in ijs regionibus contra Mithridatem bellum gessit: e qua pecunia quaestores numerari Quincto uolebant, tantundem ipsi postea Pompeio Romae denario numeraturi. ep. 16. DE *muro* } Palatinae domus ep. 6. l. 2. ALIVD *quid? etiam.* } aliud quid est, quod ad te scribam? unum hoc reliquum est: quando te proficisci &c. Sic locutus est ep. 11. l. 1. quo in loco uide, quae diximus.

Cicero S. D. Attico. 7.

DE GEOGRAPHIA etiam atque etiam deliberabimus. Orationes autem me duas postulas: quarum alteram non libebat mihi scribere, quia abscideram; alteram, ne laudarem eum, quem non amabam. sed id quoque uidebimus. denique aliquid exstabit; ne tibi plane cessasse uideamur. De Publio quae ad me scribis,

sane

sane mihi iucunda sunt: eaq. etiam uelim omnibus uestigijs indagata ad me afferas, cum uenies; & interea scribas, si quid intelliges, aut suspicabere, & maxime de legatione quid sit acturus. equidem ante, quam tuas legi litteras, in hominem ire cupiebam; non mehercule, ut differrem cum eo uadimonium; (nam mira sum alacritate ad litigandum) sed uidebatur mihi, si quid esset in eo populare, quod plebeius factus esset, id amissurus. quid enim? ad plebem transisti, ut Tigranem ires salutatum? narra mihi, reges Armenij patricios salutare non solent? quid quaeris? acueram me ad exagitandam hanc eius legationem. quam si ille contemnit; & si, ut scribis, bilem id commouet & latoribus, & auspicibus legis curiatae: spectaculum egregium. Hercule, uerum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius: primum, qui, cum in domo Caesaris quondam unus uir fuerit, nunc ne in uiginti quidem esse potuerit: deinde, alia legatio dicta erat, alia data est: illa optima ad exigendas pecunias Druso: ut opinor, Pisaurensis nebuloni Vatinio reseruatur: haec ieiuna, ac bella relegatio datur ei, cuius tribunatus ad istorum tempora reseruatur. incende hominem, amabo te, quoad potes. una spes est salutis, istorum inter istos dissensio. cuius ego quaedam initia sensi ex Curione. iam uero Arrius consulatum sibi ereptum fremit. Megabocchus, & haec sanguinaria iuuentus inimicissima est. accedat uero, accedat etiam ista rixa auguratus. Spero me praeclaras de istis rebus epistolas ad te saepe missurum. Sed, illud quid sit, scire cupio, quod iacis obscure, iam etiam ex ipsis quinque uiris loqui quosdam. quidnam id est? si est enim aliquid; plus est boni, quam putaram. atque haec, sic uelim existimes, non me abs te κατὰ τὸ πρακτικὸν quaerere; quod gestiat animus aliquid agere in rep. iam pridem gubernare me taedebat, etiam cum licebat. nunc uero, cum cogar exire de naui, non abiectis, sed ereptis gubernaculis, cupio istorum naufragia ex terra intueri; cupio, ut ait tuus amicus Sophocles, κἂν ὑπὸ στέγῃ Πυκνῆς ἀκούειν ψακάδος εὐδούσῃ φρενί.

De muro, quid opus sit, uidebis. Castritianum mendum nos corrigemus: et tamen ad me Quinctus CIↃCCIↃↃCIↃↃↃ scripserat, non ad sororem tuam HS xxx. Terentia tibi salutem dicit. Cicero tibi mandat, ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo, sororis tuae filio, respondisti. De Amalthea quod me admones, non negligemus. Cura, ut ualeas.

EXPLANATIO

QVEM *non amabam* } forte. Pompeium: quem amare desierat, quod Clodium ad plebem transduxisset. ep. 19. l. 2. DE *Publio* } Clodio. LEGATIONE } ad Tigranem. ep. 2. QVID *sit acturus.* } num ea sit usurus. nam paullo post: Quam si ille contemnit, spectaculum egregium. IN *hominem* } tolle praepositionem, In: sententia patebit. AMISSVRVS. } cum legatus longe gentium abiret: qui plebeius uideretur esse factus, non ut inani legationum munere tempus consumeret, sed ut Romae plebis negotium gereret. PATRICIOS *salutare* } Armeni reges Romam uenire solent, ut patricios salutent. tu autem, patricius cum esses, transire ad plebem uoluisti, quam ob caussam? ut ipse regem Armenium ires salutatum. minus igitur significas esse dignitatis in plebeijs, quam in patricijs, cum hi salutari soleant, tu autem salutatum ire uelis. LATORIBVS, *& auspicibus legis curiatae,* } illis ipsis, qui eum ad plebem transduxerunt, Caesari uidelicet, & Pompeio: quorum alter consul legem tulerat de Clodio ad plebem transducendo; alter augur in auspicio fuerat. epist. 9. Dio lib. 38. LEGIS *curiatae:* } qua Clodius ad plebem transductus est, Caesare latore, auspice Pompeio. in oratione pro domo. VNVS *uir* } cum in domo Caesaris, pontificis maximi, inter mulieres deprehensus est. ep. 7. IN *uiginti* } creatis ad diuisionem agri Campani. ep. 1. l. 9. Velleius lib. 2. Suet. in Augusto, Dio lib. 38. PISAVRENSIS *nebuloni* } Bessarionis liber, item Caualcantis, Pisaurensia nepiloni, alij aliter. nos, quam maxime ad antiquam scripturam accedentes, ita putamus esse corrigendum: Illa opima ad exigendas pecunias Druso, ut opinor, Pisaurensi, an epuloni Vatinio reseruatur? ut, quae Clodio promissa fuerat legatio, eam dicat Druso, aut Vatinio reseruari. & est usitata Ciceroni locutio, ambigenti hoc an illud sit: ut libro 1. Nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis? & in epistola ad Trebatium: Cn. Octauius, an Cn. Cornelius quidem? is me ad cenam saepe uocat. item in Bruto: Paucis ante, quam mortuus est, an diebus, an mensibus? & lib. 12. Dicitur Quinctum filium uidisse an euntem, an iam in Asia? BELLA *relegatio* } non est hoc, Clodium legare, sed specie legationis relegare. Et argute, cum post uerbum, Ieiuna, adscripturus uideretur, Legatio, ut contrarium contrario redderet, quia dixerat, Opima, iocum captans, repente uertit sententiam, & intulit, Bella relegatio. In libro Bessarionis antiquo uideo scriptum esse, Ieiuna tabella relegatio, tribus uerbis distincte: ut mutationis minimum sit in nostra correctione. AD *istorum tempora reseruatur.* } qui enim Clodium nunc ad Tigranem mittunt, ideo mittere uidentur, ut comitijs tribunicijs Romae ne sit, itaq. petitione tribunatus excludatur. id autem, ut tribunatum illi non tam eripiant, quam ad ipsorum tempora reseruent. quasi arbitratu suo possent magistratus dare, cum uellent. INCENDE *hominem,* } incende Clodium contra Caesarem, & Pompeium. qui eum tam contumeliose tractent. EX *Curione.* } cognosce ex epistola sequenti. CONSVLATVM *sibi ereptum* } sperauerat enim, in petitione consulatus usurum se esse Caesaris opibus, qui & ipse Caesari petenti anno proximo superiore suum studium, suamq. operam praestiterat. sed Caesar ad consulatum peruenit. de officio non laborans, Arrium neglexit. EREPTVM: } non quia consules essent creati, sed quia Caesaris promissis Arrius destitutus iam de consulatu desperabat; cum se exclusum non dubie conijceret, Caesare, Pompeio, & Crasso sibi inuicem gratificantibus. ep. 5. MEGABOCCHVS } Pompeius: qui in his epistolis a Cicerone diuersis nominibus appellatur, Epicrates, qui omnia teneret; Sampsiceramus, Arabarches, & Hierosolymarius,

marius, haec loca uictorijs adeptus; Megabocchus, magnus Africae rex, quia Domitium, & Iubam, Sullanis temporibus in Africa uicerat. Bocchus autem in Mauritania, Africae parte, regnauerat. SANGVINARIA } caedis cupida; uel facilis ad caedem committendam, ex Catilinae, sanguinarij hominis, disciplina. ep. 12. Concursabant, inquit, barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis. & ep. 14. Nostri isti comissatores coniurationis, barbatuli iuuenes. INIMICISSIMA *est.* } magno odio Megabocchus est huic sanguinariae iuuentuti. AVGVRATVS } nam ex ambitione multorum, qui in locum Metelli petent, dissensiones inter istos existent. ep. 5. QVINQVE *uiris* } puto pro Quinque, reponendum Viginti, de quibus in hac epist. LOQVI *quosdam* } contra Caesarem, & Pompeium. NAVFRAGIA } dissensiones; & rixas. EXIRE *denaui* } cum mihi facultas eripiatur administrandae reip. NON *abiectis*, } non sponte, sed coactus omitto curam reip. EX *terra* } ipse extra periculum naufragij: quale illud Lucretij:

,, Suaue, mari magno turbantibus aequora uentis,
,, E terra magnum alterius spectare laborem.

DE *muro*, } de quo epist. 4. & 6. CASTRITIANVM *mendum* } quiddam significat de Castritio, qui in Asia negotiatus erat, ut ex oratione pro Flacco. CIↃ ↀCIↃↃIↃↃↃ } corruptus, opinor, locus. non enim in explicanda aliqua summa praeponitur mille decem millibus. quare malim sic, CIↃ CIↃ CIↃ: si tamen per antiquos libros liceret: quod licere non uideo. mendum illud Castritianum fortasse fuit inter tria millia, & triginta millia, quae infra proxime nominantur. sed, ut dixi, ueteres libri consulendi. Tria millia sestertiorum sunt, scutati nonaginta: triginta uero millia, nongenti. SCRIPSERAT } ex Asia prouincia. CICERO } filius meus. FRATRE } patruele, Quincto Cicerone filio. DE *Amalthea* } gymnasio Ciceronis, de quo ep. 1.

Cicero S. D. Attico. 8.

EPISTOLAM cum a te auide exspectarem ad uesperum, ut soleo; ecce tibi nuncius, pueros uenisse Roma. uoco, quaero, ecquid litterarum? negant. quid ais, inquam, nihil ne a Pomponio? perterriti uoce, & uultu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in uia. quid quaeris? permoleste tuli. nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili, & suaui. nunc, si quid in ea epistola, quam ante diem XVI. kal. Mai. dedisti, fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus: sin nihil praeter iocationem, redde id ipsum. & scito Curionem adolescentem uenisse ad me salutatum. ualde eius sermo de Publio cum tuis litteris congruebat. ipse uero mirandum in modum reges odisse superbos. peraeque narrabat incensam esse iuuentutem, neque haec ferre posse. bene habemus. nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiae, quam quam licet me Sanfeium putes esse. nihil me est inertius. Sed cognosce itinera nostra; ut statuas, ubi nos uisurus sis. In Formianum uolumus uenire Parilibus inde, (quoniam putas praetermittendum nobis esse hoc tempore cratera illum delicatum) kal. Mai. de Formiano proficiscemur, ut Antij simus ad V. non. Mai. ludi enim Antij futuri sunt a IV. kal. ad prid. non. Mai. eos Tullia spectare uult. inde cogito in Tusculanum; deinde Arpinum, Romam ad kal. Iun. te aut in Formiano, aut Antij, aut in Tusculano, cura ut uideamus. Epistolam superiorem restitue nobis, & appinge aliquid noui. Vale.

EXPLANATIO

ANTE *diem*. XVI. *Kal. Maij* .} puta dictum, XVI. Kal. Maij. nam idem significat: quasi, decimosexto die ante diem Kalendas Maij; ut tamen includantur kalendae Maij. itaque in epistola ad Tironem, post diem nonas Nouembris constituit ante diem IIX. idus Nouembris, idest, IIX. idus Nouembris. est. n. concisa locutio, cũ dicimus, IIX. idus; cum uero, ante diem IIX. idus plenior: nã est, ante diẽ idus octauo die: ut, & qui primus iduum est dies, & qui extremus, intra numerum recipiantur. DEDISTI, } eam quae pueris exciderat in uia. HISTORIA *dignum*, } non leue quiddam, aut iocosum, sed serium, & graue: qualia sunt, quae in historias referuntur. DE *Publio* } aiebat, Caesari, & Pompeio bilem commoueri, quod a P. Clodio contemni legationem ad Tigranem uiderent. ep. 7. MIRANDVM *in modum* } de quo ep. 10. Vnus loquitur, & palam aduersatur adolescens Curio. REGES *odisse superbos*. } qui supra leges esse uellent, Caesarem, Pompeium, & Crassum. Nec dubito, quin sit hemistichiũ ex uetere poeta, cum in illud inspicio, quod legitur lib. 6. ep. 3. Tibi ualde solet in ore esse, Granius autẽ non contemnere se, & reges odisse superbos. OPINOR, *aliud agamus*. } ego, ex istorum societate ne quid mihi crearetur periculi, timebam. nunc, cum & initia uideam dissensionis ipsorum inter ipsos; & iuuentutem audiam haec ferre non posse: opinor, licet mihi animum a timore liberatum ad alias res transducere. quod idem in epistola superiore dixit, Vna spes est salutis, istorum inter istos dissensio. HISTORIAE, } scribendae, Theopompino genere: epist. 6. SAVFEIVM } tardum, & negligentem; qualis Saufeius, qui laborem non fert, uel natura, uel, quia Epicureus, instituto, & consuetudine. uide ep. 1. lib. 7. QVONIAM *putas* } hoc, inquit, tempore non putas diutius mihi esse manendum in Formiano, ut cratere illo fruar, quem scis me in delicijs habere, quod ad potationes aptissimus, & elegantissimus sit. A IV. *Kal. ad pridie nonas Mai*. } uerbum kal. puto abundare, & legendum, A IV. ad pridie nonas Maij: ut IV. nonas ludi committerentur, pridie desinerent: cum simile ueri sit, eo die Ciceronem

ceronem Antij esse uoluisse, qui ludorum commissionem proximus antecessit: siquidem Antium cogitat dumtaxat ludorum caussa. & erit perelegans locutio, A IV. ad pridie nonas; ne, Nonas, inepte iteretur. inculcatam suspicor dictionem Kal. ab hominibus imperitis, qui desiderari aliquid crederent, post, IV. AD *Kal. Iun.* } ut in senatu adesse possim. qui kalendis haberi solebat: ut exemplis infra docebimus.

Cicero S. D. Attico. 9.

SVBITO, cum mihi dixisset Caecilius quaestor puerum se Romam mittere, haec scripsi raptim, ut tuos elicerem mirificos cum Publio dialogos, cum eos, de quibus scribis, tum illum, quem addis, & ais, longum esse, quae ad ea responderis, perscribere; illum uero, qui nondum habitus est, quem illa βοῶπις, cum e Solonio redierit, ad te est relatura. sic uelim putes, nihil hoc posse mihi esse iucundius. si uero, quae de me pacta sunt, ea non seruantur, in caelo sum; ut sciat hic noster Hierosolymarius transductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit: quarum exspecta diuinam παλινῳδίαν. etenim, quantum coniectura auguramur, si erit nebulo iste cum his dynastis in gratia, non modo de cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare. non enim poterimus ulla esse in inuidia, spoliati opibus, & illa senatoria potentia. sin autem ab iis dissentiet; erit absurdum in nos inuehi. uerumtamen inuehatur. festiue, mihi crede, & minore sonitu, quam putaram, orbis hic in rep. est conuersus: citius omnino, quam potuit; id culpa Catonis, sed rursus improbitate istorum; qui auspicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam, & Liciniam, qui Caeciliam, & Didiam neglexerunt; qui omnia remedia reip. effuderunt; qui regna, qui praedia tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt. uideo iam, quo inuidia transeat, & ubi sit habitura. nihil me existimaris neque usu, neque a Theophrasto didicisse, nisi breui tempore, desiderari nostra illa tempora, uideris. etenim, si fuit inuidiosa senatus potentia; cum ea non ad populum, sed ad tres homines immoderatos redacta sit, quidnam censes fore? proinde isti licet faciant, quos uolent, consules, tribunos pl. denique etiam Vatinij strumam sacerdotij διβάφῳ uestiant. uidebis breui tempore magnos non modo eos, qui nihil titubarunt, sed etiam illum ipsum, qui peccauit, Catonem. nam nos quidem, si per istum tuum sodalem Publium licebit, σοφιστεύειν cogitamus: si ille cogitat, tantum dumtaxat nos defendere, &, quod est proprium artis huius, ἐπαγγέλλομαι

Ἄνδρ᾽ ἀπαμύνασθαι, ὅς τις πρότερος χαλεπήνῃ.

patria propitia sit: habet a nobis, etiam si non plus, quam debitum est, plus certe, quam postulatum est. male uehi malo alio gubernante, quam, tam ingratis uectoribus, bene gubernare. Sed haec coram commodius. nunc audi, quod quaeris. Antium me ex Formiano recipere cogito ad v. non. Maij. Antio uolo nonis Mai. proficisci in Tusculanum. sed, cum e Formiano rediero, (ibi esse uolo usque ad prid. kal. Mai.) faciam statim te certiorem. Terentia tibi salutem. Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον.

EXPLANATIO

CVM *Publio dialogos*, } Atticus ad Ciceronem scribebat, e Clodio se, quae poterat, in sermone elicere. ILLVM *uero* } illum autem maxime. *βοῶπις* } ἐπίθετον Iunonis apud Homerum, quasi bouinos habens oculos. Cicero transtulit ad Clodij sororem, tamquam alteram Iunonem, quae cum fratre coire diceretur. ep. 1. PACTA *sunt*, } promiserat Clodius Pompeio, se nihil acturum contra Ciceroné. ep. 22. & 24. NON *seruantur* } a Clodio. HIEROSOLYMARIVS. } Pompeius, a Hierosolymis captis. TRANSDVCTOR *ad plebem* } transduxerat Clodiú ep. 7. PVTISSIMIS } luculentis, & splendide scriptis: quibus illum ornaui. unde Aurum purum putum. Potest intelligere cum alias, in quibus Pompeiú laudauit, orationes, tum eam maxime, qua Maniliam rogationem suasit. GRATIAM *retulerit* } qui plebeium fecerit inimicum meum. NEBVLO *iste* } P. Clodius. CVM *his dynastis* } cum Caesare, Pompeio, & Crasso; qui omnia possunt. DE *Cynico consulari*, } nullam, inquit, non modo in me, sed ne in Lucullum quidem, aut Hortensium, poterit Clodius inuidiam concitare. nam Pompeius, Caesar, & Crassus cum omnia teneant; qui fieri potest, ut ulla nos in inuidia simus, spoliati opibus, & illa senatoria potentia? itaque, quod contra nos agat, Clodius non habebit. Cynicum autem se uocat, quasi Diogenem quendam, seuerum hominem, minime delicatum; illos autem, piscinarum Tritones, quod ita piscinis delectarentur, ut quasi Tritones in aquis uiuere uiderentur. Et placet, ut illud, Cynico, cum laude dicatur, hac sententia, non modo me, cuius omnes curae ad uirtutem referuntur, sed ne istos quidem, qui praeter suas piscinas nihil curant, poterit Clodius in ullam inuidiam adducere. QVAM *potuit:* } subaudi, per publicas rationes. est enim, Potuit, licuit, debuit, aequum fuit. quale illud ep. 15. Potuerit intercedi, nec ne, nihil ad se pertinere. & in oratione pro domo: Senatus aliquid consilij capere potuit: & in epistola Coelij: Potuit supersedere, pro oportuit. sic enim habent uetusti libri. CATONIS, } qui equites a senatu alienauit. ep. 16. AVSPICIA } docet in oratione pro domo sua, Clodium cótra auspicia fuisse adoptatum, quia, quo die de eius adoptione lata lex est, Bibulus augur de caelo seruauit; & agi cum populo nefas erat, cum de caelo seruaretur. Idem & in oratione de haruspicum responsis. AELIAM *legem*, } quae erat de obnunciationibus: qua Caesar neglecta, Bibulum collegam obnunciantè armis foro expulit. Suetonius. IVNIAM, *& Liciniam*, }

quam

quam non seruauit Vatinius; quia trinũdini rationem in legum promulgatione nullam habuit: de quo lex Iunia Licinia sanxerat. Liciniam uero, quae legum latoribus, eorumq. collegis, cognatis, affinibus potestatem, aut curationem mandari uetabat, diuersam ab hac fuisse, satis multis uerbis in libro de Legibus docuimus. Et, ut aliud ex alio, in oratione in Vatinium ita scriptum est: Quaero, postulatus ne sis lege Licinia, & Iunia: de quibus & in oratione. v. in Antonium mentio fit. CAECILIAM, *& Didiam* } antea, Coeliam, in uulgatis libris, nec aliter in omnibus scriptis. nos tamen aliquot ab hinc annis, Caeciliam, in nostro libro reposuimus, primum ex oratione pro domo, ubi Caeciliae legis, & Didiae mentio iteratur; deinde ex fastis; in quibus uideo collegas esse Q. Caecilium Metellum, T. Didium Viuum anno ab urbe condita DCLVI. nisi si quis, contra ueritatem plus aequo pugnax, Coelium, & in consulum catalogo legendum contendat. quem facile ratio uincet, cum Metellus non Coeliae, sed Caeciliae gentis cognomen sit. Opinor autem hac lege cautum esse, ut, quae leges per trinundinum promulgatae non fuissent, eae non ualerent. quod ex oratione pro domo sua, & ex. v. in Antonium cognoscitur. Caeciliam uero Didiam, quae diuersis de rebus legem ferri uetabat, de qua mentio fit in eadem pro domo sua, diuersam ab hac fuisse; facile est conijcere; cum tamen ab ijsdẽ consulibus lata sit. EFFVDERVNT: } proiecerunt; ut resp. periret. REGNA } hoc aperte in oratione in Vatinium: Volo, uti mihi respondeas, feceris ne foedera tribunus pl. cum ciuitatibus, cum regibus, cum tetrarchis? erogaris ne pecunias ex aerario tuis legibus? eripueris ne partes, illo tempore carissimas, partim a Caesare, partim a publicanis? & in epistola ad Lentulum: Tota interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus: in quo omnia dicta sunt libertate, animoq. maximo de ui, de auspicijs, de donatione regnorum. TRANSEAT, } inuidia discedet a nobis, & ad eos, qui haec fecerunt, transibit. HABITVRA: } pro, habitatura: ut apud Plautum, Quis hic habet? & in libris Digestorum, Habet post horrea mea. A THEOPHRASTO } a Theophrasti libris de rep. quorum lectione ita delectabatur, ut Plutarchus Theophrastum Ciceronis delicias appellet. NOSTRA *illa tempora*, } triennium quod fuit a consulatu Ciceronis, & Antonij ad consulatum Caesaris, & Bibuli. epist. 9. lib. 1. fam. INVIDIOSA } ad populum: cum senatus opes ex equitum concordia uigerent. TRES *homines* } Caesarem, Pompeium, Crassum. VATINII *strumam sacerdotij διβάφῳ uestiant.* } Vatinio auguratum deferant. delatus tamen non est: ut oratio in ipsum ostendit. de hoc auguratu ep. 5. & 7. STRVMAM: struma tumidum fuisse Vatinij guttur, scribit Plutarchus in Cicerone. SACERDOTII *διβάφῳ*: sacerdotium pro auguratu posuit, & in epistola ad Catonem. *διβάφω* autem praetexta, qui auguratu praediti essent, utebantur. in epist. 16. ad Coelium, lib. 2. fam. QVI *peccauit*, } cuius culpa conuersus est orbis reip. epist. 1. & 7. Σοφιστεύειν } sapientiam quaerere, philosophari missa reip. cura. SI *ille cogitat*, } si quid ille aduersus me inimice cogitat. uel corrige: Si ille cogit, at tantum dumtaxat nos defendere. ut nihil mutetur, &c, Tantum dumtaxat, ita dictum sit, quo modo dicitur, Tantum modo, pro Tantum. PROPRIVM *artis huius* } quia sophistae, si quis prior in disputando lacessisset, ulciscebantur. Ἐπαγγέλλομαι } hoc uerbum, etsi coniungitur cum Homeri uersu, non Homeri tamen, sed Ciceronis, est. IN *gratis uectoribus*, } Pompeium notat; qui, cum Ciceroni summe deberet, eius tamen inimicum ad plebem transduxerat.

Cicero S. D. Attico. 10.

VOLO ames constantiam meam. ludos Antij spectare non placet. est enim ὑποσόλοικον, cum uelim uitare omnium deliciarum suspicionem, repente ἀναφαίνεσθαι nõ solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem. quare usque ad non. Mai. te in Formiano exspectabo. nunc fac, ut sciam, quo die te uisuri simus. Ab Appij foro, hora quarta: dederam aliam paullo ante a Tribus Tabernis. Vale.

Cicero S. D. Attico. 11.

NARRO tibi: plane relegatus mihi uideor, postea quam in Formiano sum. dies enim nullus erat, Antij cum essem, quo die non melius scirem, Romae quid ageretur, quam ij, qui erant Romae. etenim litterae tuae, non solum quid Romae, sed etiam quid in rep. neque solum quid fieret; uerum etiam quid futurum esset, indicabant: nunc, nisi si quid ex praetereunte uiatore exceptum est, scire nihil possumus. quare, quamquam iam te ipsum exspecto; tamen isti puero, quem ad me statim iussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum: ac diem, quo Roma sis exiturus, cura ut sciam. Nos in Formiano esse uolumus usque ad prid. non. Mai. eo si ante eam diem non ueneris, Romae te fortasse uidebo. nam Arpinum quid ego te inuitem?

Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. οὔ τι ἔγωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι

Haec igitur. Cura ut ualeas.

EXPLANATIO

TP**ERRIA.** } Homeri uerba de Ithaca, Vlyssis patria, Odyss. I. Quid ego, inquit, Arpinum te inuitem, quod amoenitate delectare non magis potest, quam Ithaca illa, in asperrimis saxulis, tamquam ni dulus, affixa; fortes tamen uiros, non minus quam Ithaca, gignit. Erat autem Cicero Arpinum Formiano, Arpino Romam iturus. ideo dicit, Romae te fortasse uidebo. ep. 8.

Cicero S. D. Attico. 12.

NEgent illi Publium trib. pl. factum esse. hoc uero regnum esse, ferri nullo pacto potest. emittat ad me Publius, qui obsignent. iurabo, Cnaeum nostrum, collegam Balbi, Antij mihi narrasse, in auspicio fuisse. o suaues epistolas tuas, uno tempore mihi datas, duas: quibus εὐαγγέλια quae reddam nescio, deberi quidem plane fateor. sed uide συγκύριμα. Emerseram commode ex Antio in Appiam ad Tres Tabernas, ipsis Cerialibus, cum in me incurrit Roma ueniens Curio meus. ibidem illico puer abs te cum epistolis. ille ex me, nihil ne audissem noui? ego negare. Publius, inquit, tribunatum pl. petit. quid ais? & inimicissimus quidem Caesaris, & ut omnia, inquit, ista rescindat. quid Caesar? inquam. negat, se quidquam de illius adoptione tulisse. deinde suum, Memmij, Metelli Nepotis exprompsit odium. Complexus iuuenem dimisi, properans ad epistolas. Vbi sunt, qui aiunt, ζώσης φωνῆς? quanto magis uidi ex tuis litteris, quam ex illius sermone, quid ageretur? de ruminatione quotidiana, de cogitatione Publij, de lituis βοώπιδος, de signifero Athenione, de litteris missis ad Cnaeum, de Theophanis, Memmijq. sermone. quantam porro mihi exspectationem dedisti conuiuij istius ἀσελγοῦς? sum in curiositate ὀξύπεινος: sed tamen facile patior te id ad me συμπόσιον non scribere: praesentem audire malo. Quod me, ut scribam aliquid, hortaris: crescit mihi quidē materies, ut dicis: sed tota res etiam nunc fluctuat. κατ' ὀπώρην τραχύτης. quae si desederit; magis erunt iudicata, quae scribam: quae si statim a me ferre non potueris, primus habebis tū, & aliquādiu solus. Dicaearchū recte amas. luculentus homo est, & ciuis haud paullo melior, quam isti nostri ἀδικαίαρχοι. Litteras scripsi hora decima Cerialibus, statim, ut tuas legeram: sed eas eram daturus, ut putaram, postridie ei, qui mihi primus obuiam uenisset. Terētia delectata est tuis litteris, & impertit tibi multum salutis: καὶ Κικέρων ὁ φιλοσοφώτατος τὸν πολιτικώτατον Τίτον ἀσπάζεται.

EXPLANATIO

NEGENT *illi* } cum Caesar, & Pompeius Clodium ad plebem transduxissent, eoq. mox non satis amico uterentur, qui etiam delatam ab iis Armeniam legationem contempsisset; negabant, illum plebeium esse factum, ideoq. nec tribunatum posse petere. hic Cicero indignans, Quod regnum, inquit, est hoc? fecerunt, quod iure non poterant: nunc, quia paenituit, factum negant. sed, si Clodius emittat ad me, qui meum hac de re testimonium tabellis excipiant, & obsigneut; iurabo, Cn. Pompeium Antij mihi narrasse, in auspicio se fuisse, cum Clodius lege Caesaris ad plebem transduceretur. PVBLIVM *tribunum pl. factum esse.* } cum Clodius tribunus pl. factus erit, tum quid isti dicent? negabunt id fieri potuisse, quia non iure ad plebem transierit? Et, quamquam nondum Clodius tribunatum adeptus erat, Cicero tamen, ut de re, quae iam sit, quia futurum non dubitat, ita loquitur. Alij, Publium plebeium factum esse, placeret, si ueteres libri consentirent: cum illud, quod sequitur, In auspicio fuisse, ad tempus illud spectet, quo plebeius Clodius factus est. COLLEGAM *Balbi,* } in xxuiratu. ep. 7. Atium enim Balbum, qui maternus auus Augusti fuit, cum ex Iulia, Caesaris sorore, Atiam genuerit, in xxuiris fuisse, Suetonius narrat in Augusto. nec abest ironia: quod, collegam habere Balbum, hominem Aricinum, honoribus non insignem, Pompeio Magno turpe uideri posset. IN *auspicio fuisse.* } cum lex curiata ferretur: quod Pompeius negabat, cum tamen negare non posset. ep. 7. & In auspicio, tamquam augurem. nam, cum ferretur curiata lex, augures adesse oportuit. ep. ult. lib. 4. & ep. 3. lib. 8. COMMODE } paullo apte, tantum, commodum. CVRIO *meus.* } addit, Meus, ad differentiam: quia pater Curio uiuebat, eodem praenomine: quemadmodum epist. 8. ad eiusdem Curionis nomen adscripsit, Adolescentem: epist. autem 24. Filius. ISTA } leges, Caesaris. quod Clodius in tribunatu conatus est. in oratione pro domo sua. DE *illius adoptione* } negat se tulisse ad populum de Clodij adoptione, id est de transitione ad plebem. nam Clodius adoptionis iure, cum patricius esset, ad plebem transiit. ep. 7. SVVM, } ualde enim Caesarem oderat uel patris nomine, qui cum Caesare inimicitias gerebat. Suetonius, & de claris oratoribus. MEMMII, } hic anno proximo praetor cum L. Domitio collega de Caesaris actis retulit. Suetonius. METELLI *Nepotis* } qui oderat Pompeium propter diuortium sororis Muciae. ep. 10. l. 1. & fam. l. 5. ep. 2. & Dio. DE *ruminatione quotidiana* } de occultis consilijs, quae Caesar, Pompeius, Crassus quotidiana ruminatione contra remp. inirent. DE *cogitatione Publij* } de rescindendis Caesaris legibus. DE *lituis βοώπιδος,* } P. Clodij sororem intelligit, quae tamquam lituus fratrem ad contentiones excitaret. erat enim seditiosa. ep. 1. 9. 12. DE *signifero Athenione,* } acciperem de Sex. Clodio, qui fuit operarum P. Clodij dux, ut Athenio seruorum, nisi tēpora repugnarent:

pugnarent: siquidem ante tribunatum nullas turbas P. Clodius potuit commouere, & Sex. Clodio seditionum ministro non nisi post tribunatum usus est. Potius igitur accipiendum uidetur de Vatinio tribuno pl. qui tum erat Caesaris consulis quasi signifer contra partes optimatum: ut etiam, ui perditorum hominum incitata, M. Bibulum consulem, popularibus actionibus aduersantem, in uincula ducere conatus sit. in oratione in Vatinium. MISSIS *ad Cnaeum,* } missis a Caesare Capuam ad Pompeium, agros plebi diuidentem. erat enim xx. uir, ut paullo ante docuimus. & infra, Litterae Capuam ad Pompeium uolare dicebantur. ep. 19. CONVIVII } quo scripserat Atticus se esse iturum, & quae in eo conuiuio litteris digna euenissent, omnia Ciceroni significaturum. Ἀπελγοῦς } delicatum uocat epist. 14. DESEDERIT } metaphoram persequitur: ut, quod fluctuauerat, desidat. A ME *ferre* } habere. DICAEARCHVM } scriptorem luculentum. epist. 1. & 16. & lib. 6. epist. 2. Κύριον ὁ φιλόσοφος } iocatur de seipso: & πολιτικὸν Atticum appellat, quia Dicaearchum secutus anteponeret τὸν πρακτικὸν βίον τοῦ θεωρητικοῦ. epist. 16.

Cicero S. D. Attico. 13.

F*Acinus indignum: epistolam, αὐθωρὶ tibi a Tribus Tabernis rescriptam ad tuas suauissimas epistolas, neminem reddidisse? at scito, eum fasciculum, quo illam conieceram, domum eo ipso die latum esse, quo ego dederam, & ad me in Formianum relatum esse. itaque tibi tuam epistolam iussi referri; ex qua intelligeres, quam mibi tum illae gratae fuissent. Romae quod scribis sileri: ita putabam. at hercule in agris non siletur: nec iam ipsi agri regnum uestrum ferre possunt. si uero in hanc τηλέπυλον ueneris Λαιστρυγονίην, (Formias dico) qui fremitus hominum? quam irati animi? quanto in odio noster amicus Magnus? cuius cognomen una cum Crassi Diuitis cognomine consenescit. credas mihi uelim: neminem adhuc offendi, qui haec tam lente, quam ego fero, ferret. quare, mihi crede, φιλοσοφῶμεν. iuratus tibi possum dicere, nihil esse tanti. Tu si litteras ad Sicyonios habes, aduola in Formianum: unde nos prid. non. Mai. cogitamus. Vale.*

EXPLANATIO

EPISTOLAM } proximam superiorem intelligit. DOMVM } Romam. REGNVM *uestrum* } iniustam paucorum dominationem. SILERI: } neminem reclamare iniquis Caesaris actis. Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην } ex Homeri Od. K. CVIVS *cognomen una cum Crassi Diuitis cognomine consenescit,* } Pompeij cognomen illud, Magnus, suam celebritatem, honoremq. amittit: quemadmodum & Crassi, qui Diues ex opibus appellatus est, opibus imminutis cognomen paullatim exstinguitur. Sic enim interpretor, non, ut alij, quia Caesari remp. uexanti uterque assentiretur. nostram sententiam confirmat Valerius Max. lib. 6. cap. 11. Quid, inquit, Crasso? nonne pecuniae magnitudo locupletis cognomẽ dedit? sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem iniunxit. Nominatur & infra, ep. 24. est autem diuersus ab eo, qui perijt in Parthis: qui licet Romanorum omnium ditissimus fuerit, cognomen tamen Diuitis numquam est adeptus. quare miror uisum esse nonnullis, eundem esse Crassum, & qui hic, & qui ep. 3. l. 1. nominatur: cum fuerit quidem uterque diues, Diuiti tamen ei tantum cognomen fuerit, qui ad inopiam postea redactus: quod Valerio teste iam probaui. Praeterea praetor hic ep. 24. at ille alter consul multo ante cum Pompeio. LITTERAS *ad Sicyonios* } scriptas a consulibus: ut tibi pecuniam soluant. ep. 18.

Cicero S. D. Attico. 14.

Q*VANTAM tu mihi moues exspectationem de sermone Bibuli, quantam de colloquio* Βοώπιδος, *quantam etiam de illo delicato conuiuio. proinde ita fac uenias ad sitientes aures. quamquam nihil est iam, quod magis timendum nobis putem, quam ne ille noster Sampsiceramus, cum se omnium sermonibus sentiet uapulare, & cum has actiones* εὐανατρέπτους *uidebit, ruere incipiat. ego autem usque eo sum eneruatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim* ἐντυραννεῖσθαι, *quam optima spe dimicare. De pangendo quod me crebro adhortaris, fieri nihil potest. basilicam habeo, non uillam, frequentia Formianorum. at quam partem basilicae? tribum Aemiliam. sed omitto uulgus: post horam quartam molesti ceteri non sunt: C. Arrius proximus est uicinus, immo ille quidem iam contubernalis: qui etiam se idcirco Romam ire negat, ut hic mecum totos dies philosophetur. ecce ex altera parte Sebosus ille Catuli familiaris. quo me uertam? statim mehercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodissime exspectari uiderem, dumtaxat ad prid. non. Mai. uide enim, quibus hominibus aures sint deditae meae. occasionem mirificam, si quis nunc, dum hi apud me sunt, emere de me fundum Formianum uelit. et tamen illud probem. magnum quid aggrediamur, & multae cogitationis, atque otij. sed tamen satisfiet a nobis, neque parcetur labori.*

EXPLA-

EXPLANATIO

QVANTAM } quia scripserat Atticus, se cum M. Bibulo sermonem habiturum, etiam cum Clodia Publij sorore. ITA } ita instructus afferes ad me quae cognoueris ex sermone Bibuli, e colloquio βοώπιδος. AD *sitientes aures* } aptius & ad consuetudinem Latini sermonis, & ad sentētiam, si legatur, quo modo placebat Vbaldino, Vt ad sitientes aures. SAMPSICERAMVS } Pompeius, a regulo in Syria Sampsiceramo deuicto. Strabo. Ευανατρίπτους. } Caesar in consulatu acta Pompeij sanxerat, legibusq. firmauerat: ut Appianus, & Plutarchus. ideo, ne non satis firmae essent Caesaris leges, Pompeius suo nomine timebat. quia senatus haud multis ante annis & Liuias leges, quod contra auspicia latae essent, sustulerat. ἀνατρίπτους ergo, propter auspicia neglecta. ep. 9. RVERE } iracundae furere. epist. 21. AT *comparem basilicae* ? } basilicam habere me dicam ? habeo tribum Aemiliā. quod enim basilicae similem esse uillam suam dixerat; quasi non bona esset comparatio, correxit, & intulit, Aemiliam hic ego habeo tribum, non uillam. quid enim basilicae comparem; in qua sunt homines multo, quam in Aemilia tribu, pauciores. neque uero totam tribum significauit, sed Formianos tantum, qui in ea suffragium ferebant, ut in Liuio legimus lib. XXXIIX. quasi dixerit, tantum habeo Formianorum frequentiam, quanta in Aemilia tribu suffragium ferre solet. ὑπερβολικῶς. CONTVBERNALIS, } qui totos dies mecum sit. COMMODISSIME } ni uiderem, te hic a me commodissime exspectari, & excipi posse. ep. 10. & 11. FVNDVM *Formianum* } qui mihi nunc ex istorum molestia odiosus est. ET *tamen illud probem.* } Probe, & proxime, Aggrediemur, esset planius. hoc enim diceret: Et tamē probe illud praestabimus: magnum quid aggrediemur.

Cicero S. D. Attico. 15.

VT scribis, ita uideo, non minus incerta in rep. quā in epistola tua. sed tamē ista ipsa me uarietas sermonum, opinionūq. delectat. Romae enim uideor esse, cum tuas litteras lego, & , ut fit in tantis rebus, modo hoc, modo illud audire. illud tamen explicare nō possum, quidnam inueniri possit, nullo recusante, ad facultatem agrariam. Bibuli autem ista magnitudo animi in comitiorum dilatione, quid habet, nisi ipsius iudiciū sine ulla correctione reip.? nimirum in Publio spes est: fiat, fiat tribunus plebis: si nihil aliud, ut eo citius tu ex Epiro reuertare. nam, ut illo tu careas, non uideo posse fieri, praesertim si mecum aliquid uolet disputare. sed id quidem non dubium est, quin, si quid erit einsmodi, sis aduolaturus. uerum, ut hoc non sit, tamen seruet remp. praeclarum spectaculum mihi propono, modo te consessore spectare liceat. Cum haec maxime scriberem, ecce tibi Sebosus. nondum plane ingemueram; salue, inquit Arrius. hoc est Roma decedere? quos ego homines effugi, cum in hos incidi? ego uero in montes patrios, & ad incunabula nostra pergam. denique, si solus non potuero, cum rusticis potius, quam cum his perurbanis, ita tamen, ut, quoniam tu certi nihil scribis, in Formiano tibi praestoler usque ad III. non. Mai. Terentiae pergrata est assiduitas tua, & diligentia in controuersia Muluiana. nescit omnino, te communem caussam defendere eorum, qui agros publicos possideant. sed tamen tu aliquid publicanis pendis, haec etiam id recusat. ea tibi igitur, & Κικέρων, ἀριστοκρατικώτατος παῖς, salutem dicunt.

EXPLANATIO

QVIDNAM *inueniri possit,* } scripserat Atticus inuentum iri quiddam a Caesare super agraria re, quod nemo improbaret, nemo recusaret. ep. 15. COMITIORVM *dilatiōne,* } Bibulus, domo pedem non efferens, edictis comitia differebat. neque uidentur haec fuisse comitia consulum designandorum, (quippe ante Quinctilem mensem non designabantur, haec autem Aprili mense scripta sunt) sed legis agrariae rogandae. IN *Publio spes est:* } afflicta resp. iacet, quam Bibulus erigere non potest, qui se, Caesaris metu, parietibus tenet. quis igitur eriget? spes iam nulla superest, nisi in Clodij tribunatu, qui istorum est inimicissimus: ergo, etsi uideo, quae mihi ab illo tempestas impendeat, fiat tamen, fiat tribunus pl. Et protulit hoc Cicero cum indignatione; quod reip. salus in uno posita uideatur, homine omnium perditissimo. ep. 12. EX *Epiro* } quo Atticus propediem erat iturus, ad exigendas a Sicyonijs pecunias. DISPVTARE. } altercari. VT *hoc non sit,* } ut mecum non disputet, non contendat. TAMEN *seruet remp.* } sic Bessarionis antiquus liber. itaque nihil muto, & explano sic: Fiat Clodius tribunus pl. si non aliam ob caussam, at ob hanc, ut eo citius tu ex Epiro reuertare. uerum, ut hoc non sit, id est, etiam si tu reuersus ex Epiro non sis, fiat tamen tribunus pl. ut remp. seruet. in quo spectaculum erit egregium; cum reip. caussa pugnare Clodium contra eos uidebimus, a quibus plebeius factus sit, ut cum ipsis remp. oppugnaret. iam enim se inimicissimum eorum, qui remp. tenebant, Clodius ostēderat. ep. 12. TE *consessore* } te praesente. INGEMVERAM; } ad Sebosi aduentum. IN *montes patrios,* } Arpinum pergam: quia iam ante Arpinum ire statuerat. ep. 8. & XI. SI *solus non potuero,* } Arpini si solitudinem non feram, cum rusticis ibi esse malo, quam in Formiano cum his perurbanis. CERTI *nihil scribis,* } de aduentu tuo. TIBI *praestoler* } sic oratione. I. in Catilinam: Qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur armati. CONTROVERSIA *Muluiana.* } publicani publica cōducebant. ideo Muluius,

cognitor, ut puto, publicanorum, publicos agros a priuatis uindicare conabatur, ut publicanorum uectigal augeretur. COMMVNEM *caussam*} non praecipuam ipsius, sed & tuam, & cõem omnium publicos agros possidentium. AGROS *publicos*} Agri publici, de hostibus capti, tria genera, unum, quod colonis donabatur; alterum, quod a censoribus in quinquennium locabatur; tertium, quod ob uastitatem, quae fere bellum consequi solet, ijs, qui colere uellent, in perpetuum assignabatur, imposito annuo uectigali, ut arbustorum quincta, frugum decima, pecoris etiam quaedam pars, penderetur. quod ab Appiano lib. I. bellorum ciuilium scriptum est. ex hoc tertio genere erant agri, quos Terentia, & Atticus possidebant. sed Atticus legitimum uectigal publicanis pendebat: qui fortasse cum illo agrorum genere, de quo secundo loco mentionem fecimus, hoc etiam tertium de censoribus conduxerat, non ut fructus ipsi perciperent, sed ut uectigal illud, cuius admodum facilis exactio non esset, suo periculo exigerent. Terentia ne uectigal quidem illud, satis tenue, pendere nolebat; credo, ne beneficium amitteret lege Thoria datum. nam Sp. Thorius, ut ait Cicero in Bruto, agrum publicum uectigali leuauerat. sed uidetur eius legis auctoritas, ut aliarum quoque legum, uetustate contemni coepta: itaque multi, quorum in numero Atticus erat, uectigal, tamquam lege illa abrogata, pendebant: nonnulli uero, in quibus erat Terentia, tamquam lege Thoria manente, recusabant. Terentiae negotium agebat Atticus, eo libentius, ut Cicero significat, quia, si secundum Terentiam in ea caussa iudicatum esset, ipse etiam de pendendo uectigali recusasset, immunemq. agrum publicum legis Thoriae beneficio possedisset. Muluiana uocatur controuersia, quia Muluius, ut puto, publicanorum caussam procuraret. legis Thoriae mentio fit libro etiam III. de Oratore, his uerbis: Appius maior, cum ageretur in senatu de agris publicis, & de lege Thoria; & premeretur Lucilius ab ijs, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent; Non est, inquit, Lucilij pecus illud, erratis: liberum est: qua lubet, pascitur. Eandem legem nominat Appianus, omisso latoris nomine: at uidetur opinari, non hanc de tollendo uectigali, sed aliam de abroganda lege agraria Ti. Gracchi a Sp. Thorio tribuno pl. latam esse, ut confirmaretur ueterum dominorum possessio, manente legitimo uectigali: sublatum autem uectigal ab alio tribuno pl. quem non nominat, ostendit. sed mihi Cicero rerum Romanarum auctor est certior. PENDIS} pro agro publico. nõ litigas, ut nihil pendas, sed ut agrum retineas: haec uero ne pendere quidem uult, nedum agros reddere.

Cicero S. D. Attico. 16.

CENATO mihi, & iam dormitanti, pridie kal. Mai. epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis. quid quaeris? primum ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis, quam molestia. cogitanti autem haec fere succurrebant. primum ex eo, quod superioribus litteris scripseras, ex familiari te illius audisse, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret; maius aliquid timueram: hoc mihi eiusmodi non uidebatur. deinde, ut me ego consoler, omnis exspectatio largitionis agrariae in agrum Campanum uidetur esse deriuata: qui ager, ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere. reliqua omnis multitudo ab illis abalienetur, necesse est. praeterea, si ulla res est, quae bonorum animos, quos iam uideo esse commotos, uehementius possit incendere, haec certe est; & eo magis, quod, portorijs Italiae sublatis, agro Campano diuiso, quod uectigal superest domesticum, praeter uicesimam? quae mihi uidetur una conciuncula, clamore pedisequorum nostrorum, esse peritura. Cnaeus quidem noster iam plane quid cogitet, nescio.

φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ:

qui quidem etiam istuc adduci potuerit. nam adhuc hoc σοφίζεται: *se leges Caesaris probare, actiones ipsum praestare debere: agrariam legem sibi placuisse; potuerit intercedi, nec ne, nihil ad se pertinere: de rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici; Bibulus de caelo tum seruasset, nec ne, sibi quaerendum non fuisse: de publicanis, uoluisse illi ordini commodare; quidquid futurum fuerit, si Bibulus tum in forum descendisset, se diuinare non potuisse. nunc uero, Sampsicerame, quid dices? uectigal te nobis in monte Antilibano constituisse, agri Campani abstulisse? quid, hoc quemadmodum obtinebis? oppressos nos, inquit, tenebo exercitu Caesaris. non mehercule me tu quidem tam isto exercitu, quam ingratis animis eorum hominum, qui appellantur boni: qui mihi non modo praemiorum, sed ne sermonum quidem umquam fructum ullum, aut gratiam retulerũt: quod si in eã me partem incitarem, profecto iam aliquam reperirem resistẽdi uiam. nunc prorsus hoc statui, ut, quoniam tanta controuersia est Dicaearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo, ut ille tuus* τὸν πρακτικὸν βίον *longe omnibus anteponat, hic autem* τὸν θεωρητικόν, *utrique a me mos gestus esse uideatur. puto enim me Dicaearcho affatim satisfecisse. respicio nunc ad hanc familiam; quae mihi non modo, ut requiescam, permittit, sed reprehendit, quia non semper quierim. quare incubamus, o noster Tite, ad illa praeclara studia, & eo, unde discedere non oportuit, aliquando reuertamur. Quod de Quincti fratris epistola scribis, ad me quoque fuit* πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ. *quid dicam, nescio. nam ita deplorat primis uersibus mansionem suam, ut quemuis mouere possit: ita rursus remittit, ut me roget, ut annales suos emendem, & edam. Illud tamen, quod scribit, animaduertas uelim, de portorio circumuectionis. ait, se de consilij sententia rem ad senatum reiecisse. nondum uidelicet meas litteras legerat; quibus ad eum, re consulta, & explorata, perscripseram, non deberi. uelim, si qui Graeci iam Romam ex Asia de ea caussa uenerunt, uideas, &, si tibi uidebitur, ijs demonstres, quid ego de ea re sentiam. si possum discedere, ne caussa optima in senatu pereat; ego satisfaciam publicanis:* εἰ δὲ μή; *(uere tecum loquar) in hac re malo uniuersae Asiae, & negotiatoribus. nam eorum quo-*

que

que uehementer intereſt. hoc ego ſentio ualde nobis opus eſſe. ſed tu id uidebis. Quaeſtores autem, quaeſo, nũ etiã de ciſtophoro dubitant? nam, ſi aliud nihil erit; cum erimus omnia experti, ego illud ne quidem contemnam, quod extremum eſt. Te in Arpinati uidebimus, & hoſpitio agreſti accipiemus; quoniam maritimum hoc contempſiſti. Vale.

EXPLANATIO

ILLIVS } Caeſaris. ALIQVID } de agraria re. NEMO *improbaret* } hoc quidem Caeſar ipſe dictitabat. uide Dionem initio lib. XXXIIX. DEINDE, *ut me ego conſoler*, } maius aliquid ex tuis ſuperioribus litteris timueram: nunc ego me conſolor: quia, quod ſcripſiſti, neque eiuſmodi uideo eſſe, quod ab omnibus probetur; &, id ipſum quod eſt, contra Caeſarem, ipſum eſſe intelligo. omnis enim expectatio &c. DERIVATA: } expectatio illa omnis de agraria re hunc exitum habet, ut ager Campanus plebi diuidatur. VT *dena* } ſi dena ſingulis iugera diuidantur, ut proximis litteris ſignificas. id & P. Rullus in ſua lege ſcripſerat. quod Cicero oratione. II. in eum oſtendit. RELIQVA *omnis multitudo* } quia XX. hominũ millia diuiſionẽ agrorũ petebant, & conſecuti ſunt. i. Velleius lib. II. App l. II. ILLIS } qui legem agrariam tulerunt. ABALIENETVR } id non accidit: quia Caeſar, cum agrum Campanum intelligeret tantae multitudini non ſufficere, praeterea Stellatem Campanum diuiſit. Suetonius. PORTORIIS *Italiae ſublatis*, } huius loci ſententia facile mihi ex Dionis hiſtoria patuit. is enim lib. XXXVII. legem ait a praetore Q. Metello Nepote latam eſſe, ut uectigalia omnia tollerentur; quod ea ciuitas & Italia uix ferre iam poſſet. hanc legem temporibus etiam imperatorum obſeruatam ſignificat Paulus l. ult. de cenſibus, cum dicit: Diuus Veſpaſianus Caeſarienſes colonos fecit, non adiecto, ut & iuris Italici eſſent, ſed tributum his remiſit capitis. Diuus autem Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt quaſi dixerit: Titus e ſua liberalitate, etiam ius Italicum datum eſſe, uoluit, quod in ſoli immunitate conſiſtebat. VECTIGAL } Feſtus exponit his uerbis: Vectigal aes dicitur, quod ob tributum, & ſtipendium, & equeſtre, & ordinarium pop. debetur. DOMESTICVM } in Italia. VICESIMAM } aurum uiceſimarium in aerario ſanctiore ad ultimos reip. caſus ſeruari ſolitum, ſcribit Liuius lib. 27. & erat Viceſima tributum, cum de uicenis unum penderetur. CONCIVNCVLA } tribunicia. PEDISEQVORVM } infimae plebis quae ſi quis tribunus de tollẽda uiceſima concionaretur, clamore ſtatim eſſet approbatura. PERITVRA } ne exigeretur. φωνὰ γάρ. } non iam diſſimulat, ſed, quid ſentiat, praeſefert. φορβειᾶς ἄτερ } eſt in tibijs ligula, qua exempta, ſpirant maiore ſono. Sophoclis locus, cuius mentio eſt apud Dionyſiũ Longinum περὶ ὕψους. ISTVC *adduci* } adduci, ut agri Campani diuiſionem, rem turpiſſimam, & reip. maxime exitioſam, Caeſari gratificans probaret. Ἐσοφίζετο } malitioſe ſuam culpam excuſabat. PROBARE, } Caeſar, ante quam legem agrariam ferret, ſcriptam in ſenatu recitauit; ſi quis quid improbaret, correcturum pollicitus. praeter Catonem contra nemo dixit. Dio libro. XXXIIX. ACTIONES *ipſum* } ſi Caeſar ijs legibus deinde ad ſuam potẽtiam abuteretur, ipſum eſſe accuſandum, ſibi uitio dari nõ poſſe. POTVERIT, } pro, debuerit; ut epiſt. 9. REGE *Alexandrino* } ut rex Alexandriae Ptolemaeus a ſenatu & populo Romano ſocius appellaretur. Caeſar libro. III. de bello ciuili. ALIQVANDO } quaſi diu id Ptolemaeus expetiſſet, regni confirmandi cauſſa: quoniam neque genere, neque animo regio eſſe putaretur: ut ait Cicero in agraria. I. DE *caelo tum ſeruaſſet*, } legem ferri non licebat, cum de caelo ſeruaretur. ep. 15. Caeſar tamen, ſeruante Bibulo, leges tulit. Dio lib. XXXIIX. DE *publicanis* } quos, locationis Aſianae inductionem poſtulantes, Caeſar tertia mercedum parte releuauerat. Suetonius. QVIDQVID *futurum fuerit*, } ſic & antiqui libri: planius tamen, Quid futurum fuerit: ut hoc dicat: quod Bibulus foro pulſus cum ignominia ſit, ſibi adſcribendum non eſſe: nam, etſi legem agrariam probarit, de Bibulo tamen, legem impedire conante, ſe id, quod euenit, diuinare non potuiſſe. SAMPSICERAME. } Põpei. ep. 14. IN *monte Antilibano* } in longinquis regionibus uectigal dediſſe populo Romano, domeſticum abſtuliſſe? de monte Antilibano Plinius libro. V. Strabo libro. XVI. OBTINEBIS? } excuſabis, tueberis, ut homines non reprehendant. INGRATIS *animis* } quorum uitio fit, ut nemo libenter, aut libere tueatur remp. qui ſi non eſſent ingrati, ac mecum, ut debebant, conſentirent: non tibi ea liceret facere, quae peſſime facis. non igitur exercitu Caeſaris, ſed illorum culpa nos opprimes. APPELLANTVR } ſed non ſunt. IN *eam partem* } contra tam iniquam paucorum dominationem. Hoc *ſtatui*, *&c.* } ſtatui, cum Dicaearcho morem geſſerim, etiam Theophraſto ſatisfacere: ideſt, cum agendis rebus multos annos dederim, nunc τὸν θεωρητικὸν βίον amplecti; & in ſtudijs acquieſcere. AD *hanc familiam* } ad Theophraſti ſectam. AD *me quoque fuit* } ad me quoque ſcribens uiſus eſt πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα: ut ait Homerus Il. ζ. quod Quinctus frater in ijs epiſtolis ſibi non conſtaret, qui uideretur de Aſiae diuturna adminiſtratione modo ſolicitus eſſe, modo minimum laborare. MANSIONEM *ſuam*, } in Aſia, quam propraetor adminiſtrabat. ANNALES *ſuos emendem*, } de quibus emendandis non cogitaret, niſi tranquillo animo eſſet; minimeq. de manſione ſolicito. DE *portorio circumuectionis*. } cum publicani pro rebus, quae circumuehebantur, portorium ſibi dicerent deberi, prouinciales, & negotiatores negarent: propraetor Quinctus, dubia ſentẽtia fluctuãs, rem ad ſenatum reiecit. DE *conſilij ſententia* } rectoribus prouinciarum ſuũ cuique erat conſilium. NON *deberi* } portoriũ publicanis. GRAECI } homines Aſiani. QVID *ego de ea re ſentiam* } ut ſciant, me ſentire cum ipſis. SI *poſſum diſcedere*, } elegãs ſententia,

tentiā, nec tamen adhuc, ut uideo, satis nota. neque enim, Discedere, proprie hic accipiendum, sed μεταφορικῶς: quasi dixerit: si possim consequi, si hunc exitum res habere potest, ne Graeci caussa cadant. Idem uerbum Terentius quoque usurpauit eodem sensu: apud quem ita loquitur Geta seruus in Phormione: Modo ut hoc consilio possit discedi, ut istam ducat. SATISFACIAM *publicanis*. } alijs rebus; cum in hac eorum animos offendamus. εἰ δὲ μὴ } refertur ad proximum uerbum, Satisfaciam. si contigerit, inquit, ut publicanis deinde satisfacere non possim; haud tamen in mentem ueniet paenitere, quod in hac caussa, quae optima est, uniuersae Asiae, & negotiatoribus satisfacere maluerim. NVM *etiam de cistophoro* } quod Quincto fratri, Asiae propraetori, a populo Romano debetur, id uellem denario, idest Romana pecunia, curari. quaestores autem primo uolebant cistophoro, hoc est Asiatico nummo: nunc etiam id uidentur recusare. ILLVD *ne quidem* } ne illud quidem, postulabat consuetudo Latine loquendi: sed &, Ne quidem, apud hunc alibi notauimus. Pauli Magnuli liber, impressus quidem, sed ueтere cum libro collatus, habet, Ne illud quidem, ipsius manu scriptum, miniatulis litteris. quo ille utebatur signo, cum librorum ueterum correctiones a suis distinguebat. QVOD *extremum est*. } ut numerentur nobis cistophori, summa quaestorum iniuria, qui cogant nos Romae uti in Asiana pecunia. MARITIMVM *hoc* } Formianum: quo exspectatus uenire noluisti.

Cicero S. D. Attico. 17.

PRORSVS, ut scribis, ita sentio. turbatur Sampsiceramus. nihil est, quod non timendum sit. ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται: quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid ager Campanus, quid effusio pecuniae significant? quae si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut haec extrema esse non possint. quid enim eos haec ipsa per se delectare possunt? numquam huc uenissent, nisi ad alias res pestiferas aditus sibi compararent. dij immortales. uerum, ut scribis, haec in Arpinati ad VI. circiter id. Mai. non deflebimus, ne & opera, & oleum philologiae nostrae perierit, sed conferemus tranquillo animo. neque tam me εὐελπιστία consolatur, ut antea, quam ἀδιαφορία, qua nulla in re tam utor, quam in hac ciuili, & publica. quin etiam, quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον, (bellum est enim sua uitia nosse) id afficitur quadam delectatione. solebat enim me pungere, ne Sampsicerami merita in patriam ad annos DC maiora uiderentur, quam nostra. hac quidem cura certe iam uacuus sum: iacet enim ille sic: ut Phocis Curiana stare uideatur. Sed haec coram. Tu tamen uideris mihi Romae fore ad nostrum aduentum. quod sane facile patiar, si tuo commodo fieri possit. sin, ut scribis, ita uenies: uelim e Theophane expiscere, quonam in me animo sit Arabarches. quae res scilicet κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, & ad me ab eo quasi ὑποθήκας afferes, quemadmodum me geram. aliquid ex eius sermone potuerimus περὶ τῶν ὅλων suspicari. Vale.

EXPLANATIO

TVRBATVR } perturbatur: ut apud Caesarem libro 2. bel. ci. Turbatus ex inopino malo. Perturbatur autem Pompeius amisso bonorum studio. epist. 13. 14. 19. 21. ideo subiungitur: ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται: aperte tyrannidem struit. Alij mutant. ego necessariam mutandi caussam non uideo. SAMPSICERAMVS; } Pompeius. TIMENDVM *sit*. } timendum enim, ne Pompeius, cum se omnium sermonibus sentiet uapulare, & cum has actiones ἀναντρέπτους uidebit, ruere incipiat. epist. 14. 21. AFFINITATIS *coniunctio* ? } Iuliam, Caesaris filiam, Pompeius duxerat uxorem, & Caesar Pisonis Calpurniam. Suetonius, Plutarchus, omnes historiae. &, REPENTINA } praeter opinionem: quia Iulia, antequam Pompeio collocaretur, desponsa fuerat Seruilio Caepioni. AGER *Campanus*, } plebi diuisus, approbante, atque etiam curante Pompeio. ep. 16. EFFVSIO *pecuniae* } hunc locum, non intellecta prius legis Iuliae, de agro Campano diuidendo, sententia, profecto nemo umquam intelliget. Lex autem ea quid sanciret, perobscurum est. non enim illud unum simpliciter sanxit, ut ager Campanus plebi diuideretur, sed duo capita habuit: unum, ut ea pars eius agri, quae publica erat, statim diuideretur, in quo uectigal populi R. minuebatur, quod queritur Cic. in epistola superiore: alterum, ut, qui ager a priuatis in Campania possidebatur, publica pecunia emptus plebi distribueretur. publicus ager statim distributus est. priuatus numquam: quia, Pisone, & Gabinio cos. qui C. Caesarem, legis eius latorem, & M. Bibulum consules proxime consecuti sunt, P. Clodius tribunus pl. eam pecuniam, quae in agri Campani emptionem erogare debuit, sumptam ex aerario in Syriam eunti Gabinio dedit. qua de re in Clodium Cicero sic in orat. pro domo: Quis homini post homines natos turpissimo, sceleratissimo, contaminatissimo, quis illam opimam, fertilemq. Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam ui e Caesaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? Hic igitur de utroque Iuliae legis capite Cicero conqueritur. nam, cum ait, Quid ager Campanus, de publica loquitur eius agri parte iam diuisa: cum uero subiungit, Quid effusio pecuniae, priuatos agros, publica pecunia emendos, ac plebi diuidendos, qui tamen empti postea non sunt, plane significat. De hac parte agri Campani, ne diuideretur, actum est saepe in senatu, ut P. Lentulo, Q. Metello cos. de quo in epistola. 1. lib. 2. ad Q. fr. & Marcellino, & Philippo cos. quod memorat Cic. in epist. ad P. Lentulum

9. l.

9. l. 1. Fam. patet etiam ex ep. x. lib. 11x. Fam. partem agri Campani uacuam esse: item ex epist. 20. lib. x1. Ad Q. fr. autem epist. 5. l. 2. Acriorem, inquit, caussam faciebat inopia pecuniae. Hac de lege Caesaris ita loquitur Dio l. 38. ut eam prorsus ignorare uideatur. nam, cum diuisum ea lege agrum Campanum, ex his ad Att. Ciceronis epist. & ex or. in Pisonem, item ex Velleio, Suet. & Plut. satis constet, Dio tamen, ut dixi, solum ex agris publicis agrum Campanum diuisum esse negat; quia scilicet reip. propter ubertatem relinquendus uideretur. Dii *immortales.* } interrupta oratio. figura, ἀποσιώπησις quae dicitur: quale illud Aeneidos 1.

,, Iam caelum, terramq. meo sine numine uenti
,, Miscere, & tantas audetis tollere moles?
,, Quos ego. sed motos praestat componere fluctus.

Ne *& opera, & oleum* } ne frustra uideamur in studio litterarum aetatem consumpsisse. deflere enim, infirmi, planeq. muliebris animi est; cum a libris praecepta fortitudinis peti soleant. Ἀδιαφορία, } aequanimitas mea: quod animus meus nulla re uehementius afficitur. Id *afficitur* } refertur ad illud, Quod est subinane in nobis, hoc sensu: Quae ambitio in nobis est, ea nunc habet quo delectetur; siquidem Pompeij merita in patriam non iam, ut antea uerebar, maiora quam nostra, uideri possunt. Phocis *Curiana.* } hic ego diu cogitans excogitare nihil potui, quod probarem. antiqui libri tamquam in eadem silice omnes haerent. Tu *tamen* } ego te in Arpinati exspecto: tu tamen fortasse istinc te non mouebis, & aduentum nostrum exspectabis. Theophane } qui Pompeij sensus, & consilia nouerat. epist. 4. Arabarches } quod Arabiae partem, Syriae adiunctam, domuisset; ut supra, Megabocchus, quasi magnus Africae rex.

Cicero S. D. Attico. 18.

Accepi aliquot epistolas tuas: ex quibus intellexi, quam suspenso animo, & sollicito scire aueres, quid esset noui. tenemur undique: neque iam, quo minus seruiamus, recusamus, sed mortem, & eiectionem, quasi maiora, timemus, quae multo sunt minora. atque hic status, qui una uoce omnium gemitur, neque uerbo cuiusquam subleuatur, σκοπὸς est, ut suspicor, illis, qui timent ullam cuiusquam largitionem relinquere. unus loquitur, & palam aduersatur adolescens Curio. huic plausus maximi, consalutatio forensis perhonorifica, signa praeterea beneuolentiae permulta a bonis impertiuntur: Fusium clamoribus, & conuicijs, & sibilis consectantur. his ex rebus non spes, sed dolor est maior; cum uideas ciuitatis uoluntatem solutam, uirtutem alligatam. ac, ne forte quaeras κατὰ λεπτὸν de singulis rebus, uniuersa res eo est deducta, spes ut nulla sit, aliquando non modo priuatos, uerum etiam magistratus liberos fore. attamen in oppressione sermo in circulis dumtaxat, & in conuiuijs est liberior, quam fuit. uincere incipit timorem dolor, sed ita, ut omnia sint plenissima desperationis. habet etiam Campana lex exsecrationem in coitione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Iulijs. non dubitant iurare ceteri. Laterensis existimatur recte fecisse, quod tribunatum pl. petere destitit, ne iuraret. Sed de rep. non libet plura scribere. Displiceo mihi, nec sine summo scribo dolore. me tueor, ut oppressis omnibus, non demisse; ut tantis rebus gestis, parum fortiter. a Caesare ualde liberaliter inuitor in legationem illam, sibi ut sim legatus. atque etiam libera legatio uoti caussa datur. sed haec & praesidij apud furorem Pulchelli non habet satis, & a fratris aduentu me ablegat: illa & munitior est, & non impedit, quo minus adsim, cum uelim. & hanc ego teneo; sed usurum me non puto. neque tamen scit quisquam. non libet fugere: aueo pugnare. magna sunt hominum studia: sed nihil affirmo: tu haec silebis. De Statio manumisso, & non nullis alijs rebus, angor equidem, sed iam prorsus occallui. tu, uellem ego, & cuperem, adesses. nec mihi consilium, nec consolatio deesset. sed ita te para, ut, si inclamaro, aduoles. Vale.

EXPLANATIO

Σκοπὸς } hoc spectarunt, hoc uoluerunt. Timent *ullam* } ita de publico largiuntur, quasi timere uideantur, ne ullam cuiusquam rei largitionem praetermittant. ut, Cuiusquam, neutro genere accipiatur. Cui sententiae congruunt Suetonij uerba de Caesare: Quae, inquit, cuique libuissent, omnia dilargitus est, contra dicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito. Fusium } Caesaris amicum: qui tribunus pl. fuerat altero ante anno, Pisone, & Messalla cos. ut Caesare, & Bibulo cos. quibus scripta est ep. aedilitatem gerere potuerit, quae tribunatum anno interiecto sequebatur. mihi enim simile ueri fit, hoc tempore in magistratu Fusium fuisse. De *singulis rebus,* } ego haec uerba facile suspicor fuisse glossema antecedentium Graecorum. Campana *lex* } lex de agro Campano diuidendo. qua in lege quodam capite scriptum erat, ut cādidati magistratum petere ne possent, nisi prius iurarent, se in eo magistratu, quē peterent, contra leges Iulias de agro Campano uerbum non esse facturos. Exsecrationem } ut candidati, qui ad petendum coirent, se ipsi iureiurando exsecrarentur, si mentionem fecissent in magistratu de agro Cāpano aliter possidendo, atque ut ex legibus Iulijs eius agri possessio cōstituitur. ep. 16. Laterensis } M. Iuuētius Laterensis, de quo in orat. pro Plācio, & in ep. Planci ad Ciceronē l. x. Sibi *ut sim legatus.* } cū in Gallias exibit. Voti *caussa datur.* } refertur ab codē. utrāq. neglexit: alterutrā si accepisset, ui

tare

tare potuit exsulij calamitatem. & queritur ipse suam culpam in ep. ad Terentiam his uerbis: Meũ fuit officium uel legatione uitare periculum, uel diligentia & copijs resistere, uel cadere fortiter. Voti caussa: quia liberae legationes & priuatae rei caussa dabantur. l. 15. ep. XI. in oratione in Rullum, & ea pro Flacco. Pulchelli } putidum iam est toties iterare, Pulchellum appellari P. Clodium, Cic. inimicum, ioci occasione quaesita in eius cognomine Pulcher, etiam in forma. ep. 14. Haec } libera. Non habet satis, } plus autem habet praesidij legatio prouincialis: quia libera legatione utentes absunt sua caussa, illi uero reip. Fratris } qui anno insequenti ex prouincia Romam, triennio postquam discesserat, rediturus erat, & redijt. Adsim, cum uelim: } facile enim a Caesare impetrabo. ergo hoc dabat utraque legatio, ut adesset, cum uellet: prouincialis hoc amplius, ut ideo tutius abesset, quia reip. caussa, etiam, quia praesidij multum in Caesaris amicitia. Hanc } prouincialem. Pugnare, } cum P. Clodio, si mihi negotium facesset. Manumisso } a Q. fratre in prouincia.

Cicero S. D. Attico. 19.

Multa me sollicitant, et ex reip. tanto metu, & ex ijs periculis, quae mihi ipsi intenduntur: & sexcenta sunt. sed mihi nil est molestius, quam Statium manumissum. nec meum imperium: ac mitto imperium, nõ simultatem meam reuereri saltem? nec, quid faciam, scio: neque tantum est in re, quantus est sermo. ego autem ne irasci quidem possum ijs, quos ualde amo. tantum doleo, ac mirifice quidem. cetera in magnis rebus, minae Clodij, contentionesque, quae mihi proponũtur, modice me tangunt. etenim uel subire eas uideor mihi summa cum dignitate, uel declinare nulla cum molestia posse. Dicis fortasse, dignitatis ἅλις, tanquã δρυός: saluti, si me amas, consule. Me miserum, cur non ades? nihil te profecto praeteriret: ego fortasse τυφλώττω, & nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα. scito nihil umquam fuisse tam infame, tam turpe, tam peraeque omnibus generibus, ordinibus, aetatibus offensum, quam hunc statum, qui nunc est, magis mehercule, quam uellem, non modo quam putaram. populares isti iam etiam modestos homines sibilare docuerunt. Bibulus in caelo est, nec, quare, scio; sed ita laudatur, quasi Vnus homo nobis cunctando restituit rem. Pompeius, nostri amores, quod mihi summo dolori est, ipse se afflixit, neminem tenet: uoluntate, an metu necesse sit ijs uti, uereor. Ego autem neque pugno cum illa caussa propter illam amicitiam: neque approbo, ne omnia improbem, quae antea gessi: utor uia. populi sensus maxime in theatro, & spectaculis perspectus est. nam, gladiatoribus, qua dominus, qua aduocati sibilis conscissi: ludis Apollinaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompeium petulanter inuectus est. Nostra miseria tu es Magnus. millies coactus est dicere eadem. Virtutem istam, ueniet tempus, cum grauiter gemes: totius theatri clamore dixit, itemq. cetera. nam & eiusmodi sunt ij uersus, uti in tempus ab inimico Pompeij scripti esse uideantur. Si neque leges, neq. mores cogunt: & cetera magno cum fremitu, & clamore sunt dicta. Caesar cum uenisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus: huic ita plausum est, ut salua rep. Põpeio plaudi solebat. tulit Caesar grauiter. litteras Capuã ad Põpeium uolare dicebantur. inimici erãt equitib. qui Curioni stantes plauserant: hostes omnib. Rosciae legi, et frumẽtariae minitabãtur. sane res erat perturbata. equidẽ maluerã, quod erat susceptũ ab illis, silentio transiri: sed uereor, ne non liceat. non ferunt homines, quod uidetur esse tamen ferendum. sed est iam una uox omnium, magis odio firmata, quam praesidio. Noster autem Publius mihi minitatur, inimicus est. impendet negotium: ad quod tu scilicet aduolabis. uideor mihi nostrum illum consularem exercitum bonorum omnium, etiam satis bonorum, habere firmissimũ. Pompeius significat studium erga me non mediocre. idem affirmat, uerbum de me illum non esse facturum. in quo nõ me ille fallit, sed ipse fallitur. Cosconio mortuo, sum in eius locum inuitatus. id erat uocari in locum mortui. nil me turpius apud homines fuisset. neque uero, ad istam ipsam ἀσφάλειαν, quidquam alienius. sunt enim illi apud bonos inuidiosi: ego apud improbos meam retinuissem inuidiam, alienam assumpsissem. Caesar me sibi uellet esse legatum. honestior haec declinatio periculi. sed ego hoc non repudio. quid ergo est? pugnare malo: nihil tamen certi iterum dico, utinam adesses. sed tamen, si erit necesse, arcessemus. Quid aliud? quid? hoc, opinor. certi sumus perisse omnia. quid enim ἀκκιζόμεθα tamdiu? Sed haec scripsi properans, & mehercule timide. posthac ad te aut, si perfidelem habebo, cui dem, scribam plane omnia: aut, si obscure scribam, tu tamen intelliges. in his epistolis me Laelium, te Furium faciam: cetera erunt ἐν αἰνιγμοῖς. Hic Caecilium colimus, & obseruamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te missa. ijs ardet dolore, & ira noster Pompeius. Vale.

EXPLANATIO

Intenduntur, } a P. Clodio: ut paullo post. Manumissum } a fratre. Reuereri saltem. } irati Demiphonis uerba, apud Terentium in Phormione:

,, Ita ne tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?
,, Nec meum imperium; age mitto imperium: non simultatem meam
,, Reuereri? saltem non pudere?

Cicero tertium uersum aliter extulit.

In magnis rebus, } magnae res non ualde me angunt, Statij manumissio uehementer affligit, quae parua res est. Cum dignitate, } nam in resistendo laus erit. Declinare } si legatione ut[illegible]. Dignitatis ἅλις tanquam δρυός: } satis dignitati consuluisti. Prouerbium est, ἅλις δρυός, de [illegible]

glandes negligentibus post inuentas fruges, cum satis diu cibum se petiisse a quercubus dicerent. POPVLARES *isti* } Caesar, Pompeius, Crassus: & cum ironia: quod populares dici non possint, quos populus, etiam modesti homines, sibilis insectentur. VNVS *homo, &c.* } Ennij poetae uersus de Q. Fabio Maximo, cuius cunctatio collapsam rem Romanam Punico bello restituit. Eundem uersum & Virgilius lib. VI. usurpauit. CVNCTANDO } apte, quod de Fabio dictum erat, transtulit ad Bibulum; qui, contentiones timens, domi se tenebat, nusquam progrediebatur, nihil agebat in rep. animo tantum dissentiebat ab actionibus improborum ciuium. & Restituat, magis placeret, quam, Restituit. AFFLIXIT } qui se cum socero suo Caesare coniunxerit, & ab optima caussa ad perditam desciuerit. NEMINEM } quia bonos inimicos habet, improbos non amicos. ep. 21. IIS *uti*, } uereor, ne Pompeius Caesaris, & Crassi institutam amicitiam retineat, non tam uolũtate, quam quod bonos metuit, quos offendit. CVM *illa caussa* } contra Caesarem, & Pompeium. VTOR *uia*. } neque in hanc partem, neque in illam declino. quasi uia utor. transfertur ad rationem, & consilium: & illud Terentij in Andr. Eam secum rem reputauit uia: Donatus, & Eographius explanant, Via, idest consilio, ratione. Cicero lib. 2. de nat. de. Vim participem rationis, atque ordinis, tamquam uia progredientem. Et in Bruto: Via, & arte dicere. Liuius autem proprie lib. V. Conuocatos milites monuit, uia omnes irent, nec diuerti quemquam, aut excedere ordinem agminis paterentur. IN *theatro, & spectaculis* } ludis, & gladiatoribus. ludi enim in theatro, gladiatores in arena. DOMINVS, } is, qui gladiatores dabat. ADVOCATI } qui cum eo ad spectandũ uenerãt. & apparet, dominum gladiatorum ex Caesaris & Pompeij amicis fuisse; quos populus oderat. uide illud, Cum gladiatoribus Gabinij, ep. 24. LVDIS *Apollinaribus* } queis praetor urb. praeerat. de quorum origine, & die Liuius lib. XXX. & XXVII. Ludis autem, pro In ludis, antiquo more. Ita locutus est Cato censorius in oratione contra Coelium: Quem credo in pompa uectitatum iri ludis pro Citeria. Festus. NOSTRA *miseria* } hoc Diphilus, ut ait Valerius, directis in Pompeium Magnum manibus, pronunciauit. uersus sunt ex uetere tragoed.a, quae ludis Apollinaribus agebatur. COACTVS } clamore postulantis populi. EADEM } in omnibus plane libris, & scriptis, & impressis, ante legebatur, Eandem uirtutem, coniuncte: ego multis abhinc annis correxi, & aliter distinxi ex Valerio lib. VI. cap. 2. VIRTVTEM *istam*, } mire in Pompeium; qui Caesarem sero coepit timere, quem ipse suis opibus extulerat. VIRTVTEM: } opes, facultates, uires in ciuitate. CVM *grauiter gemes*: } cum te, tantum potuisse, paenitebit. Valerius, Gemas: sed, Gemes, futuram calamitatem certius minatur. IN *tempus* } non ut multis ante annis, & a uetere poeta, sed ut scripti uiderentur & ad huius temporis turpitudinem proprie notandã, & ab inimico Pompeij. MORTVO *plausu* } plausu ita tenui, uix ut exaudiretur. μεταφορὰ a rebus animatis. CVRIO } cui priuato magis plausum est, quam Caesari consuli. EST *insecutus* } post Caesarem in theatrum uenit. PLAVSVM *est* }, quod unus Caesaris, & Pompeij nimiam potentiam libere insectaretur. ep. 7 & 12. CAPVAM *ad Pompeium* } qui Capuae XXuir agros diuidebat lege Iulia. ep. XI. ideo in oratione post reditum in sen. magistratum in colonia nuper constituta idest, Capuae, gerere dicitur. necesse igitur est, Capua Romam uenisse ludorum caussa; Capuam, cum ludos spectasset, statim redijsse. nam certe ante ludos Apollinares, qui mense Quinctili celebrantur, Capuae fuit, ut epist. 12. & ludis interfuisse non dubium est, cum illud aperte indicet, Petulanter inuectus est: & Valerius Diphilum illa scribit pronunciasse directis in Pompeium manibus. INIMICI *erant*, } Caesar, & eius amici. STANTES } maior enim significatio beneuolentiae, cum ad plausum dandum surgitur. & ludos equites spectabant in XIV. ordinibus sedentes, quos Roscia lex dederat; cum antea sedentes quidem, promiscue tamen cũ plebe spectassent. Cur autem Curioni Caesaris inimico plausum equites dederunt, cum ipsi Caesari non dedissent, a quo in conductione Asianorum uectigalium tertia mercedum parte releuati magnum beneficium acceperant? (ut in Suetonio legimus) quia non tam beneficij memores, quam iniuriae. Caesar enim, portoriis Italiae sublatis, agro Campano diuiso, publica uectigalia uel maxime imminuerat: quo publicani, idest equites, offensi; qui, conducendis uectigalibus publicis, lucrum facere solebant. epist. 15. OMNIBVS } uniuerso populo: cuius perspexerant e sibilis odium, e plausu beneuolentiam. MINITABANTVR. } se abrogaturos non modo Rosciam legem, quae XIV. ordines in theatro equitibus dedisset, sed etiam frumentariam, quae ad uniuersum populum pertinebat: quam a C. Graccho latam, deinde a M. Octauio abrogatam, L. Appuleius Saturninus retulerat, ut populo frumentum semissibus & trientibus daretur. Liuius, Cicero, Pedianus, scriptor rhetoricorum ad Herennium. SVSCEPTVM *ab illis*, } a perditis ciuibus: ut, Susceptum, de flagitiis eorum dictum sit: quo modo & in oratione pro Quinctio: Quod turpissime susceperas, perseuerare, & transigere non potuisti. & in flagitiis uerbum, Suscipere, frequenter a ueteribus usurpatum. SILENTIO *transiri* } ab hominibus dissimulari. TAMEN *ferendum* } non quia rectum sit, sed quia corrigendi spes non est. IMPENDET *negotium*: } si Clodius fiat tribunus pl. non dum enim habita comitia erant. ep. 20. CONSVLAREM *exercitum*: } bonos omnes Consularem appellat exercitum, quos sibi in consulatu praestantissimis actionibus obstrinxerat. COSCONIO } XXuiro agris diuidundis. Fortasse est C. Cosconius, qui praeturam gessit, Cicerone consule. in orat. pro Sulla. INVITATVS } a Caesare: sed Cicero recusauit. epist. 2. lib. 9. & in oratione de prouinciis consularibus. VOCARI *in locum mortui*. } ambiguo dicto iocum quaesiuit: quasi, In locum mortui, in eum locum, significet, quem mortuus obtineat: cum tamen hanc sententiam habeat; In eum locũ, quem is, qui mortuus est, uiuens obtinebat. Aut ideo dixit, Vocari in locum mortui, quia, surrogari in locum mortui, minus honorificum est, quam eum magistratum, quem is, qui mor-

tuus est, habebat, ipso consequi legitimorum comitiorum tempore. MEAM } ueterem, quam apud improbos habeo, ex reip. defensione contractam. ALIENAM } recentem, ex aliena culpa. ILLI } qui diui lendis agris praepositi sunt. LEGATVM. } in Galliis, ep. 16. lib. IIX. HONESTIOR } si quam xxuiratum acciperem. Sed oritur dubitatio, utrum xxuiratum Cicero repudiarit, ut est epistola. 11. libri IX. an Vuiratum, ut in oratione de prouinciis consularibus. hic intendum est coniecturas; quibus incertis, & fallacibus, iterdum tamen locus est. mihi igitur non fit uerisimile, Caesarem Cosconio Vuiratum detulisse, maioremq. ei habere honorem uoluisse, quam Balbo, & sororis suae uiro, & Pompeium, generũ suum, artissima affinitate contingenti; cui non Vuiratum, sed xxuiratum dederat: ut est in Augusto Suetonij. At Cosconius dignitate praestantior. primum, ridiculum est de dignitate loqui Caesare consule, qui collegam Bibulum armis foro pepulisset; M. Catonem, optimum ciuem, in carcerem duci iussisset; ad ambitionem, & gratiam omnia referret: deinde, ne id quidem: neuter enim consularis, praetorius nõ minus Balbus, quam Cosconius: ut Suetonius tradit. PERICVLI } quod mihi impendet a Clodio. Hoc *non repudio* } legationis honorem non recuso; sed pugnare tamen malo, quam legatus exire. Eadem sententia ep. 18. Hanc ego teneo: sed usurum me non puto. nec tamen scit quisquam. non libet fugere. aueo pugnare. magna sunt hominum studia. QVID *ergo est* } si non repudias, cur ergo non accipis, & usurũ te dicis? cur animi dubius deliberationem non concludis? cur incertus pendes, cum uideas hanc esse honestam periculi declinationem? ITERVM *dico,* } dixit enim, Me miserum, cur non ades? epist. 18. QVID *aliud?* } quid aliud est, quod scribam? Sic lib. I. epist. XI. Ἀκκίζομαι } inuitus dissimulo. CAECILIVM } auunculum tuum, qui Atticum postea testamento adoptauit. EDICTA *Bibuli* } Bibulus consul domo abditus per edicta obnunciabat. Suetonius, Plutarchus, alij. DOLORE, *& ira* } quia Bibulus edictis eũ acerbissimis lacerabat, ep. 21.

Cicero S. D. Attico. 20.

ANicato, ut te uelle intellexeram, nullo loco defui. Numestium ex litteris tuis, studiose scriptis, libẽter in amicitiam recepi. Caeciliũ, quibus rebus possum, tueor diligenter. Varro satisfacit nobis: Pompeius amat nos, carosq. habet. credis? inquies. credo: prorsus mihi persuadet. sed, quia, ut uideo pragmatici homines omnibus historicis praeceptis, uersibus denique cauere iubent, & uetant credere: alterum facio, ut caueam; alterum, ut non credam, facere non possum. Clodius adhuc mihi denunciat periculum. Pompeius affirmat, non esse periculum; adiurat; addit etiam, se prius occisum iri ab eo, quam me uiolatum iri. tractatur res. simul quid erit certi, scribam ad te. si erit pugnandum, accersam ad societatem laboris. si quies dabitur, ab Amalthea te non commouebo. De rep. breuiter ad te scribam: iam enim, charta ipsa ne nos prodat, pertimesco. itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribenda, ἀλληγορίαις obscurabo. Nunc quidem nouo quodam morbo ciuitas moritur: ut, cum omnes ea, quae sunt acta, improbent, querãtur, doleant, uarietas in re nulla sit, aperteq. loquantur, & iã clare gemant; tamen medicina nulla afferatur. neque enim resisti sine internecione posse arbitramur: nec uidemus, qui finis cedendi, praeter exitium, futurus sit. Bibulus hominum admiratione, & beneuolentia in caelo est. edicta eius, & conciones describunt, & legunt. nouo quodam genere in summam gloriam uenit. populare nunc nil tam est, quam odium popularium. haec quo sint eruptura, timeo. sed, si dispicere quid coepero, scribam ad te apertius. tu, si me amas tantum, quãtum profecto amas; expeditus, facito, ut sis; si inclamaro, ut accurras. sed do operam, & dabo, ne sit necesse. Quod scripseram, te Furium scripturum; nil necesse est tuum nomen mutare. me faciam Laelium, & te Atticum; neque utar meo chirographo, neque signo; si modo erunt eiusmodi litteras, quas in alienum incidere nolim. Diodotus mortuus est: reliquit nobis HS fortasse centies. Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem XV. kal. Nou. distulit. A Vibio libros accepi. poeta ineptus! nec tamen scit nihil, & est non inutilis. describo, & remitto. Vale.

EXPLANATIO

CAECILIVM } Attici auunculum. SATISFACIT } quia Pompeiũ, amicissimũ, in amicitia nostra cõfirmat, meq. omnibus officiis colit. ep. 25. PRAGMATICI } rebus gerendis exercitati. SIMVL *quid* } sic ep. 6. l. 9. Simul Caesar Romam uenerit, antiqui libri, Simul & forte, Simul ut: ex Academicorum, IV. & de finibus 2. AB *Amalthea* } ab otio, quo frueris in tuo gymnasio Amalthea, ep. XI. NE *nos prodat,* } ne litterae aperiantur. infert enim, ἀλληγορίαις *obscurabo,* idest figuris sententiam obscurantibus, ep. 19. NOVO *quodam morbo* } nouum enim, & inusitatum est, aegrotantem agnoscere morbum, & sentire periculosum esse, nec tamen mederi ACTA, } a Caesare consule. VARIETAS *in re nulla sit,* } quod omnes ea, quae sunt acta, peraeque detestentur. SINE *internecione* } quia res ad certamen deduceretur: unde caedes, & internecio ciuitatis. CEDENDI, } cum neque resistere possimus sine internecione, & cedendi consilium sit exitiosum, NOVO *quodam genere* } cum populo carissimus sit, quia populares odit. quod euenire non solet. DIODOTVS } non est, ut nonnulli putant, is, de quo in Bruto legitur: qui mortuus est post ortum ciuile bellum, idest multis annis post,

quam

quam haec epistola scripta est. sic enim in Bruto: Stoicus Diodotus cum habitauisset apud me, mecumq. uixisset, nuper est domi meae mortuus. Quod si mortuus est Diodotus paullo ante, quam Cic. Brutum scriberet; Brutus autem scriptus est Caesare. IV. & Lepido cos. sequitur, ut Diodotus hic alius necessario sit, qui moritur Caesare & Bibulo cos. id est annis 12. ante Brutum scriptum. HS FORTASSE *centies.* } scutatorum, ut nunc loquimur, trecenta millia. immensa summa, minimeq. credibilis; praesertim cum ipse Cicero, se non accepisse amplius ducenties, idest scutatorum sexcenta millia, ex omnibus amicorū hereditatibus, in secunda aduersus Antonium oratione fateatur. puto igitur legendum pro Centies, Centum. ARCHILOCHIO } acerbissimo; quales Archilochi poetae iambi. IN *ante diem* } In diem, si dixisset, idem significasset. DISTVLIT } Latinis feriis edicendis, uel instaurandis: ut epistola 6. lib. 2. ad Q. fratrem. LIBROS } Alexandri poetae. ep. 22.

Cicero S. D. Attico. 21.

De rep. quid ego tibi subtiliter? tota periit: atque hoc est miserior, quam reliquisti, quod tum uidebatur eiusmodi dominatio ciuitatem oppressisse, quae iucunda esset multitudini, bonis autem ita molesta, ut tamen sine pernicie; nunc repente tanto in odio est omnibus, ut, quorsum eruptura sit, horreamus. nam iracundiam, atque intemperantiam illorum sumus experti, qui Catoni irati, omnia perdiderunt: sed ita lenibus uti uidebantur uenenis, ut posse uideremur sine dolore interire. nunc uero sibilis uulgi, sermonibus honestorum, fremitu Italiae, uereor, ne exarserint. equidē sperabā, ut saepe etiam loqui tecum solebam, sic orbem reip. esse conuersum, ut uix sonitum audire, uix impressam orbitam uidere possemus: & fuisset, si homines transitum tempestatis exspectare potuissent: sed, cum diu occulte suspirassent, postea iam gemere, ad extremum uero loqui omnes, & clamare coeperunt. itaque ille amicus noster, insolens infamiae, semper in laude uersatus, circumfluens gloria, deformatus corpore, fractus animo, quo se conferat, nescit: progressum praecipitem, inconstantem reditum uidet: bonos inimicos habet, improbos ipsos non amicos. ac uide mollitiem animi: non tenui lacrymas, cum illum ante diem IIX. kal. Sext. uidi de edictis Bibuli concionantem, qui antea solitus esset iactare se magnificentissime illo in loco, summo cum amore populi, cunctis fauentibus. ut ille tum humilis, ut demissus erat: ut ipse etiam sibi, nō iis solum, qui aderāt, displicebat. o spectaculum uni Crasso iucundum, ceteris nō item. nam, quia deciderat ex astris, lapsus potius, quam progressus, uidebatur. et, ut Apelles, si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illū suum caeno oblitum uideret, magnum, credo, acciperet dolorem: sic ego hunc, omnibus a me pictum, & politum artis coloribus, subito deformatum non sine magno dolore uidi. quamquam nemo putabat, propter Clodianum negotium, me illi amicum esse debere. tamen tantus fuit amor, ut exhauriri nulla posset iniuria. itaque Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita sunt iucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, prae multitudine eorum, qui legunt, transire nequeamus; ipsi ita acerba, ut tabescat dolore; mihi mehercule molesta, quod & eum, quem semper dilexi, nimis excruciant; & timeo, tam uehemens uir, tamq. acer in ferro, & tam insuetus contumeliae, ne omni animi impetu dolori, & iracūdiae pareat. Bibuli qui sit exitus futurus, nescio. ut nūc res, se hēt, admirabili gloria est. qui cum comitia in mensem Oct. distulisset; quod solet ea res populi uoluntatem offendere, putarat Caesar oratione sua posse impelli concionem, ut iret ad Bibulū: multa cum seditiosissime diceret, uocem exprimere non potuit. quid quaeris? sentiunt, se nullam ullius partis uoluntatem tenere: eo magis uis nobis est timenda. Clodius inimicus est nobis. Pompeius confirmat, eum nil esse facturum contra me. mihi periculosum est credere. ad resistendum me paro. studia spero me summa habiturum omnium ordinum. te cum ego desidero, tum uero res ad tempus illud uocat. plurimum consilii, animi, praesidii, denique mihi, si te ad tempus uidero, accesserit. Varro satis mihi facit. Pōpeius loquitur diuinitus. spero nos aut cum summa gloria, aut certe sine molestia esse discessuros. Tu, quid agas, quemadmodum te oblectes, quid cum Sicyoniis egeris, ut sciam, cura. Vale.

EXPLANATIO

QVID ego *subtiliter?* } quid minuta persequar? ILLORVM } Caesaris, & Pompeii. IRATI, } Pompeius, quia Catonis sororem cum uxorem peteret, repudiatus est; Caesar, propter ueteres inimicitias, & recentes iniurias. Plutarchus utrūque. EXARSERINT. } hoc uerbo impotens quaedam ostenditur iracundia. lib. 1. de orat. Cuius responso sic iudices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. Et lib. III. Non tulit ille, & grauiter exarsit, pignoribusq. ablatis, Crassum instituit coercere. AMICVS *noster,* } Pompeius. DEFORMATVS *corpore,* } qui tantum amiserit de ueteri dignitate. PROGRESSVM } in caussa turpi. PRAECIPITEM, } temerarium, sine consilio. DE *edictis Bibuli* } ipsum accusantibus. 34. VNI *Crasso* } qui, Pompeii uetus inimicus, paullo ante Caesaris opera reconciliatus, animum tamen gereret occulta maleuolentia suffusum. QVIA *deciderat ex astris,* } quia summam laudem, summis rebus gestis quaesitam, improborum coniunctione amiserat. homines eum misericordia potius, quam odio, prosequebantur, nec putabant, sponte, & consilio progressum in eam turpitudinem deuenisse, sed casu, & errore lapsum decidisse. cur enim circumfluens gloria, uniuersae ciuitati carissimus, infamiam sibi ipse, & inuidiam strueret? VENEREM, } Coam,

de qua Plinius, & de Ialyso Protogenis. PICTVM, *& politum*, } omnibus litteris, & rebus ornatum. ACER *inferre*} quod ea tempestate gerendis bellis nemo acrior Pompeio, aut praestantior habebatur. DISTVLISSET; } edicto comitia distulerat in ante diem. XV. Kal. Nouemb. ep. 20. EA *res* } dilatio comitiorum, quae populum offendebat, quia comitiis nummi diuidebantur. epist. 16. AD *Bibulum*. } ad aedes Bibuli cum clamore. B. bulus enim, post agrariam legem, domi inclusus consulatum peregit. Suetonius. AD *tempus illud* } cum mihi Clodius negotium facesset. AD *tempus* } in tempore, cum res postulabit. SATIS *mihi facit*, } officiis, & studiis erga me, ep. 20. 22. 24. DIVINITVS. } affirmat enim, se prius occisum iri a Clodio, quam me uiolatum iri. ep. 18. DISCESSVROS. } eodem sensu dixit supra ep. 16. Si possum discedere, ne caussa optima in senatu pereat. Spero, inquit, nos perfuncturos hoc negotio aut cum gloria, aut certe sine molestia; exituros ex hoc negotio, exitum rem habituram aut gloriosum, aut certe molestia uacuum. EGERIS } num pecuniam ab iis debitam exegeris.

Cicero S. D. Attico. 22.

QVAM uellem Romae mansisses. quod egisses profecto, si haec fore putassemus. nam Pulchellum nostrum facillime teneremus; aut certe, quid esset facturus, scire possemus. nunc se res sic habet. uolitat, furit, nil habet certi, multis denunciat; quod fors obtulerit, id acturus uidetur. cum uidet, quo sit in odio status hic rerum; in eos, qui haec egerunt, impetum facturus uidetur. cum autem rursus opes, & uim exercitus recordatur, conuertit se in nos. nobis autem ipsis tum uim, tum iudicium minatur. cum hoc Pompeius egit, &, ut ad me ipse referebat, (alium enim habeo neminem testem) uehementer egit, cum diceret, in summa se perfidiae, & sceleris infamia fore, si mihi periculũ crearetur ab eo, quem ipse armasset, quem plebeium fieri passus esset: sed fidem recepisse sibi & ipsum, & Appium de me: hanc si ille non seruaret, ita laturum, ut omnes intelligerent, nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. haec, & in eam sententiam cum multa dixisset, aiebat illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse, & affirmasse nil se contra eius uoluntatem esse facturum. sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui. quod si non faceret; tamen ei nihil crederemus, atque omnia, sicut facimus, pararemus. nunc ita nos gerimus, ut in dies singulos & studia in nos hominũ, & opes nostrae augeantur. remp. nulla ex parte attingimus. in caussis, atque in illa opera nostra forensi, summa industria uersamur. quod egregie non modo iis, qui utuntur opera, sed etiam in uulgus gratum esse sentimus. domus celebratur: occurritur: renouatur memoria consulatus: studia significantur: in eã spem adducimur, ut nobis ea contentio, quae impendet, interdum non fugienda uideatur. nunc mihi & consiliis opus est tuis, & amore, & fide. quare aduola. expedita mihi erunt omnia, si te habebo. multa per Varronem nostrum agi possunt, quae te urgente erũt firmiora: multa ab ipso Publio dici, multa cognosci; quae tibi occulta esse non poterunt: multa etiam; sed absurdum est singula explicare, cum ego te requiram ad omnia. unum illud tibi persuadeas uelim, omnia mihi fore explicata, si te uidero: sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum, puto, Pompeium Crasso urgente, si tu aderis, qui per βοώπιδα ex ipso intelligere possis, qua fide ab illis agatur, nos aut sine molestia, aut certe sine errore futuros. precibus nostris, & cohortatione non indiges. quid mea uoluntas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet, intelligis. De rep. nihil habeo ad te scribere, nisi summũ odium omnium hominum in eos, qui tenent omnia: mutationis tamen spes nulla. sed, quod facile sentias, taedet ipsum Pompeium, uehementerq. paenitet. non prouideo satis, quem exitũ futurum putem. sed certe uidentur haec aliquo eruptura. Libros Alexandri, negligentis hominis, & non boni poetae, sed tamen non inutilis, tibi remisi. Numerium Numestium libenter accepi in amicitiam: & hominem grauem, & prudentem, & dignum tua commendatione cognoui. Vale.

EXPLANATIO

QVOD *egisses* } abest hoc ab antiquis libris: & simile quippiam subaudiri potest: ut sit ἀποσιώπησις. SCIRE *possemus*. } tu enim in sermone, aut ex ipso, aut e sorore, quid in me cogitet, eliceres. epist. 9. & 22. DENVNCIAT; } minatur. IN *eos* } in Caesarem, & Pompeium. ep. 12. EXERCITVS } quem Caesar habebit Galliarum proconsul. IN *nos* } qui ab opibus & exercitu minus firmi sumus. IVDICIVM } populi: ut ad populum caussam Cicero diceret de ciuibus R. & contra leges, & indicta caussa summo supplicio affectis. APPIVM } P. Clodij fratrem, qui anno sequenti praetor est designatus. ep. 1. & 2. lib. 4. VARRONEM *nostrum* } qui gratia ualet apud Pompeium. fuerat enim eius praefectus bello maritimo contra piratas. de re rustica lib. 2. TOTVM *est in eo* } maximi refert. Sic locutus est in ep. 1. lib. 3. ad Q. fratrem: Totum est in eo, tectorium ut concinnum sit. & in epist. ad Capitonem, lib. 16. INEAT *magistratum*. } hoc dicit comitijs nondũ habitis; sed fore uidebat, ut Clodius tribunus pl. designaretur. epist. 24. POMPEIVM *Crasso urgente*, } quoniam futurum est, ut Crassus Pompeium urgeat contra me, intelliget, qua fide Pompeius mecum agat; & Clodiae narrabit, illa tibi, si aderis. ita fiet, ut, si intelligam Pompeium bona fide mecum agere, sine molestia sim, Clodij furorem non timeam; sin aliter, credulitatis errore non decipiar. Βοώπιδα } Clodij sororem, qua Crassus plurimum utebatur. EX *ipso* } Crasso. AB *illis* } Pompeio, & Caesare. PAENITET. } quod societatem cum impro-

improbis coiuerit. ep. 21. ERVPTVRA. } ad uim. ep. 22. LIBROS *Alexandri* } a Vibio acceptos. ep. 20. NVMERIVM } Numerius & familiae nomen est, ut, CN. NVMERIVS FRONTO, in lapide antiquo, quem in turri sancti Vitalis coaedificatum uidemus: & praenomen, ut hic, & in oratione pro Cluentio: Larinas quaedam fuit Dinea, quae filios habuit, Marcum & Numerium Aurios.

Cicero S. D. Attico. 23.

NVMQVAM ante arbitror te epistolam meam legisse, nisi mea manu scriptam. ex eo colligere poteris, quanta occupatione distinear. nam, cum uacui temporis nil haberem, & cum, recreãdae uoculae, caussa necesse esset mihi ambulare; haec dictaui ambulans. Primum igitur illud te scire uolo, Sampsiceramum, nostrum amicum, uehementer sui status paenitere, restituiq. in eum locum cupere, ex quo decidit, doloremq. suum impertire nobis, & medicinam interdum aperte quaerere; quam ego possum inuenire nullam: deinde omnes illius partis actores, ac socios, nullo aduersario, consenescere; consensionem uniuersorum nec uoluntate, nec sermone maiorem umquam fuisse. Nos autem (nam, id te scire cupere, certo scio) publicis consilijs nullis interfuimus, totosq. nos ad forensem operam, laboremq. contulimus. ex quo, quod facile intelligi possit, in multa commemoratione earum rerum, quas gessimus, desiderioq. uersamur. sed Βοώπιδος noster consanguineus non mediocres terrores iacit, atque denunciat, & Sampsiceramo negat, ceteris praesefert, & ostentat. quamobrem, si me amas tantum, quantum profecto amas; si dormis, expergiscere; si stas, ingredere, si ingrederis, curre; si curris, aduola. credibile non est; quantum ego in consilijs, & prudentia tua, quodq. maximum est, quantum in amore, & fide ponam. magnitudo rei longam orationem fortasse desiderat: coniunctio uero nostrorum animorum breuitate contenta est. permagni nostra interest, te, si comitijs non potueris, at, declarato illo, esse Romae. Cura, ut ualeas.

EXPLANATIO

SAMPSICERAMVM, } Pompeium. epist. 14. ILLIVS *partis* } societatis contra caussam reip. CONSENESCERE } populi gratiam amittere, & in inuidiam adduci, nemine tamen eos oppugnante. IN *multa commemoratione* } commemorantur cum desiderio eae res, quas in consulatu gessimus. epist. 22. *Βοώπιδος noster consanguineus* } explano sic: Βοώπιδος consanguineus noster; ut, Noster, sit ironia; ut etiam epist. 19. Noster Publius mihi minitatur. epist. 22. Pulchellum nostrum facillime teneremus. *Βοώπιδος*, Clodiae. epist. 9. *Consanguineus*: frater P. Clodius. DENVNCIAT } periculum nobis. epist. 20. DECLARATO *illo*, } postquam Clodius designatus fuerit tribunus pl. & ante quam ineat magistratum. epist. 22.

Cicero S. D. Attico. 24.

QVAS Numestio litteras dedi, sic te ijs euocabã, ut nihil acrius, neque incitatius fieri posset. ad illam celeritatem adde etiam, si quid potes. ac ne sis perturbatus, noui enim te; & non ignoro, quam sit amor omnis solicitus, atque anxius: sed res est, ut spero, non tam exitu molesta, quam aditu. Vettius, ille, ille noster index, Caesari, ut perspicimus, pollicitus est, sese curaturum, ut in aliquam suspicionem facinoris Curio filius adduceretur. itaque insinuatus in familiaritatem adolescentis, & cum eo, ut res indicat, saepe cõgressus, rem in eum locum deduxit, ut diceret sibi certum esse cum suis seruis Pompeium impetum facere, eumq. occidere. hoc Curio ad patrem detulit, ille ad Pompeium. res delata ad senatum est. introductus Vettius, primo negabat, se umquam cum Curione restitisse; neque id sane diu: nam statim fidem publicam postulauit. reclamatum est. tum exposuit, manum fuisse iuuentutis duce Curione, in qua Paullus initio fuisset, & Cn. Caepio hic Brutus, & Lentulus, flaminis filius, conscio patre: postea C. Septimium, scribam Bibuli, pugionem sibi a Bibulo attulisse. quod totum irrisum est: Vettio pugionem defuisse, nisi ei consul dedisset. eoq. magis id eiectum est, quod ad III. id. Mai. Bibulus Pompeium fecerat certiorem, ut caueret insidias: in quo ei Pompeius gratias egerat. introductus Curio filius, dixit ad ea, quae Vettius dixerat: maximeq. in eo tum quidem Vettius est reprehensus, quod dixerat adolescentiũ consilium, ut in foro cum gladiatoribus Gabinij Pompeiũ adorirentur: in eo principem Paullum fuisse: quem constabat eo tempore in Macedonia fuisse. fit S. C. ut Vettius, quod confessus esset se cum telo fuisse, in uincula conijceretur: qui eum emisisset, contra remp. esse facturum. res erat in ea opinione, ut putarent id esse actum, ut Vettius in foro cum pugione, & item serui eius comprehenderentur cum telis, deinde ille se diceret indicaturum. idq. ita actum esset, nisi Curiones rem ante ad Pompeium detulissent. tum S. C. in concione recitatum est. postero autem die Caesar, is, qui olim, praetor cum esset, Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, Vettium in Rostra produxit, eumq. in eo loco constituit, quo Bibulo consuli adspirare nõ liceret. hic ille omnia, quae uoluit, de rep. dixit; ut qui illuc factus, institutusq. uenisset. primum Caepionem de oratione sua sustulit, quẽ in senatu acerrime nominarat: ut appareret, noctem, & nocturnam deprecationem intercessisse. deinde, quos in senatu ne tenuissima quidem suspicione attigerat, eos nominauit, Lucullum, a quo solitum esse ad se mitti C. Fannium illum, qui in P. Clodium subscripserat; L. Domitium,

tium, cuius domum constitutam fuisse, unde eruptio fieret. me non nominauit: sed dixit, consularem disertum, uicinum consulis, sibi dixiße, Ahalam Seruilium aliquem, aut Brutum opus eße reperiri. addidit ad extremum, cum, iam dimißa concione, reuocatus a Vatinio fuißet, se audiße a Curione, his de rebus conscium eße Pisonem generum meum, & M. Lateranensem. nunc reus erat apud Craßum Diuitem de ui, &, cum eßet damnatus, erat indicium postulaturus: quod si impetraßet, iudicia fore uidebantur. ea nos, utpote qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus. hominum quidem summa erga nos studia significabantur: sed prorsus uitae taedet: ita sunt omnia omnium miseriarum plenißima. modo caedem timueramus, quam oratio fortißimi senis Q. Considij discußerat: ea, quam quotidie timere potueramus, subito exorta est. quid quaeris? nil me infortunatius, & Catulo, cum splendore uitae, tum hoc tempore. nos tamen in his etiam miserijs erecto animo, & minime perturbato sumus, honestißimeq. dignitatem nostram, & magna cura tuemur. Pompeius de Clodio iubet nos eße sine cura, & summam in nos beneuolentiam omni ratione significat. Te habere consiliorum auctorem, sollicitudinum socium, omni in cognitione coniunctum cupio. quare, ut Numestio mandaui, tecum ut ageret, item, atque eo, si potest, acrius te rogo, ut plane ad nos aduoles. respiraro, si te uidero. Vale.

EXPLANATIO

NOSTER *index*, } qui nobis olim Catilinae socios indicauit. Dio, Suetonius. CAESARI } consuli, praemia promittenti. Suetonius, Appianus, in Vatinium. CVRIO *filius* } acerrimus Caesaris, & illarum partium inimicus. epist. 18. NEGABAT } eo consilio, ut, cum negaret, quod omnibus notissimum erat, suspicionem crearet in Curionem. RESTITISSE } colloquendi caussa. Sic Terentius in Andr. Daue: ades: resiste. FIDEM *publicam* } ut ipsi daretur impunitas, si alios indicasset. PAVLLVS } L. Aemilius Paullus, qui Macedoniam quaestor obtinebat. in Vatinium. postea consul fuit cum C. Marcello. INITIO } cum Romae esset, nondum in Macedoniam profectus. CN. *Caepio hic Brutus* } M. Iunius Brutus, Seruiliae filius, qui postea Caesarem interfecit. adoptatum ab auunculo Seruilio Caepione, de quo Plutarchus in Vticensi, credendum est; ut ex adoptionum instituto Seruilius Caepio Iunianus Brutus appellaretur. ab adoptante enim praenomen, nomen, cognomen accipiebat is, qui adoptabatur. sed de Caepionis, Seruiliae fratris, praenomine Plutarchus nihil. ex Philipp. 10. Quinctum fuisse apparet, cuius in extremo de Q. Caepione hoc Bruto saepe iterata mentio. quod antiquus nummus, qui est apud me, confirmat, ita circumscriptus, Q. CAEPIO. BRVTVS. PROCOS. ut hic quoque uideatur legendum, Q. Caepio, non, ut legitur, Cn. Caepio. nam, quod in quibusdam libris est, Cn. Caepio & Brutus, ut duo significentur, Caepio, & Brutus; id ut perspicue falsum reijciatur: cum, unum significari Seruiliae filium, aperte indicet, quod his uerbis infra scriptum est: Caepionem de oratione sua sustulit, quem in senatu acerrime nominarat: ut appareret, noctem, & nocturnam deprecationem intercessisse. HIC *Brutus:* } ad differentiam; quod alij essent Caepiones eodem praenomine. FLAMINIS } L. consularis candidati. ex oratione in Vatinium. CONSCIO *patre* } quod eadem indicat oratio. nominatur & in ea de haruspicum resp. & mortuus ostenditur epist. 6. libro 4. Flamines autem, stante rep. tredecim fuere, Dialis, Martialis, Quirinalis, Volcanalis, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis, Carmentalis, Portumnalis, Persillus Virbialis. additi postea duo sunt C. Caesaris, & Augusti: de quibus omnibus Varro, Cicero, Festus, marmorea monumenta. CVM *gladiatoribus Gabinij* } non dubito, quin abundet particula, Cum: ut tempus significetur, quo Gabinius gladiatores populo dedit, opinor, ut eo munere gratiosior esset in petitione consulatus. nam petebat hoc anno, & designatus est cum L. Pisone. tempus autem id significari, eo certius est, quia sequitur proxime: In eo principem Paullum fuisse, quem constabat eo tempore in Macedonia fuisse. Omitto alia non dubia argumenta, ut hoc: non debuisse Vettium inter conscios facinoris admiscere Gabinij gladiatores, ne gladiatorum dominus Gabinius, qui erat Caesarianae partis amicissimus, in suspicionem adduceretur. Et, ut opinio mea fert, gladiatores Gabinij fuere, de quibus epist. 19. Gladiatoribus qua dominus, qua aduocati sibilis conscissi. CVM *telo fuiße.* } quod lex uetabat. itaque P. Cornificius in senatu, ut inuidiam Miloni faceret, ferrum dixerat eum habere intra tunicam ad femur alligatum. Pedianus. ID *eße actum* } ita rem esse compositam a Caesare, & Vettio. CATVLVM } quem adolescens aetate prouectum pontificatu deiecerat. Suetonius, Plutarchus. IVSSERAT *dicere* } cum eum de refectione Capitolij ad disquisitionem populi uocauit. Suetonius in Iulio. PRODVXIT } nam priuato non licuisset de superiore loco dicere, & concionem habere, nisi a magistratu concederetur. epist. 1. & 2. lib. 4. ADSPIRARE *non liceret* } domi enim se tenebat armorum metu. Non dixit, Accedere, sed, Adspirare. quod minus est. VOLVIT, } non Vettius, sed Caesar. DE *rep.* } quid haec ad remp.? possunt sane & ad remp. transduci, sed ita, ut non sponte sequi uideantur. Malim legere, De re. CAEPIONEM } M. Brutum. NOCTVRNAM *deprecationem* } Seruiliae, Bruti matris; quam Caesar amauit. huius apud Caesarem preces significat, ut filius eius Caepio Brutus de oratione Vettij tolleretur. LVCVLLVM } L. Lucullum. In oratione in Vat. Et, cum, Lucullus, dicitur, sine praenomine; de Lucio, non de Marco eius fratre, κατ' ἐξοχὴν intelligendum. IN *P. Clodium* } cum accusatus est crimine pollutarum religionum. epist. 10. L. 1. ILLVM, *qui* } hoc addit, ut distinguat: nam erat alter C. Fannius, hoc ante

tribunus

tribunus pl. ut in oratione pro Sextio, & in Vatinium. L. DOMITIVM } Ahenobarbum, qui consul fuit cum Ap. Claudio. VICINVM *consulis* } uicinus erat Cicero Caesaris consulis, quod ipse in Palatio, Caesar autem in Sacra uia habitabat, quae secundum radices Palatij a Carinis in Capitolium tendebat. epist. 4. Suetonius i AHALAM *Seruilium* } qui sua manu Q. Melium, regnum appetentem, occiderat. Liuius. BRVTVM } qui reges exegerat. nota historia. REPERIRI } qui occiderent ciues Melio similes, aut nouos Tarquinios expellerent. A VATINIO, } qui cum Vettio, praesente populo Romano, collocutus, inculcauit, ut Pisonem, & Lateranensem, nominaret. In oratione in Vat. CRASSVM *Diuitem* } M. Crassum, qui a Parthis occisus est: de quo epist. 13. DE *ui*, } lege Plotia: quia confessus esset, se cum telo fuisse. fam. libro 8. epist. 7. & pro Milone, & Sallustius in Catil. IVDICIVM *postulaturus*. } iudicium populi. erat tribunos pl. appellaturus. Sic aduersus Lucullum praetorem C. Antonius tribunos appellauit, Damio aduersus Flauium. Pedianus. IVDICIA *fore uidebantur* } fore uidebam, ut multi rei fierent, ex indicio Vettij. QVI *nihil contemnere* } ideo non pertimescimus, quia cauemus omnia. indicium autem impendebat Ciceroni & ex indicio Vettij, & mox a P. Clodio de necatis ciuibus Romanis. TIMVERAMVS } Plutarchus haec: Cum senatores in curiam pauci conuenirent, Considius Caesari caussam dixit esse, quia milites illius arma timerent. qui Caesar: cur tu quoque ob eandem caussam non domi te contines? quia, Considius, senectus me facit intrepidum. DISCVSSERAT } alijs metu silentibus, Caesari consuli declarauerat. QVAM *quotidie timere potueramus* } hoc Vettij indicio patefactum est, caedem quotidie nobis fuisse timendam ab ijs, qui rerum potiuntur, quorum uidemus quam scelerata consilia sint, cum perniciem bonis uiris quacumque ratione machinentur. Non timebamus, cum indicia non exstarent, sed timere quotidie potueramus, ut nobis inscientibus impendentem. CATVLO, } Catulus anno proximo perierat, Afranio, & Metello cos. ut hic epist. 17. lib. 1. & Dio l. XXXVII. Placeret igitur, Lucullo, cui negotium impendere uidebatur e Vettij nominatione, aut, Catone, qui hoc anno, idest Caesare consule, magnis contumelijs affectus est. Sed antiqui libri, Catulo: mendose: neque enim ad mortuum huius temporis miseriae pertinent. CVM *splendore uitae*, *tum hoc tempore*. } cur infortunati? quia floruimus aliquando dignitate, nunc prorsus iacemus. MORATVS *est* } placeret, Inodoratus: quia, cum, Pompeio aut Caesari credere, periculosum uideret, eorum animos nosse, magni putabat ad suas rationes interesse, propter insequentis anni impendentem a Clodio tempestatem. Subscribere uidetur sententiae nostrae, quod scriptum est epist. 16. Velim e Theophane expiscere, quoniam in me animo sit Arabarches. & epist. 22. Per βοώπιδα intelligere poteris, qua fide ab illis agatur. Et, Inodorari ἑλικτὰ, proprie. nam odorari dicitur de rebus occultis, quae minime iudicantur oculorum sensu: ut lib. 1. de oratore, Odorari, quid sentiant iudices. hic libro VI. epist. 4. Ego μυστικώτερον ad te scribam: tu sagacius odorabere. & libro XIII. Odorare Antonij διάθεσιν. Neque uero particula, In, praeposita priorem significationem ut contraria tollit, sed facit quod in uerbo Audio: ut, cum dicimus, Inaudire, significamus, id audire, quod occulte agatur. item, Inodorari, indagare, quod in occulto latet. Si, Moratus, retinemus, erit, tardauit, repressit. sed fides mihi non fit, Varronis auctoritatem fuisse tantam, ut morari potuerit consilia Pompeij: elicere quidem, aut odorari, pro familiaritate potuit.

Cicero S. D. Attico. 25.

CVM *aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, uolam illum scire ex te, me id fecisse; ut nuper me scis scripsisse ad te de Varronis erga me officio; te ad me rescripsisse, eā rē summae tibi uoluptati esse. sed mallem, ad illum scripsisses, mihi illum satisfacere: mirabiliter enim moratus est, sicut nosti,* ἑλικτὰ, καὶ οὐδὲν. *nos tenemus praeceptum illud,* τὰς τῶν κρατούντων. *at hercule alter, tuus familiaris, Hortensius quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, cum de Flacci praetura, & de illo tempore Allobrogum diceret. sic habeto, nec amantius, nec honorificentius, nec copiosius potuisse dici. ei te hoc scribere a me tibi esse missum, sane uolo. sed, quid tu scribas? quem iam ego uenire, atque adesse arbitror. ita enim egi tecum superioribus litteris. ualde te exspecto, ualde desidero: neque ego magis, quam ipsa res, & tempus poscit. His de negotijs quid scribam ad te, nisi idem, quod saepe? resp. nil desperatius: ijs, quorum opera, nil maiore odio. Nos, ut opinio, & spes, & coniectura nostra fert, firmissima beneuolentia hominum muniti sumus: quare aduola. aut expedies nos omni molestia, aut eris particeps. Ideo sum breuior, quod, ut spero, coram breui conferre, quae uolumus, licebit.*

EXPLANATIO

Ἑλικτὰ, καὶ οὐδὲν] senarij apud Euripidē, quos Andromache, Menelao irata, in Spartanos cōiter iacit.

ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν
σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
ἑλικτὰ, κοὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλὰ πάντα πέριξ
φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα.

Spartanis igitur similes Pompeius, & Caesar, ἑλικτὰ καὶ οὐδὲν ὑγιὲς φρονοῦντες. DE *Flacci praetura*, } Cicerone consule praetores L. Valerius Flaccus, C. Pontinius Vulturtium, unum ex Catilinae socijs, & legatos Allobrogum, in transitu pontis Miluij exceptos, comprehenderunt. QVORVM *opera*, } quorum opera ita afflicta resp. est, ut desperetur. MVNITI } contra impetus P. Clodij, tribuni pl. designati.




IN EPISTOLARVM M. TVLLII CICERONIS AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBRVM III.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.



Vm antea maxime nostra interesse arbitrabar, te esse nobiscum: tum uero, ut legi rogationem, intellexi, ad iter, quod constitui, nil mihi optatius cadere posse, quam ut tu me quamprimum consequare; ut, cum ex Italia profecti essemus, siue per Epirum iter esset faciundum, tuo, tuorumq. praesidio uteremur: siue aliud quid agendum esset, certum consilium de tua sententia capere possemus. quamobrem te oro, des operam, ut me statim consequare. facilius potes, quoniam de prouincia Macedonia perlata lex est. Pluribus uerbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur. Vale.

EXPLANATIO



V*m antea* ǁ ut aliquid de ordine dicatur, primam huius libri epistolam opinor esse oportere, quae nunc tertia est; secundam, quae secunda; tertiam, quae quarta; quartam, quae prima; quinctam, quae quincta item est: ut in eius fine ita legatur. III. idus Apr. Thurij. Vibone enim puto iter fuisse Thurium, inde Tarentum, inde Brundisiũ. ROGATIONEM ǁ Clodiam; ut mihi intra quadringenta millia ne liceat esse. epist. 4. QVAMPRIMVM ǁ antequam ex Italia proficiscar. FACILIVS *pote*, ǁ hoc dicit. Cum Clodij rogatio permittat, ultra quadringẽta millia ut ubiuis esse possim; sequitur, ut mihi in Macedonia liceat esse. quo facilius, ante quam ex Italia proficiscar, consequi me potes. non enim est, cur profectionem maturem: siquidem, quam mihi ad discedendum diem rogatio constituit, ante eam diem, uel nulla celeritate adhibita, ultra quadringenta millia licebit peruenire. quod si longius ire, ultraq. quadringenta millia iuberet: difficilius consequi me posses. nam mihi esset properandi maior imposita necessitas.

Cicero S. D. Attico. 2.

ITINERIS *nostri caussa fuit, quod non habebam locum, ubi pro meo iure diutius esse possem, quam in fundo Sicae, praesertim non dum rogatione correcta. et simul intelligebam, ex eo loco, si te haberem, posse me Brundisium referre; sine te autem non esse nobis illas partes tenendas propter Antronium. nunc, ut ad te antea scripsi, si ad nos ueneris, consilium totius rei capiemus. iter esse molestũ scio; sed tota calamitas omnes molestias habet. Plura scribere non possum. ita sum animo perculso, & abiecto. Cura ut ualeas.* D. VI. *id. Apr. Naryci Locridis.*

EXPLA-

EXPLANATIO

In fundo Sicae, } ad Vibonem. Ex Bessarionis libro legi etiam potest, In fundum: qua figura in Diuinatione dixit, Exteris nationibus, quae in amicitiam populi R. ditionemq. essent. & in Verrem lib. v. 11. Qui illam partem urbis tenerent, in eorum potestatem portum futurum intelligebant. quod Gellius notauit lib. j. cap. 7. Idq. recentiores etiam uiderunt. Praesertim *nondum* } praesertim quod, rogatio Clodia cum nondum sit correcta, nihil est, quod me extrudat. Correcta } audierat Cicero sustineri a Clodio rogationis promulgationem, quod in ea quiddam ante uellet corrigere. epist. 4. Si *te haberem,* } tuo enim comitatu, atque praesidio fretus, auderem Brundisium petere. Se iter habere, Bessarionis liber. Brundisium *referre.* } quo iter discedens intenderam. Autronium } P. Autroniũ, unum ex coniuratis, qui in illis partibus exsulabat, Ciceroni infensum, uindici coniurationis. pro Sulla. Ad *nos* } in fundum Sicae. Totius *rei* } itineris mei. epist. 3. Tota *calamitas* } in qua insunt, praeter mea damna, eae molestiae, quas ex molestijs meorum capio. ut nunc, cum te uideo mea caussa tam molestum iter suscipere. Naryci *Locridis* } de opido Narycae Suidas. ut uel, Narycij, uel Narycae, legendum uideatur. *Locridis*: in ora Locrorum.

Cicero S. D. Attico. 3.

Vtinam illum diem uideam, cum tibi agam gratias, quod me uiuere coegisti. adhuc equidẽ ualde me paenitet. sed te oro, ut ad me Vibonem statim uenias, quo ego multis de caussis conuerti iter meum. sed, eo si ueneris, de toto itinere, ac fuga mea consilium capere potero. si id non feceris, mirabor: sed confido te esse facturum. Vale.

EXPLANATIO

Cum *tibi agam gratias,* } agam enim, si quando meam dignitatem recuperabo: qua spe me uiuere coegisti. Equidem *me paenitet.* } coniungitur, Equidem, & cum prima, & cum secunda, & cum tertia persona, & cum una, & cum pluribus. exempla notauimus in oratione pro Sextio, lib. 3. de fin. & apud Persium poetam. Multis *de caussis* } duas posuit in proxima superiore ep.

Cicero S. D. Attico. 4.

Miseriae nostrae potius uelim, quam incõstantiae, tribuas, quod a Vibone, quo te accersebamus, subito discessimus. allata est enim nobis rogatio de pernicie mea; in qua, quod confectum esse audieramus, erat huiusmodi, ut mihi ultra quadringenta millia liceret esse. illo cum peruenire non liceret, statim iter Brundisium uersus contuli ante diem rogationis: ne & Sica, apud quem eram, periret; & quod Melitae esse non licebat. nunc tu propera, ut nos consequare; si modo recipiemur. adhuc inuitamur benigne; sed, quod superest, timemus. me, mi Pomponi, ualde paenitet uiuere. qua in re apud me tu plurimum ualuisti. Sed haec coram. fac modo, ut uenias. Vale.

EXPLANATIO

Confectum } placet, Correctum: ut in epistola, quae ante proximam legitur. Cogitaui sic, natum errorem e uicinitate; quod ueteres, Conrectum, scribebant. Illo } ultra quadringenta millia. Petieram Vibonem eo consilio, ut uel in Siciliam transijcerem, uel Melitam adnauigarem: postea, rogatione lecta, intellexi, si peterem Siciliam, progredi ultra quadringenta millia ante rogationis diem nõ posse; de Melita uero non esse cogitandũ; siquidem ultra quadringenta millia non esset. iter igitur pedibus Brundisium uersus contuli, ut inde in Macedoniam nauigarem, quae esset ultra quadringenta millia. in epistola ad Terentiam, Brundisio inquit, profecti sumus ad v. Kal. Mai. per Macedoniam Cyzicum petebamus. Periret; } ne poenam subiret, quam Clodius irrogabat ei, qui Ciceronem intra quadringenta millia tecto recepisset. pro domo sua. Melitae } insula est inter Italiam, & Epirum, & ante Pachynum promontorium. hodie *Maltae* insula uocatur. Si *modo recipiemur.* } nam, si recipior, iter mihi erit maturandum: ita me consequi nullo modo poteris.

Cicero S. D. Attico. 5.

Terentia tibi & saepe, & maximas gratias agit. id est mihi gratissimũ. ego uiuo miserrimus, & maximo dolore conficior. ad te quid scribã, nescio. si enim es Romae, iã me assequi non potes: sin es in uia; cũ eris me assecutus, corã agemus, quae erunt agenda: tantũ te oro, ut, quoniã me ipsum semper amasti, eodẽ amore sis: ego enim idem sum: inimici mei mea mihi, nõ me ipsum, ademerũt. Cura ut ualeas. IIX. *id. Apr. Thurij.*

EXPLANATIO

GRATIAS *agit.* } non opes meas, aut honores, quae mihi nunc inimici ademerunt, sed me ipsum, qui idem sum. THVRII } Thurium opidum Plinius libro. III. cap. XI. inter duos amnes Crathin, & Sybarim constituit. Bessarionis liber, Thauri.

Cicero S. D. Attico. 6.

NON fuerat mihi dubium, quin te Tarenti, aut Brundisij uisurus essem: idq. ad multa pertinuit, in cis, ut & in Epiro consisteremus, & de reliquis rebus tuo consilio uteremur. quoniam id non contigit, erit hoc quoque in magno numero nostrorum malorum. nobis iter est in Asiam, maxime Cyzicum. tibi meos commendo. me uix, misereq. sustento. Vale. D. III. kal. Mai. Tarenti.

EXPLANATIO

IN EPIRO } in qua possessiones tuae sunt. CONSISTEREMVS, } erat enim Epirus ultra quadringenta millia. supra.

Cicero S. D. Attico. 7.

BRVNDISIVM ueni ad XIV. kal. Mai. eo die pueri tui mihi a te litteras reddiderunt: & alij pueri post die tertiu eius diei litteras alias attulerunt. Quod me rogas, & hortaris, ut apud te in Epiro sim: uoluntas tua mihi ualde grata est, & minime noua: & consilium mihi quidem optatum, si liceret ibi omne tempus consumere. odi enim celebritatem; fugio homines; luce adspicere uix possum. esset mihi ista solitudo, praesertim tam familiari in loco, non amara: sed itineris caussa, ut diuertar, primum est deuium, deinde ab Autronio, & ceteris quattridui: deinde sine te. nam castellum munitum habitanti mihi prodesset, transeunti non est necessarium. quod si auderem, Athenas peterem. sane ita cadebat, ut uellem. nunc & nostri hostes ibi sunt; & te non habemus; & ueremur, ne interpretentur, illud quoque opidum ab Italia non satis abesse: nec scribis, quam ad diem te exspectemus. Quod me ad uitam uocas: unum efficis, ut a me manus abstineam: alterum non potes, ut me non nostri consilij utique paeniteat. quid enim est, quod me retineat? praesertim si spes ea non est, quae nos proficiscentes prosequebatur. non faciam, ut enumerem miserias omnes, in quas incidi per summam iniuriam, & scelus non tam inimicorum meorum, quam inuidorum; ne & meum maerorem exagitem, & te in eundem luctum uocem. hoc confirmo, neminem umquam tanta calamitate esse affectum, nemini mortem magis optandam fuisse. cuius oppetendae tempus honestissimum praetermissum est. reliqua tempora non sunt tam ad medicinam, quam ad finem doloris. De rep. uideo te colligere omnia, quae putes aliquam spem mihi posse afferre mutandarum rerum: quae quamquam exigua sunt; tamen, quoniam placet, exspectemus. Tu nihilo minus, si properaris, nos consequere. nam aut accedemus in Epirum; aut per Candauiam tarde ibimus. Dubitationem autem de Epiro non inconstantia nostra afferebat, sed quod de fratre, ubi eum uisuri essemus, nesciebamus. quem quidem ego nec quo modo uisurus, nec ubi dimissurus sim, scio. id est maximum, & miserrimum mearum omnium miseriarum. Ego & saepius ad te, & plura scriberem, nisi mihi dolor meus cum omnes partes mentis, tum maxime huius generis facultatem ademisset. Videre te cupio. Cura ut ualeas. Pridie kal. Maij, Brundisij proficiscens.

EXPLANATIO

AD *Kal. Maias.* } Bessarionis antiquus liber, Ad XIV. Kal. Maias: & recte: ut Brundisij fuerit tredecim dies. datae enim litterae sunt pridie Kal. Maias, cu Brundisio proficisceretur. in ep. ad Terentiam, Nos, inquit, Brundisij apud M. Lenium Flaccum dies XIII. fuimus. Et, quia proximam superiorem epistolam, Tarenti datam, post hanc scriptam esse perspicuum est. ideo datam suspicor non XIII. Kal. Maias, ut est in impressis, sed Kaledis Maij, cum iam in Asiam iter instituisset. POST *diem tertium eius diei* } tertio die post, quam priores acceperam. antiqua figura, ut Pridie eius diei, Postridie eius diei, post diem tertium, & post diem quartum eius diei. APVD *te* } domi tuae, quam habes Buthroti. uel potius in fundis; cum inferat, Ista solitudo, quae in urbe Buthroto non fuisset. SI *liceret ibi omne tempus cons.* } non licet autem cum propter Autronium, & ceteros exsules, mihi infensos, qui ab Epiro tantum quattriduo distant; tum quia uereor, ne Clodius, & qui me eiecerunt, interpretentur, Epirum non satis abesse ab Italia. diuerti autem in Epirum paucorum dierum caussa, quid attinet? recta

igitur

igitur in Asiam. SINE *te*. } nam tecum in Epiro tua libenter essem: sine te autem cur? NAM *castellum, &c.* } scripserat, opinor, Atticus, nisi uellet in suis fundis, quia minus tuto uideretur, posse eum nō longe esse castello munito. neque enim de Buthroto accipiendum puto: quae fuit urbs, non castellum. TRANSEVNTI } nam habitare uides me non posse. NOSTRI *hostes* } Autronius, & ceteri exsules. ep. 2. & 8. ILLVD *quoque opidum* } quod si hoc de Athenis interpretarentur, multo magis de Buthroto: quod opidum Italiae propius adiacet, quam Athenae. NOSTRI *consilij* } qui cesserim inimicis; cum potius cadere fortiter debuerim. fam. lib. 14. epist. 2. SPES } reditus. &, ut miseri, aduersa timet omnia. INVIDORVM } Hortensium maxime designat: a quo se dicit sceleratissime, insidiosissimeq. tractatum, in epistola ad fratrem lib. 1. TEMPVS *honestissimum* } mihi, cum inimicis pro mea dignitate pugnanti, si contigisset ut caderem, gloriosum fuisset. nunc exsul praeclarae mortis occasionem sperare amplius non possum: finiendi tamen doloris potestas adempta non est: idq. potius mihi uideo esse cogitandum, quam ut ullam medicinam faciam. Videtur de morte uoluntaria cogitare. MVTANDARVM *rerum*. } mutato autem reip. statu, meae quoque res, quae nunc perditae iacent, commutabuntur. NIHILO *mirius*, } quamquam ex Italia proficiscor. ACCEDEMVS } paruis itineribus. nam in accessu tarditas est. CANDAVIAM } montem Illyrici, qui Macedoniam, Illyricumq. disterminat. Strabo, Plinius. DVBITATIONEM } quia non affirmauit, in Epirum iter habiturum: sed dixit, Aut accedamus in Epirum, aut per Candauiam tarde ibimus. DE *fratre* } ex Asia Romam proficiscente: cuius itineris ratio meum iter gubernabit. NEC *quo modo uisurus* } afflictum dolore miseriarum mearum. VBI *dimissurus* } dolor enim, & luctus alterum ab altero diuelli uix patietur. ID } congressus, & dimissio.

Cicero S. D. Attico. 8.

SCRIPSERAM ad te, quas ob caussas in Epirum non essemus profecti: quod & Achaia prope esset, plena audacissimorū inimicorum; & exitus difficiles haberet, cum inde proficisceremur. accessit, cū Dyrrhachij essemus, ut duo nuncij afferrentur; unus, classe fratrem Epheso Athenas, alter, pedibus per Macedoniam uenire. itaque illi obuiam misimus Athenas, ut inde Thessalonicam ueniret: ipsi processimus, & Thessalonicam ad x. kal. Iun. uenimus: neque de illius itinere quidquam certi habemus, nisi eum ab Ephesο ante aliquanto profectum. nunc, istic quid agatur, magnopere timeo. quamquam tu altera epistola scribis, idibus Mai. audire, fore, ut acrius postularet; altera, iam esse mitiora. sed haec pridie data, quam illa: quo conturbor magis. itaque, cum meus me maeror quotidianus laceret, & conficit: tum uero haec addita cura uix mihi uitam reliquam facit. sed & nauigatio perdifficilis fuit: & ille incertus, ubi ego essem, fortasse alium cursum petiuit. nam Phaeto libertus eum non uidit. uento reiectus ab illo in Macedoniam, Pellae mihi praesto fuit. reliqua quam mihi timenda sint, uideo. nec, quid scribam, habeo: & omnia timeo. nec tam miserum est quidquam, quod non in nostram fortunam cadere uideatur. equidem adhuc miser in maximis meis aerumnis, & luctibus, hoc metu adiecto, maneo Thessalonicae suspensus, nec audeo quidquam. Nunc ad ea, quae scripsisti. Tryphonem Caecilium non uidi. Sermonem tuum, & Pompeij cognoui ex tuis litteris. Motum in rep. non tantum ego uideo, quantum tu aut uides, aut ad me consolandum affers. Tigrane enim neglecto, sublata sunt omnia. Varroni me iubes agere gratias. faciam: item Hypsaeo. Quod suades, ne longius discedamus, dum acta mensis Maij ad nos perferantur: puto me ita esse facturum; sed, ubi, nondum statui: atque ita perturbato sum animo de Quincto, ut nihil queam statuere: sed tamen statim te faciam certiorem. Ex epistolarum mearum inconstantia puto te mentis meae motum uidere. qui, etsi incredibili, & singulari calamitate afflictus sum, tamen non tam est ex miseria, quam ex culpae nostrae recordatione, commotus. cuius enim scelere impulsi, ac proditi simus, iam profecto uides; atque utinam iam ante uidisses, neque totum animum tuum maerori mecum simul dedisses. quare, cum me afflictum, & confectum luctu audies, existimato me stultitiae meae poenā ferre grauius, quam euenti; quod ei crediderim, quem esse nefarium non putaram. Me & meorum malorum memoria, & metus de fratre in scribendo impedit. tu ista omnia uide, & guberna. Terentia tibi maximas gratias agit. Litterarū exemplum, quas ad Pompeium scripsi, misi tibi. Vale. D. IV. kal. Iunias, Thessalonicae.

EXPLANATIO

INIMICORVM; } de Autronio, & ceteris loquitur. epist. 2. & 7. HABERET, *cum inde proficisceremur.* } si in Epirum iuissem, inde proficiscens per loca difficilia iter habuissem. montibus enim Epirus a Macedonia discluditur. PEDIBVS } terrestre iter significari, notum est. ISTIC *quid agatur*, } timebat, ne quis accusaret repetundarum Quinctum fratrem, ex prouincia redeuntem. epist. 9. & 16. VT *acrius postularet*; } accusaret fratrem. Accusatorem Atticus in epistola sua nominarat, Cicero nomen omittit. NAVIGATIO } fratris. RELIQVA } quae fratri meo ab inimicis nostris uidentur impendere. Hoc *metu* } ne frater postuletur. AD *me consolandum* } spes enim mei reditus in mutatione rerum sita est, epist. 7. TIGRANE *neglecto*, } cum Pompeius Tigranem sibi a Clodio ereptum neglexerit, sublata spes omnis est mutandarum rerum. ego autem graues inter eos contentiones fore speraueram. Subscribamus, quae Pedianus in Miloniana: Pompeius, inquit, post triumphum Mithridaticum Tigranis filium in cathenis deposuerat apud Flauium senatorem: qui postea cum esset

praetor, eodem anno, quo tribunus pl. Clodius; petit ab eo Clodius super cenam, ut Tigranem adduci iuberet, ut eum uideret: adductum collocauit in conuiuium, dein Flauio non reddidit; Tigranem dimisit, & habuit extra cathenas, nec repetenti Pompeio reddidit; postea in nauem deposuit; &, cum profugeret, tempestate delatus est Antium. Illico, ut deduceretur ad se, Clodius Sex. Clodium, de quo supra dixi, misit, qui eum reduceret. Flauius quoque, re cognita, ad diripiendum Tigranem profectus est. ad quartum lapidem ab urbe pugna facta est: in qua multi ex utraque parte ceciderunt, plures tamen ex Flauij, inter quos & M. Papirius, eques Romanus, publicanus, familiaris Pompeio. Flauius sine comite Romam uix perfugit. VARRONI } qui Pompeium hortatur ad meam caussam amplectendam. HYPSAEO } hic Pompeij quaestor fuerat; cumque, ut & Varro, hortabatur, ut Ciceronis patrocinium susciperet. Cognomen est Plautiae familiae. IMPVLSI, *ac proditi* } Pompeium notat; cuius fidem secutus, in eam calamitatem incidit: quam uitare potuit, legatione suscepta. epist. 18, 20. & 22. DE *fratre* } de postulatione. III. KAL. *Iun.* } qua ratione non nulli, ut, III. Kal. Maj. legendum putarent, adducti sint, non facile possum intelligere. mihi contra ueritatem uidetur. id apparet ex hac ipsa epistola: in qua cum dixerit, se uenisse Thessalonicam ad X. Kal. Iun. certe, ut Thessalonicae III. Kal. Maij se esse, deinde subiungat, fieri non potest. Cum hac ratione, ita firma, ut euerti non possit, liber scriptus Bessarionis consentit. itaque locus iam dubitationi nullus superest; nisi si cui uerum sensum contendendi cupiditas aufert.

Cicero S. D. Attico. 9.

QVINCTVS *frater cum ex Asia discessisset ante kal. Mai. & Athenas uenisset idibus, ualde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis; si quis forte fuisset, qui contentus nostris malis non esset. itaque malui eum properare Romam, quam ad me uenire. & simul (dicam enim, quod uerum est; ex quo magnitudinem miseriarum mearum perspicere possis) animum inducere non potui, ut aut illum, amantissimum mei, mollissimo animo, tanto in maerore aspicerem; aut meas miserias, luctu afflictas, & perditam fortunam illi offerrem; aut ab illo adspici paterer. atque etiam illud timebam, quod profecto accidisset, ne a me digredi non posset. uersabatur mihi tempus illud ante oculos, cum ille aut lictores dimitteret, aut ui euelleretur ex complexu meo. huius acerbitatis euentum altera acerbitate non uidendi fratris uitaui. in hunc me casum uos, uiuendi auctores, impulistis. itaq. mei peccati luo poenas. quamquam tuae me litterae sustentant: ex quibus, quantum tu ipse speres, facile perspicio. quae quidem tamen aliquid habebant solatij ante, quam eo uenisti, A POMPEIO, NVNC HORTENSIVM ALLICE, ET EIVSMODI VIROS. obsecro, mi Pomponi, non dum perspicis, quorum opera, quorum insidijs, quorum scelere perierimus? sed tecum haec coram agemus. tantum dico, quod scire te puto; nos non inimici, sed inuidi perdiderunt. nunc si ita sunt; quae speras; sustinebimus nos, & spe, qua iubes, nitemur. sin, ut mihi uidentur, infirma sunt; quod optimo tempore facere non licuit, minus idoneo fiet. Terentia tibi saepe gratias agit. Mihi etiam unum de malis in metu est, fratris miseri negotium. quod si sciam cuiusmodi sit; sciam, quid agendum mihi sit. Me etiam nunc istorum beneficiorum, & litterarum exspectatio, ut tibi placet, Thessalonicae tenet. si quid erit noui allatum; sciam, de reliquo quid agendum sit. Tu, si, ut scribis, kal. Iun. Roma profectus es, propediem nos uidebis. Litteras, quas ad Pompeium scripsi, tibi misi. Vale. Idibus Iun. Thessalonicae.*

EXPLANATIO

NE QVID *absens* } ne absens postularetur. epist. 8. LICTORES *dimitteret,* } qui dimittendi fuissent, si mecum manere uoluisset. nam imperatori transitus per alienam prouinciam dabatur, morari diutius in ea cum imperio non licebat. MEI *peccati* } peccaui enim; cum uobis uiuendi auctoribus parui; cum perire satius fuerit, quam huiusmodi miserias subire. A POMPEIO, *nunc Hortensium allice, & eiusmodi uiros.* } hoc totum est ex Attici epistola; ideo scribendum literis grandiusculis. NONDVM *perspicis,* } uis me in Pompeio, & Hortensio spem ponere: non intelligis me horum insidijs, & scelere perijsse? QVORVM *insidijs, quorum scelere* } insidijs Hortensij, qui me summa simulatione amoris, summaq. assiduitate quotidiana sceleratissime, insidiosissimeq. tractauit. ad Quinctum fratrem lib. 1. Scelere Pompeij; cuius promissis destitutus, in has miserias incidi. epist. 22. NON *licuit,* } per uos, qui mihi auctores uiuendi fuistis, cum ego interitum gloriosum aerumnosae uitae anteferrem. epist. 7. NEGOTIVM. } metus accusationis. epist. 15. VT *tibi placet,* } scripsisti enim, ut exspectem litteras tuas Thessalonicae: si quod forte ex actis mensis Maij beneficium afferatur. ep. 8. & 10.

Cicero S. D. Attico. 10.

ACTA *quae essent usque ad IIX. kal. Iun. cognoui ex tuis litteris: reliqua exspectabam, ut tibi placebat, Thessalonicae: quibus allatis, facilius statuere potero, ubi sim. nam si erit caussa, si quid agetur, si spem uidero; aut ibidem opperiar, aut me ad te conferam; sin, ut tu scribis, ista euanuerint; aliud aliquid uidebimus.*

debimus. omnino adhuc nihil mihi significatis, nisi discordiã istorum: quae tamen inter eos de omnibus potius rebus est, quam de me. itaque, quid ea mihi prosit, nescio. sed tamen, quoad me uos sperare uultis, uobis obtemperabo. Nam, quod me tam saepe, & tam uehementer obiurgas, & animo infirmo esse dicis: quaeso, ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? ecquis umquam ex tam amplo statu, in tã bona caussa, tantis facultatibus, ingenij, consilij, gratiae, tantis praesidiis bonorum omnium concidit? possum obliuisci, qui fuerim; nõ sentire, qui sim? quo caream honore? qua gloria? quibus liberis? quibus fortunis? quo fratre? quẽ ego (ut nouum calamitatis genus attendas) cum pluris facerem, quam me ipsum, semperq. fecissem, uitaui, ne uiderẽ: ne aut illius luctum, squaloreq. adspicerem; aut me, quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi, afflictumq. offerrem. Mitto cetera intolerabilia: etenim fletu impedior. hic utrum tãdem sum accusandus, quod doleo, an, quod commisi, ut haec aut non retinerẽ, (quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur) aut certe uiuus amitterem? Haec eo scripsi, ut potius releuares me, quod facis, quam aut castigatione, aut obiurgatione dignum puteres: eoq. ad te minus multa scribo; quod & maerore impedior; & quid exspectem istinc, magis habeo, quam ipse scribam. quae si erunt allata; faciam te nostri consilij certiorem. Tu, ut adhuc fecisti, quamplurimis de rebus ad me uelim scribas; ut prorsus ne quid ignorem. Vale. XIV. kal. Quinct. Thessalonicae.

EXPLANATIO

SPEM} ut ex tuis litteris de reditu in patriam sperare possim. AD *te*} in tuas Epiroicas possessiones. ISTA *euanuerint;*} quae nunc agitis de salute mea. & opinor Atticus ita scripserat: Haec si euanuerint, aliud aliquid uidebimus. ISTORVM: } qui me eiecerunt. erat discordia maxime inter Clodium, & Pompeium, ut de Tigrane, aliisq. rebus, epist. 8. & Dio lib. 38. IN *tam bona caussa,*} qui patriam a coniuratorum scelere liberassem. NE *uiderem:*} ex Asia Romam redeuntem. ep. 9. LVCTVM,} ex mea calamitate. INTRA *parietes meos*} ab iis, qui me quotidiana assiduitate insidiosissime tractarunt: ut Hortensius, ut Arrius. ad Q. fratrem lib. 1. VIVVS *amitterem?*} pugnare, inquit, debui, ut haec aut retinerem, aut cum uita simul amitterem.

Cicero S. D. Attico. 11.

ME & tuae litterae, & quidam boni nuncij, non optimis tamen auctoribus, & exspectatio uestrarum litterarum, & quod tibi ita placuerat, adhuc Thessalonicae tenebant. si accepero litteras, quas exspecto; si spes erit ea, quae rumoribus afferebatur; ad te me conferam; si non erit, faciam te certiorem, quid egerim. Tu me, ut facis, opera, consilio, gratia iuua: consolari iam desine: obiurgare uero noli: quod cum facis, ut ego tuum amorem, & dolorem desidero; quem ita affectum mea aerumna esse arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit. Quinctum fratrem optimum, humanissimumq. sustẽta. Ad me, obsecro te, ut omnia certa perscribas. Vale. D. IV. kal. Quinct.

EXPLANATIO

TVAE *litterae*, } quibus scripseras bene sperandum. RVMORIBVS } hoc est, quod dixit, Nuncij non optimis auctoribus. AD *te* } in Epirum tuam. VT *ego* } Vt, pro Quam, dixit, sicuti supra de Pompeio, Vt ille tum humilis, ut demissus erat. Est autem hic eo uenustior sententia, quo minus aperta. Cum me, inquit, obiurgas, quia meo casu nimis excrucior; facis, ut neque me uidearis amare, neque dolere dolorem meum: quem tamen ita affectum mea aerumna esse arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit. in hoc, inquam, tuum amorem, & dolorem non agnosco. qui enim amat, aeque dolet; &, qui aeque dolet, non obiurgat.

Cicero S. D. Attico. 12.

TV quidem sedulo argumentaris, quid sit sperandum, & maxime per senatum; idemq. caput rogationis proponi scribis, quare in senatu dici nihil liceat: itaque siletur. Hic tu me accusas, quod me afflictem: cũ ita sim afflictus, ut nemo umquam; quod tute intelligis. Spem ostendis secundum comitia. quae ista est, eodem tribuno pl. & inimico consule designato? Percussisti autem me etiam de oratione prolata. cui uulneri, ut scribis, medere, si quid potes. scripsi equidẽ olim ei iratus, quod ille prior scripserat; sed ita compresseram, ut numquam emanaturam putarem. quo modo exciderit, nescio. sed, quia numquã accidit, ut cum eo uerbo uno concertarem; & quia scripta mihi uidetur neglegentius, quam ceterae: puto posse probari, non esse meam. id, si putas me posse sanari, cures uelim: sin plane perij, minus laboro. Ego etiam nunc eodem in loco iaceo, sine sermone ullo, sine cogitatione ulla. Licet tibi, ut scribis, significarem, ut ad me uenires Sidona: tamen intelligo te istic

istic prodesse, hic ne uerbo quidem leuare me posse. Non queo plura scribere; nec est, quod scribam: uestra magis exspecto. Vale. XIV. kal. Sext. Thessalonicae.

EXPLANATIO

PER *senatum;* } nam per populum minus sperandum uidebatur, Clodio tribuno. IDEMQVE } qui me sperare uis per senatum, idem scribis caput proponi rogationis Clodianae. quo capite cautū erat, ne quis referret ad senatum de Cicerone restituendo: ut epist. 15. SECVNDVM *comitia* } habitis comitiis, ep. 19. EODEM *tribuno pl.* } Clodio tribuno, qui nostram caussam, ut solet, acriter oppugnabit. quāquam non fuit Clodius iterum tribunus pl. CONSVLE *designato* } Metello Nepote. Videbat scilicet Cicero futurum, ut consul Metellus designaretur. ORATIONE *prolata.* } non puto significari orationem in Metellum Nepotem scriptam, sed potius in C. Curionem. nam Metello pluribus uerbis Cicero concertauit, ut in epist. 2. lib. 5. fam. at hic se numquam uno uerbo concertasse dicit. de Curione autem epist. 15. his uerbis: Sed quid Curio? an illam orationem non legit? quae unde sit prolata, nescio. SANARI, } si ullam spem uides mei restituendi. SIN *plane perij* } si uides reditum meum desperari, de oratione prolata minus laboro. IACEO } non dixit, Sum, sed, Iaceo, uerbo usus ad maerorem indicandum accōmodato. COGITATIONE } ita sum animo perturbato, nihil ut non modo loqui, sed ne cogitare quidē possim. SIDONA. } locum hoc nomine prope Thessalonicam non uideo fuisse. cumq. iam de mendo suspicarer, confirmatus sum in sententia, posteaquam Bessarionis librum inspexi: cuius scriptura haec est, Venire si domitam, ut intelligo. In Macedonia prouincia Plinius opidum enumerat Scydra: ut fortasse, (neque enim affirmo, cum antiqui libri ueritatis lumen obscurent) pro Sidona rectius legi possit, Scydra. aut, secutus Bessarionis librum, tribue locum coniecturae, ut, sublata mendi labe, ita legas: Vt ad me uenires: idem tamen intelligo, &c.

Cicero S. D. Attico. 13.

QVOD ad te scripseram, me in Epiro futurum: post ea quam extenuari spem nostram, & euanescere uidi, mutaui consilium; nec me Thessalonica commoui, ubi esse constitueram, quoad aliquid ad me de eo scriberes, quod proximis litteris scripseras, fore, uti secundum comitia aliquid de nobis in senatu ageretur: id tibi Pompeium dixisse. qua de re, quoniam comitia habita sunt, tuq. nil ad me scribis; perinde habebo, ac si scripsisses nihil esse; meq. temporis non longinqui spe ductum esse, moleste feram. Quem autem motum te uidere scripseras, qui nobis utilis fore uideretur, eum nunciant, qui ueniunt, nullum fore. In tribunis pl. designatis reliqua spes est; quam si exspectaro, non erit, quod putes me caussae meae, ac uoluntati meorum defuisse. Quod me saepe accusas, aut hunc meum casum tā grauiter feram; debes ignoscere: cum ita me afflictum uideas, ut neminē umquā, nec uideris, nec audieris. nam, quod scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi uero mens integra est, atque utinam tam in periculo fuisset, cum ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis, crudelissimisq. usus sum: qui, ut me paullum inclinari timore uiderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere, & perfidia abuterentur ad exitium meum. nunc, quoniam est Cyzicum nobis eundum; quo rarius ad me litterae perferentur, hoc uelim diligentius omnia, quae putaris me scire opus esse, perscribas. Quinctum fratrem meum fac diligas: quem ego miser si incolumem relinquo, non me totum periisse arbitrabor. Vale. nonis Sext.

EXPLANATIO

TEMPORIS *non longinqui* } meq. ex tuis litteris aliquid sperasse. quod tamen non diuturnum fuit, moleste feram. MOTVM } discordiam istorum. epist. 10.

Cicero S. D. Attico. 14.

EX tuis litteris plenus sum exspectatione de Pompeio, quidnam de nobis uelit, aut ostendat. comitia enim credo esse habita: quibus absolutis, scribis illi placuisse agi de nobis. si tibi stultus esse uideor, qui sperem; facio tuo iussu; & scio te me iis epistolis potius, & meas spes solitum esse remorari. nunc uelim, mihi plane perscribas, quid uideas. scio nos nostris multis peccatis in hanc aerumnam incidisse. ea si qui casus ex parte correxerint; minus moleste feremus nos uixisse, & adhuc uiuere. Ego, propter uiae celebritatem, & quotidianam exspectationem rerum nouarum, nō cōmoui me adhuc Thessalonica: sed iam extrudimur, non a Plancio, (nā is quidem retinet) uerum ab ipso loco, minime apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. In Epirum ideo, ut scripseram, non iui, quod subito mihi uniuersi nuncii uenerant, & litterae, quare nihil esset necesse quam proxime Italiam esse. hinc, si aliquid a comitiis audierimus, nos in Asiam conuertemus: neque adhuc stabat, quo potissimum: sed scies. Vale. XII. kal. Sext. Thessalonicae.

EX-

EXPLANATIO

AGI *de nobis* } in senatu. REMORARI } non, quod ipse uideres, quidquam mihi esse sperandum, sed, ut me a desperatione retraheres, ita scribebas, &c, cum omnes a me spes abirent, eas tu ijs epistolis remorabare. NOSTRIS *multis peccatis* } qui inuidis credidimus, & legationem, a Caesare delatam, qua uitari potuit haec aerumna, nimis imprudenter repudiauimus: cum tantis miserijs uel mors fuerit anteponenda: cuius oppetendae tempus honestissimum praetermisimus. epist. 7. CASVS } fateor enim, ea peccata non iam ulla prudentia posse corrigi: spei fortasse aliquid est in fortuna positum. VIAE *celebritatem* } qua frequentes Roma Thessalonicam proficiscuntur, qui litteras a uobis creberrimas afferre possent. A PLANCIO } apud quem Cicero erat, quaestorem in Macedonia. ep. 22. MINIME *apposito* } amo enim in hoc luctu solitudinem, odi celebritatem. VNIVERSI } omnes, quotquot istinc ueniebant. Vniuersum est enim, quod nihil excipit. NIHIL *esse necesse* } cum de mea salute spei nihil esse uideretur. SI *aliquid* } quid si, Nisi aliquid? hoc sensu? Nisi aliquid audiero, cur sperandum sit. epist. 15. A COMITIIS } quod actum sit post comitia. hic autem exspectabo, dum audiam. IN *Asiam* } ut aliquo loco confidamus, a pposito ad tolerandam in hoc luctu calamitatem. nam hic me celebritas offendit. In oratione tamen pro Plancio, in Asiam non iuisse, legimus. Cum ad me, inquit L. Tubero, meus necessarius, ex Asia uenisset, easq. insidias, quas mihi paratas ab exsulibus coniuratis audierat, animo amicissimo contulisset, in Asiam me ire Plancius, propter eius prouinciae metum, non est passus.

Cicero S. D. Attico. 15.

ACCEPI Idibus Sext. quattuor epistolas a te missas; unam, qua me obiurgas, & rogas, ut sim firmior; alteram, qua Crassi libertum ais tibi de mea sollicitudine, macieq. narrasse; tertiam, qua demõstras acta in senatu; quartam de eo, quod a Varrone scribis tibi esse confirmatum de uoluntate Pompeij. Ad primã tibi hoc scribo; me ita dolere, ut non modo a mente non deserar, sed id ipsum doleam, me, tam firma mente ubi utar, & quibuscum, non habere. nam, si tu me uno non sine maerore cares; quid me censes, qui & te, & omnibus? &, si tu incolumis me requiris; quo modo a me ipsam incolumitatem desiderari putas? nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, non solum quid nõ ignoras, sed etiam ne scindam ipse dolorem meum. hoc confirmo, neque tantis bonis esse priuatum quemquam, neque in tantas miserias incidisse. dies autem nõn modo non leuat luctum hunc, sed etiam auget. nam ceteri dolores mitigantur uetustate; hic non potest non & sensu praesentis miseriae, & recordatione praeteritae uitae quotidie augeri. desidero enim non mea solum, neque meos, sed me ipsum. quid enim sum? sed non faciam, ut aut tuum animum angam querellis, aut meis uulneribus saepius manus afferã. Nam, quod purgas eos, quos ego mihi scripsi inuidisse, & in eis Catonẽ: ego uero tãtum illum puto ab isto scelere abfuisse, ut maxime doleam, plus apud me similitudinem aliorum, quã istius fidem, ualuisse. ceteri, quos purgas, debent mihi purgati esse, tibi si sunt. Sed haec sero agimus. Crassi libertum nihil puto sincere locutum. In senatu rem probe scribis actam. sed quid Curio? an illam orationem non legit? quae unde sit prolata, nescio. sed Axius, eiusdem diei scribens ad me acta, non ita laudat Curionem. at potest ille aliquid praetermittere: tu, nisi quod erat, profecto non scripsisti. Varronis sermo facit exspectationem Caesaris. atque utinam ipse Varro incumbat in caussam. quod profecto cum sua sponte, tum te instante faciet. ego, si me aliquando uestri, & patriae compotem fortuna fecerit, certe efficiam, ut maxime laetere unus ex omnibus amicis; meaq. officia, & studia, quae parum antea luxerunt, (fatendum est enim) sic exsequar, ut me aeque tibi, ac fratri, & liberis nostris, restitutum putes. si quid in te peccaui, ac potius quoniam peccaui, ignosce. in me enim ipsum peccaui uehementius. neque haec eo scribo, quo te non meo casu maximo dolore esse affectũ sciam: sed profecto, si, quantum me amas, & amasti, tantum amare deberes, ac debuisses; nũquam esses passus me, quo tu abundas, egere consilio; nec esses passus mihi persuaderi, utile nobis esse, legem de collegijs perferri. sed tu tantum lacrymas praebuisti dolori meo, quod erat amoris, tãquam ipse ego: quod meritis meis perfectum esse potuit, ut dies, & noctes, quod mihi faciendum esset, cogitares, id abs te meo, non tuo scelere praetermissum est. quod si non modo tu, sed quisquam fuisset, qui me Pompeij minus liberali responso perterritum a turpissimo consilio reuocaret; quod unus tu facere maxime potuisti: aut occubuissem honeste, aut uictores hodie uiueremus. Hic mihi ignoscas: me enim ipsum multo magis accuso; deinde te, quasi me alterũ: & simul meae culpae socium quaero. si restituor, etiam minus uidebimur deliquisse; abs teq. certe, quoniam nullo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur. Quod te cum Culeone scribis de priuilegio locutum; est aliquid: sed multo est melius, abrogari. si enim nemo impediet, sic est firmius: sin erit, qui ferri non sinat; idem S.C. intercedet. nec quidquam aliud opus est, quam abrogari. nam prior lex nos nihil laedebat. quam si, ut est promulgata, laudare uoluissemus, aut, ut erat negligenda, negligere; nocere omnino nobis non potuisset. hic mihi primum non modo consilium defuit, sed etiam obfuit. caeci, caeci, in quam, fuimus in uestitu mutando, in populo rogãdo. quod, nisi nominatim mecum agi coeptum esset, fieri perniciosum fuit. sed pergo praeterita. uerumtamen ob hanc caussam, ut, si quid ageretur, legem illam, in qua popularia multa sunt, ne tangatis. uerum est stultum, me praecipere, quid agatis, aut quo modo. utinam modo agatur aliquid. multa occultant tuae litterae; credo, ne uehementius desperatione perturber. quid enim uides agi posse, aut quo modo? per senatum ne? ast tute

scripsisti ad me, quoddam caput legis Clodium in curiae poste fixisse, ne referri, ne uel dici liceret. quo modo igitur Domitius se dixit relaturum? quo modo autem iis, quos tu scribis, & de re dicentibus, &, ut referretur, postulantibus, Clodius tacuit? ac, si per populum, poterit ne, nisi de omnium tribunorum pl. sentētia? quid de bonis? quid de domo? poterit ne restitui? aut, si nō poterit, egomet quo modo potero? haec nisi uides expediri, quam in spem me uocas? sin autem spei nihil est, quae est mihi uita? itaque exspecto Thessalonicae acta kal. Sext. ex quibus statuam, in tuos ne agros confugiā, ut neque uideam homines, quos nolim; & te, ut scribis, uideam; & propius sim, si quid agatur. idq. intellexi cū tibi, tum Quincto fratri placere. an abeam Cyzicum. Nunc, Pomponi, quoniam nil impertisti tuae prudentiae ad salutem meam, quod aut in me ipso satis esse cōsilij decreueras, aut te nil mihi plus debere, quam ut praesto esses; quandoquidem ego proditus, inductus, cōiectus in fraudem, omnia mea praesidia neglexi, totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, destitui, & reliquī; me meis tradidi inimicis, inspectante, & tacente te; qui si non plus ingenio ualebas, quam ego, certe timebas minus: si potes, erige afflictos, & in eo nos iuua. sin omnia sunt obstructa; id ipsum fac ut sciamus, & nos aliquando aut obiurgare, aut communiter consolari desine. Ego si tuam fidem accusarem; non me potissimū tuis tectis crederem. meam amentiam accuso, quod a te tantum amari, quātum ego uellem, putaui: quod si fuisset, fidem eandem, curam maiorem adhibuisses; me certe ad exitium praecipitantem retinuisses; istos labores, quos nunc in naufragijs nostris suscipis, non subisses. quare fac, ut omnia ad me perspecta, & explorata perscribas; meque, ut facis, uelis esse aliquem; quoniam, qui fui, & qui esse potui, iam esse non possum; & ut his litteris non te, sed me ipsum a me esse accusatum putes. Si qui erunt, quibus putes opus esse meo nomine litteras dari, uelim conscribas, curesq. dandas. Vale, D. XIV. kal. Sept.

EXPLANATIO

VARRONE } diximus supra, Varronem Pompeij familiarissimum fuisse. epist. 25. lib. 1. DE *uoluntate Pompeij* } Pompeium nostram caussam suscepturum, epist. 18. lib. 3. SCINDAM } augeam. a uulneribus translatio: quae scissa recrudescunt. MEIS *uulneribus* } quod paullo ante dixit, Ne scindam ipse dolorem meum. SIMVLATIONEM *aliorum*, } notat maxime Hortensium, & Arrium: quorum promissis destitutus, in eam calamitatem inciderat. lib. 1. ad fratrem. NIHIL *puto sincere* } ita credendum de inimici liberto. ILLAM *orationem* } in ipsum. epist. 12. Placet autem, ut de Curione patre potius accipiatur, quam de filio; ut pote cuius sententiam, auctoritatemq. in senatu pluris Cicero deberet aestimare. Praeterea, cum loquitur Cicero de filio, semper aliquid apponit, ut cum dicit, Curio adolescens, ep. 8. & 18. lib. 2. Curio meus, epist. 12. lib. 2. Curio filius, ep. 19. & 24. lib. 2. de patre cum loquitur, nihil adscribit, ut ep. 12. & 17. lib. 1. & 20. lib. 3. De hac oratione in Curionem simul & Clodium mentionem faciunt Quintilianus, Nonius, Rufinianus. AXIVS } senator, quem nominat etiam ep. 15. l. 4. & 21. lib. 5. & Fronto, Gellius lib. 7. cap. 5. Alius autem fuit Axius fenerator, de quo epistola nona libri primi. QVOD *erat* } laudauerat in suis litteris Atticus Curionem. EXSPECTATIONEM *Caesaris* } habet, cur etiam a Caesare opem exspectemus. PARVM *luxerunt*, } magna enim obscura non sunt. ideo in epistola ad Curionem Clarissima uocat, & maxima officia. IN *te peccaui* } quod officia, & studia, tibi a me debita, praetermisi. IN *me enim ipsum* } qui debita non praestiterim officia. ideo infert paullo post: Id meo scelere praetermissum est. DEBERES, *ac debuisses* } si fecissem, ut meo merito me amares. amabas enim tua uoluntate adductus, non meis officijs impulsus. LEGEM *de collegijs* } quattuor leges tulit Clodius in tribunatu, reip. perniciosas; annonianam, ut frumētum populo gratis daretur; alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo seruaret; tertiam, de collegijs restituendis, nouisq. instituendis; quartam, ne quem censores in senatu legendo praeterirent, ne ue qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & utriusque censoris sententia damnatus esset. Haec Pedianus in Pisonianam. Leges autem eas Cicero passus est a Clodio perferri, hac condicione, ne quid ille mox contra se moliretur. quam pactionem Clodius, perlatis legibus, non seruauit. Dio libro 38. DE *collegijs*; ex quattuor legibus eam nominat, quae maxime contra ipsum pro Clodio fuit; qui, collegiorum nomine, opes, & seruitia in Ciceronis perniciem conscripserat. in orationibus. POTVIT, } oportuit, debuit. non perfectum est autem, quia merita mea nulla erant. Tale illud epist. 9. lib. 2. Orbis hic in rep. conuersus est, citius omnino, quam potuit. MEO, *non tuo scelere* } grauiter enim peccaui, & scelerate feci, qui multa, tibi a me debita, officia non sum exsecutus. RESPONSO } cum ab eo contra Clodij iniquissimam legem auxilium petij. Quid autem ei respondit Pompeius? nihil se contra Caesaris uoluntatem posse facere. de quo epist. 4. lib. 10. TVRPISSIMO *consilio* } abeundi in exsulium: cum potius morte occumbere deberem. NVLLO *nostro* } neque enim ita meritus umquam de te sum, ut a te diligi deberem. TVO *ipsius beneficio* } restitutum enim beneficio tuo non poteris non diligere. DE *priuilegio* } ut priuilegium fieret de me restituendo, hoc est, ut, facto senatusconsulto, ad populum ferretur. Priuilegium autem hoc differt a lege, quod haec ad multos, illud ad unum pertinet. Cicero autem abrogari malebat legem Clodij, idq. firmius uidebatur: propterea quod priuilegio lex illa non tollebatur: quo timendum erat, ne quis rursus tribunus pl. exsisteret, qui lege uti uellet: post abrogationem autem nihil huiusmodi timendum. IMPEDIRET, } cum abrogabitur lex Clodij. FERRI } de abroganda lege. SENATVSCONSVLTO } ex quo ad populum feretur, ut priuilegiū fiat de me reuocando. PRIOR *lex* } duas leges Clodius tulit. prior fuit contra eos, qui ciues Romanos sine iudicio populi necassent;

qua in lege nominatim de Cicerone scriptum nihil erat; itaque nihil eum laedebat: Velleius lib. 2. & Dio 38.) altera nominatim in Ciceronem, quoniam is ciues Romanos, indicta caussa, condemnasset. In *ueslitu mutando*,] nam, si legem laudare noluerat, negligere saltem debuit. neutrum fecit; sed, uestitu mutato, populum rogauit, ne legem perferri sineret. quod ei perniciosum fuit. populum enim offendit, cum de antiquanda ea lege rogauit, in qua popularia multa de industria Clodius admiscuerat. Si *quid ageretur*] si quid ageretis de salute mea. Legem *illam*] priorem Clodij legem. Ne *tangatis*] primum, quia nominatim in ea contra me nihil est: deinde, quia, popularem legem abrogare, aut infirmare si uultis, populus offendetur. alteram igitur, date operam, ut abrogetis: quando & minus popularis, & nominatim contra me est: priorem ne tangite. Tute *scripsisti*] is locus est supra epist. 12. Ne *referri, ne ue dici*] primum refertur, deinde dicuntur in senatu sententiae, rogante senatores consule, aut eo, qui senatum habet. non enim is semper est consul: ut latius in libris nostrarum Antiquitatum. Domitius] Domitius Ahenobarbus, qui hoc anno praeturã gerebat, ut ex Suetonij Iulio, & ex epistola lib. 1. ad Q. fratrẽ cognouimus. De *re*] de me reuocando. Omnium *tribunorum pl.*] nam, si unus modo intercederet, nihil agemus. Quo *modo potero?*] non enim uidebor restitutus, nisi simul mihi domus restituatur: eam autem Clodius Libertati consecrauerat. In *tuos ne agros*] Epiroticos. epist. 10. Cyzicum] in Asiam. quod faciam, nisi mihi tuae litterae spem aliquam ostenderint. epist. 15. & 16. Tuae *prudentiae*] qui es passus, me, quo tu abundas, egere consilio, ac mihi persuaderi, utile nobis esse, legem de collegijs perferri. epist. 16. Praesidia] amicos, ad pugnandum paratos. Tuis *testis crederem.*] quia dixerat, se iturum in Epirum. Me *ipsum*] meam enim amentiam accuso, quod a te tantum amari, quantum ego uellem, putaui.

Cicero S. D. Attico. 16.

Totum iter mihi incertum facit exspectatio litterarum tuarum kal. Sext. datarum, nõ aliud aliquid. si spes erit, Epirum: sin minus, Cyzicum, aut aliud quid sequemur. tuae quidem litterae, quo saepius a me leguntur, hoc spem faciunt mihi minorem, quam cum lectae sunt. tum id, quod attulerunt ad spem, infirmant: ut facile appareat, te & consolationi seruire, & ueritati. idq. te rogo plane, ut ad me, quae scis, ut erunt, quae putabis, ita scribas. Vale. D. XII. kal. Sept.

EXPLANATIO

Datarum,] quas a te, ut opinor, eo die datas, exspecto. & Kal. Sext. scripsisse Atticũ putabat; quod, cum ex ueteri consuetudine senatus Kalendis haberetur, statim, senatu dimisso, quid actum esset eo die de Ciceronis re, scripturus Atticus uidebatur. Kalendis autem senatum haberi solitum, suo loco infra docebimus. Quam *cum lectae sunt:*] malim sic: Quod cum laetae sunt, tum id, quod attulerũt ad spem, infirmant. ut sit, *Laetae*, quia spem ostenderent meliorum rerum; *Infirmant*, quia certi nihil afferrent: quorum alterum ad consolationem, alterum ad ueritatem.

Cicero S. D. Attico. 17.

De Quincto fratre nuncij nobis tristes, nec uarij uenerant ex ante diem non. Iun. usque ad prid. kal. Sept. eo autem die Liuineius, L. Reguli libertus, ad me a Regulo missus uenit. is omnino mentionem nullam factam esse nunciauit, sed fuisse tamen sermonem de C. Clodij filio: isq. mihi tum a fratre litteras attulit. sed postridie Sextij pueri uenerunt, qui a te litteras attulerunt, non tam exploratas a timore, quã sermo Liuineij fuerat. sane sum in meo infinito maerore solicitus; & eo magis, quod Appij quaestio est. Cetera, quae ad me eisdem litteris scribis de nostra spe, intelligo esse languidiora, quam alij ostendunt. ego autem, quoniam non longe ab eo tempore absumus, in quo res dijudicabitur, aut ad te conferam me, aut etiam nunc circum haec loca commorabor. Scribit ad me frater, omnia sua per te unum sustineri. quid te aut horter, quod facis, aut agam gratias, quod non exspectas? tantum uelim, fortuna det nobis potestatem, ut incolumes amore nostro perfruamur. Tuas litteras semper maxime exspecto. in quibus, caue, ne aut diligentia tua mihi molesta, aut ueritas acerba sit. Vale. D. prid. non. Sept.

EXPLANATIO

Tristes,] nunciabatur enim, reuersum ex Asia prouincia repetundarum accusatum iri. Ex *ante diem non. Iun.*] erat idẽ, Ex nonis Iunijs: sed figura usus est ea, qua & M. Varro in 1. de re rustica. Livinvs,] Liuineius, puto rectius. nam & antiquus Bessarionis liber, Ei ueniens, corrupte quidem, sed litteris tamen aliquanto propius ad nostram correctionem accedentibus. & in antiquis nummis Liuineius Regulorum est cognomen: ut omittam, quod fam. lib. XIII. ex ueteribus libris legitur, L. Liuineius Trypho, L. Reguli libertus. qui est idem, de quo nunc agimus. M. Regvli] in Bessarionis

libro sic,i Reguli: ut ex antiqua nota potius uideatur legendum L.quam M.praesertim cum & in eo loco,quem proxime ex fam.epist.adduximus,mentio fiat de L.Reguli liberto. DE *C.Clodij filio* } accusatorem fore Q.fratris C.Clodij filium,eum,qui postea Milonem accusauit,C. Clodio, Publij fratre, natum.duos enim fratres habuit P.Clodius, Appium,& Caium: quorum Caius perierat.eius duo filij Milonem accusarunt ob necem P.Clodij,qui Ap.Claudij ambo appellabantur.Pedianus. SEXTII } P. Sextij tribuni pl.designati, pro quo exstat oratio, NON *tam explorata a timore* } quae me non tam timore liberarent, quam Liuineij sermo. &, *Timore*, de fratre. IN *meo infinito maerore* } praeter eum maerorem,quem ex mea calamitate suscipio,est, quod me de fratre solicitet: ne scilicet ab inimicis nostris postuletur. APPII *quaestio est.* } eo magis timebat, ne Q. frater repetundarum accusaretur, quod Appius,P.Clodij frater, anno insequenti praetor ei quaestioni praefuturus erat.tum autem praetor erat designatus.sed,antequam magistratum praetores inirent, sortiebantur, quo quisque de crimine quaereret, quiq. inter ciues, quiq. inter peregrinos ius diceret, Caualcantis tamen liber, Spectio: ego sequor Bessarionis, in quo, Quaestio, scriptum est. DIIVDICABITVR, } restituar, nec ne. AD *te* } in tuos agros,in Epirum,si spes erit.epist.16.& 19. CIRCVM *haec loca* } Thessalonicae adhuc erat. SVSTINERI } sustentari,defendi,foueri.epist.11. AVT *horter* } ut me, fratremq. meum tuearis: quod tua sponte facis. CAVE, } scribe,inquit,omnia,ut erunt,& diligenter, & uere: ac noli putare fore mihi aut molestam diligentiam tuam, aut acerbam ueritatem. Videtur autem alterum uerbum desiderari: ut legatur, Caue suspiceris; aut, Caue timeas.

Cicero S. D. Attico. 18.

EXSPECTATIONEM nobis non paruam attuleras, cum scripseras, Varronem tibi pro amicitia confirmasse, caussam nostram Pompeium certe suscepturum. &, simul a Caesare ei litterae, quas exspectaret, remissae essent, auctorem etiam daturum. utrum id nihil fuit, an aduersatae sunt Caesaris litterae? an est aliquid in spe? Etiam illud scripseras, eundem, secundum comitia, dixisse. fac (si uides, quantis in malis iaceam, & si putas esse humanitatis tuae) me fac de tota caussa nostra certiorem. nam Quintus frater, homo mirus, qui me tam ualde amat, omnia mittit spei plena, metuens, credo, defectionem animi mei. tuae autem litterae sunt uariae. neque enim me desperare uis, nec temere sperare. fac, obsecro te, ut omnia, quae prospici a te possunt, sciamus. Vale.

EXPLANATIO

AVCTOREM } qui referret in senatu, contempto Clodiae legis capite; quo cautum erat, ne referri, ne ue dici liceret. Malim, Actorem, idest, qui ageret in senatu. non enim, qui agit, Auctor Latine, & proprie dicitur, sed qui hortatur, ut agatur. dixit etiam supra, Pompeium statuisse, ut, absolutis comitijs, ageretur in senatu de Cicerone. epist.13.& 14. EST *aliquid in spe?* } spei aliquid est? SECVNDVM *comitia,* } habitis comitijs, de me in senatu actum iri. epist. 13. & 14.

Cicero S. D. Attico. 19.

QVOD eiusmodi mihi litterae a uobis afferebantur, ut aliquid ex ijs esset exspectandum; spe, & cupiditate Thessalonicae detentus sum. postea quam omnis actio huius anni confecta nobis uidebatur, in Asiam ire nolui: quod & celebritas mihi odio est; &, si fieret aliquid a nouis magistratibus, abesse longe nolebam. itaque in Epirum ad te statui me conferre: non quo mea interesset loci natura, qui lucem omnino fugerem: sed aut ad salutem libentissime ex tuo portu proficiscar; aut, si ea praecisa erit, nusquam facilius hanc miserrimam uitam uel sustentabo, uel, quod multo est melius, abiecero. ero cum paucis, multitudinem dimittam. Me tuae litterae numquam in tantam spem adduxerunt, quantam aliorum: attamen mea spes etiam tenuior semper fuit, quam tuae litterae. sed tamen, quoniam coeptum est, age, quoquo modo coeptum est, & quacumque de caussa, non deseram neque optimi, atque unici fratris miseras, atque luctuosas preces, nec Sextij, ceterorumq. promissa, nec spem aerumnosissimae mulieris Terentiae, nec miserrimae mulieris Tulliolae obsecrationem, & fideles litteras tuas. mihi Epirus aut iter ad salutem dabit; aut, quod scripsi supra. te oro, & obsecro, Pomponi, si me omnibus amplissimis, carissimis, iucundissimisq. rebus perfidia hominum spoliatum; si me a meis consiliarijs proditum, & proiectum uides; si intelligis me coactum, ut ipse me, & meos perderem; ut me tua misericordia iuues, & Quintum fratrem, qui potest esse saluus, sustentes; Terentiam, liberosq. meos tueare; me, si putas te istic uisurum, exspectes; si minus, inuisas, si potes; mihiq. ex agro tuo tantum assignes, quantum meo corpore occupari potest; & pueros ad me cum litteris quamprimum, & quam saepissime mittas. Vale. XVI. kal. Oct.

EXPLANATIO

IN ASIAM } scripserat enim, Cyzicum se iturum. epist. 15. & 16. Novis *magistratibus* } tribuni pl. magistratum inibant IV. id. Dec. consules & praetores Kalendis Ian. Novis } designatis. Ad *salutem* } in patriam. Ex *tuo portu* } non accipio μεταφορικῶς dictum, sed re uera ex portu: ut sit: ex quouis portu libenter ad salutem, ex tuo libentissime proficiscar. Ex tuo autem, ex quo tu soluis, cum in Italiam a tuis possessionibus redis. Age, *quoquo modo coeptum est*, } innuit, non fuisse caussam; cur speraret, & ait: quoniam sperare coepi, quamquam stulte, nullaq. de caussa, tamen parebo fratri meo, mihi ipse ne desim, obsecranti. Age } cum dixisset, Coeptum est, adscripturus aliquid fuit ad se reprehendendum, qui sperare coepisset; deinde id omisit, & intulit, Age, quoquo modo coeptum est: hoc est, quamquam non sapienter coepi, nec caussa sit cur perseuerem, perseuerabo tamen, nec deseram &c. Sextii, } tribuni pl. designati: qui se promiserat laturum esse ad populum de Cicerone restituendo. Aut, *quod scripsi supra.* } aut nusquam facilius hanc miserrimam uitam uel sustentabo, uel, quod melius est, abiecero. Consiliariis } Pompeio, Hortensio, Arrio. Potest *esse saluus* } frater seruari potest: ego prorsus perij. Si *putas* } si speras de reditu meo.

Cicero S. D. Q. Caecilio Q. F. Pomponiano Attico: 20.

QVOD quidem ita esse, & auunculum tuum functum esse officio, uehementissime probo: gaudere me tum dicam, si mihi hoc uerbo licebit uti. Me miserum, quam omnia essent ex sententia, si nobis animus, si consilium, si fides eorum, quibus credidimus, non defuisset. quae colligere nolo, ne augeam maerorem. sed tibi uenire in mentem certo scio, quae uita esset nostra, quae suauitas, quae dignitas. ad quae recuperanda per fortunas incumbe, ut facis; diemq. natalem reditus mei, cura, ut in tuis aedibus amoenissimis agam tecum, & cum meis. Ego huic spei, & exspectationi, quae nobis proponitur, maxime tamen uolui praestolari apud te in Epiro: sed ita ad me scribitur, ut putem esse commodius, nos eisdem in locis esse. De domo, & Curionis oratione, ut scribis, ita est. in uniuersa salute, si ea modo nobis restituetur, inerunt omnia. ex quibus nihil malo, quam domum. sed tibi nihil mando nominatim: me totum tuo amori, fideiq. commendo. Quod te, in tanta hereditate, ab omni occupatione expedisti, ualde mihi gratum est. Quod facultates tuas ad meam salutem polliceris, ut omnibus rebus a te praeter ceteros iuuer: id quantum sit praesidium, uideo, intelligoque, te multas partes meae salutis & suscipere, & posse sustinere, neque, ut ita facias, rogandum esse. Quod me uetas quidquam suspicari accidisse ad animum tuum, quod secus a me erga te commissum, aut praetermissum uideretur: geram tibi morem, & liberabor ista cura: tibi tamen eo plus debebo, quo tua in me humanitas fuerit excelsior, quam in te mea. Velim, quid uideas, quid intelligas, quid agatur, ad me scribas, omnesq. ad nostram salutem adhortere. Rogatio Sextij neque dignitatis satis habet, nec cautionis. nam & nominatim ferre oportet, & de bonis diligentius scribi: & id animaduertas uelim. Vale. IV. non. Oct. Thessalonicae.

EXPLANATIO

Q. Caecilio *Q. F. Pomponiano Attico:* } T. Pomponio Attico, qui a Q. Caecilio, auunculo suo, testamento adoptatus, heresq. factus, Q. Caecilius Q. F. Pomponianus Atticus appellabatur, uetere praenomine omisso, nomine ita conseruato, ut in Anus desineret, cognomine eodem: ex usitata adoptionum formula. ut in Varronis lib. 2. de re rustica, ubi legitur, Atticus, qui nunc T. Pomponius, nunc Q. Caecilius, cum nomine eodem; legendum uideatur, Cognomine eodem. Ita *esse,* } coniungitur epistola cum tituli sententia; ut illa ad Valerium, Cur enim tibi, libro 1. fam. & ad Tironem, Quid igitur, non sic oportet? lib. XVI. Officio, } & quidem ita, ut L. Lucullum, cui maxime debebat, praetermiserit. Valerius l. VII. cap. 9. Si *mihi* } non dicit, Cum mihi, quia incertum est, num id futurum sit; sed, Si mihi, dubitanter. Hoc *uerbo* } tale illud ep. 7. lib. IX. Bonis uiris quod ais probari quae adhuc fecerimus; ualde gaudeo; si est nunc ullus gaudendi locus. Simile illud ep. 13. l. 5. Fam. Gratus, & optatus amor tuus: dicerem, Iucundus, nisi id uerbum in omne tempus perdidissem. Per *fortunas* } genus obtestationis, quod usurpamus in re misera, nec umquam sine dolore. Per fortunas miseras nostras, uide, ne puerum perditum perdamus: in epistola ad Terentiam. Per fortunas tuas, dixit Coelius, per liberos, Cicero, te oro, & obsecro, ne quid grauius de salute, & incolumitate tua consulas. Denique ex antiquorum libris omnia undique colligantur exempla: nullum erit, dolorem quod non indicet. Diemq. *natalem reditus mei* } Natalem appellat reditus diem, quod, cum si uideret, iterum nasci uideretur. Maxime *tamen &c.* } cum nobis summa spes reditus ostendatur, summaq. in exspectatione res sit; maxime tamen cogitabamus in Epirum tuam deuiam proficisci, locũ eligendũ de exsulio cogitanti, bene autem speranti prorsus omittendum. aptior. n. multo ad fouendã spẽ, & ad reditum parandũ Thessalonica, quam Epirus. itaque, cum amici scribant, me cito in patriã reditururũ, putaui cõmodius rei exitum Thessalonicae exspectare. De *domo,* } cum Cicero ita scripsisset; Quid de domo? poterit ne

restitui? aut, si non poterit, egomet quo modo potero? rescripsit Atticus his fere uerbis: Nunc, ut domus tibi restituatur, laborandum non est: restituatur modo salus, in qua sunt omnia. epist. 15. CVRIONIS *oratione*, } quia Clodius Ciceronis domum Libertati consecrauerat, ideo Atticus cum Curione, qui pontifex erat, sermonem habuerat de domo liberanda. TANTA *hereditate* } ex qua accepit circiter centies HS. Nepos in uita. OMNI *occupatione* } magnae enim exsistunt occupationes ex magnis hereditatibus. Atticus, quod ad eam hereditatem attineret, omnia scripserat explicata, nullam sibi iam occupationem superesse. SECVS *a me erga te commißum, aut praetermissum* } responderat Atticus ad id, quod Cicero scripserat, Mea officia, & studia parum antea luxerunt, epist. 15. EXCELSIOR } in hoc uidelicet, quod, cùm ego multa in te officia a me sciam esse praetermissa, omnia tamen ipse pro mea salute ita nunc exsequeris, quasi ego nihil praetermiserim, aut secus erga te commiserim. ROGATIO *Sextij* } Sextius tribunus pl. designatus rogationem scripserat de Cicerone restituendo; quam deinde in magistratu ferret. eam rogationem Atticus ad Ciceronem miserat. NEQVE *dignitatis* } cùm de me nominatim non ferat.

Cicero S. D. Attico. 21.

TRIGINTA dies erant ipsi, cum has dabam litteras, per quos nullas a uobis acceperam. mihi autem erat in animo, iam, ut antea ad te scripsi, ire in Epirum, & ibi omnem casum potissimum exspectare. Te oro, ut, si quid erat, quod perspicias, quamcumque in partem, quam planißime ad me scribas, & meo nomine, ut scribis, litteras, quibus putabis opus esse, ut des. Vale. v. kal. Nou.

EXPLANATIO

IPSI, } integri. locutio antiquis scriptoribus usitata. Ego, inquit in epistola ad Coelium, cum Athenis decem ipsos dies fuissem. QVAMCVMQVE *in partem*, } siue de mea salute spes aliqua erit, siue nulla. epist. 18. 22. & 24. Et, Quamcumque, pro omnem, ut epist. ult. l. 2. Fam. Quaecumque a me in te ornamenta proficiscentur. Et in Catil. or. II. Quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo. Et hic lib. 12. Et Virg. lib. 3. Aen. QVIBVS *putabis opus esse*, } siue ad cohortandum, siue ad gratias agendas. VT *des.* } meo nomine, sed a te scriptas.

Cicero S. D. Attico. 22.

ETSI diligenter ad me Quinctus frater, & Piso, quae essent acta, scripserant: tamen uellem, tua te occupatio non impedisset, quo minus, ut consuesti, ad me, quid ageretur, & quid intelligeres, perscriberes. Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet, iam aliquoties conatum ire in Epirum. spes homini est iniecta, non eadem, quae mihi, posse nos una decedere. quam rē sibi magno honori sperat fore. sed iam, cum aduentare milites dicentur, faciendum nobis erit, ut ab eo discedamus. quod cū faciemus, ad te statim mittemus; ut scias, ubi simus. Lentulus suo in nos officio, quod & re, & promißis, & litteris declarat, spem nobis non nullam affert Pompeij uoluntatis. saepe enim tu ad me scripsisti, eum totum esse in illius potestate. De Metello scripsit ad me frater, quantum speraret, profectum esse per te. Mi Pomponi, pugna, ut tecum, & cum meis mihi liceat uiuere; & scribe ad me omnia. premor cum luctu, tum desiderio omnium rerum, quae mihi me cariores semper fuerant. Cura, ut ualeas.

Ego, quod, per Thessaliam si irem in Epirum, perdiu nihil eram auditurus, & quod mei studiosos habeo Dyrrhachinos ad eos perrexi, cum illa superiora Thessalonicae scripsissem. inde cum ad te me conuertam, faciam ut scias, tuq. ad me uelim omnia quamdiligentissime, cuiuimodi sunt, scribas. ego iam aut rem, aut ne spem quidem exspecto. Vale. VI. kal. Dec. Dyrrhachij.

EXPLANATIO

PISO, } C. Piso Frugi, Tulliolae uir. epist. 2. lib. I. RETINET, } Thessalonicae. epist. 14. & fam. ep. I. lib. 14. DECEDERE. } quaestor enim erat Plancius in Macedonia, praetore L. Appuleio. in oratione pro Plancio. MILITES } quos L. Piso proconsul, L. Appuleio praetori Macedoniae successurus, praemiserat. Ab ijs autem ideo timebat, quod sibi Pisonem inimicissimum cognouerat, utpote cuius in consulatu a Clodio pulsus esset. LENTVLVS } consul designatus cum Metello Nepote. fam. libro I. IN *illius potestate.* } quia debebat Lentulo Pompeius, unde illud in epistola ad Lentulum, libro I. fam. Cui qui nolunt, ijdem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici. & eodem libro: Virum excellentem, & tibi tua praestanti in eum liberalitate deuinctum, illa epistola retinuisti. METELLO } Nepote, consule designato, fratre P. Clodij. MEI *studiosos* } quod eos semper defenderim. fam. epist. 14. AD *te* } in Epirum scilicet. CVICVIMODI } siue laeta, siue tristia sint.

Cicero S. D. Attico. 23.

AD v. kal. Dec. tres epistolas a te accepi, unam datam ad IIX. kal. Nou. in qua me hortaris, ut forti animo mensem Ian. exspectem; eaque, quae ad spem putas pertinere, de Lentuli studio, de Metelli uoluntate, de tota Pompeij ratione, perscribis. in altera epistola, praeter consuetudinem tuam, diem non adscribis: sed satis significas tempus. lege enim ab octo tribunis pl. promulgata, scribis te eas litteras eo ipso die dedisse, id est ad IV. kal. Nou. &, quid putes utilitatis eam promulgationem attulisse, scribis. in quo si etiam nostra salus cum hac lege desperata erit, uelim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam miserabilem potius, quam ineptam, putes: sin est aliquid spei, des operam, ut maiore diligentia posthac a nostris magistratibus defendamur. nam ea ueterum tribunorum pl. rogatio tria capita habuit; unum de reditu meo, scriptũ incaute: nihil enim restituitur, praeter ciuitatem, & ordinem: quod mihi pro meo casu satis est: sed, quae cauẽda fuerint, & quo modo, te non fugit. alterum caput est tralaticium de impunitate, si quid cõtra alias leges eius legis ergo factum sit. tertium caput, mi Pomponi, quo consilio, & a quo sit inculcatum, uide. scis enim Clodiũ sanxisse, ut uix, aut omnino non posse nec per senatum, nec per populum infirmari sua lex. sed uides, numquam esse obseruatas sanctiones earum legum, quae abrogarentur. nam, si id esset: nulla fere abrogari posset: (neque enim ulla est: quae nõ ipsa se saepiat difficultate abrogationis) sed, cum lex abrogatur, illud ipsum abrogaretur, quo modo eam abrogari oporteat. hoc cũm re uera ita sit; cum semper ita habitum, obseruatumq. sit: octo nostri tribuni pl. caput posuerunt hoc: SI QVID IN HAC ROGATIONE SCRIPTVM EST, QVOD PER LEGES, PLEBIS VE SCITA, HOC EST, QVOD PER LEGEM CLODIAM PROMVLGARE, ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE SINE FRAVDE SVA NON LICEAT, NON LICVERIT; QVOD VEL QVI PROMVLGAVIT, DEROGAVIT, OB EAM REM POENAE, MVLTAE VE SIT EH. INR. *atque hoc in illis tribunis pl. non laedebat: lege enim collegij sui non tenebantur. quo maior est suspicio malitiae alicuius; cum id, quod ad ipsos nihil pertinebat, erat autem contra me, scripserunt: ut noui tribuni pl. si essent timidiores, multo magis sibi eo capite utendum putarent, neque id a Clodio praetermissum est. dixit enim in concione a. d. III. non. hoc capite designatis tribunis pl. praescriptum esse, quid liceret. tamen, in lege nulla esse eiusmodi caput, te non fallit. quod si opus esset, omnes in abrogando uterentur. Ninnium, ac ceteros fugerit. inuestiges, uelim, & quis attulerit: & quare octo tribuni pl. ad senatum de me referre non dubitarint. si enim, quod obseruandum illud caput non putabant: ijdem in abrogando tam cauti fuerunt, ut id metuerent, soluti cum essent, quod ne ijs quidem, qui lege tenentur, est curandum. id caput sane nolim nouos tribunos pl. ferre: sed perferant modo quidlibet: uno capite, quo reuocabor, (modo res conficiatur) ero contentus. Iam dudum pudet tam multa scribere: uereor enim, ne re iam desperata legas; ut haec mea diligentia miserabilis tibi, alijs irridenda uideatur. sed, si est aliquid in spe, uide legem, quam T. Fadio scripsit T. Visellius. ea mihi perplacet. nam Sextij nostri, quam tu tibi probari scribis, mihi non placet. Tertia est epistola prid. id. Nou. data, in qua exponis prudenter, & diligenter, quae sint, quae rem distinere uideantur, de Crasso, de Pompeio, de ceteris. quare oro te, ut, si qua spes erit, posse studijs bonorum, auctoritate, multitudine comparata rem confici: des operam, ut uno impetu perfringatur; in eam rẽ incumbas, ceterosq. tu excites. sin, ut ego perspicio cum tua coniectura, tum etiam mea, spei nihil est; oro, obtestorq. te, ut Quinctum fratrem ames, quem ego miserũ misere perdidi; ne ue quid eum patiare grauius consulere de se, quam expediat sororis tuae filio; meum Ciceronem, cui nihil misello relinquo praeter inuidiam, & ignominiam nominis mei, tueare, quoad poteris; Terentiam, unam omnium aerumnosissimam, sustentes tuis officijs. Ego in Epirum proficiscar, cum primorum dierum nuncios excepero. Tu ad me, uelim, proximis litteris, ut se initia dederint, perscribas. Vale. Pridie kal. Dec.*

EXPLANATIO

MENSEM *Iannarium* } cuius mensis die primo Lentulus, & Metellus cos. magistratũ inituri erant, acturumq. se Lentulum in senatu de Ciceronis re promiserat, egitque. in oratione post reditum in senatu, & in alijs. VOLVNTATE, } a Cicerone non amplius aliena. TOTA *Pompeij ratione*, } qui ad cõficiendum Ciceroni reditũ omnia studia, omnes opes instituerat conferre. quod re ipsa praestitit. in orationibus. AB *octo* } collegis Clodij: ueteres enim tribunos pl. intelligit, ut ipse paullo post declarat. PROMVLGATA, } de reditu Ciceronis: quae tamen lata non est, duobus reliquis tribunis intercedentibus, P. Clodio, & Aelio Ligure. pro Sextio. VTILITATIS } etiam si lex lata non sit, haec tamen octo tribunorum promulgatio hoc attulit utilitatis, quod mox a nouis tribunis maiore studio in magistratu caussa suscipietur: quippe cum intelligent, Clodianae potentiae neruos iam esse magna ex parte praecisos, quando de reditu Ciceronis promulgarint octo tribuni pl. quorum nemo magistratus initio, promulgante Clodio legem in Ciceronem, ausus erat intercedere. hoc utilitatis putabat Atticus eam promulgationem attulisse. CVM *hac lege* } quae desperata erat, cum intercessissent duo tribuni pl. Clodius, & Aelius. A NOSTRIS } rectius legeretur, A nouis. sequitur enim ἀντίθετον, Veterum. &, Nouis, pro designatis accipe: aut, *Nostris*, nostram caussam adiuuantibus. VETERVM } octo tribunos pl. significat, qui legem promulgauerant. ORDINEM } senatorium; quem, qui legibus eiiciuntur, cum ciuitate simul amittunt. sibi tamen ereptum lege Clodia non esse, in oratione pro domo probat, his uerbis: Vbi cauisti, ne meo me loco censor in senatum legeret? quod de omnibus, etiam quibus damnatis interdictum est,

scriptum

ſcriptum eſt in legibus. CAVENDA} cauendum autem fuerat de domo, & de bonis. quod tribuni pl. in lege omiſerant. TRANSLATICIVM *de impunitate,*} quaecumque lata umquam lex fuit, in ea hoc ſcriptũ eſt, ut, ſi quid eius legis cauſſa contra alias leges factum eſſet, id latori impune eſſet. Eſt autem, Translaticium, uſitatum, aliunde translatum. A QVO} ex octo tribunis pl. quis caput hoc inculcauerit. SANXISSE} poenam enim irrogabat ei, qui ſuam legem abrogare, aut infirmare uoluiſſet. NVMQVAM *eſſe obſeruatas*} cum enim leges abrogantur, ſimul abrogantur ſanctiones, quae ipſis legibus continentur. SI *id eſſet,*} ſi ſanctiones manerent, leges abrogari non poſſent. leges autem abrogantur: ſanctiones igitur non manent, ſed cum ipſis ſimul legibus abrogantur. DIFFICVLTATE *abrogationis.*} in omnibus legibus aliquid ſancitur, quo difficilior fit earum abrogatio: ut cum uel populare aliquid admiſcetur, ne populus deinde legis abrogationem probet: uel abrogationis auctori poena irrogatur. ita ſe omnes leges muniunt difficultate abrogationis. ILLVD *ipſum abrogaretur,*} nihil muto; ne diſcedam ſine cauſſa ab antiquis libris. ſententia eſt. Si ſanctiones non abrogarentur; leges quidem abrogari poſſent; ſed, cum lex abrogatur aliqua, ſimul abrogaretur illa ipſa abrogatio, illa ipſa nouae legis abrogantis pars, quae ueterem legem tolleret: ideſt, nulla prorſus eſſet abrogatio, ſi ſanctio maneret legis abrogatae. QVO *modo eam abrogari oporteat*} omnis ratio abrogandi abrogaretur; illud ipſum abrogaretur, quod in noua lege abrogante, ad ueterem legem abrogandam, ſcriberetur. SI *quid*} hoc eſt tertium caput, quo ſibi octo tribuni pl. a ſanctionibus Clodiae legis cauebant. quod caput ſine cauſſa inculcatũ eſſe Cicero oſtendit. quippe quid opus eſt cauere ab iis ſanctionibus, quae ſimul cum lege abrogãtur? ſi enim Clodia lex tollitur, tolluntur & ſanctiones Clodia lege ſcriptae. ſtulte igitur hoc tertium caput inculcatum. IN *hac rogatione*} de Cicerone reuocando. PROMVLGARE} promulgatur lex, cum propalam conſtituitur, ut intercedat, qui uelit, antequam feratur. & eſt ſenſus. In hac rogatione ſi qua res promulgatur, abrogatur, derogatur, obrogatur ex iis rebus, quae in legem Clodiam ſcriptae ſunt, quaſq. per eam legem abrogare, derogare, obrogare ſine fraude non licet, quod ue ei, qui promulgauit, derogauit, ob eam rem poenae, multae ue ſit; eius hac lege nihilum rogatur. Quo modo locutus eſt pro Caecina: Si quid ius non eſſet rogari, eius ea lege nihilum rogatum. Et Frontinus de Aquaeductibus, in extremo. ABROGARE} tollere. DEROGARE} detrahere, & infirmare. OBROGARE} contra rogare, opponere. SINE *fraude ſua*} ſine fraude huius rogationis. ſic enim Clodius ſanxerat, ut, ſi quid umquam ex ſua lege abrogaretur, derogaretur, obrogaretur, id eius rogationis, quae abrogaſſet, derogaſſet, obrogaſſet, fraude actum iudicaretur, eiuſq. rogationis auctoribus ob eam fraudem poena, multaq. eſſet. QVOD *uel qui*} hic emendarem, Quod ue ei qui, ut modo, totum caput interpretans, oſtendi. Quod autem in extremo, E H L N R; ipſum item eodem loco & emendaui, & expoſui, allato eiuſdem formulae exemplo ex oratione pro Caecina. quod & alij uiderunt. aliter tamen in Beſſarionis antiquo libro ſcriptum uideo, ſic inquam, E H I I I I. HOC *in illis &c.*} in ueteribus tribunis pl. quod Clodius in ſua lege poſuerat, ut ei poena eſſet conſtituta, qui promulgaſſet, abrogaſſet, derogaſſet; eo collegae ipſius non tenebantur: ſiquidem tribuni pl. ſi quam quis ex collegio ſuo legem tuliſſet, ea lege ſoluti erant. ita que, cum hoc tertium caput, de uitanda legis Clodiae ſanctione; qua ipſi non tenebantur, ſine cauſſa poſuerint; uereor, inquit, ex octo tribunis pl. ne quis malitioſe fecerit, ut deinde noui tribuni pl. cum rogationem de me ferrent, multo magis eo capite ſibi utendum putarent, quo uſos uiderent eos, qui tamen Clodia lege non tenerentur. Neque uero neceſſarium uidebatur, cum lex abrogaretur, ab iis ſanctionibus, quae in ea lege eſſent, cauere. abrogata enim lege, ſanctiones non obſeruantur. NON *laedebat*} non aduerſabatur nobis hoc, quod cauere uoluerunt ueteres tribuni. AD. I I I. *nonas*} Nouembris: quod ex hac ipſa epiſtola cognoſcitur. nonas enim ſignificat, quae menſem, quo promulgata rogatio eſt, conſecutae ſunt. uide epiſt. 23. QVID *liceret.*} non licere iis rogationem de me ferre, nam, ſi damnantur ea ſanctione abrogatores; utique, quia faciunt contra legem Clodiam, damnantur. ea igitur lex uiget, cuius obſeruandae ſanctio ſuos abrogatores condemnat: nihil igitur licet contra eã legẽ. EIVSMODI *caput,*} nemo enim ſibi cauendum putauit a ſanctione legis, quam abrogaret. neque opus eſt: nam, ſi eſſet, omnes in abroganda lege eiuſmodi capite ſibi cauerent. NINNIVM,} unum ex octo tribunis: qui nõ uiderant, tertium illud caput nullo conſilio inculcari. hic eſt L. Ninnius Quadratus, de quo Dio libro 38. & hic ep. 14. lib. x. qui in oratione pro Sextio, & poſt reditum in ſenatu, mendoſe Mummius nominatur. Et apud Spartianum, in Antonino Philoſopho, pro, Mummio Quadrato, reponendum M. Ninnio. FVGERIT} latuerit. ATTVLERIT} inculcarit caput illud. SIVE *quod*} non diſcrepant ab impreſſis libris ſcripti. nec dubium eſt, mendum ſubeſſe. aberit autem, ſi legatur: Si enim, quod; ut periodus interrogationis nota claudatur. nunc ſententiam indicabo. Inueſtiga, inquit, eius capitis addendi quis fuerit auctor, & quare octo tribuni pl. ad ſenatum de me referre non dubitarint. ſi enim iccirco non dubitarunt, quod obſeruandum illud caput non putabant, quo Clodius ſanxerat, ne de me referri, ne ue dici liceret: iidem poſtea tam cauti eſſe uoluerunt, ut caput illud, quod ad ſenatum referentes non obſeruarant, in abroganda lege Clodia metuerent? SOLVTI *cum eſſent*} quia lege collegij ſui nõ tenebantur. ep. 23. QVI *lege tenentur*} aliorum collegiorum tribunos pl. intelligit. nam ſui collegij lege tribunus pl. nemo tenetur. CVRANDVM} quis enim legis, quam abrogat, ſanctionem metuat? quis inquam de eo capite laboret, quod abrogari cum lege ſimul intelligat? ID *caput*} quod octo ueteres tribuni pl. tulerunt. FERRE} anno ſequenti, cum magiſtratum inierint. T. FADIO} quam T. Fadius tribunus pl. deſignatus anno ſequenti de Cicerone ferret. de hoc in oratione poſt reditum in ſenatu, & lib. I. ad Q. fratrem. T. VISELLIVS} iuriſconſultus, opinor: & fortaſſe pro Titus, Caius: ut ſit C. Viſellius

ſellius

ſellius Varro, Ciceronis conſobrinus, qui iuris ciuilis a patre Aculeone traditam tenuit diſciplinam. in Bruto. SEXTII *noſtri*} cuius legem ſupra dixit neque dignitatis ſatis habere, nec cautionis; cum & nominatim ferri oporteret, & de bonis diligentius ſcribi. ep. 24. DISTINERE} morari, tardare. MVLTITVDINE *comparata*} ut ex omni fere Italia Romam conuenirent ad diem rogationis ferendae. quod factum Cicero ſaepe gloriatur. PERFRINGANTVR} ea, quae rem diſtinent. GRAVIVS *conſulere de ſe*, } ſic Thucydides lib. 3. locutus, a quo fortaſſe Cicero ſumpſit: κελεύουσιν ὑμᾶς αὐτοὺς περὶ ὑμῶν αὐτῶν βουλεύσασθαι, μηδὲν αἰσχρὸν ποιοῦντας. PRIMORVM *dierum*} poſt initum a tribunis pl. magiſtratum: quod. IV. id. Decembris fiebat: ut eſt apud Dionyſium, & Liuium.

Cicero S. D. Attico, 24.

ANTEA, *cum ad me ſcripſiſſetis, ueſtro conſenſu conſulares prouincias ornatas eſſe; etſi uerebar, quorſum id caſurum eſſet, tamen ſperabam uos aliquid aliquando uidiſſe prudentius. poſtquam mihi et dictum eſt, & ſcriptum, uehementer conſilium ueſtrũ reprehendi: grauiter ſum commotus; quod illa ipſa ſpes exigua, quae erat, uidetur eſſe ſublata. nam, ſi tribuni pl. nobis ſuccenſent, quae poteſt ſpes eſſe? ac uidentur iure ſuccenſere: cum & expertes conſilij fuerint, qui cauſſam noſtram ſuſceperant; & noſtra conceſſione omnem uim ſui iuris amiſerint: praeſertim cum ita dicant, ſe noſtra cauſſa uoluiſſe ſuam poteſtatem eſſe de conſulibus ornandis, non ut eos impedirent, ſed ut ad noſtram cauſſam adiungerent: nunc, ſi conſules a nobis alieniores eſſe uelint, poſſe id libere facere: ſin uellent noſtra cauſſa, nihil poſſe ſe inuitis. Nam, quod ſcribis; ni ita nobis placuiſſet, illos hoc idem per populum aſſecuturos fuiſſe: inuitis tribunis pl. fieri nullo modo potuit: ita uereor, ne & ſtudia tribunorum amiſerimus, &, ſi ſtudia maneant, uinculum illud adiungendorum conſulum amiſſum ſit. Accedit aliud non paruum incommodum, quod grauis illa opinio, ut quidem ad nos perferebatur, ſenatũ nihil decernere ante, quã de nobis actũ eſſet, amiſſa eſt, praeſertim in ea cauſſa, quae non modo neceſſaria nõ fuit, ſed ẽt inuſitata, ac noua. neque enim umquam arbitror ornatas eſſe prouincias deſignatorum; ut, cum in hoc illa conſtantia, quae erat mea cauſſa ſuſcepta, immutata ſit, nihil iam poſſit non decerni. iam, ijs, ad quos relatum eſt, amicis placuiſſe, non mirum ſit. erat enim difficile, reperire, qui contra tanta commoda duorum conſulum palam ſententiam diceret. & fuit omnino difficile non obſequi uel amiciſſimo homini Lentulo, uel Metello, qui ſimultatem humaniſſime deponeret. ſed uereor, ne, hos cum tenere potuerimus, tribunos pl. amiſerimus. haec res quemadmodum ceciderit, & tota res quo loco ſit, uelim ad me ſcribas, & ita, ut inſtituiſti. nam iſta ueritas, etiam ſi iucunda non eſt, mihi tamen grata eſt. Vale.* D. IV. *id. Dec.*

EXPLANATIO

VESTRO *conſenſu*} conſenſiſtis, ut ſenatus prouincias decerneret conſulibus deſignatis Lentulo, & Metello; quam rem noui tribuni pl. uſque differri uolebant, dum ipſi magiſtratum ingrederentur: non ut ſenatuſconſultum impedirent, ſed ut non impedientes, eo quaſi beneficio conſules ad noſtram cauſſam adiungerent. ORNATAS *eſſe*;} uerbum eſt ſaepe de prouincijs uſurpatum ab antiquis ſcriptoribus. quod ita accipio, ut cum ipſis prouincijs ſimul decernerentur eae res, quae prouincias adminiſtrantibus neceſſariae putarentur, ut milites, pecunia, & huiuſmodi. Sic Ornare claſſem in oratione pro lege Manilia, pro inſtruere: ornatae prouinciae lege curiata, quorum rectoribus imperium, exercitus, ſtipendium, legati dabantur. ſed lege curiata non omnes ibant in prouincias, ideoq. non omnes publico ſumptu. epiſt. 9. l. 1. fam. EXPERTES *conſilij*} hoc enim ſine eorum conſilio feciſtis. NOSTRA *conceſſione*} niſi enim conceſſum a nobis eſſet, ut a ſenatu conſulares prouinciae ornarentur: dilata res a ueteribus tribunis pl. ad nouos deueniſſet. quae cum noſtra conceſſione ante confecta ſit, quam ingreſſi magiſtratum ſui iuris ui, & poteſtate uti potuerint; iure nobis ſuccenſent. DE *conſulibus ornandis*,} de prouinciis conſulibus decernendis. Ita locutus eſt lib. 2. ad Q. fratrem: Referebatur de prouinciis quaeſtorum, & de ornandis praetoribus. Et Liuius lib. 42. de ornandis magiſtratibus exeuntibus mentionem facit. ADIVNGERENT:} beneficio non impediendi. LIBERE *facere*:} quia nihil amplius a nobis exſpectent, cum iam ſui uoti compotes facti ſint, prouincias per ſenatum aſſecuti. NIHIL *poſſe*} nihil enim ipſi per ſe conſules poſſunt, cum penes tribunos pl. ſit intercedendi poteſtas. SE *inuitis*.} ipſis tribunis pl. qui cauſſam habent, cur nobis ſuccenſeant. NI *ita nobis placuiſſet*, } ut ſenatus prouincias decerneret conſulibus deſignatis. PER *populum*} ſaepe enim ad populum confugiebant, ut per eum prouincias, a ſenatu negatas, obtinerent. ideoq. paullo ante, ut ſcribit Suetonius, cum Caeſari Galliam Ciſalpinam ſenatus dediſſet, mox & Comatam adiecit, ueritis patribus, ne, ſi ipſi negaſſent, populus & hanc daret. Et poſt Caeſaris interitum Celticam regionem cum deſperaret M. Antonius a ſenatu impetrari poſſe, a populo accepit. Appianus, Plutarchus, Dio. NVLLO *modo*} quia tribuni pl. cum lex de prouinciis conſularibus ad populũ ferretur, intercedere potuiſſent. quo metu conſules ad conciliandos ſibi tribunos omnia noſtra cauſſa feciſſent, ſi de nobis prius in ſenatu, quã de prouinciis, ageretur. nunc uideo ueſtro conſenſu factum eſſe, prius ut ageretur de prouinciis. ita neque iam conſules tenemus: quibus, nulla nunc neceſſitate obſtrictis, liberum eſt quidquid uolunt: & tribunos pl. cum iure ſuccenſere poſſint, uereor ne amiſerimus. INVSITATA, *ac noua*} cauſſam ſubſcribit, cur inuſitatum, ac nouum.

ILLA

Illa *constantia*, § cum senatus ante, quam de nobis actum esset, negaret se quidquam decreturum. Nihil *iam posset non decerni.* § cum illa constantia sit immutata, idq. uestra culpa, qui permisistis, ut ageretur de prouincijs consularibus ornandis; iam nihil erit, quod nostrae caussae non anteponatur. Ad *quos relatum est*, § quos hac de re consultos a nobis esse scribis. Lentvlo, *uel Metello*, § ut iam diximus, consulibus designatis. Simvltatem § hic est enim, qui tribunus pl. Ciceronem consulatu abeuntem concionis habendae potestate priuauerat. fam. ep. 2. lib. 5. & in Pisonem. Qvemadmodvm *ceciderit*, § quem exitum habuerit, idest, quam postea consules uoluntatem ostenderint, & tribuni pl. num succenseant. Veritas § litterarum tuarum. epist. 18.

Cicero S. D. Attico. 25.

Post tuum a me discessum litterae mihi Roma allatae sunt: ex quibus prospicio nobis in hac calamitate tabescendum esse. neque enim, (sed bonam in partem accipies) si ulla spes salutis nostrae subesset, tu pro tuo amore in me hoc tempore discessisses. sed, ne ingrati, aut ne omnia uelle nobiscum una interire uideamur, hoc omitto: illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante kal. Ian. ubicumque erimus, sistas. Vale.

EXPLANATIO

Tvvm *a me discessum* § suspicor abundare, A me; ut, Atticum discessisse Roma, significetur; quod ex amicorum litteris Cicero cognouerat. nostram sententiam confirmat proxima insequens epistola. Prospicio § quia tuum ab urbe discessum significant. Ingrati § si te accusemus, quod hoc tempore ab urbe discesseris; cui potius gratias agere debeamus, quod maxima in nos officia contuletis. Omnia § omnem etiam spem salutis. ne uidear nimis ad desperationem propensus, hanc partem omitto. Affirmasti, § litteris tui.

Cicero S. D. Attico. 26.

Litterae mihi a Quincto fratre cum S. C. quod de me est factum, allatae sunt. mihi in animo est, legum lationem exspectare. si obtrectabitur, utar auctoritate senatus, & potius uita, quam patria, carebo. Tu, quaeso, festina ad nos uenire. Vale. vi. kal. Ian.

EXPLANATIO


De *me* § in patriam reuocando. Legvm § in eo enim senatusconsulto scriptum erat, non solum ut lex de Cicerone, sed ut aliae item leges alijs de rebus eodem tempore ferrentur. Si *obtrectabitur*, § si quis tribunus pl. legum lationem impediet. Avctoritate *senatus*, § in patriam redibo; etiam si mihi ob eam rem dimicatio cum inimicis impendat. legis tamen lationem exspectauit: rediit enim non ante pridie nonas Sext. Festina § iam enim erat Atticus in itinere.

Cicero S. D. Attico. 27.

Ex tuis litteris, & ex re ipsa nos funditus perisse uideo. Te oro, ut, quibus in rebus mei tui indigebunt, nostris miserijs ne desis. ego te, ut scribis, cito uidebo. Plura non scribo. Cura ut ualeas.

EXPLANATIO

Ex tvis *litteris*, § quibus significas, legum lationem esse dilatam.




IN EPISTOLARVM M. TVLLII CICERONIS AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBRVM IV.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.



CVm primum Romam ueni, fuitque, cui recte ad te litteras darem, nil prius faciendũ mihi putaui, quam ut tibi absenti de reditu nostro gratularer. cognorã enim, (ut uere scribam) te in consilijs mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem, quam me ipsum, nec etiam propter meam in te obseruantiam nimium in custodia salutis meae diligentem; eundemq. te, qui primis temporibus erroris nostri, aut potius furoris particeps, & falsi rumoris socius fuisses, acerbißime discidium nostrum tulisse, plurimumq. operae, studij, diligentiae, laboris ad conficiendum reditum meum contulisse. itaque hoc tibi uere affirmo, in maxima laetitia, & exoptatissima gratulatione unum ad cumulandum gaudium conspectum, aut potius complexum mihi tuum defuisse. quem semel nactus, numquam dimisero; ac, nisi etiam praetermissos fructus tuae suauitatis praeteriti temporis omnes exegero, profecto hac restitutione fortunae me ipse non satis dignum iudicabo. Nos adhuc in nostro statu, quod difficillime recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem, & in senatu auctoritatẽ, & apud uiros bonos gratiam magis, quam optaramus, consecuti sumus. In re autem familiari, quae quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras, ualde laboramus, tuarumq. non tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quam consiliorum ad colligendas, & constituendas reliquias nostras indigemus. nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror, aut etiam nuncijs, ac rumore perlata: tamen ea inscribam breui, quae te puto potissimum ex meis litteris uelle cognoscere. Pridie non. Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundisiũ ueni nonis Sext. ibi mihi Tulliola mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat & Brundisinae coloniae, & tuae uicinae Salutis. quae res animaduersa a multitudine, summa Brundisinorum gratulatione celebrata est. ante diem VI. id. Sext. cognoui litteris Quincti fratris, mirifico studio omnium aetatum, atque ordinum, incredibili concursu Italiae, legem comitijs centuriatis esse perlatam. inde a Brundisinis honestissimis ornatus, iter ita feci, ut undique ad me cum gratulatione legati conuenerint. ad urbem ita ueni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non uenerit, praeter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret aut dissimulare, aut negare. Cum uenissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant: a qua plausu maximo cum esset mihi gratulatio significata; similis & frequentia, & plausus me usque ad Capitolium celebrauit. in foro, & in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. postridie in senatu, qui fuit dies non. Sept. senatui gratias egimus. eo biduo cum esset annonae summa caritas, & homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent, impulsu Clodij; mea opera frumenti inopiam esse clamarent; cum per eos dies senatus de annona haberetur; & ad eius procurationem sermone non solum plebis, uerum etiam bonorum Pompeius uocaretur; idq. ipse cuperet; multitudoq. a me nominatim, ut id decernerem, postularet: feci, & accurate sententiam dixi; cum ab-

essent consulares, quod tuto se negarent posse sententiam dicere, praeter Messallam, & Afranium. factum est S. C. in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexq. ferretur. quo S. C. recitato, cum concio, more hoc insulso & nouo, plausum, meo nomine recitando, dedisset; habui concionem. omnes magistratus praesentes, praeter unum praetorem, & duos tribunos pl. dederunt. postridie senatus frequens, & omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. ille legatos quindecim cum postularet, me Principem nominauit; & ad omnia me alterum se fore dixit. consules legem conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur: alteram Messius, qui omnis dat pecuniae potestatem, & adiungit classem, & exercitum, & maius imperium in prouincijs, quam sit eorũ, qui eas obtineant. illa nostra lex consularis nunc modesta uidetur, haec Messij nõ ferenda. Pompeius illam uelle se dicit, familiares hanc. consulares duce Fauonio fremunt. nos tacemus, & eo magis, quod de domo nostra nihil adhuc pontifices responderant. qui si sustulerint religionem, aream praeclaram habebimus, superficiem consules ex S. C. aestimabunt: sin aliter, demolientur, suo nomine locabunt, rem totam aestimabunt. Ita sunt res nostrae; ut in secundis, fluxae; ut in aduersis, bonae. In re familiari ualde sumus, ut scis, perturbati. praeterea sunt quaedam domestica, quae litteris non committo. Quintum fratrem, insigni pietate, uirtute, fide praeditum, sic amo, ut debeo. Te exspecto; & oro, ut matures uenire. eoq. animo uenias, ut me tuo consilio egere non sinas. alterius uitae quoddam initium ordimur. iam quidam, qui nos absentes defenderunt, incipiunt praesentibus occulte irasci, aperte inuidere. uehementer te requirimus. Vale.

EXPLANATIO



NEC *fortiorem, nec prudentiorem, quam me ipsum,* } tibi enim aeque, ut mihi, & fortitudo, & prudentia defuit: qui me, animo debilitatum, meisq. cedentẽ inimicis, confirmare tuis consilijs, atque hortatibus, & a turpissimo consilio reuocare debuisti. PROPTER *meam in te obseruantiam* } diligens quidem in meae salutis custodia fuisti: sed, meam in te obseruantiam si consideres, nimium id non fuit. quod si parem obseruantiae meae diligentiam adhibuisses; certe me, in exsulium abeuntem, id est ad exitium praecipitantem, retinuisses. IN *custodia salutis meae* } quod enim obseruantiae meae debebas, ut dies & noctes, quid mihi faciendum esset, cogitares, id abs te praetermissum est. epist. 14. lib. 3. EVNDEMQ. *te &c.* } qui non satis diligens in meae salutis custodia fuisses, primisq. temporibus, potius, ut in exsulium abirem, quam ciuilem seditionem excitarem, cohortatus esses, quod id mihi duceres praestare, eodem scilicet, quo ego, errore inductus, idem tamen postea nostrum discidium acerbissime ferens, ad reditum mihi conficiendum omnia tua studia contulisti. ERRORIS *nostri* } cum turpissimum illud, ac mihi perniciosum consilium cepi, te approbante, ut ab urbe discederem. AVT *totius* } non dubito, quin rectius sit, Aut potius: ut furorem potius, & amentiam dicat fuisse, quam errorem, cum discedẽdi consilium probauit. FALSI *rumoris socius* } cum tu quoque cum multis id diceres, breui me esse in patriam rediturum. quod falsum fuit: per sexdecim enim menses miserrimum exsulium pertuli. DISCIDIVM } separationem. Terentius in Andr. Qui inter nos discidium uolunt. In Hecyra: Neque mea culpa hoc euenisse discidium. Antiquissimi libri scribunt per sc, nõ ss. ut a discindo deducatur, quemadmodum ab excindo excidium, quod ipsa uocabuli significatio demonstrat. ualet enim ubique, uiolenta disiunctio duorum inter se coniunctorum, non discordia. EXEGERO } hoc dicit: posthac, id quod antea minus feci, assidue tecum uiuam, & eum fructum capiam, qui est in tua consuetudine suauissimus. FORENSEM, } existimationem, & gratiam in foro partam, multorum caussis defendendis. MAGIS *quam optaramus,* } neque enim optandum putabamus, quod sperandum non uideretur. FRACTA, *dissipata, direpta* } post profectionem Ciceronis ex urbe, bona eius P. Clodius sua lege publicauit. postea direpta sunt omnia, quae aut in domo, aut in uillis fuerunt. domus direpta primum, deinde inflammata, ac diruta. Pedianus in Pisonem. INSCRIBAM } in his litteris. sic Horatius, Inscribam nomen in actis. LATA } ex senatusconsulto ad populum, de me restituendo. Lex autem cẽturiata, ferente P. Lentulo consule. BRVNDISINAE *coloniae,* } dies erat idem, quo & Brundisium deducta colonia fuerat, & Salutis aedes in Quirinali colle dedicata. quam ideo uocat Attici uicinã, quod in eodem colle & Salutis templum erat, & Atticus habitabat. patet ex libello P. Victoris de regionibus urbis Romae, & ex Nepote in Attici uita. ITALIAE } cum ad suffragia de nobis ferenda Romam undique concurrerunt. ORDINVM, } hominum cuiusuis condicionis. COMITIIS *centuriatis* } Comitia centuriata erant, cum populus non fuisset in tribus conuocatus, sed censu, ordinibus, aetatibus descriptus, suffragium, nec nisi singulis de rebus, ferebat, ideo centuriatis comitijs consules creabantur, & Cicero ab exsulio reuocatus. Haec uberius in libro de Comitijs: siquidem is, ad quem ego omnia refero, Deus optimus maximus mihi hoc dederit, ut ea, quae distincta decem Antiquitatum Romanarum libris orsi sumus, liceat pertexere. HONESTISSIMIS } non de moribus, sed de nobilitate dictum: ut, Honesto loco natus. intelligit enim Brundisinae coloniae principes. ID *ipsum* } hoc uidelicet, mihi eos esse inimicos. VSQVE *ad Capitolium* } pro domo sua. Vnus, inquit, ille dies, quo me populus R. a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate, laetitiaq. comitatum honestauit: &c. GRATIAS *egimus,* } quae exstat oratio, inscripta, Post reditum in senatu. AD *theatrum* } Pediani uerba

ni uerba sunt in Miloniana: L. Caecilius Rufus praetor fuit Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote cos. quo anno Cicero restitutus est. is cum faceret ludos Apollinares, ita infima coacta multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi gratia consederant, pellerentur. AD *senatum* } quem in Concordiae templo Metellus consul habebat pro domo sua. MEA *opera* } quia, Ciceronis restituendi caussa, incredibilis multitudo Romam ad Comitia confluxerat: unde grauior annonae caritas paullo post exorta. quod operae Clodianae ad inuidiam concitandam factum esse Ciceronis opera clamabant. DECERNERENT } mea sententia. TVTTO *se negarent* } propter multitudinem annonae caritate concitatam, quippe quae etiã L. Caecilij praetoris domum ob eam caussam oppugnasset. pro domo, & pro Milone. MEO *nomine recitando* } cum meum nomen recitaretur. Actiue posuit in prooemio de officijs, Orationem Latinam legendis nostris efficies pleniorem. Post senatuscõsultum, eius nomen recitabatur, cuius in sententiam factum esset. HABVI *concionem:* } uidetur esse oratio, quae exstat, post reditum ad Quirites. quod si ita est, praepostere factum ab ijs, qui eam ante orationem in senatu habitam collocarunt: cum pateat ex hac epistola, post fuisse collocandam. DEDERVNT } concionem. nam concionari priuato non licebat, nisi magistratus curulis, aut tribunus pl. concionem daret. ep. 2. Praetorem autem, qui concionem non dedit, intellige Ap. Claudium, P. Clodij fratrem: tribunos pl. Sex. Atilium Serranum, & Numerium Quinctium, de quibus in oratione pro Sextio, & Pedianus in Pisonem. Concionem Clodio praetor frater Appius dat in epistola sequenti. QVINDECIM } senatu concedente. Plutarchus in Pompeio. LEGEM } quae ad populum ex senatusconsulto ferretur. POMPEIO } historiae ratio, parum diligenter supputata, fefellit eos, qui Pompeium hoc tempore proconsulem appellant. nam, quod Caesare lib. VI. Pediano in commentario Milonianae, Dione lib. 39. testibus utuntur: infirmum est. data enim Pompeio est utraque Hispania rogatione Trebonia; quo anno consul iterum fuit cum Crasso: & post consulatum ad urbem cum imperio mansit, Hispaniarum administratio ne tribus legatis, Afranio, Petreio, Varroni, mandata. de quo tempore Caesarem, Pedianum, Dionem loqui, libros eorum qui diligenter inspexerit, intelliget. hanc autem epistolam biennio ante secundum Pompeij consulatum, Lentulo, & Metello cos. esse scriptam, quis non uidet? Priuatus igitur erat hoc tẽpore Pompeius. QVINQVENNIVM } per quinquennium item traditam ei biennio post Hispaniarũ administrationem, docet Dio lib. 39. quo fortasse numero annorum inducti, quae diuersa erant tempora, nonnulli permiscuerunt. MESSIVS, } qui legem conscriberet, in magistratu esse oportuit. placet igitur, Messenius. qui erat tribunus pl. & eo magis, quod, qui Bessarionis in libro scripsit, Messius, eiusdem manu in margine uideo scriptum esse, Mei satis: ut uarietas augeat mendi suspicionem. Quod si, Messius, retinemus; forte de eo licebit intelligere, qui ludos Florales aedilis fecit. Valerius libro. IV. Pompeij familiarem nominat Cicero infra ep. XI. l. 8. NVNC } postquam alteram legem Messinius scripsit. FAMILIARES *hanc.* } quo maior est suspicio Pompeij uoluntatis. nam ipse quidem solet aliud sentire, & loqui. ep. 10. & fam. ep. 1. l. 8. FAVONIO } qui tamen consularis non erat. sed summa libertate utens, acerrime, quae minus probaret, oppugnabat. ep. 15. EO *magis,* } neque enim, antequam de domo pontifices responderint, e re nostra putamus, cuiusquam animum ostendere. SI *sustulerint religionem* } si decreuerint, quam partem areae Clodius Libertati dedicauit, eam partem, sublata religione, restitui mihi posse; aream, in qua exaedificamus, amplissimam habebimus. consules autem uel aestimabunt, quod super solum antea aedificatum, dirutum a Clodio est; uel, si id minus, quod nunc est demolientur, ipsi curam suscipient exstruendae mihi domus, qualis antea fuerat. REM *totam* } non separatim domum. sed quaecumque amisimus, omnia simul una aestimatione complectentur. singula tamen per se aestimata, proxima insequens epistola ostendit. FLVXAE; } quia non eaedem, quae paullo ante: cum quidam, absentem qui defenderant, inciperent praesenti occulte irasci, aperte inuidere. Sic in epistola ad M. Brutum: Huius belli fortuna, ut in secundis, fluxa; ut in aduersis, bona. QVAEDAM *domestica* } de uxore accipiendum. nam & in epistola sequenti, Amamur, inquit, a fratre, & a filia. uxorem non nominat: quasi quiddam esset, cur ab ea se non aeque, atque a fratre, & filia, intelligeret amari. ALTERIVS *uitae* } ut posthac rationem habeam non solum dignitatis, sed etiam salutis. nam antea, dum ad unam dignitatem omnia refero, meq. ciuium potentissimorum consilijs grauem aduersarium, reip. caussa, praebeo, me ipsum paene perdidi, eiectus in exsulium.

Cicero S. D. Attico. 2.

*S*I FORTE *rarius tibi a me, quam a ceteris, litterae redduntur; peto a te, ut id non modo non negligentiae meae, sed ne occupationi quidem tribuas: quae etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri, & officij mei. nam ut ueni Romam, iterum nunc sum certior factus, esse cui darem litteras: itaque has alteras dedi. prioribus tibi declaraui, aduentus noster qualis fuisset, & quis esset status, atque omnes res nostrae quemadmodum essent, ut in secundis, fluxae; ut in aduersis, bonae. Post illas datas, secuta est summa contentio de domo. diximus apud pontifices prid. kal. Oct. acta res est accurate a nobis: &, si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si numquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo uim quandam nobis dicendi dedit. itaque oratio iuuentuti nostrae deberi non potest: quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito. Cum pontifices decressent, ita, si neque populi iussu, neque plebiscito, qui se dedicasse diceret, nominatum ei rei praefectus esset, neque populi iussu, aut plebiscito id*

facere iussus esset; uideri, posse sine religione iam partem areae mihi restitui; mihi facta statim est gratulatio. nemo enim dubitat, quin domus nobis esset adiudicata. tum subito ille in concionem adscendit, quam Appius ei dedit. nunciat iam populo, pontifices secundum se decreuisse, me autem ui conari in possessionem uenire. hortatur, ut se, & Appium sequantur, & suam libertatem ut defendant. hic cum etiam illi infimi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiã; ego statueram illuc non accedere, nisi cum consules ex S. C. porticum Catuli restituendam locassent. kal. Oct. habetur senatus frequens. adhibentur omnes pontifices, qui erant senatores. a quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quaesiuit, quid essent in decernendo secuti. tum Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis iudices pontifices fuisse, legis senatum: se, & collegas suos de religione statuisse, in senatu de lege statuturos. quisque horum, loco sententiam rogatus, multa secundum caussam nostram disputauit. cum ad Clodium uentum est, cupiit diem consumere: neque ei finis est factus: sed tamen, cum horas tres fere dixisset, odio, & strepitu senatus coactus est aliquando perorare. cum fieret S. C. in sententiam Marcellini; omnibus praeter unum assentientibus, Serranus intercessit. de intercessione statim ambo consules referre coeperunt: cum sententiae grauissimae dicerentur; senatui placere, mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi; si quae uis esset facta, senatum existimaturum, eius opera factũ esse, qui S. C. intercessisset: Serranus pertimuit, & Cornicinus ad suam ueterem fabulam rediit: abiecta toga, se ad generi pedes abiecit. ille noctem sibi postulauit. non concedebant; reminiscebantur enim kal. Ian. uix tamen sibi de mea uoluntate concessum est. postridie S. C. factum est id, quod ad te misi. deinde consules porticum Catuli restituendam locarunt; illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. nobis superficiem aedium consules de consilii sententia aestimarunt HS uicies, cetera ualde illiberaliter, Tusculanam uillam quingentis millibus, Formianum HS ducentis quinquaginta millibus. quae aestimatio non modo uehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehenditur. dices, quid igitur caussae fuit? dicunt illi quidem, pudorem meum; quod neque negarim, neque uehementius postularim: sed nõ est id: nam hoc quidem etiam profuisset: uerum iidem, mi T. Pomponi, iidem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci: sed, ut spero, iam renascuntur: tu modo ad nos ueni: quod uereor ne tardius interuentu Varronis tui, nostriq. facias. Quoniam, acta quae sint, habes; de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me a Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quin, si uellem, mihi esset integrum aut, si comitia censorum proximi consules haberent, petere posse, aut uotiuam legationem suscipere prope omnium fanorum, ac sacrorum locorum: sic enim nostrae rationes postulabant: sed uolui meam potestatem esse uel petendi, uel ineunte aestate exeundi: &, interea me esse in oculis ciuium de me optime meritorum, non alienum putaui. Ac forensium quidem rerum haec nostra consilia sunt, domesticarum autem ualde impedita. Domus aedificatur; scis, quo sumptu, qua molestia. reficitur Formianum; quod ego nec relinquere possum, nec uidere. Tusculanum proscripsi: suburbano non facile careo. amicorũ benignitas exhausta est in ea re, quae nihil habuit praeter dedecus. quod sensisti tu absens, praesentes. quorum studiis ego, & copiis, si esset per meos defensores licitum, facile essem omnia consecutus. quo in genere nunc uehementer laboratur. Cetera, quae me solicitant, μυστικώτερα sunt. amamur a fratre, & a filia. te exspectamus. Vale.

EXPLANATIO

DEBERI *non potest*.] edenda est, quia flagitari a iuuẽtute uideo. Figura eadẽ in epistola ad Trebatiũ. Quod praesenti tibi prope subnegarã, nõ tribuerã certe, id absenti debere nõ potui. Et in Topicorũ prooemio, ad eundẽ: Nõ potui tibi saepius hoc roganti debere diutius. QVI *se dedicasse diceret*,] is erat P. Clodius. IAM *partem areae*] Eã partẽ areae, mallẽ: ut ea pars intelligatur, in qua Clodius Libertatis atriũ aedificasset. neque.n. totam domũ, sed eam partem solum, quae cũ Catuli porticu iuncta erat, dedicauerat, reliquam euerterat. DVBITAT,] Dubitabat, ordo postulat: cum sequatur, Esset adiudicata. Nemo dubitabat, inquit, quin senatus pontificum decretum secuturus esset, quod ita post paullo euenit, facto senatusconsulto, quo statuebatur, uideri Ciceronis domum iudicio pontificum religione liberatam: & ut magistratus curarent, ut ei sine ui aedificare liceret, de haruspicum resp. ILLE] P. Clodius. DEDIT,] quia praetor erat. alioqui non licuisset priuato Clodio concionem habere. ep. 1. SVAM *libertatem*] atrium Libertatis, a se exstructum, dirui ne patiantur. ILLVC] ad aream. PORTICVM *Catuli*] quam in domo M. Fuluij Flacci euersa de Cimbricis manubijs a Q. Lutatio Catulo factam P. Clodius cum Ciceronis domo euerterat. pro domo sua. Valerius lib. VI. cap. 3. QVI *erant senatores*.] ijs enim, qui senatores non erant, ingredi senatum non licebat. & pontificum collegium apparet non fuisse totum ordinis senatorij: cum pontificiam dignitatem, etiam qui senator non esset, consequi posset: ut in oratione de harusp. resp. MARCELLINVS,] Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, ordinis patricij, cõsul designatus cũ L. Marcio Philippo, qui Caesaris Augusti uitricus fuit. ROGATVS,] designati cõsules primi sentẽtias rogabantur. LVCVLLVS] M. Licinius Lucullus põtifex, consularis, & triumphalis. LEGIS *senatum*] Legis Clodiae iudicem senatum esse, religionis pontifices fuisse. LOCO] ordine, ut quisque honoribus antecedebat. manifestũ, in senatu nullam pontificum habitam rationem in rogandis sententijs perinde ac si pontifices non essent. DIEM *consumere*.] ne s-c. fieret. licebat.n. senatori, & quã diu uellet, & qua de re uellet, dicere. Gellius l. IV. c. X. PRAETER *unum*] praeter ipsum Clodiũ. SERRANVS] Sex. Atilius Serranus tribunus pl. REFERRE] esset intercessio a rep. nec ne. cũ.n. non esse, statuitur: agit senatus

cum

cum eo, qui interceſſit, ut tollatur interceſſio. AVCTORITATEM *ordinis* } uoluntatem ſenatus de Ciceronis domo, & Catuli porticu. quam appellat Auctoritatem ordinis, quia ſenatuſconſultum fieri non potuerat, intercedente tribuno pl. Sic in epiſtolis ad Lentulum Senatus auctoritas dicitur, cum ſenatuſconſultum fieri ob interceſſionem tribuniciam non potuiſſet. SI *quae uis eſſet facta,* } quo minus poſſet Ciceronis domus, Catuliq. porticus reſtitui. CORNICINVS *ad ſuam ueterem fabulam rediit:* } Cn. Oppium ſignificat. nam Cornicen Oppiorum cognomen fuit: ut apud Liuium libro III. Ad ueterem autem fabulam ideo dicit, quod etiam antea idem Oppius hunc ipſum generum ſuum, Kalēdis Ianuarijs, quo die P. Lētulus cos. retulit de reſtitutione Ciceronis, intercedentem ſuppliciter rogarat, ut deſiſteret: quod tamen non impetrauit: idq. omnino cauſſae fuit, ſerius ut Cicero reſtitueretur. in oratione poſt reditum ad Quirites, & pro Sextio. KAL. *Ian.* } quo die, Lentulo referente, Serranus idem interceſſerat: &, tamquam ſoceri precibus commotus, cum ad deliberandum tum quoque noctem poſtulaſſet, poſtea tamen interceſſionem non omiſit. SIBI } Serrano. & Sibi, pro Illi, contra regulam Vallae. ILLAM *porticum* } neceſſe erat, ut redemptores, ſi euerſam Catuli porticum reſtituere uellent, prius partem atrij Libertatis demolirentur. nam in ea porticu, quae Ciceronis aedibus continens erat, itemq. in ipſius Ciceronis aedium parte, atrium Libertatis Clodius aedificauerat. HS. VICIES, } ſeſtertiorum nummorum uicies centenis millibus, ideſt aureis ſcutatis ſexaginta millibus, ut ſubducenti patebit. Emerat autem eam domum tricies quinquies, ut eſt in epiſtola ad Sextium: cum a P. Sulla HS. uicies mutua ſumpſiſſet, ut ait Gellius lib. XII. cap. XII. ILLIBERALITER, } ideo ſcripſit ad fratrem ep. 2. lib. 2. Lentulus multa fecit, quare, ſi fas eſſet, ei ſuccenſere poſſemus. QVINGENTIS *millibus,* } aureis ſcutatis quindecim millibus. HS } hoc uidetur abundare. DVCENTIS *quinquaginta millibus.* } aureis ſcutatis ſeptem millibus, & quingentis. LEGARI } cum quindecim ſibi legaret rei frumentariae cauſſa. ep. 1. & fam. ep. 5. l. 7. PROXIMI *conſules* } Marcellinus, & Philippus, qui tunc erant deſignati. Proximus autem non de praeterito ſolum, ſed de ſequenti etiam tempore a Cicerone uſurpatur. POSTVLABANT: } ut legationem a Pompeio delatam acciperem: quod futurum eſſet quaſi uinculum artioris cum potentiſſimo uiro amicitiae. in quo ſtatuo firmum praeſidium mihi eſſe conſtitutum ad impetus inimicorū. epiſt. 9. l. 1. fam. PETENDI, } petendi, cenſuram: *Exeundi,* ad legationem. SCIS, *quo ſumptu, qua moleſtia.* } de ſumptu, qui fieret in aedificanda domo, ideo queritur, quia ſuperficiem conſules, a Clodio dirutam, minoris aeſtimarant, quam quanti fuerat, quippe ſcutatis tantum ſexaginta millibus, cum ipſe eam emiſſet centum quinque millibus. &, *Scis,* } ſcire potes, facile tibi eſt cogitare; cum intelligas, ſi reficere uelim, & ad priſtinam formam perducere, multo plus mihi eſſe erogandum pecuniae, quam quantum de publico ex conſulum aeſtimatione datum eſt. NEC *relinquere poſſum, nec uidere.* } nam & me delectat; & uidere, euerſum ab inimicis, non poſſum. PROSCRIPSI: } hoc non reficio, ut Formianū, ſed uenditurus proſcripſi. Proſcribit enim domum, aut fundum, aut quiduis huiuſmodi, qui diuulgato ſcripto ſe eſſe uenditurum ſignificat. hinc Proſcripti, quorum nomina in tabula palam conſtituta legebantur. ut ad caedē quaererentur, praemio percuſſori promiſſo. SVBVRBANO } hoc reficere cogitabat, propinquitatis cauſſa. IN *ea re,* } in exſulio meo, cum me ſua pecunia ſuſtentarunt. itaque nunc ab ijſdem mutuari non licet. SENSISTI *tu abſens, praeſentes.* } quod proxime dixit, placet eſſe dictum de exſulio potius, quam de domo: ut queratur, ſe ſumptui fuiſſe amicis, non ut dignitatem aliquam, non ut commodum adipiſceretur, ſed ad ſuſtinendam turpiſſimam exſulij fortunam. illud enim, Benignitas exhauſta, de ſuppeditatis pecunijs accipio. Extrema uerba, Senſiſti tu abſens, praeſentes, quia ſuſpicor a mendo non abeſſe, non interpretor. quamquam nihil eſt adeo mendoſum, quin aliquid ſententiae poſſit extorqueri. ſed ego, non ut extorqueam, ſed ut eliciam, operam do. COPIIS, } alibi Copiae pro diuitijs, aut pro exercitu: hic totum intelligitur, quantumcumque poſſumus ſiue auctoritate, ſiue gratiā. MEOS *defenſores* } eos, qui, cum me abſentem defendiſſent, & ab exſulio reuocaſſent, reuerſo deinde inuidere coeperunt, neque in ijs rebus, quae mihi erant propter rei familiaris naufragia neceſſariae, eam uoluntatem, quam exſpectaram, praeſtiterunt. epiſt. fam. l. 1. ep. 9. OMNIA } quae mihi omnia uis inimicorum ademerat. LABORATVR. } quod in proxima epiſtola dixit, In re familiari ualde ſumus perturbati. & in hac ipſa, Domeſticarum rerum conſilia ualde impedita. ut eandem ſententiām uarie ter exprimat. Μυστικώτερα } de uxore ſignificat, ut etiam in proxima epiſtola dixit, Sunt quaedam domeſtica, quae litteris non committo.

Cicero S. D. Attico. 3.

AVERE *te certo ſcio, cum ſcire, quid hic agatur, tū a me ſcire; non quo certiora ſint ea, quae in oculis omnium geruntur, ſi a me ſcribantur, quam cum ab alijs aut ſcribuntur tibi, aut nunciantur; uerum ut perſpicias ex meis litteris, quo modo ea feram, quae geruntur. & qui ſit hoc tempore aut mentis meae ſenſus, aut omnino uitae ſtatus. Armatis hominibus ante diem ter tium non. Nou. expulſi ſunt fabri de area noſtra, diſturbata porticus Catuli, quae ex S.C. conſulū locatione reficiebatur, & ad tectū paene peruenerat. Quincti fratris domus primo fracta coniectu lapidū ex area noſtra, deinde inflāmata, iuſſu Clodij, inſpectante urbe, coniectis ignibus, magna querella, & gemitu, non dicā bonorū, qui, neſcio, an ulli ſint, ſed plane hominum omniū. ille uehemens furere. poſt hunc uero furorem nil niſi caedem inimicorum cogitare, uicatim ambire, ſeruis apertе ſpē libertatis oſtendere. etenim antea, cum iudicium nolebat, habebat ille quidem difficilem, manifeſtamq.*

 cauſſam,

caussam, sed tamen caußam: id poterat infitiari, poterat in alios deriuare, poterat etiam aliquid iure factum defendere. post has ruinas, incendia, rapinas, desertus a suis, uix iam Decimum designatorem, uix Gellium retinet: seruorum consilijs utitur: uidet, si omnes, quos uult, palam occiderit, nihilo suam caussam difficiliorem, quam adhuc sit, in iudicio futuram: itaque ante diem tertium id. Non. cum Sacra uia descenderem, insecutus est me cum suis. clamor, lapides, fustes, gladij, haec improuisa omnia. discessimus in uestibulum M. Tettij Damionis. qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. ipse occidi potuit: sed ego diaeta curari incipio: chirurgiae taedet. ille, omnium uocibus cum se non ad iudicium, sed ad supplicium praesens trudi uideret, omnes Catilinas, Acidinos postea reddidit. nam Milonis domum, meamq. in Cermalio prid. id. Nou. expugnare, & incendere ita conatus est, ut palam hora v. cum scutis homines, eductis gladijs, alios cum accensis facibus adduxerit. ipse domum P. Sullae pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit uiros acres, occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos: ipsum cupiuit; sed ille se in interiorem aedium Sullae. in senatu postridie idus. domi Clodius: egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit, adiuuante Oppio, etiam hercule familiari tuo; de cuius constantia, uirtute uerissimae litterae. Sextius furere. ille postea, si comitia sua non fierent, urbi minari. proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam nostram caussam areae, incendiorum, periculi mei, iudicio complecteretur, eaq. omnia comitijs anteferret: proscripsit, se per omnes dies comitiales de caelo seruaturum. conciones turbulentae Metelli, temerariae Appij, furiosissimae Tubij. haec tamen summa; nisi Milo in campum obnunciasset, comitia futura. ante diem xii. kal. Dec. Milo media nocte cum magna manu in campum uenit. Clodius, cum haberet fugitiuorum delectas copias, in campum ire non est ausus. Milo permansit ad meridiem, mirifica hominum laetitia, summa cum gloria. contentio fratrum trium turpis, fracta uis, contemptus furor. Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuncietur: nihil esse, quod in campum nocte ueniretur: se hora prima in Comitio fore. itaque ante diem xi. kal. Ian. in Comitium Milo de nocte uenit, Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deuijs currebat. assequitur inter lucos hominem Milo, obnunciat. ille se recipit, magno, & turpi Q. Flacci conuicio. ante diem x. kal. nundinae. concio biduo nulla. ante diem iix. kal. haec ego scribebam, hora noctis nona. Milo campum iam tenebat, Marcellus candidatus ita stertebat, ut ego uicinus audirem. Clodij uestibulum uacuum sane mihi nunciabatur, paucis pannosis, sine laterna. meo consilio omnia illi fieri querebantur, ignari quantum in illo heroe esset animi, quantum etiam consilij. miranda uirtus est. noua quaedam diuina mitto. sed haec summa est. comitia fore non arbitror. Publium reum, nisi ante occisus erit, a Milone fore puto. si se inter uiam obtulerit, occisum iri ab ipso Milone uideo. non dubitat facere: praesefert: casum illum nostrum non extimescit: numquam enim cuiusquam inuidi, & perfidi consilio est usus: nec inerti nobili crediturus. Nos animo dumtaxat uigemus, etiam magis, quam cum florebamus: re familiari comminuti sumus. Quincti fratris tamen liberalitati pro facultatibus nostris, ne omnino exhaustus essem, illo recusante, subsidijs amicorum respondemus. quid consilij de omni nostro statu capiamus, te absente nescimus. quare appropera. Vale.

EXPLANATIO

ANTE *diem. iii. non.* } saepe diximus, idem esse, iii. nonas. EXPULSI } a Clodianis. LAPIDUM *ex area nostra* } lapides, ad nostrae domus refectionem paratos, Clodiani sumptos ex area coniecerunt in domum Quincti fr. IUDICIUM *nolebat* } Tollebat, magis placeret: ut uis intelligatur, qua Clodius a Milone accusatus iudicia sustulerat, ante reditum Ciceronis ab exsulio. itaque in oratione pro Milone, Quis, inquit, hoc credat, Cn. Pompeium iudicium exspectaturum fuisse in eius iudicijs uindicandis, qui uel iudicia ipsa tolleret? cum de Clodio intelligat. Et in senatu post reditum Milo Clodium de ui postulauit. postea quam ab eodem iudicia sublata esse uidit, ne ille omnia ui posset efficere, curauit. Eodem loquendi genere usus est in oratione pro Sulla. Autronius, inquit, ambitus iudicium tollere, ac disturbare uoluit, conflato gladiatorum, ac fugitiuorum tumultu. MANIFESTAMQ. } ut a manifesto crimine tueri se non posset. SED *tamen caußam* } erat tamen aliquis quasi angulus excusationis, quo confugeret: cum posset infitiari a se factum, posset in alios culpam reijcere, posset etiam aliquid defendere tamquam iure factum. DESIGNATOREM, } curatoris nomen: unde Horatius, Designatorē decorat lictoribus, atris. DECIMUM } de hoc pro domo sua his uerbis: Tu id te posse arbitraris, omnium facinorum, & stuprorum omnium Decumis, & Clodijs auctoribus, obtinere, quod M. Drusus in legibus suis plerisque, M. Scaurus, & L. Crassus non obtinuerint? GELLIUM } de hoc in oratione de haruspicum resp. in Vatinium, pro Sextio. exstat etiam Catulli epigramma in eundem, quod infra subscripsi.

Quid, dicam, Gelli, quare rosea ista labella
    Hiberna fiant candidiora niue,
Mane domo cum exis, & cum te octaua quieta
    E molli longo suscitat hora die?
Nescio quid certe est: an uere fama susurrat,
    Grandia te medij tenta uorare uiri?
Sic certe est. clamant Victoris rupta miselli
    Ilia, demulso labra notata sero.

SACRA

SACRA *uia* } unicam dictionem Carisius ait esse, ut Resp. diuiditur tamen. Horatius: Ibam forte uia Sacra. Et in lasciuo carmine: De Sacra nulli dixeris esse uia. Vide Commentarium de Orthographia Aldi filij. DESCENDEREM, } cum, de Capitolio descendens, Sacra uia, quae a Capitolio ad Carinas pertinebat, domum abiret. INSECVTVS *est me* } alij putant periculum illud Ciceronis intelligi, de quo in oratione pro Milone his uerbis: Haec eadem sica longo interuallo conuersa rursus est in me, nuper quidem, ut scitis, ad Regiam paene confecit. Ego aliter sentio. uideo enim hanc epistolam scriptam esse P. Lentulo, Q. Metello cos. orationem autem pro Milone habitam Pompeio tertium consule, idest quinquennio fere interposito: ut eadem res significari non possit, cum in oratione dicat, Nuper quidem, quod non diceret de re tanto ante confecta. M. TETTII *Damionis* } de Damione quodam, P. Clodij liberto, Pedianus mentionem facit in Miloniana: sed, hunc alium ab eo esse, manifeste apparet, quod neque eadem res significatur, quae in oratione, ut ratio temporis declarat, & in eius uestibulum Cicero, tamquam amici hominis, aut certe non inimici, Clodianorum impetum fugiens discessit. Neque uero, Damionem unum Romae fuisse, necessario putandum est. DIAETA *curari incipio: &c.* } ab aegrotantibus sumpta translatio. Sensus est: institui me tueri contra meos inimicos moderatione quadam, qua utens, spero fore, ut huic malo dies quotidie magis medeatur, sicuti solet diaeta non recte se habentibus. ferro ut res agatur, minime uolo. TRVDI } antiqui libri, Videri, mendose. ACIDINOS } L. Catilina, & C. Manlius Acidinus, aduersus patriam arma tulerunt. Sallustius, & Cicero. Acidinus autem, Manliorum cognomen fuisse, cognoscitur ex lib. 2. de orat. Velleio, & Fastis. IN *Ceramio* } praepositionem, In, neque Caualcantis liber habet, neque Bessarionis: Ceramio, autem uterque. inspiciundi plures antiqui libri, si forte ad ueritatem aliquid afferant. nam nos quidem, Ceramio, quid hic sibi uelit, ignoramus. Locum hoc nomine Romae fuisse, nemo tradit. In Germalo, qui Romae mons fuit, fortasse legendum. ANNIANA } quae prius C. Annij fuerat, a quo adoptatus Milo, qui antea fuerat ex Papia familia, & nomen simul & hereditatem accepit, cum ex eius filia natus esset. EDVXIT *uiros* } eduxit uiros, & occidit homines, non sine artificio dixit, ut, cuiusmodi fuerint utriusque copiae, ex nominibus appareat. ILLE *se in interiorem partem aedium abdidit sulla se* } Caualcantis liber, Ille ex interiorem aedium silla se. Bessarionis, Ille interiorem aedium sylla se. Omnino locus ita deprauatus, ut, nisi ueteres libri opem ferant, desperandus uideatur. quid tamen, si sic? Ille se in interiora aedium Sullae: ut subaudiatur, Proripuit, abdidit. MARCELLINVS } hunc primum nominat, quia primus sententiam rogabatur, quod esset consul designatus. METELLVS } Q. Metellus consul: qui comitia aedilicia ideo fieri uolebat, ut Clodius aedilis creatus, in iudicium de ui, maxime propter fabros de Ciceronis area pulsos, uocari non posset. nam eos, qui magistratus gererēt, accusari ius non erat: itaque Clodius, aedilitatem consecutus, iudicio se eripuit. Dio lib. XXXIX. CALVMNIA } cum astutia uteretur, multaq. malitiosus inijceret, ut dicendi tempus eximeret, ne senatusconsultum contra Clodium fieri posset, qui, cum senatus censuisset, ut Ciceroni domum suam aedificare liceret, fabros tamen de area per uim expulisset. Sic in epistola ad Lentulum: Res ab aduersarijs nostris extracta est uarijs calumnijs. & ad Q. fratrem libro. II. Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est. Licebat enim senatoribus, quousque uellent, qua de re rogati essent, dicere. epist. 1. lib. 2. ad fratrem: lib. 3. de leg. Gellius lib. 4. cap. 10. DICENDI *tempus* } quod tempus ad dicendas sententias senatoribus dabatur. OPPIO } potius crederem legendum, Appio: qui erat in senatu; & frater Clodij, ut adiuuare uellet; & praetor, ut facile posset. ETIAM *Hercule familiari tuo* } Q. Hortensium significat, quo Atticus intime utebatur, ut scribit Nepos in uita. & in epistola ultima libri. II. Tuus familiaris Hortensius quam plena manu nostras laudes in astra sustulit. ETIAM *Hercule:* } quasi dicat, quod equidem antea non putaram, cum & nostri, & publicae caussae studiosus uideretur esse. DE *cuius constantia* } ironia. nam Atticus exsulanti Ciceroni scripserat in hanc fere sententiam: Hortensij constantiam, & uirtutem in tuenda rep. cognosces. Et constantia, uirtute, sine copula, usitate, ut hic epist. 9. lib. XI. & fam. ep. 24. & 28. l. 13. FVRERE. } homo iracundus: quem etiam notat morositatis uitio in ep. quadam ad Q. fratrem. &, Furere, quod a Metello diem eximi uideret. ILLE } P. Clodius. SVA } quibus aedilitatem petiturus erat, cum candidatus esset. AREAE } de qua Clodius fabros expulerat, contra senatusconsultum. ep. 2. INCENDIORVM } quia Milonis domum, Ciceronisq. expugnare, & incendere conatus erat. PERICVLI *mei* } cum me, Sacra uia descendentem, lapidibus, fustibus, gladijs est insecutus. IVDICIO } ut iudicium fieret in eum, qui ea commisisset. COMITIIS *anteferret* } cum diceret iudicium de ui prius esse faciendum, quam comitia haberentur: quod tamen factum non est: itaq. Clodius iudicium effugit, comitijs creatus aedilis. PROSCRIPSIT } an Marcellinus? rationes aduersantur duae, consuetudo Latini sermonis, & mos legitimus auspiciorum. primum, cui probatur hoc, uel mediocriter Latinae linguae perito? Proposita Marcellini sententia, proscripsit Marcellinus, se per omnes dies comitiales de caelo seruaturum. deinde, seruare de caelo, cum magistratū hoc tempore Marcellinus non gerat, prorsus ei non licet. id aperte declarat Varro, cuius haec recitat Nonius uerba, ex libro Rhetoricorū. XX. Eo die cis Tiberim redeundū est, quod de caelo auspicari ius sit nemini, praeter magistratū. Nisi si quis adeo peregrinetur in reb. Romanis, ut ideo magistratum gerere Marcellinum putet, quia sit cōsul designatus. in quo fuit quidem auctoritas maior aliquanto, quā in ceteris priuatis: itaq. sententiam in senatu primi rogabantur cōsules designati, deinceps autē magistratus, praetores, aediles, reliqui; sed potestas tamen nulla: unde illud in Pisonem, de Metello Celere, consule designato: Quod potestate nondū poterat, auctoritatē obtinuit. Praeterea non sella curu li, non

li,non praetexta,non uiatoribus, non lictoribus, ne seruis quidem publicis, quod equidem legerim, fando ue audierim,consul designatus utebatur. quod si neque potestatem habet,nec ea,quae magistratus insignia sunt; sequitur,ut magistratus non sit:&,si hoc, simul illud:ut Marcellinus non proscripserit. Quis igitur? Sextius,opinor, de quo dixit paullo ante; Sextius furere. Is autem,cum tribunus pl. esset hoc anno, quod ignorare arbitror neminem, poterat seruare de caelo. non enim maioribus tantum,sed minoribus ēt magistratibus id licebat. Id ostendit Cicero Philipp. 2.cū ait: Nos nunciationē solum habemus,consules, & reliqui magistratus etiam spectionem. apertius etiā Gellius lib.XIII.cap.14. In edicto,inquit consulum, quo edicunt, quis dies comitijs centuriatis futurus sit, scribitur ex uetere forma perpetua; ne quis magistratus minor de caelo seruasse uelit. Quibus etiam ex uerbis perspicuum fit, quo die de caelo seruaretur, eo die fieri comitia non potuisse. Erant omnino leges, ne comitiis magistratuum de caelo seruaretur: quod in 2. in Antonium declaratur his uerbis: Quisquam ne diuinare potest,quid uitij in auspicijs futurum sit, nisi qui de caelo seruare constituit? quod neque comitijs licet per leges,& si quis seruauit,non,habitis comitijs,sed, prius,quam habeantur, debet nunciare. Vetabant igitur leges, comitijs magistratuum de caelo seruari, sed, quia saepe leges contemnebantur, ideo consules edicto etiam id prohibendum putabant. nam, si leges ualuissent,quid erat, cur edictum adderent? Nec longe absunt exempla auspicantis de caelo magistratus,contra quam legibus cautum erat,ut comitia impediantur. nam hoc ipsum, Proscripsit se per omnes dies comitiales de caelo seruaturum, non ad inijciendam comitijs aedilicijs moram spectat? Milo autem, cum obnunciat Metello consuli, non eadem caussa obnunciat? Poterat autem,quia tribunus pl.erat. Comitijs uero, quibus leges ferrentur,seruari de caelo licuisse,cognoscitur ex oratione de prouincijs. DIES *comitiales*: } quibus haberi comitia poterant. Macrobius, Gellius, ad Q. fratrem, alibi. CONCIONES: } ut adducerentur in inuidiam, qui comitia conabantur impedire. quae res populi uoluntatem solet offendere. lib. 2. epist.21. HAEC *tamen summa*; } tamen, inquit, Metellus consul, neglecta illa futuri per comitiales dies auspicij proscriptione,comitia habuisset,nisi Milo in campum ipsum cum magna manu,ut,si opus esset,uim ui repelleret, profectus obnunciasset. Laudat igitur Milonem magis etiam, quam Sextium. nam ille tantum proscripserat, se de caelo seruaturum; Milo autem ad religionem auspicij, quam sperni uidebat, fortitudinem adiunxit. NISI *Milo in campum obnunciasset* } cum libro Caualcantis, a quo minimum differt Bessarionis liber, (habet enim, Miloni campum) ita lego, priore lectione repudiata: cuius,ut mihi quidem uidetur,eiusmodi sententia est,ut a ueritate dissentiat. neque enim quisquam erat,qui Miloni obnunciaret, (quippe,tribunus pl.cum esset,comitiorum aediliciorum ius non ad eum,sed ad Metellum consulem pertinebat) uerum ipse Metello consuli obnunciabat, ut comitia,quibus aedilitatem Clodius petebat,usque eo protruderet,quoad iudicium ante fieret de ui,nihil dubitās, quin eo iudicio Clodius condemnaretur. Praeterea,si legas,ut antea, C.Appius,praenomina simul erunt duo,quae esse non possunt. Nam,quod ad locutionem attinet, Obnunciare in campum,me quidem non offendit;cum etiam uerbo,Nunciare,quandoque ueteres eadem ratione uterentur & in loco,& ad locum;ut, Ponere in gratia, & in gratiam; Esse in potestate, & in potestatem. quod Gellius obseruauit lib. 1. cap.7. Sic, Nunciatum Romam esse,dicit Cicero in ep.ad D.Brutum,Nunciatur domum,in Verrem, & Plautus in Truc.Magna nuncias ad me gaudia. CAMPVM } Martium, quo populus ad comitia conueniebat. OBNVNCIASSET } qui de caelo seruabat,obnunciare solitus erat, non, habitis comitijs, ut augures, sed prius quam haberentur. obnunciabat autem, seruaturum se de caelo die comitiali. quod cum fieret, agi cum populo nefas erat. oratio pro domo. IN *campum uenit,* } ut, consuli Metello, comitia habere cupienti,ipse tribunus pl.obnunciaret. FVGITIVORVM } seruorum,quibus libertatem Clodius pollicebatur. DEIECTAS *copias* } afflictas,& infirmas. itaq. legitur in Bessarionis antiquo libro. FRATRVM *trium* } Metelli, Appij, Publij. & Metellum etiam in oratione pro domo sua P. Clodij fratrem appellat. idq. ob eam rationem,quod Caecilia mater fuerat Appio, & Publio,soror autem duobus Caeciliis, ei, qui Metellum Nepotem,& ei,qui Celerem genuerat. ita duo Metelli,Nepos,& Celer, Appio, & Publio Clodijs fratres erant patrueles. nam & in oratione pro Coelio, Quonam modo, inquit,cum de Celere loquitur,furenti fratri suo patrueli consularis restitisset, qui consul incipientem furere, atque conantem,sua se manu interfecturum audiente senatu dixerit? Ipsos autem Metellos, Celerem,& Nepotem, fratres fuisse,ex duabus epist.lib.v.fam.notissimum est. germanos fuisse ideo non existimo,quod Quinti praenomine uterque utebatur. fratribus igitur geniti: quorum soror App. Claudio nupserit, qui postea Appio, & Publio pater fuit. TVRPIS } non ideo turpis, quod iam esset approbata Marcellini sententia,sed quod homines intelligerent id agi,ut habendis comitijs iudicio Clodius eriperetur. nam, etsi de approbata Marcellini sententia legitur in epist.1. lib.2. ad Q. fratrem: tamen id factum esse eo senatu,qui habitus est mense Decembri,cum Clodius adesset,ipsa indicat epistola: haec autem scripta sunt mense Nouembri; cum in eo senatu,quo sententiam ait de scripto a Marcellino dictam, Clodius non affuisset. scribit enim sic,Domi Clodius,egregius Marcellinus. XI. KAL. *Ian.* } quod aliquot ante annis scripsimus in nostris Scholijs, id nunc,eadē coniectura ducti, sine dubitatione affirmamus; uideri tollendā uocē, Ian.quae,ut cuiuis facile est uidere, locum hic habere non potest; cum dies significetur, qui. XII. kal. Dec. consecutus est. COMITIVM } Comitium in foro fuisse,uel hic locus ostendit; cum Metellus postulet,ut sibi in foro obnuncietur,Milo autem in Comitium ueniat. Plinius etiam lib.15. cap.18. Colitur ficus arbor in foro ipso,ac Comitio. in Comitio ius dicebatur. Plautus in Poen. Istorum nullus nefastus est,comitiales sunt meri. ibi habitant,ibi eos conspicias, quam praetorem,saepius.

pius. FVRTIM } ut Milonem falleret, cui dixerat se in Comitio fore; putans, ante se comitia in campo habiturum, quam Milo posset obnunciare. BIDVO } decimo. & nono Kalendas, dum nundinae fuerunt, quibus haberi comitia non licebat. Macrobius lib. I. Sat. Pli. lib. 18. cap. 3. NVLLA } non, quod nundinis concionari non liceret, sed quod opus non esset, cum haberi comitia non possent. IAM *Campum tenebat,* } ne Metellus, confectis nundinis, IIX. Kal. Comitia habere posset. MARCELLVS *candidatus.* } aedilicius; qui tamen stertens parum laborare de comitijs uidebatur. Hunc autem C. Marcellum potius, quam M. puto fuisse. nam Marcus, qui consul fuit cum Ser. Sulpicio quadriennio post, aedilis esse non potuit Marcellino, & Philippo cos. cum aedilitas a consulatu quinquennio distet; ut in libro de magistratibus ostendemus. SINE *laterna* } ut eorum, qui Clodium exspectabant, ignobilitas, & infima condicio notetur, qui sine laterna noctu praestolarentur. LIBERI. } a Milone. SI *se inter uiam* } Inter uias, dixit Plautus; Inter cenam, Cicero. correxit hunc locum aliquot ab hinc annis amicissimus meus, coniecturam secutus, quia uidebat in Caualcantis libro scriptum, Si sentitur ne iam. neque nunc aliter uideo scriptum in libro Bessarionis, nisi quod, Veniam, habet, pro Veiam. CASVM *illum nostrum* } exsulij calamitatem: in quam incidi, quia pessimos ciues occideram. INVIDI, *& perfidi,* } Hortensium, & Pompeium uidetur significare: quorum consilio usus, indignissimam exsulij calamitatem subierat. epist. 18. lib. 2 INERTI *nobili* } notat eos, quos a se defendendo metus auerterat. fam. lib. 1. epist. 9. PRO *facultatibus nostris* } fratri reddimus, non quantum accepimus; sed quantum nostrae facultates patiuntur; ne, si id fieret supra facultates, ipse deinde, omnino exhaustus, egerem.

Cicero S. D. Attico. 4.

PERIVCVNDVS mihi Cincius fuit ante diem tertium Kal. Febr. ante lucem. dixit enim mihi, te esse in Italia, seseq. ad te pueros mittere: quos sine meis litteris ire nolui: non quo haberem, quod tibi, praesertim iam prope praesenti, scriberem: sed ut hoc ipsum significarem, mihi aduentum tuum suauissimum, exspectatissimumq. esse. quare aduola ad nos, eo animo, ut nos ames, & te amari scias. cetera coram agemus. haec properantes scripsimus. quo die uenies, utique cum tuis apud me sis. perbelle feceris, si ad nos ueneris. offendes designationem Tyrannionis, mirificam librorum meorum Bibliothecam; quorum reliquiae multo meliores sunt, quam putaram. etiam uelim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris; ijsq. imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos uos Graeci, ut opinor, συλλάβους appellatis. Sed haec, si tibi erit commodum: ipse uero utique fac uenias, si potes in his locis adhaerescere, & Piliam adducere. ita enim & aequum est, & cupit Tullia. Mediusfidius nae tu emisti locum praeclarum. gladiatores audio pugnare mirifice. si locare uoluisses, duobus his muneribus liberasses. Sed haec posterius. tu fac uenias & de librarijs, si me amas, diligenter. Vale.

EXPLANATIO.

CINCIVS } qui Romae Attici negotia curabat. AD *nos,* } Antium, cum Romae fueris. APVD *me* } domi meae cenato, etiam si ego absim. Erat enim Antij: ut epist. 8. Sic etiam in epistola 2. libri. 2. in qua eum domum suam inuitat, cum ipse abesset. DESIGNATIONEM } ordinem, quo bibliotheca mea disponatur. TYRANNIONIS } grammatici. Suidas, Plutarchus in Lucullo, & Sulla, & epistola. IV. libri. 2. ad Q. fratrem. RELIQVIAE } quia multos amiserat in illo fortunarum suarum naufragio. DVOS *aliquos* } misit Dionysium, & Menophilum. epist. 8. QVIBVS *Tyrannio utatur glutinatoribus,* } an ut librorum paginas conglutinarent more nostro? minime. nam librorum paginae tunc circa lignum, quem umbilicum uocabant, inuoluebantur, expertes glutini. quis igitur glutinatorum usus? ut uoluminum singulorum terga exornarentur, agglutinato insigni tegumento. IN *his locis* } in Antiati. PILIAM *adducere.* } si potes & a te ipso impetrare, ut in his locis consistas, & Piliam tecum adducere. Mirum autem, cur hoc de Pilia dixerit, quam nondum Atticus duxerat uxorem. nuptias enim celebrauit pridie id. Febr. ut est in epistola. III. lib. 2. ad Q. fratrem. haec autem scripta III. Kal. Feb. Accipiamus igitur sic, nuptias quidem nondum celebratas, sed desponsatam tamen fuisse. Et apparet, factis iam sponsalibus coniugium non semper esse consecutum: ut Suetonius de Iulia Caesaris filia, primum Seruilio Caepioni desponsa, deinde Pompeio collocata. AEQVVM *est* } ut sine ea ne uenias. TVLLIA. } quae nunc mecum est. NAE *tu* } cur, Nae? cum iam dixerit, Medius fidius. quid si, Nomenti? ubi, & Ardeae praedia Atticus habuit, praeterea nusquam in Italia. EMISTI } locum Atticus, & simul gladiatores emerat. eos lanistae in eo loco exercebant. PVGNARE } cum exercerentur in ludo. DVOBVS *his muneribus* } gladiatores in funere dabantur, uel empti, uel conducti. *His*: proximis, quibus populo munus gladiatorium datum est. LIBERASSES. } tanti locasses, quanti emeras: ita eos libertate donare potuisses, recepta pecunia in eos impensa.

Cicero S. D. Attico. 5.

AIN TV? existimas ab ullo malle mea legi, probarique, quam a te? cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo, ad quem misi, & non habebam exemplar. quid? etiam: (dudum enim circumrodo, quod deuorandum est) subturpicula mihi uidebatur esse παλινῳδία. sed ualeant recta, uera, honesta consilia. non est credibile, quae sit perfidia in istis principibus, ut uolunt esse, & ut essent, si quidquam haberent fidei. senseram, noram, inductus, relictus, proiectus ab ijs: tamen hoc erat in animo, ut cum ijs in rep. consentirem. ijdem erant, qui fuerant. uix aliquando te auctore resipiui. dices, ea te monuisse, suasisse, quae facerem: non etiam ut scriberem, ego mehercule mihi necessitatem uolui imponere huius nouae coniunctionis; ne qua mihi liceret labi ad illos, qui etiam tum, cum misereri mei debent, non desinunt inuidere. sed tamen modici fuimus ὑποθέσει, ut scripsi. erimus uberiores, si & ille libenter accipiet, & ij subringentur, qui uillam me moleste ferant habere, quae Catuli fuerat, aut etiam emisse non cogitant; qui domum negant oportuisse me aedificare, uendere aiunt oportuisse. sed, quid ad hoc? si, quibus sententijs dixi quod & ipsi probarent, laetati sunt tamen me contra Pompeij uoluntatem dixisse. sed, quoniam, qui nihil possunt, ij me nolunt amare; demus operam, ut ab ijs, qui possunt, diligamur. dices: uellem, iam pridem. scio te uoluisse, & me. ast nugigeram manum fuisse. iam tempus est me ipsum a me amari, quando ab illis nullo modo possum. Domum meam quod crebro inuisis, est mihi ualde gratum. Viaticum Crassipes praeripit. Tu de uia recta in hortos. uidetur commodius ad te. postridie scilicet: quid enim tua? sed uiderimus. Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione, & sittybis. eos uelim laudes. Vale.

EXPLANATIO

AIN TV? } locutio ad ostendendam admirationem usurpata. sic in epistola ad Paetum: Ain tandem insanire tibi uideris, quod imitere uerborum meorum fulmina? & ad hunc ipsum l. VI. & l. XII. AD *quem misi,* } aut Caesarem, aut Pompeium. QVID? *etiam:* } quid praeterea caussae fuit, cur eum librum tibi non miserim? etiam hoc: subturpicula mihi uidebatur παλινῳδία. Tale illud epistola. XI. lib. 1. Noui tibi quidnam scribam? quid? etiam. Messalla consul Autronianam domum emit. & ep. 6. l. 2. De muro, statue, quid faciendum sit. Aliud quid? etiam. quando te proficisci istinc putes, fac ut sciam. DVDVM *enim circumrodo,* } inuitus dico, quod dicendum tamen est. uereor enim, ne me reprehendas, qui hoc in libro gratiae caussa ea laudarim, quae antea uituperabam. μεταφορὰ ab ijs, qui circumrodunt, quod non libenter comedunt. VT *uolunt esse,* } nam re uera non sunt, quia nihil possunt. epist. 5. SI *quidquam haberent fidei.* } fidei nihil habent, cum, publicam caussam defendentes, me socium defensionis non tuentur, ubi a potentibus oppugnor. SENSERAM, } eorum perfidiam, cum, ab inimico meo nefaria in me rogatione promulgata, in periculo deseruerunt. INDVCTVS, *relictus, proiectus* } δείνωσις, cum in singulis inest augendi uis. QVI *fuerant,* } perfidi, uidelicet, atque ingrati, ut antea. itaque, te monente, rationem mutaui, meque, quod antea non feceram, potentium amicitijs, munire coepi. NON *etiam ut scriberem.* } monuisti tu quidem, ut ea facerem, quae Caesaris animum non offenderent, atque etiam quae delectarent; non tamen, ut etiam scriptis eum laudarem: quod ego nunc, a te non admonitus, mea sponte feci. CONIVNCTIONIS; } cum potentibus, optimatibus relictis. AD *illos,* } maxime Bibulum, Catonem, Domitium, Curionem, Caesaris inimicos. MODICI *fuimus ὑποθέσει,* } modice laudauimus: uberem ὑπόθεσιν non cepimus, sed eiusmodi, ut modice laudaremus. VT *scripsi.* } in ipso libro. VENDERE } cum dicant, me post exsilium humili animo esse debuisse: cum resp. maiorem etiam animum, quam umquam habuerim, mihi det, quae declararit, sese non potuisse me uno ciue carere: & uendere aream, potius quam in ea domum aedificare. facit enim inuidia, ut in Palatio magnifice habitantem non ferant. CONTRA *Pompeij uoluntatem* } latius hoc in epistola ad Lentulum his uerbis: In illis autem meis actionibus, sententijsq. omnibus, quae Pompeium uidebantur offendere, certorum hominum, quos iam debes suspicari, sermones referebantur ad me. qui cum illa sentirent in rep. quae ego agebam, semperq. sensissent, me tamen non satisfacere Pompeio, Caesaremq. inimicissimũ mihi futurũ, gaudere se aiebãt. NVGIGERAM *manum* } locus hic ex illis est, quos ego quidẽ sine libris antiquis posse corrigi nõ sperarim. itaq. ut aliquid ex ingenio liceat cõminisci, placet tamen fateri potius nescire quod nesciã, quam afferre quod nõ probẽ. Alberti Ferri, & Bessarionis libri habent: Noluisse ast nũ geram manũ fuisset. INVISES, } quid si, Inuises? ut sit, Te inuisurũ scribis, cum eris Romae. nã certe nondũ Atticus Romã peruenerat. quod illud declarat proxime subscriptũ: Tu de uia recta in hortos. VIATICVM *Crassipes praeripit.* } Cicero, post mortẽ L. Pisonis, cognomento Frugi, Tulliolã Furio Crassipedi, Marcellino, & Philippo cos. collocauit. ei pro dote pecunia erat numeranda: ut Ciceroni ad uotiuã legationẽ, de qua obeũda cogitabat, uiaticũ praeriperetur. Nã, quod uillas inuisere uellet; quoniã id paucorũ dierum uiaticũ futurũ erat, ut in ep. 4. lib. II. ad fratrẽ, ideo potius accipiendũ uidetur de uiatico legationis, quo quidẽ opus esset haud paullo maiore in multorũ mensiũ peregrinationẽ. DE *uia* } ne deflectas alio: recta ex itinere in meos hortos te confer. VIDETVR *commodius. ad te* } distingue sic: Tu de uia recta in hortos. uidetur cõmodius ad te. postridie scilicet. quid. n.

tuas

tua? Explana sic: Commodius domum tuam pergere. id scilicet postridie facies. quid enim tantum in uno die? quid tua, citius serius uno die? SED *uiderimus* } quasi dicat: sed hoc, ut tibi uidebitur. BIBLIOTHECAM} Antij: ut apparet ex epistola, quam antecedit insequens proxima. TVI} librarij, Dionysius, & Menophilus. epistola 8. PINXERVNT } ita scienter, & apte disposuerunt, ut, quasi picta tabula, intuentium oculos delectare possit; idq. non solum constructione, idest ordine, sed etiam sittybis, idest membranulis; quarum integumento libri a pulueris, temporisq. iniuria diutius integri conseruantur. omnes igitur & apte constructi, & suis quisque sittybis inserti.

Cicero S. D. Attico. 6.

DE LENTVLO scilicet sic fero, ut debeo. uirum bonum, & magnum hominem, & in summa magnitudine animi multa humanitate temperatum perdidimus; nosq. malo solatio, sed non multo, tamen consolamur, quod ipsius uicem minime dolemus, non ut Saufeius, & uestri, mehercule quia sic amabat patriam, ut mihi aliquo deorum beneficio uideatur ex eius incendio esse ereptus. nam, quid foedius nostra uita? praecipue mea? nam tu quidem, etsi es natura πολιτικός, tamen nullam habes propriam seruitutem: communi frueris nomine. ego uero, qui, si loquor de rep. quod oportet, insanus; si, quod opus est, seruus existimor; si taceo, oppressus, & captus; quo dolore esse debeo? quo sum scilicet, hoc etiam acriore, quod ne dolere quidem possum, ut non ingratus uidear. quid, si cessare libet, & in otij portum confugere? nequidquam. immo etiam in bellum, & in castra. ergo erimus ὀπαδοί, qui ταγοὶ esse noluimus? sic faciundum est. tibi enim ipsi, cui utinam semper paruissem, sic uideo placere. reliqui est: Σπάρταν ἔλαχες ταύταν κόσμει. non mehercule possum; & Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit. uerumtamen id ipsum mecum in his locis commentor, ut ista improbem: idq. tu, cum una erimus, confirmabis. A te litteras crebro ad me scribi uideo; sed omnes uno tempore accepi. quae res etiam auxit dolorem meum: casu enim trinas ante legeram, quibus, meliuscule Lentulo esse, scriptum erat. ecce quartae fulmen. sed ille, ut scripsi, non miser, nos uero serui. Quod me admones, ut scribam illa Hortensiana: in alia incidi, non immemor istius mandati tui: sed mehercule incipiendo refugi; ne, quod uideor stulte illius amici non intemperiem tulisse, rursus stulte iniuriam illius faciam illustrem; si quid scripsero; & simul, ne βαθύτης mea, quae in agendo apparuit, in scribendo sit occultior, & aliquid satisfactio leuitatis habere uideatur. Sed uiderimus. tu modo quam saepissime ad me aliquid. Epistolam, Lucceio quã misi, qua, res meas ut scribat, rogo, fac ut ab eo sumas: ualde bella est: eumque, ut approperet, adhorteris: &, quod mihi se ita facturũ rescripsit, agas gratias. Domũ nostrã, quoad poteris, inuisas. Vestorio aliquid significes. ualde. n. est in me liberalis. nihil ἀμφοτέρων. Vale.

EXPLANATIO

LENTVLO} L. Lentulo, flamine Martiale, de quo ep. 24. l. 2. & de haruspicum resp. patre eius, qui nominatur ep. 8. l. 12. & a Pediano in ea pro Scauro: qui & ipse flamen fuit, suffectus in locum patris, ut C. Curio, ad quem Ciceronis exstant epistolae, patre pontifice mortuo, pontifex factus est: quod scripsit Dio: uiuo enim patre sacerdote, nemini sacerdotium idem consequi per leges licebat. De Lentulo Marcellino fortasse hic aliquis, parum in perpendenda historia diligens, acceperit: sed, eum hoc anno consulem fuisse, neque in consulatu obijsse, fasti docent Capitolini: mentionem enim suffecti in eius locum fecissent. & Cicero non ut de consule, sed ut de priuato ciue loquitur. Plutarchus etiam in Pompeij uita, & Dio lib. 39. toto anno consulem fuisse, satis ostendunt. Quod si, hanc epistolam post Marcellinum consulem scriptam esse, obijciatur: negabo, sequentium epistolarum testimonio fultus. quae enim prima sequitur, in ea sunt haec. Mea mandata de domo curabis: praesidia locabis. Domum suam aedificari significat: quam aedificari Marcellino consule, ex ep. 8. cognoscitur, in qua Domitij Ahenobarbi, cõsulatum petentis, mentio fit. Et epist. 9. eandem significari domum ostendit eodem Marcellino consule. nam, si Pompeius in ea epistola non dum est consul, quod indicant illa uerba: Pompeius in Cumanum Parilibus uenit: certe consulem esse Marcellinum necesse est. Eandem aedificationem, priuato adhuc Pompeio, nominat ep. 10. & in eadem litteras ab Attico se accepisse dicit, in quibus commendaturum se Lucceio Ciceronis gloriam promiserat: cum Ciceroni responderet ad ea uerba, quae sunt in hac sexta epist. Eumque, ut approperet, adhorteris. Iam epist. 11. adhuc Pompeium rusticari constat. Et in ep. 12. Milonis a Clodio accusati mentio est. ea uero accusatio nominatur in ep. 3. lib. 2. ad Q. fr. quã scriptam esse Marcellino consule, nemo negabit. Alia occurrunt argumenta de uiuo Marcellino, cũ haec epistola scriberetur: quae breuitatis caussa placet omittere. NON *ut Saufeius, & uestri,* } non ideo uicẽ ipsius minime dolemus, quia Saufeiũ, & reliquos Epicureos sequamur, qui nihil dolere soliti sunt, nisi quod ad ipsos pertinet, aliena non curant; sed mehercule, quia minime dolendũ eius interitu uidetur, qui tamquã deorum beneficio, cum patria ciuilibus discordijs arderet, ex eius incendio uideatur esse ereptus. Saufeius, & uestri; quia & Saufeius, & Atticus Epicurei. ep. 19. lib. 5. & Nepos in uita. NATVRA πολιτικός, } quod Atticus abstineret administranda rep. uocat eum natura πολιτικόν, non consuetudine. PROPRIAM *seruitutem*: } serui omnes uidemur: ita nobis erepta libertas est uitio ciuium improborum.

in hac ſeruitute, quae communis omnibus eſt, tu quoque uiuis; ego autem habeo propriam, & praecipuam, qualem praeterea nemo habet. COMMVNI *frueris nomine* } non propriam, ſed communem ſeruis ſeruitutem. hoc uidetur ſignificare: ſed, uerba num uacent mendo, haud ſatis ſcio. ſuſpicionem augēt Beſſarionis, & Alberti Ferri libri, in quibus uideo ſcriptum, Communi frueris non ne; & proximo membro, Virtutem, pro, Seruitutem. QVOD *oportet,* } quod a bono ciue poſtulatur. INSANVS, } qui contēdere uelim cum ijs, qui omnia tenent. QVOD *opus eſt,* } opus eſt autem, ut loquar ad uoluntatem potentium. OPPRESSVS, *& captus,* } praemijs. DOLERE } uicem reip. INGRATVS } in Pompeium, qui remp. perdidit. in quem ingratus eſſe non debeo; cum eius potiſſimum opera ex acerbiſſima exſulij calamitate emerſerim. NEQVIDQVAM. } minime hoc faciendum eſt: eundum potius in bellum, & caſtra, ſi Pompeij e re ſit. ep. 5. Ταγοί } duces: cum ſaeptus comitatu bonorum, qui me ducem ſecuti eſſent, pugnare tamen cum Clodio nolui. epiſt. 9. lib. 1. fam. CVI *utinam ſemper paruiſſem,* } tibi enim ſi paruiſſem, monenti iampridem, remp. quidem ut amarem, ſed ita dignitati conſulerem, ut ſalutis etiam rationem haberem, neque cum ijs, qui omnia tenebant, ſpe eorum, qui nihil poterant, inimicitias ſuſciperem; tibi inquam ita monenti ſi paruiſſem, numquam profecto, fraude amicorum inductus, potentia inimicorum oppreſſus, indigniſſimam exſulij calamitatem pertuliſſem. ep. 5. RELIQVI *eſt* } ſubintellige, Hoc quod dicam, ut, quam Spartam nactus ſum, ornem: ideſt, ut, quando me cum Caeſare, & Pompeio coniunxi, ornem eos, & tuear, quibus rebus poſſim. hoc quidem reliquum eſt: ſed ego, ut faciam, a me impetrare non poſſum: aegre enim adducor, ut a rep. deſciſcam. cuius illi rationibus priuatas opes anteponunt. ac paene mihi in mentem quandoque uenit, iterum illam amplecti, unam, uel cū periculo curare; ut potius iterum exſulij miſerias perferam, quam ea probem, quae recta eſſe non ſentio: Philoxeni poetae exemplo: qui, Dionyſij tyranni uerſus quia libere improbabat, in carcerem Lautumias coniectus eſt: deinde eductus, cum idem Dionyſius alios item uerſus ei legendos tradidiſſet, opinatus fore, ut metu carceris probaret; ſententiam non mutauit, ſed, uerſibus lectis, demiſſo capite, ultro ad Lautumias tacitus iter conuertit. cumq. Dionyſius ad abeuntem clamaſſet, Quo, Philoxene? ad Lautumias, inquit: ut intelligeret tyrannus, ab eo uerſus nō probari. Diodorus Siculus, Stobaeus, Lucianus, Athenaeus l. 1. & interpres Ariſtophanis, in Pluto. Ταύταν, } hic malo notam ſubdiſtinctionis apponere, quam poſt ἔλαχες. non enim ſocietatem cum Pompeio, & Caeſare Spartam appellat: ſed, addendo hanc, ſignificat, qualiſcumque ſit. VERVMTAMEN } haec dictio non ſemper habet aduerſandi uim, ſed interdum concludendi, ut hoc loco, quaſi dicat: Sed, ne longior ſim, ne te multis teneam, ut indicem tibi animum meum, ego nunc mecum ipſe rationem quaero, qua iſta improbem. IN *his locis,* } Antij. VT } quo modo. ISTA } iſtorum acta, quae ad tyrannidem ſpectant. & dixit, Commentor, quia rationem quaereret, qua, neque ſe illa probare, oſtenderet, & Caeſarem tamen, ac Pompeium haud magnopere offenderet. Quae autem erat haec ratio? uel ut ſcriberet de optima rep. quod fecit paullo poſt; quibus in libris, quod eſſe debeat optimi ciuis officium, cum oſtenderet, ſatis indicabat, acta ſe Caeſaris, & Pompeij non probare uel ut ab urbe abeſſet; ut abſentiae ſuae cauſſam eſſe conſtaret, quod ea, quae tum agerentur, non probaret. CONFIRMABIS, } approbabis conſilium meum de iſtorum actis improbandis: quamquam mihi auctor fueris, ut cum ijs me coniungerem. ep. 5. FVLMEN, } quibus, ut fulmine, ſum ictus; quia Lentuli obitum, aut certe deſperatam ſalutem ſignificarent. NON *miſer,* } qui ereptus ſit ex incendio patriae. SERVI } quibus adempta libertas eſt potentia paucorum. itaque noſtra uita nihil foedius. ILLA *Hortenſiana,* } illa, quae antea quoque monuiſti ut ſcriberem. Et uidetur intelligere Hortenſium librum de philoſophia, quem poſtea ſcripſit. IN *alia incidi,* } dedi me ad alia ſcribenda. INCIPIENDO, } cum iam aggreſſus eſſem ſcribere illa Hortenſiana, reuocaui me, &, quod inſtitueram, abieci; ne, cum uidear iniuriam Hortenſij, quae tamen non grauiſſima fuerat, parum ſapienter tuliſſe, rurſus in eodem illuſtrando parum ſapiens haberi poſſim. neque enim ſapientis eſt, cui antea maxime ſuccenſueris, eundem paullo poſt maxime laudare. VIDEOR *ſtulte illius amici non intemperiem tuliſſe,* } alij aliter: quam recte, ipſi uiderint. ego, quod eſt in Beſſarionis libro, (eſt autem, ut impreſſum in noſtro) uerum, atque incorruptum, planeq. ab ipſo Cicerone ſcriptum exiſtimo. itaq. ad id meam interpretationem accommodabo. dicit hoc. Semel ſtulte feci, qui non intemperiem Hortenſij tulerim? ſtulte rurſus faciam, ſi eiuſdem iniuriam illuſtrabo. Dicit autem qua de re? non, opinor, de eadem. non enim idem eſt, non intemperies, & iniuria: cum offenſio quidem utraque ſit, illa tamen leuior, quae modū nō tranſiliat, quae ad intemperantiā non perueniat; haec eiuſmodi, ut, in quē infertur, afficiat grauiter; a quo infertur, intemperantē ſignificet. Bis uidetur, quod animum Ciceronis offenderet, Hortenſius commiſiſſe. primum in aliqua re, uel multis etiam in reb. fortaſſe, qui Ciceronem, nouum hominem, aemulum in eloquentiae laude non libenter ferret: in quo non intemperantem ſe praebuit; fecit aliquid minus amice; numquam ita fuit infeſtus, numquam ita uehemens, ut inimicus potius, quam amicus, poſſet appellari. haec eſt, non intemperiem quam appellat. Iterum laeſit Hortenſius; cum, rogatione a P. Clodio contra eos, qui ciues Romanos indicta cauſſa damnaſſent, promulgata, Ciceronem hortatus eſt, ut abiret in exſulium, pollicitus operam ſe ſtudioſiſſime daturum, ut breui dignitatem ac patriam recuperaret. nec tamen id pro eo, ac debuit, ſatis accurate praeſtitit. hanc iniuriam uocat: quod aſtuto conſilio, ſimulatione amoris, inclinantem eum ad exitium Hortenſius impulerit. hoc aperte declarat his uerbis in epiſtola ad fratrem lib. 1. Quantum Hortenſio credendum ſit, neſcio: me ſumma ſimulatione amoris, ſummaq. aſſiduitate quotidiana ſceleratiſſime, inſidioſiſſimeq.

simeq. tractauit } adiuncto quoque Arrio; quorum ego consilijs, promissis, praeceptis destitutus in hanc calamitatem incidi. & hic lib. III. ep. 9. cum Atticus ita scripsisset, Hortensium allice, & eiusmodi uiros; rescribit: Obsecro, mi Pomponi, nondum perspicis, quorum opera, quorum insidijs, quorum scelere perierimus? nos nó amici, sed inuidi perdiderunt. Tuli igitur leuem offensiunculam Hortensij: quae ferenda fuit, cum alioqui amicus esset. ac me tamen, quia tulerim, stultum homines existimant. rursus uidebor stulte facere, cum eum meis in scriptis laudabo: quia renouabo in animis hominum memoriam illius, quam in me intulit, iniuriae. illustrabo, quae nunc latet, eius iniuriam. patefaciam quod obscurum quodam modo est. itaque meum hoc officium non debet Hortensio, aut tibi, eius amantissimo, gratum esse. Accedit illud, quod nec ipsi mihi, quod in me facere uis, placere admodum potest. leuitatis enim nomen subibo, cum eum dolorem in scribendo occultabo, quem, ex Hortensij susceptum iniuria, in agendo ostendi. VIDEOR } uideor quidem alijs in eo stulte fecisse, quia tulerim: ut ipse mihi non uideor. tuli enim, non, iniuriam, sed, non intemperiem, eamq. hominis amici. qui uideor igitur in ea re stultus fuisse, in qua minime debeo; quanto magis uidebor in hac, in qua iure possum? ILLIVS } hic non addit, Amici, ut proxime: quia non est amicus, qui facit iniuriam: at non intemperies, leuis inquam offensiuncula, etiam inter amicos locum habet. IN *agendo* } in agendis caussis; in quibus, quo animo essem, quo esse deberem in Hortensium, ostendi. *Βαθύτης mea,* } intimis sensibus conceptus ex iniuria dolor. LEVITATIS } si Hortensium laudarem, cui me ante nimis iratum ostendi: ideo laudare eum uiderer, ut illa quasi satisfactione leuitus mihi reconciliaretur. in quo leuitatis opinionem subirē, cum eum, quem in agendo laesissem, in scribendo ornarem. In antiquo Alberti Tertij libro uideo scriptum esse, Satis tacito leuitatis: in Bessarionis autem, Satis facere leuitatis. quod etsi non inconcinnam habet sententiam: ueteres tamen alios libros libentius sequor, in quibus est, Satisfactio leuitatis. LVCCEIO *quam misi*, } haec epistola legitur fam. lib. 5. INVISAS } dum aedificatur. epist. 3. SIGNIFICES: } ostendas & tibi rem gratam facere, quod in me liberalis sit; & me huius humanitatis immemorem non fore. NIHIL *ἀκαιρότερον* } propterea quod, re familiari ualde comminutus, eam sine amicorum liberalitate non uidebar posse restituere. epist. 2. & 4.

Cicero S. D. Attico. 7.

EPISTOLA *tua me solicitum de Quincto nostro, puero optimo, ualde leuauit. uenerat heris duabus ante Cherippus: mera monstra nunciarat. De Apollonio quod scribis, qui illi dij irati, homini Graeco, qui conturbare quidem putat sibi licere, quod equitibus R. nam Terentius suo iure. De Metello, οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν; sed tamen multis annis ciuis nemo erat mortuus, quid quidem tibi? nummi meo periculo sint. quid enim uereris, quemcumque heredem fecit? nisi Publium fecit. uerum fecit non improbe, quamquam fuit ipse. quare in hoc thecam nummariam nō retexeris: in alijs eris cautior. Mea mandata de domo curabis: praesidia locabis: Milonem admonebis. Arpinatum fremitus est incredibilis de Laterio. quid quaeris? equidem dolui, ὁ δ' οὐκ ἐμπάζετο μύθων. Quod superest, etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis, ut facis. Vale.*

EXPLANATIO

DE QVINCTO *nostro*, } de Quincti pueri ualetudine. VENERAT } Roma. MERA *monstra* } grauiter eum aegrotare. tu autem, melius ei nunc esse, significasti. QVI *illi dij* } Qui pro Utinam dixit, more comicorum. QVOD *equitibus R.* } conturbare solis licet equitibus R. homo Graecus Apollonius putat idem sibi licere. Conturbare est, omissis ueteribus creditoribus, satisfacere ijs, qui posterius crediderunt. perspicuum est uel maxime in oratione pro Plancio. Fac, inquit, me multis debere, & in ijs Plancio. utrum igitur me conturbare oportet, an, ceteris, cum dies uenerit, hoc nomen, quod urget, nunc, cum petitur, dissoluere? SVO *iure.* } conturbat: quia eques R. est. hunc in epist. sua cū Apollonio Atticus nominauerat. DE *Metello,* } Corradus, temporum inscitia lapsus, arbitratur hunc esse Q. Metellum Nepotem. sed annorum diligens examinatio, secus esse, ostendit. nam haec epistola uidetur scripta anno post, quam Cicero ab exsilio redijt, idest Marcellino, & Philippo cos. adhuc enim suam domum aedificari, significat, cum ait: Mea mandata de domo curabis: praesidia locabis: Milonem admonebis. & epistola, quae sequitur, cum L. Domitij Ahenobarbi, consularis candidati, qui competitor fuit Pompeij Magni, mentionem faciat, plane demōstrat, has epistolas Marcellino, & Philippo cos. esse scriptas. quo anno qui credam obijsse Metellum Nepotem, cum eum uiuere uideam biēnio post, Domitio, & Appio cos.? reus enim Scaurus factus est, ut affirmat Pedianus, ijs, quos nominaui, consulibus. & ante quam de eo sententias iudices ferrent, laudatum idem ait a nouem consularibus, in quibus Metellum Nepotem appellat. Verum facile est intelligere, quae Corradum caussa in errorem induxerit. Legerat in Appiano lib. 2. de bel. ci. Metellum Nepotem, cum Hispaniam proconsul administraret, obijsse. quod uerum esse confiteor: sed hoc nego, Marcellino, & Philippo cos. obijsse. siquidem, ut dixi, Scaurum laudauit biennio post, missa uidelicet Romam laudatione. id quod Pedianus quoque significat. nam, cum nominasset eos, qui Scaurum laudarunt, subiunxit: Horum magna pars per tabellas laudauerunt, quia aberant. Eodemque anno, quo Scaurum laudauit, perijsse eum existimo, cum Romam paullo post decessurus esset, Hispaniae utriusque administratione Pompeio data, qui tamen, missis eo legatis, ad urbē

ipse

ipse cum imperio mansit. Quem igitur hunc esse dicemus? an Metellum Pium, Numidici filium? temporum ratio non patitur. nam cum, eo mortuo, C. Caesar in aedilitate pontifex max. surrogatus sit; satis constat, cum uita excessisse Cotta, & Torquato cos. Fortasse Metellum Celerem aliquis existimabit. at is perierat Caesare, & Bibulo cos. quod oratio in Vatinium demonstrat. puto igitur Metellum Creticum significari, qui Silano, & Murena cos. triumphauit. Οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ʒ pium, inquit, non est, mortuis insultare. Homerus Οδ. χ.

,, οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ᾽ ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Cicero uocem, more suo, non sententiā mutauit, cum pro κταμένοισιν, dixit, φθιμένοισιν. Civis *nemo erat mortuus* ʒ subaudi, qui minus publicam caussam tueretur. aut enim hoc, aut huiusmodi aliquid dicturus fuit; sed omisit; recordatus, Atticum, qualis fuerit Metellus, nunc minime curare, curare autē illud, ut nummos sibi ab illo debitos exigeret. ergo intulit, Quid quidem tibi? quid hoc ad te, quod ego institueram scribere de Metello? scribam igitur de nummis, de quibus scio te laborare. nummi uero meo periculo sint: mihi crede, soluentur: spondeo ipse, in meq. recipio. Heredem, *fecit?* ʒ Metellus. Publium ʒ Clodium. Improbe *quamquam* ʒ Bessarionis liber habet, Improbi quemquam. omnino subesse mendum puto. Non *retexeris* ʒ damni nihil facies: ordinem pecuniarum tuarum non mutabis horum nummorum caussa: nam exiges. Praesidia ʒ ne, dum aedificatur, impetum aliquem Clodius faciat. Admonebis ʒ ut in locandis praesidijs operam tibi suam tribuat. Arpinatum *fremitus est incredibilis de Laterio.* ʒ punctis male collocatis, saepe fit, ut sensus peruertatur. quod quidem hic usu uenerat. nam in omnibus libris, qui typis impressi leguntur, ita scriptum erat, Arpinatum fremitus est incredibilis. De Laterio quid quaeris? Vt obscura, uel nulla potius fieret sententia. Fuit autem Laterium Q. Ciceronis fundus in ipsius patria Arpino; quem cum uellet uendere, Arpinatum erat fremitus excitatus. ep. 1. l. 10. & ad Quinctum fratrem ep. 1. lib. III. Dolvi ʒ quod patriam illam cogitat uendere. Qvod *superest, etiam puerum Ciceronem curabis,* ʒ patet sententia: puto tamen rectius hoc modo. Quid superest? etiam puerum Ciceronem curabis. Sic locutus ep. x 1. l. 1. & 19. lib. 2. & 1. lib. 3. ad fratrem. Ciceronem ʒ Quinctum.

Cicero S. D. Attico. 8.

Mvlta me in epistola tua delectarunt, sed nihil magis, quam patina tyrotarichi. nam, de raudusculo quod scribis, μήπω μέγ᾽ εἴπῃς πρὶν τελευτήσαντ᾽ ἴδῃς. aedificati tibi in agris nihil reperio. in opido est quiddam, de quo est dubium, sit ne uenale; ac proximum quidem nostris aedibus. hoc scito, Antium Buthrotum esse Romae, ut Corcyrae illud tuum. nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius. ΕΙΜΗΙ ΣΗΤΩΦΙΛΟΣ ΟΙΚΟΣ. *postea uero quam Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita uidetur meis aedibus. quā quidem in re mirifica opera Dionysij, & Menophili tui fuit. nihil uenustius, quam illa tua pegmata. postquam misisti, libros illustrarunt ualde. Et scribas ad me uelim de gladiatoribus, sed ita; bene si rem gerunt: nō quaero male sic egisse. Apenas uix discesserat, quum epistola. quid ais? putas ne fore, ut legem non ferat? dic, oro te, clarius: uix enim mihi exaudisse uideor. uerum statim fac ut sciam, si modo est commodum. Ludis quidem quoniam dies est additus, eo etiam melius hic eum diem cum Dionysio conteremus. De Trebonio prorsus tibi assentior. De Domitio,*

Σὺν ϕ, μὰ τὴν Δήμητρα, σύκον οὐδὲ ἕν
Οὕτως ἀμοιον γέγονεν,

quam est ista περίστασις nostrae: uel quod ab ijsdem, uel quod praeter opinionem, uel quod uiri boni nusquam: unum dissimile. quod huic merito. nam de ipso casu nescio, an illud melius. quid enim hoc miserius, quam eum, qui tot annos, quot habet, designatus consul fuerit, fieri consulem non posse? praesertim cum aut solus, aut certe non plus, quam cum altero petat. si uero id est, quod nescio an sit, ut non minus longas iam in codicillorū fastis futurorum consulum paginulas habeat, quam factorum; quid illo miserius? nisi resp. in qua ne speratur quidem melius quidquam. De Natta ex tuis primum sciui litteris. oderam hominem. De poemate quod quaeris, quid si cupiat effugere? quid si sinat? De Fabio Lusco quod eram exorsus, homo peramans semper nostri fuit, nec mihi umquā odio: satis enim acutus, & permodestus, ac bene frugi. eum quia non uidebam, abesse putabam. audiui ex Gauio hoc Firmano, Romae esse hominem, & fuisse assiduum. percussit animum. dices, tantula ne caussa? permulta ad me detulerat non dubia de Firmanis fratribus. quid sit, quod se a me remouit, si modo remouit, ignoro. De eo, quod me mones, ut & me geram πολιτικῶς, & in eo γραμμὴν teneām; ita faciam: sed opus est maiore prudentia: quam a te, ut soleo, petam. Tu uelim & Fabium, si quem habes aditum, odorere; & istum conuiuam tuum degustes; & ad me de istis rebus, & de omnibus quotidie scribas: ubi nihil erit, quod scribas; id ipsum scribito. Cura, ut ualeas.

EXPLANATIO

Tyrotarichi. ʒ edulium fuit. de quo Apicius lib. IV. & in epistolis ad Papirium, fam. lib. IX. Ravdvscvlo ʒ modico illo aere. Raudum enim pro aere apud ueteres. Scribis, inquit, si domū habueris in Antiati, patina tyrotarichi, non pretiosi edulij, te fore contentum, & raudusculum, idest minimum sumptum cogitare. Μήπω μέγ᾽ ʒ prouerbium de ijs sumptum, qui gloriantur, ante quam aduersarium occiderint. Loqueris, inquit, Attice & de tyrotaricho, & de raudusculo, cum tamen domū nondum

nondum emeris. Vel sic: Derides de tyrotaricho, & ais tenui me uictu uti, ut aere meo alieno me exsoluã. ne dixeris hoc, nisi ubi factum uideris. quasi factu non facillimum esset. R audusculum certe Cicero pro debita pecunia alijs quoque locis uidetur usurpare, ut epist. 8. lib. 6. & 2. lib. 7. ANTIVM *Buthrotum esse Romae*, } ut Corcyra Buthrotum prope habet, opidum amoenissimum, & quietissimum; ita Antium Roma. VT *Corcyrae illud tuum* } ut est Corcyrae Buthrotus illa tua, cuius te mire delectat habitatio. *Illud tuum* (:) opidum Buthrotum, tibi gratissimum. ALSIVS } quod aestate quaeritur. Id autem maxime tum lucorum opacitate, tum aurarum fit adspiratione. Ad Quinctum fratrem, A'ποδυτηρίῳ nihil alsius, nihil muscosius. MENS } cum antea, bibliotheca nondum a Tyrannione disposita, quasi corpus esset sine mente. DIONYSII, *& Menophili* } quibus Tyrannio usus est glutinatoribus. epist. 4. ΕΙΜΗΙCΗΤΩΦΙΛΟϹ. ΚΟϹ. } ijsdem fere litteris restituo sic: εἰ μή σῇ τῷ φίλος οἶκος: quod erit Latine, Nisi cuipiam paria faciat cara domus: ut significet, se tamẽ aeque sua domo delectari, ex ea uoluptatem eandem capere, quam ex Antiati. Eadem est sententia libro xv. Haec loca uenusta sunt, abdita certe, &, si quid scribere uelis, ab arbitris libera: sed nescio quo modo οἶκος φίλος. PEGMATA, } ligneicancelli, in quibus libros tuos soles disponere, quales mihi Dionysius, & Menophilus tui faciundos curarunt. uel, Pegmata, conglutinationes, quibus te uti solitum in libris compaginandis Dionysius, & Menophilus aiebant. epist. 4. MISISTI } Dionysium, & Menophilum: quos ut mitteres, petieram. epist. 4. Caualcantis, Bessarionis, & Ferri libri, Misit. Quod si ab antiquis libris discedendum est: (discedimus autem, siquidem in ijs, Misisti, non est) malim sic: Eos, quia mihi libros illustrarunt, laudes. ut supra de ijsdem, Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione, & sittybis. eos uelim laudes. Certe illud, Postquam misisti, frigidum, & perinane est. quasi potuerint illustrare, nisi missi essent. Vt omittam, quod in ueteribus libris, Misit, non, Misisti. ILLVSTRARVNT } uenusta glutinatione, & ordine. Tale illud, Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione, & sittybis. epist. 5. DE *gladiatoribus* } tuis. uide epist. 4. MALE *sic egisse* } uidetur legendum, Male se gessisse. APENAS } seruus. & hic uidetur esse principiũ alterius epistolae. DISCESSERAT } cum litteris ad te meis, cum epistola mihi a te reddita est: in qua scribis fore, ut legem non ferat. quem autem legem non laturum, & quam legem intelligat, quoniam in diuinatione positum est, omitto. EO *etiam melius* } quia, dum ludi sunt, neque iudicia in urbe exercẽtur, neque negotij publici quidquam geritur. abesse igitur licet. CONTREMVS } in litteris. nam infra, Nos hic uoramus litteras cum Dionysio. epist. 11. DE *Trebonio* } tribunatum pl. petituro, quem gessit anno sequenti, Pompeio, & Crasso cos. legemq; tulit de prorogãdo Caesari Galliarum imperio, aliamq; de Hispanijs Pompeio in annos quinque mandandis. Plutarchus, & alij. TIBI *assentior* } forte, tribunatum ad istorum uoluntatem administraturum. quod euenit. nam, etsi tribunus pl. nondum erat: tamẽ ita constabat eum proximis comitijs designatum iri, ut Domitium, qui consulatum petebat, repulsam laturum. Πολιτεία *nostra*. } sic antea: ego, repugnantibus libris antiquis, tamen pro Nostra reposui Nostrae: ut sensus hic sit. Status iste Domitij simillimus est nostro, cum in exsulium pulsi sumus: uel quod ab ijsdem laeditur, a quibus olim ego; uel quod praeter opinionem; uel quod uiri boni nusquã apparent, ideoq. uictrix regnat improbitas. unum tamen dissimile, quod immerito nos olim afflicti sumus, Domitius nunc merito. nam casus ille noster forte etiam, quam hic Domitij, tolerabilior, & lenior fuit. quid enim miserius, quam eum fieri consulem non posse, qui in tota uita tamquam designatus fuit? idest, quem suo anno fore consulem non secus homines crediderunt; ac si iam designatus esset. si uero etiam ipse uidet, & in suis priuatis fastis notat, ex ijs, qui potentium partes tuentur, non minus multos in posterum fore consules, quam eos, quos publicis in fastis esse uidet: quid illo miserius? SOLVS } quid est hoc? petit ne quisquam consulatum solus, cum duo consules rogentur? numquam certe. uerum, Solus, opinor, dixit de plebeijs. nam, uel si decem patricij simul cum eo peterent; nihil tamen obstabat, cur fieri consul non posset: cum omnino de consulibus alterum plebeiae gentis esse lex Licinia iuberet. CVM *altero* } aut C. Memmio, aut P. Nigidio Figulo. utrumque enim in praetura collegam habuit, ut in epist. 2. lib. 1. ad Q. fratrem, in extremo. Aut fortasse ludit hic Cicero, nec ad Memmium spectauit, aut ad Nigidium, sed ad unum Pompeium Magnum, quem constabat fieri consulem uelle: quod euenit, a quo Domitium in petitione uictum iri, satis erat exploratum. erat autem plebeius uterque. itaque cum Pompeio potius, quam cum M. Crasso, homine patricio, negotium erat Domitio. dixit igitur, Cum altero, cum ironia; quod mirari se fingat, si, qui cum altero tantum petat, consul tamen fieri non possit. cum in eo locus admirationi non esset. Pompeius enim ita gratiosus apud populum, ut facillime quiduis impetrare posset. CODICILLORVM *fastis* } argute. quasi dicat, adeo multos uidet fore consules ante se, ut, eos domi notans in suis fastis, longas paginulas compleat. nam in fastis publicis consulum nomina scribebantur, ut scribit Liuius libro xi. cõsul tamen fuit cum Ap. Claudio Pulchro, post Pompeium, & Crassum. FACTORVM } alij explanant, Ex quo Domitius prẽsare coepit. quibus assentirer, si per historiam liceret. sed, cum in Suetonio legam, Domitium eo anno praetorẽ fuisse, qui Caesaris consulatum consecutus est, idest Pisone, Gabinio cos. praeturam autem a consulatu biennio distare sciam: intelligo, Domitium ante hunc annum prensare ob consulatum non potuisse: siquidem alter hic est annus post eius praeturam. Accipio igitur, Factorum, superioribus annis: cum factos consules in publicis fastis uideat esse paene innumerabiles. EFFVGERE? } in lucem exire. & fortasse hoc poema significatur infra epist. 18. QVID *sinat?* } forte, Quid? sinas. QVOD *eram exorsus* } cum dicerem de Natta. tum enim & de Lusco simul institueram scribere; sed interposui de poemate. TANTVLA *ne caussa?* } minima enim caussa, ideo commoueri, quia, cũ Fabius Romae fuisset assiduus,

ad cum

ad eum tamen non uenisset. De *Firmanis fratribus* ⁋ consilia aduersus me ineuntibus. In *eo γραμμὴν teneam* ⁋ in antiquo libro, τὴν εω γραμμὴν. quid si, τὴν ἔξω γραμμὴν. ut sit sensus: Quod me mones, ut hoc statu reip. qui impendet, in quo non optimates, sed potentes dominaturi uidentur, ita me geram, ut sapientem, reiq. publicae peritum ciuem decet; (hoc enim ualet πολιτικῶς) idest, ut potentibus neque prorsus assentiar, neque, sine ulla proficiendi spe, stulte repugnem, sed quasi lineam quandam teneam exteriorem, seorsumq. ab eorum rationibus cursum dirigam: ego uero ita faciam. Odorere, ⁋ caussam elicias, qua se a me remouit. Degustes ⁋ leuiter in sermone tentes; ut scias, qui sit animus eius erga me. μεταφορὰ a cibis, quorum saporem degustando percipimus. & respexit ad illud, Odorere.

Cicero S. D. Attico. 9.

Puteolis magnus est rumor, Ptolemaeum esse in regno. si quid habes certius, uelim scire. Ego hic pascor bibliotheca Fausti. fortasse tu putabas his rebus Puteolanis, & Lucrinensibus. ne ista quidem desunt: sed mehercule a ceteris obiectationibus deseror & uoluptatibus propter remp. sic litteris sustentor, & recreor; maloq. in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum sella curuli; tecumq. apud te ambulare, quam cum eo, quocum uideo esse ambulandum. Sed de illa ambulatione fors uiderit, aut si quis est, qui curet deus. Nostram ambulationem, & Laconicum, eaque, quae Cyrea sint, uelim, cum poteris, inuisas, & urgeas Philotimum, ut properet; possim tibi aliquid in eo genere respondere. Pompeius in Cumanum Palilibus uenit: misit ad me statim, qui salutem nunciaret. ad eum postridie mane uadebam, cum haec scripsi. Vale.

EXPLANATIO

Esse *in regno.* ⁋ restitutum a Gabinio, Syriae proconsule. nota historia ex Dione, Caesare, alijs. Pascor ⁋ mire delector. Bibliotheca *Fausti.* ⁋ hic est L. Cornelius Sulla Faustus, Sullae dictatoris filius, Faustae Milonis uxoris frater, Pompeij gener: quem unum cum Afranio, & L. Caesare filio C. Caesar, deuicto Pompeio, uoluit interfici. Puteolanis, *& Lucrinensibus.* ⁋ loca enim sunt, Puteoli, & Lucrinum, adspectu maris iucundissima. Propter *remp. sic* ⁋ particulam, Sic, non arbitror uacare mendo. forte, Hic; ut paullo ante, Ego hic pascor. Sub *imagine Aristotelis,* ⁋ in tua bibliotheca. In *istorum sella curuli;* ⁋ magistratus curules intelligit: quia censor, consul, praetor, aedilis curuli sella utebātur. quod autem, Istorum, dicit, ideo dicit; quia tum in rep. ex Pompeij, & Crassi, qui consules erant, uoluntate omnia administrabantur. Cum eo, ⁋ cum Pompeio. Video ⁋ quia uadebat ad ipsum, cum haec scripsit. Fors ⁋ quae, inquit, de rep. Pompeius, & ego simul ambulantes colloquemur, haec, ut fortuna uult, ita regantur. ludit in ambulationis nomine. primum enim actum ipsum ambulandi, deinde locum significat. Si *quis est,* ⁋ dubitat, utrum dij curent mortalia. quia, cum in rep. neque bonitati, neque honestis artibus locus sit, magnum argumentum uidetur, deos non respicere mortalia: quod sensit Epicurus. Ambulationem, *& Laconicum,* ⁋ in ipsius domo. uide Vitruuium libro x. cap. ix. x. Quae *Cyrea sint* ⁋ quae Cyrus architectus fabricatur: aut quae fiunt ad exemplum formae a Cyro designatae. Ut *properet,* ⁋ ut urgeat ipse architectos, & fabros. Ut *possim tibi &c.* ⁋ ut ego quoque habeā, ubi te possim accipere, acceptus a te toties, quod nunc, nondū aedificata domo, non possū. Palilibus ⁋ ix. Kal. Maij. nam eo die Parilia. Salutem *nunciaret.* ⁋ erat igitur Cicero in Cumano agro.

Cicero S. D. Attico. 10.

Sane uelim scire, num censum impendant tribuni diebus uitiandis, (est enim hic rumor) totaq. de censura quid agant, quid cogitent. Nos hic cum Pompeio fuimus. multa mecum de rep. sane sibi displicens ut loquebatur: (sic est enim in hoc homine dicendum) Syriam spernens, Hispaniam iactans. hic quoque, ut loquebatur: & opinor usquequaque, de hoc cum dicemus, sit hoc quasi, καὶ τόδε φωκυλίδου. tibi etiam gratias agebat, quod signa componenda suscepisses. in nos uero suauissime hercule est effusus. uenit etiam ad me in Cumanum; ac, se nihil minus uelle, mihi uisus est, quam Messallam consulatum petere. de quo ipso si quid scis, uelim scire. Quod Lucceio scribis te nostram gloriam commendaturum, & aedificium nostrum quod crebro inuisis; gratum. Quinctus frater ad me scripsit, se, quoniam Ciceronem suauissimum secum haberet, ad te nonis Mai. uenturum. Ego me de Cumano moui ante diem v. Kal. Mai. eo die Neapoli apud Laetum ante diem iv. Kal. Mai. iens in Pompeianum, bene mane haec scripsi. Vale.

EXPLANATIO

Censum *impendant* ⁋ rectius, Impediant. Horum censorum nomina nondum inuenire potui. puto alterum fuisse M. Valerium Messallam, qui consul fuit cum M. Pupio Pisone. nam censorium Messallam nominat Valerius. Quod sequitur, Vitiandis, placeret, Inijciendis, eo magis, quod in Bessarionis antiquo libro scriptum est, Initiandis. inijciuntur autem dies, cum interkalatur. interkalatio autem

omnium

omnium rerum statuta tempora protrahebat, cum esset dierum interpositio. interkalatione igitur tribuni pl. impedire censum, & extrahere poterant. Vel, Vitiandis diebus, obnunciationibus interponendis: quod fiebat a tribunis: ut ep. 16. HIC } locutus est cum Pompeio in Cumano, ut in epistola proxima superiore, in extremo, licet intueri. dixit igitur, Hic, pro in his locis, in Cumano inquam, unde iam pridie discesserat, quod epistolae postrema uerba declarant. VT *loquebatur* } solet enim aliud loqui, aliud sentire. epist. 15. & fam. lib. 8. epist. 1. SYRIAM *spernens, Hispaniam iactans* } C. Trebonius tribunus pl. rogatione perlata, Syriam Crasso, Hispanias Pompeio cos. dederat. Crassus in prouinciam profectus est: Pompeius ad urbem mansit, in Hispanias legatos misit, Afranium, Petreium, Varronem. *Iactans*: } ita exagitans, quasi fastidiret: ut ostenderet, se prouinciarũ administrationem, quarum alij cupiditate flagrarent, minimi aestimare. SIT *hoc quasi* καὶ τόδε φωκυλίδου, } cum de Pompeij sententia dicemus, semper opinor addendum, ut loquebatur. sit hoc simile illius dimidiati uersiculi, καὶ τόδε φωκυλίδου. cum enim Phocylides iis praeceptis, quae ipse uersibus tradebat, praeponere solitus est. ex eo factum, ut Graeci, cum Phocylidis sententiam, aut uersum recitare uellent, ipsi quoque dicerent, καὶ τόδε φωκυλίδου. Fuisse autem Phocylidis consuetudinem, ut scribens hoc hemistichio saepius uteretur, declarant uersus, qui apud Stobaeum leguntur ἐν τῷ οα.

„ καὶ τόδε φωκυλίδου. τιττάρων ἀπὸ τῶνδε γένοντο
„ φῦλα γυναικείων. & apud eundem ἐν τῷ πη.
„ καὶ τόδε φωκυλίδου. τὸ πλέον γένος εὐγενὲς ἐστιν
„ οἷς οὔτ' ἐν μύθοις ἕπεται χάρις, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.

Idem animaduerti scriptum esse apud Dionem Chrysostomum in ea oratione, quae inscripta est, Borysthenitica. Strabo autem libro de geographia decimo satis ostendit, haec ipsa uerba usurpari, cum de Phocylidis sententia ueteres loquerentur. ἐστὶ δὲ, inquit, καὶ ἀμοργὸς τῶν σποράδων, ὅθεν ἦν σιμωνίδης ὁ τῶν ἰάμβων ποιητής, καὶ λέβινθος, καὶ λερία. καὶ τόδε φωκυλίδου, λέριοι κακοί· οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ' οὔ. COMPONENDA } in theatro Pompeii. de quo Plutarchus, Plinius, alij. AD *me* } in uillam meam. nam in Cumanum uenisse, iam significauit, cum dixit, Nos hic cum Pompeio fuimus. AC *se* } non placet hoc; primum quia nemo de ueteribus, ut opinor, ita locutus est, Visus est se nihil minus uelle: deinde quia Bessarionis antiquus liber aliter habet, nempe sic, Asi. Ferri alter liber, Ac si. hae caussae faciunt, ut, Ac se, non placeat. quid autem placeat, & cur placeat, ostendam. Satis putantur belle corrigere, qui unius litterae mutatione corrupta loca restituunt. non igitur temere faciam, si pro, Ac se, reponam, A se. quamquam ne unam quidem mihi uideor litteram immutare. nam primas duas a Bessarionis libro, tertiam ab alijs ueteribus libris accipio: cum in illo sit, ut dixi, Asi; in alijs, Ac se. & ita distinguetur. Venit etiam ad me in Cumanum a se. nihil minus uelle &c. ut sit, A se, a uilla sua; sicuti, Ad me, ualet, ad uillam meam. Nec est, cur hoc loquendi genere quisquam offendatur. Sic ipse locutus est epistola. 51. lib. 13. Ego autem tibi confirmo, a me non habere: pro, ab aedibus meis. & lib. 1. de Orat. Quem ruri apud se esse audio: idest, in uilla sua. & in dialogo de Fato: Cum esset apud se, ad Lauernum Scipio. Et lib. 3. de Rep. Cuius focum Cato ille noster, cum uenerat ad se in Sabinos, uisere solebat. Sic ille, quem hic noster tanti fecit, Terentius in Heauton. Hinc a me quisnam egreditur? & alibi cum ipse, tum, optimus Latinitatis auctor, Plautus. NIHIL *minus uelle* } quia fauebat Aemilio Scauro. uidebat autem duos patricios simul esse consules non posse: uetabat enim antiqua lex. ideo timebat, ne, deiecto Scauro, Messalla crearetur. quod euenit. NOSTRAM *gloriam* } ut nostrum nomen illius historijs celebretur. AEDIFICIVM *nostrum,* } domum, quae aedificatur. TECVM *haberet,* } mallem, Tecum haberes: ut ea caussa iret ad Atticum Quinctus frater. & certe apud Atticum Quinctus filius, non apud patrem. ep. 7. LAETVM } placeret, Paetum; ut sit Papirius Paetus, de quo ep. fam. l. 9.

Cicero S. D. Attico. 11.

DELECTARVNT me epistolae tuae: quas accepi uno tempore duas ante diem v. Kal. Perge reliqua. gestio scire ista omnia. etiam illud cuiusmodi sit, uelim perspicias: potes a Demetrio. dixit Pompeius, Crassum a se in Albano exspectari ante diem IV. Kalend. is cum uenisset, Romam esse statim uenturos, ut rationes cum publicanis putarent. quaesiui, gladiatoribus ne? respondit, ante quam inducerentur. id cuiusmodi sit, aut nunc, si scias, aut cum is Romam uenerit, ad me mittas uelim. Nos hic uoramus litteras cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio, qui te, omnesq. uos salutat. οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντα εἰδέναι. *quare, ut homini curioso, ita perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid censores, quid Appius, quid illa populi Appuleia. denique, etiã quid a te fiat, ad me uelim scribas. non enim (ut uere loquamur) tam rebus nouis, quam tuis litteris, delector. Ego mecum, praeter Dionysium, duxi neminem: nec metuo tamen, ne mihi sermo desit abs te; quo magnopere delector. Tu Lucceio nostrum librum dabis: Demetrij Magnetis tibi mitto; statim ut sit, qui a te mihi epistolam referat. Vale.*

O EXPLA-

EXPLANATIO

V. Kal. } sic omnes, quos uiderim, antiqui libri, mihi mendosa dies uidetur. nam, si epistolas Attici uno die duas, V. Kal. accepisset; non id ei significasset proximis litteris, quas, IV. Kalend. iens in Pompeianum scripsit. accepit igitur eas epistolas non modo post V. sed etiam post IV. kalen. sic enim necesse est. quod etiam huius argumentum epistolae declarat. scripta enim est post superiorem, cum in ea de Pompeij sermone, habito in Cumano, iam narrauerit. quod si accepit eas post IV. Kal. nimirum aut III. aut II. accepit. II. autem potius existimo, quam III. cum, ob alia quaedam, quae placet omitti; ne quis fortasse meam, quasi nimis argutam, rideat diligentiam; tum quia mutatio facilis est a V. in II. item ut a III. in V. itaque alibi quoque alterum pro altero mendose positum, inueni. A DEMETRIO. } scito, is enim erat apud Pompeium gratiosissimus libertus. Plutarchus, Plinius, Dio. DIXIT } in Cumano. epist. 9. EXSPECTARI } ergo nondum consules, non enim uterque rusticaretur. IV. KAL. } non loquitur de II. Kal. tamquam de die, cum haec scripsit, futuro, (nam hanc epistolam post superiorem esse datam constat: illa porro IV Kal. Neapoli, in discessu: itaque non est, ut ante IV. Kal. opinemur datam) sed, ut de die, qui, quo tempore locutus est cum Pompeio, futurus erat. sermo autem ille cum Pompeio, ut iam dixi, aliquot diebus ante, hoc est postridie Parilia, habitus erat. PVTARENT. } subducerent. &, Rationes, publicorum uectigalium: quae publicani conduxerant. GLADIATORIBVS *ne?* } putare ne uellent rationes, quibus diebus gladiatores pugnarent? ante, Pompeius respondit. ID *cuiusmodi sit,* } de rationibus publicis a Pompeio, & Crasso putandis. IS } Pompeius: a quo Demetrius omnia cognoscet, tu autem a Demetrio. VORAMVS *litteras* } hinc helluo librorum M. Cato in libris, opinor, de finibus. HOMINE *mirifico* } refertur ad doctrinam: & eundem appellat doctissimum ep. 7. lib. 7. οὐδὲν. } deest fortasse uerbum: ἐστιν: ut sit,

„ οὐδὲν γλυκύτερόν ἐστιν, ἢ πάντ' εἰδέναι.

Est autem senarius iambicus. PRIMVS *dies,* } an, gladiatorum? ut quaerat ἐπισημασίας. nam gladiatoribus, ludisq. de bonis, improbis ue ciuibus quid populus sentiret, perspiciebatur. epist. 5. lib. 1. & 18. lib. 2. An, primus dies, & secundus, & ceteri, postquam urbe exini? at hoc superioribus potius litteris Attico mandasset. An, primus dies, ubi consules, Pompeius, & Crassus, Romam uenerint? forte hoc uerisimilius: ut, quemadmodum de censoribus, ita de consulib. ab Attico quaerat: cum praesertim, quod exspectaret, non esset nihil, ut de comitiis praetorum huius anni; quae non ante III. Id. Maij habita esse a consulibus, locus indicat in epist. ad Quinctum, lib. 2. ep. XI. CENSORES, } num ciuitatem censeat, an id desperetur. ep. 17. APPIVS, } forte de Appio quaerit, quia uidebat eum hoc anno consulatum petiturum. anno enim proximo consulatum gessit. de Appio consule designato minime credendum. consul enim creatus ex interregno. ut omittam, quod nec dum aduenerat legitimus comitiorum mensis Quinctilis. hanc enim epistolam Aprili mense scriptam, intelligitur. APPVLEIA. } Appii frater P. Clodius, qui populum in tribunatu non secus, atque Appuleius Saturninus, concitat. Appuleiam autem appellat per contemptum, quasi effeminatum, & mollem. NOSTRVM *librum* } commentarium earum rerum, quas in consulatu gessimus; ut habeat, unde sumat ad historiam conficiendam. ep. 12. lib. 5. fam. DEMETRII *Magnetis* } librum περὶ ὁμονοίας.

Cicero S. D. Attico. 12.

EGNATIVS Romae est. sed ego cum eo de re Halimeti uehementer ante egi. grauiter se acturum cu Aquillio confirmauit. uidebis ergo hominem, si uoles. Macroni uix uideor praesto esse. idibus enim auctionem Larini uideo, & biduum praeterea. id tu, quoniam Macronem tanti facis, ignoscas mihi, uelim. Sed, si me diligis, postridie Kalendis cena apud me cum Pilia. prorsus id facies. Kalendis cogito in hortis Crassipedis, quasi in diuersorio, cenare. facio fraudem S. C. inde domum cenatus, ut sim mane praesto Miloni. ibi te igitur uidebo, & promouebo. Domus nostra te tota salutat. Vale.

EXPLANATIO

ANTE } antequam Roma proficiscerer: aut, antequam Egnatius Romam rediret. AQVILLIO } iurisconsulto: ut sit C. Aquillius Gallus, qui Ciceronis collega fuerat in praetura: ut in oratione pro Cluentio, & offic. lib. 2. PRAESTO *esse.* } Macronis caussam non uideor posse defendere, cum auctioni constituerim interesse. Forte autem uel emere quippiam Cicero uolebat in auctione: uel ad eum bonorum pars, quae uendebantur, ex hereditate pertinebat. hereditates enim cum in plures essent dispertiendae, quo id fieret commodius, auctione diuenditae in pecuniam redigebantur. POSTRIDIE *Kal.* } quo die Romae ero. KALENDIS } quibus? Maij, non puto. nam in proxima superiore epistola, quam diximus post. IV. kal. Maij esse datam, uerbum nullum posuit, unde pateat Romam ire uelle: potius indicat, per aliquot dies non esse in urbem rediturum. itaque litteras ab Attico flagitat. APVD *me* } domi meae. nam, Apud aliquem cenare, non est, cum illo cenare, sed in eius aedib. ideo dixit ep. 6. lib. 5. Secum, & apud se; pro, & cum ipso, & in eius aedibus. potest enim aliquis cum aliquo, nec

tamen apud eum cenare: rursus potest aliquis apud aliquem, nec tamen cum eo cenare: ut hic Cicero cupit Atticum apud se cenare, cum ipse Romae non esset. Sic locutus epistola 2. lib. 1. fam. & in dialogo de Fato apud Macr. & epistola 9. lib. 1. Cenauit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Et hic epistola 6. lib. 5. Et libro 1. de orat. Quem non longe ruri apud se esse audio. Et Catul. epigr. 13. ad Fabullum, Cenabis bene, mi Fabulle, apud me, &c. Ter. in Heaut. Vbi nam est quaeso? apud me, domi. Et in Eun. Apud Antiphonem, domi. Pro Sextio, Apud se ruri. CRASSIPEDIS } generi mei. epist. 9. lib. 1. fam. FACIO *fraudem S.C.* } cum senatus uocabatur, senatores, qui erant in urbe, adesse iubebantur in senatu; qui non erant, iuberi non poterant. Cicero autem, ne citari posset, urbem non est ingressus Kalendis, quo die senatus habebatur; sed in hortis suburbanis consistere, & cenare uoluit: fraude igitur subterfugit S.C. quo in S.C. scriptum erat, ut senatores, qui in urbe essent, in senatum uocati uenirent, non uenientibus pignora auferrentur. oratione 1. in Antonium. MILONI } quem Clodius de ui accusabat. hoc opinor intelligi. quod si ita est; haec epistola ante duas superiores fuit collocanda. scripta est enim Marcellino, & Philippo cos. Clodio Milonem accusante: quod multis argumentis declarat epist. III. ad Quinctum fratrem: sequentes autem Pompeio, & Crasso cos. in extremo anno: ut inter hanc, & eas multae desiderari uideantur. Alij, Praesto Miloni, in eius nuptiis, interpretantur. sed dies non conuenit. hic enim Romae uult esse postridie Kalendas; in epistola uero, quae sequitur, ad XIV. Kalendas; quo modo utrumque nuptiarum caussa? DOMVS *tota* } domestici omnes. Sic loquitur, & M. Coelius epistola 16. lib. 8. fam. PROMOVEBO. } puto, quid significetur, minime multis liquere. sunt etiam, qui mutandum existiment. ego tueor antiquum uerbum, & explano, Promouebo, proficiam aliquid in Alimenti re. quo sensu & Terentius in Andria dixit, Nihil promoueris.

Cicero S. D. Attico. 13.

NOS *in Tusculanum uenisse ad XVII. Kal. Dec. uideo te scire. ibi Dionysius nobis praesto fuit. Romae ad XIV. Kal. uolumus esse. quid dico, uolumus? immo uero cogimur. Milonis nuptiae, comitiorum non nulla opinio est. ergo ut sit rata. Abfuisse me in altercationibus, quas in senatu factas audio, fero non moleste. nam aut defendissem, quod non placeret; aut defuissem, cui non oporteret. sed mehercule uelim, res istas, & praesertim statum reip. & quo animo consules ferant hunc σχυλμόν, rescribas ad me, quantum potes, & uales. sum ἰσδυτενὴς: &, si quaeris, omnia mihi sunt suspecta. Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quam olim aequalem eius L. Paullum, iterum consulem. o hominem nequam. De libris oratorijs factum est a me diligenter. diu, multumq. in manibus fuerunt. describas licet. Illud etiam te rogo, τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς: ne istuc hospes ueniam. Vale.*

EXPLANATIO

MILONIS *nuptiae,* } duxit uxorem Faustam, Sullae dictatoris filiam. Pedianus. OPINIO } mense Nouembri scripta est epistola, Pompeio, & Crasso cos. ex inter regno creatis, ut Plutarchus, Appianus, Dio prodiderunt. VT *sit rata. Abfuisse,* } Bessarionis liber, Etsi irata fuisse correctione opus est: quam, a me non inuentam, qui ingenio praestant, inuestigabunt. QVOD *non placeret;* } quod mihi non probaret. DEFVISSEM, } Pompeio de me bene merito. RES *istas,* } urbanas. CONSVLES } Pompeius, & Crassus. etsi Crassus proximis diebus urbe, iturus in prouinciam, exierat: sed eius animũ, cum adesset, nosse Atticus potuerat. CRASSVM *quidem nostrum* } iocatur. non enim amor erat inter eos, licet redijsse in gratiam uiderentur, intercedente Caesare, ut scriptum est in epist. 9. lib. 1. fam. atque etiam Publio, ipsius Crassi filio. Plutarchus. ideo paullo post: O hominem nequam. MINORE *dignitate,* } & hic iocatur. quod enim sciebat omnibus esse notum, id Attico tamquam ignotum significat. quis enim nesciebat, nulla Crassum consulem dignitate, contra C. Ateij Capitonis tribuni pl. obnunciationem, nimia prouinciae Syriae cupiditate impulsum, ante finem consulatus exiisse. AEQVALEM *eius L. Paullum,* } eius filium, qui consul perijt Cannensi proelio; Africani minoris patrem naturalem. Is in secundo consulatu paludatus exiit ad bellum Macedonicum; nec multo post uictor, capto etiam rege Perse, triumphauit. Aequalem Crassi, uel cum ioco nominat, quod uterque iterum consul ad bellum sit profectus; uel serio, quod eadem aetate essent, cum ad bellum exiere. nam, sexagenarium utrumque fuisse, tum ex Liuio, tum ex Plutarcho licet conijcere. PALVDATVM } paludamentum uestis erat imperatoria, qua induti ad bellum exibant. O HOMINEM *nequam* } qui, C. Ateij Capitonis, tribuni pl. obnunciationibus, dirisque neglectis, auri Parthici cupiditate praeceps, ante finem consulatus iuit in prouinciam. Cicero lib. 1. de Diuin. Plutarchus, Dio, alij. Eius tamen absentis dignitatem defendit in senatu. epistola 8. lib. 5. fam. LIBRIS *oratorijs* } tribus ad Q. fratrem. epist. 16.

Cicero S. D. Attico. 14.

VESTORIVS *noster me per litteras fecit certiorem, te Roma ad VI. id. Mai. putare profectum esse, tardius, quam dixerat, quod minus ualuisses. si iam melius uales uehementer gaudeo. Velim, domum ad tuos scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus, ac si ipse adesses, cum ceteri, tum Varronis, est enim mihi utendum quibusdam rebus ex ijs libris ad eos, quos in manibus habeo: quos, ut spero, tibi ualde probabo, uelim, si quid forte noui habes, maxime a Quincto fratre, deinde a C. Caesare, & si quid forte de comitijs, de rep. (soles enim tu haec festine odorari) conscribas ad me. si nihil habebis, tamen scribas aliquid. numquam enim mihi tua epistola aut intempestiua, aut loquax uisa est. maxime autem rogo, rebus tuis, totoq. itinere ex sententia confecto, nos quamprimum reuisas. Dionysium iube saluere. Cura, ut ualeas.*

EXPLANATIO

DOMVM *ad te* } pro, domum ad tuos. Terentius in Eun. Eamus domum ad me. EOS, *quos in manibus habeo*: } de rep. ep. 16. QVINCTO *fratre*, } qui ad Caesarem hoc ipso, quo epistola scripta est, mense profectus erat, Appio, & Ahenobarbo cos. patet ex epistolis ad Quinctum. DE *comitijs*, } quorum tempus non ita longe aberat. eo tamen anno habita non sunt. FESTINE } Festiue potius, quam Festine, postulat sententia. TOTOQ. *itinere* } Asiatico. ep. 15.

Cicero S. D. Attico. 15.

DE *Eutychide, gratum; qui uetere praenomine, nouo nomine T. erat Caecilius, ut est ex me, & ex te iunctus Dionysius M. Pomponius. ualde mehercule mihi gratum, si Eutychides tuam erga me beneuolentiam cognoscet, suam illam in meo dolore συμπάθειαν neque tum mihi obscuram, neque post ingratam fuisse. Iter Asiaticum tuum puto tibi suscipiendum fuisse. numquam enim tu sine iustissima caussa tam longe a tot tuis & hominibus, & rebus carissimis, & suauissimis abesse uoluisses. sed humanitatem tuam, amorem que in tuos reditus celeritas declarabit. sed uereor, ne lepore suo detineat diutius praetor Clodius, & homo pereruditus, ut aiunt, & nunc quidem deditus Graecis litteris Pituanius. sed, si uis homo esse, recipe te ad nos ad quod tempus confirmasti. cum illis tum, cum salui uenerint, Romae uiuere licebit. Auere te scribis, accipere aliquid a me litterarum. dedi, ac multis quidem de rebus ἢ μεγάλων perscripta omnia: sed, ut conijcio, quoniam mihi non uideris in Epiro diu fuisse, redditas tibi non arbitror. genus autem mearum ad te litterarum eiusmodi fere est, ut nō libeat cuiquam dare, nisi de quo exploratum sit, tibi eum redditurum. Nunc Romanas res accipe. Ad III. non. Quinct. Susenas, & Cato absoluti: Procilius condemnatus, ex quo intellectum est, tres ἀρεοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totam denique remp. flocci non facere. debemus, patrem familias domi suae occidere nolle, neque tamen id ipsum abunde: nam absoluerunt XXII. condemnauerunt XXVIII. Publius sane diserto epilogo criminans, mentes iudicum mouerat. Otalus in ea caussa fuit, cuiusmodi solet. nos uerbum nullum. uerita est enim pusilla, quae nunc laborat, ne animum Publij offenderet. His rebus actis, Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem caussam contra Interamnates apud consulem, & decem legatos, quod lacus Velinus, a M'. Curio emissus, interciso monte, in Nar defluit, ex quo est illa siccata, & humida tamen modice Rosia. uixi cum Axio: qui etiam me ad Septem Aquas duxit. Redij Romam Fonteij caussa: ad VII. id. Quinct. ueni. Spectaculum, primum, magno, & aequabili plausu: (sed hoc ne curaris: ego ineptus, qui scripserim) deinde, Antiphonti operam. is erat ante manumissus, quam productus. ne diutius pendeas, palmam tulit. sed nihil tam pusillum, nihil tam sine uoce, nihil tam uerum. haec tu tecum habeto. in Andromacha tamen maior fuit, quam Astyanacte. nam in ceteris parem habuit neminem. quaeris nunc de Arbuscula: ualde placuit. Ludi magnifici, & grati. Venatio in aliud tempus dilata.*

Sequere nunc me in campum. ardet ambitus. σῆμα δέ τοι ἐρέω. fenus ex triente idibus Quinct. factum erat bessibus. dices, istud quidem non moleste fero. o uirum, o ciuem. Memmium Caesaris omnes opes confirmant: cum eo Domitium consulem iunxerunt; qua pactione, epistolae committere non audeo. Pompeius fremit, queritur; Scauro studet: sed, utrum fronte, an mente, dubitatur. ἐξοχὴ nulla est: pecunia omnium dignitatem exaequat. Messalla languet: non quo aut animus desit, aut amici: sed coitio consulum, & Pompeius obsunt. ea comitia, puto fore, ut ducantur. Tribunicij candidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros. apud eum HS. quingena deposuerunt; ut, qui a Catone damnatus esset, id perderet, & competitoribus tribueretur. haec ego pridie scribebam, quam comitia fore putabantur. sed ad te V. Kal. Sex. si facta erunt, & tabellarius non erit profectus, tota comitia perscribam. quae si, ut putantur, gratuita fuerint, plus unus Cato potuerit, quam omnes quidem iudices. Messius defendebatur a nobis, e legatione reuocatus. nam eum Caesari legarat Appius. Seruilius edixit, ut adesset. tribus habet Pōtinam, Velinam, Maeciam. pugnatur acriter, agitur tamē satis. deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum. parantur orationibus indices gloriosi. fortasse accedent etiam cōsules designati. in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc iudicio ualde laborabit. Ex Quincti fratris litteris suspicor iam eum esse in Britannia. suspenso animo exspecto, quid agat. illud quidem sumus adepti, quod multis & magnis indicijs possumus iudicare, nos Caesari & carissimos, et iucundissimos esse. Dionysium uelim saluere iubeas; & eum roges, & hortere, ut quamprimum ueniat, ut possit Ciceronē meum, atq. etiam me ipsum erudire. Vale.

O EXPLA-

EXPLANATIO

De *Euthychide*, } seruum Eutychidem Atticus liberaturus, cum de suo uetere praenomine, nouo nomine, quod ipse a Caecilio auunculo adoptatus acceperat, T. Caecilium Eutychidem appellare constituerat. DIONYSIVS } is, qui postea Cicerones pueros erudijt. uide epist. 6. IN *meo dolore* } in exsulij calamitate. PITVANIOS. } deprauatam dictionem unius litterae mutatione corrigo, & pro, Pituanios, lego, Pituanius. Pituaniorum enim familiam constat ex antiquis monumentis Romae fuisse. Tacitus libro 2. L. Pituanium de saxo deiectum esse tradit. & Pituaniae mentionem in lapide uidimus, idest mulieris ex Pituania familia in aliam adoptatae. AD III *non. Quinct.* } miror: cum in uetere Romano Kalendario dies hic sit nefastus. forte, IV. hoc est IIII. ut errorem creauerit inscitia librarij; qui, cum non intelligeret IV, diuiserit V in duas lineolas, & fecerit II. unde IV. non. abijt in III. Quod idem accidisse crediderim in Pediani argumento orationis pro M. Scauro, ubi agit de C. Catone condemnato. eodemq. in loco, cum ait summum iudicij diem IV. non. Sept. fuisse: adducor eadem ratione, ut legendum potius existimem, III. qui nefastus dies totus non fuit, sed partim nefastus, partim fastus: quod indicant appositae ad eum diem in Kalendario duae coniunctae litterae N P: quas suo loco explanauimus. CATO } C. Cato, de cuius absolutione & infra ep. 16. PROCILIVS } huius familiae fit mentio in uetere nummo clarissimi uiri Andreae Lauretani, & in Varrone lib. 4. de lingua Latina. Ex *quo intellectum est*, } ex quo iudicio. nam Susenatis, Catonis, Procilij consilia de corrumpendis tribubus patefacta sunt. duo tamen absoluti, uix unus condemnatus. TRES *ἀρεοπαγίτας* } εἰρωνικῶς de Susenate, Catone, Procilio: quod, qui in iudicijs, quae administrare consuessent, ἀρεοπαγίτας, idest seueri, & iusti iudices, haberi uellent, ij deinde, dum magistratum assequerentur, nihili facerent neque ambitum, quo se tam turpiter inquinarent: neque comitia, quae differrent, ut largitioni spatium longissimum daretur: neque interregnum, quo res fluere uideretur comitijs dilatis: neque maiestatem populi R. quam negligere uiderentur: quia, cum grauissimam iudicum personam sustinerent, flagitiosi tamen in petitione fuerunt, ut ipsorum scelere, iudicia populi R. male audirent: quo maiestas minuebatur. PVBLIVS } Clodius. OTALVS } una interposita littera legerem, Hortalus: ut Q. Hortensius significetur. Hortensiorum enim cognomen Hortalus fuisse, patet ex Cornelio Tacito, qui de quodam Hortalo loquitur, huius Hortensij nepote. VERITAS *est enim pusilla*, } in hoc uerborum ambitu suspicor latere mendum, & forte locus ita corrigendus: Verita est enim filia, quae nunc laborat, ne animum Publij offenderem: Vel, ne animus Publij offenderetur. ut cum Tulliola rogauerit, ne Procilium defenderet contra P. Clodij accusationem: uerita scilicet, ne Clodius ex facto grauius irritaretur. LABORAT, } morbo affecta. *Tempe* } amoenissima enim regio. Varro lib. 1. de re rust. CONSVLEM, } Ap. Claudium Pulchrum. & de hac Reatina caussa Varro libro III. cap. 2. de re rust. & Tacitus in primo annalium. A M' CVRIO } Varronis uerba sunt apud Seruium in commentario Aen. lib. VII. Lacus Velinus in Narem deriuatus a quodam consule. Vt fortasse consul fuerit M' Curius Dentatus. & hic, M' non M. ut antea, legendum est: quod est, Manius, praenomen ueteribus usitatum. IN *Nar* } uel indeclinabiliter posuit, uel neutro genere. Virgilius uirili, Sulfurea Nar albus aqua. Ex *quo est illa siccata, & humida tamen modice Rosia.* } sic in duobus antiquis libris, Caualcantis, & Bessarionis. est tamen, cur aliquid desiderem. placeret tale quippiam, Ex quo est illa quidem siccata, sed humida tamen modice Rosea. quale illud in epistola ad Quinctum fratrem: De nouis tribunis pl. est ille quidem in me officiosissimus Sextius, sed ualde aduersante Clodio. Aut, si ueterem lectionem conseruari placet. explanemus, Illa, cuius maxime laudatur ubertas. Festus enim haec de Rosea: Rosea in campo Reatino campus appellatur, quod in eo arua rore humida semper seruantur. & Plinius lib. 17. cap. 3. VIXI *cum Axio* } iucundissime fui: ut infra in epistola nescio qua: Cum Pansa uixi in Pompeiano. & uillam habuisse Axium in agro Rosiano, testis est Varro lib. III. cap. 2. de re rust. SEPTEM *aquas* } Dionysius Halicarnasseus libro 1. FONTEII *caussa*, } ut agere: Fonteij caussam. MAGNO, *& aequabili plausum* } qui mihi theatrum ingredienti a populo datus est. & addidit, Aequabili, quia, Magno, per se non referebatur ad laudem. nam & plausus magnus datur odiosis hominibus, sed minime aequabilis, clamoribus, sibilis, omni strepitu permixtus: magnus, & aequabilis ijs, qui diliguntur. MANVMISSVS, } quia histriones omnes serui. Antiphon, inquit, uix productus erat, cum populus ei libertatem postulauit, uel, Manumissus, re uera, antequam productus. NIHIL *tam uerum.* } quod in histrione reprehenditur: cuius est, fingere, quae susceptae personae conueniant. IN *Andromacha, & Astyanacte.* } personis, accipio, potius quam fabulis. ARBVSCVLA: } Fuere eodem tempore tres insignes meretrices, eaedemq. mimae, Arbuscula, Cytheris, Origo. Seruius ecl. 10. Arbusculam, & Horatius nominat Sat. ultima lib. 1. In lapide autem antiquo, qui Romae est, ad Agonem, mentio fit Volusiae Arbusculae. Et in alijs lapidibus nominatur Cytheris. Quorum lapidum inscriptiones, una cum alijs innumeris, in unum redegit Aldus filius. LVDI } ludos Apollinares intelligit: de quibus infra. DILATA. } cum ludos Apollinares consequi soleret. itaque infra de uenatione legitur, a Bruto praetore post ludos Apollinares populo data. SEQVERE *nunc me in campum.* } hoc dicitur: Accipe nunc de ratione petitorum. petebantur enim in campo Martio magistratus. FENVS, *&c.* } idibus Quinctilibus feneratores pecuniam dederunt bessibus: idest, ut pro centenis octoni in anno usurae nomine penderentur: cum antea supra trientem, dimidium quod est bessis, usura non fuisset. eam pecuniam

cuniam ambitiosa candidatorum manus sumebat, ut tribubus pro magistratu alius alio plus promitteret. Idibus autem ut usurae solverentur, in consuetudine fuisse, & Horatius testatur, & Cicero ipse in Catilinam, & Antonium. NON *moleste fero.* } non quod amaret lucrum, auunculi Caecilij feneratoris heres: (nam is, Attico adoptato, decesserat, ut apparet ep. 20. l. 3. & apud Valerium lib. 7. cap. ix.) sed quod priuatae rei finibus se continens, de rep. non magnopere laboraret. O *uirum*, *o ciuem.* } ironia: quasi neque uiri boni esset, neque ciuis, id, quod & turpe esset, & ad remp. pertineret, non moleste ferre. CONFIRMANT: } ad consulatum. epist. 16. CONSVLES } Ap. Pulcher & Domitius Ahenobarbus, Memmio, & Domitio Caluino consulatum pactione polliciti. pactio autem quae fuerit, aperte scribit in extrema epistola huius libri. FREMIT } ob pactionem a consulibus cum Memmio, & Domitio factam. ipse enim Scauro studet, consulatum petenti. studet autem non tam ob eam caussam, quia Scauro bello Mithridatico quaestor eius fuerat, ut Appianus lib. Antioch. & Iosephus de bello Iudaico lib. 1. tradiderunt: sed etiam, quia sororem eius Aemiliam Pompeius habuerat in matrimonio: de quo Plutarchus in Sulla, & Pompeio. erat autem hic ad petendum consulatum Scauro legitimus annus. fuerat. n. praetor biennio ante, Lentulo, & Philippo cos. in oratione pro Sextio. DVBITATVR } quia saepe animum occultat simulationis integumento. uide epistola 9. & sane ad extremum Pompeius Scaurum abiecit. epist. 8. lib. 3. ad Q. fr. MESSALLA } consularis candidatus: qui deinde consul factus est cum Domitio Caluino. COITIO *consulum.* } Appij, & Domitij, qui coierant, ut Memmium, & Domitium consules crearent. epist. 18. POMPEIVS, } qui Scauro studebat. uidebat enim, Scaurum, & Messallam, cum uterque patricius esset, consules simul fieri non posse. quod uetus Sextia tribunicia lex prohibebat. ideo contra Messallam incumbebat. EA *comitia puto* } consularia. de tribunicijs enim nunc subijciet. uere autem Cicero putabat. nam tribunicia sunt habita hoc anno, consularia uero non sunt. Plutarchus in Catone de tribunis hoc anno creatis: de consulibus autem sequenti anno ex interregno factis, Appianus. In Bessarionis libro, Pompeius absens est ex comitijs puto. ARBITRIO *Catonis petituros* } M. Catonem, postea Vticensem cognominatum, qui tum erat praetor, arbitrium constituerunt, ut damnaret quemquem eorum putasset in petendo pecuniam dedisse. Plinius Secundus in prooemio. HS *quingena* } singuli aureorum scutatorum quindecim millia deposuerunt. & recte conuenit ei cum Plutarcho: qui hac ipsa de re in Catone loquens, ait depositas a tribunicijs, δὲκα δὺο ἤ μιαν μυριάδας δραχμῶν ἀργυρίου. Idem in epistola 14. libri 2. ad fratrem. GRATVITA } ut tribunatus pl. non precio, sed gratis, a populo detur. PLVS *unus Cato potuerit* } quandoquidē eius metu gratuita fuerint comitia, quae nō solent esse gratuita omniū iudicū metu. MESSIVS } is, de quo in ep. 1. huius libri. REVOCATVS } a propinquis, ut opinor, aut ab amicis. nā iudicij caussa neminē de legatione in urbē innitū reuocari licebat. quare non a praetore, sed a suis reuocatū existimo; ne iudicij poenā uideri posset effugisse legationis praesidio potius, quā innocētia. SERVILIVS *edixit, ut adesset.* } P. Seruilius, Isaurici filius, hoc anno praetor, ut in epistola sequenti, qui consul fuit cū C. Caesare. *Adesset* } ad caussam dicendam. Sic Pedianus in argumento Cornelianae: Cum P. Cassius decimo die, ut mos est, adesse iussisset. TRIBVS *habet* } tribus hae Messium uidentur absoluturae, Pontina, Velina, Maecia. AGITVR *tamen satis* } aliquid tamen proficitur; etsi acres habemus aduersarios. AD *Drusum.* } ut post Messium defendam Drusum. ep. 10. AD *Scaurum* } qui accusatus erat a P. Valerio Triario repetundarum ex Sardinia. iudicium Cato praetor exercuit. Pedianus. CONSVLES *designatos.* } ij, qui consules designabuntur. IN *Britannia* } quo Caesar cum legionibus transiecerat. epist. 16.

Cicero S. D. Attico. 16.

OCCVPATIONVM meorum uel hoc signum erit, quod epistola librarij manu est. De epistolarum frequentia te nihil accuso: sed pleraeque tantummodo mihi nunciabant, ubi esses, quod erat abs te, uel etiam significabant recte esse. quo in genere maxime delectarunt duae fere eodem tempore abs te Bruto datae. scire enim uolebam, te commode nauigasse. sed haec epistolarum frequentia non tam ubertate sua, quam celeritate delectauit. illa fuit grauis, & plena rerum, quam mihi M. Paccius, hospes tuus, reddidit. ad eam rescribam igitur, & hoc primum. Paccio re, & uerbis ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet. itaque in intimis est meis, cum antea notus non fuisset. nunc pergam ad cetera. Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem locum: si modo erit locus: sed nosti genus dialogorum meorum: ut in oratorijs, quos tu in caelum fers, non mentio potuit fieri cuiusquam ab ijs, qui disputant, nisi eius, qui illis notus, aut auditus esset. hanc ego de rep. quam institui, disputationem in Africani personam, & Phili, & Laelij, & Manilij contuli. adiunxi adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duos Laelij generos, Scaeuolam, & Fannium. itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemijs, ut Aristoteles in ijs, quos ἐξωτερικοὺς uocat, aliquid efficere, ut non sine caussa istum appellarem: id quod intelligo tibi placere. utinam modo conata efficere possim. rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum, & grauem, & plurimi otij, quo ego maxime egeo. Quod in ijs libris, quos laudas, personam desideras Scaeuolae: non eam temere dimoui: sed feci idē, quod in πολιτείᾳ deus ille noster Plato. cum in Piraeeum Socrates uenisset ad Cephalum, locupletem, & festiuum senem: quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde, cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem diuinam dicit se uelle discedere; neque postea reuertitur. credo,

Plato-

*Platonem uix putasse satis consonum fore, si hominē id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. multo ego satius hoc mihi cauendum putaui in Scaeuola: qui & aetate, & ualetudine erat ea, qua meministi, & iis honoribus, ut uix satis decorum uideretur, eum plures dies esse in Crassi Tusculano. & erat primi libri sermo non alienus a Scaeuolae studiis: reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. huic ioculatoriae disputationi senem illum, ut noras, interesse sane nolui. De re filiae quod scribis, erit mihi curae: etenim est luculenta. Aureliani, ut scribis, iudiciis: & in eo me etiam Tulliae meae uenditabo. Vestorio non desum. gratum. n. tibi id esse intelligo, & ut ille intelligat, curo. sed scis, qui? cum habeat duos faciles, nihil difficilius. Nunc ad ea, quae quaeris de C. Catone. Lege Iunia, & Licinia scis absolutum: Fufia ego tibi nuncio absolutum iri, neque patronis suis tam libentibus, quam accusatoribus. is tamen & mecum, & cum Milone in gratiam rediit. Drusus reus est factus a Lucretio, iudicibus reiiciendis * ad v nonas Quinct. De proelio rumores non boni: sed iudicia nosti. Hirrus cum Domitio in gratia est. S. C. quod hic consules de prouinciis fecerunt, Quicumque posthac, * non mihi, ut quod iam intelligebamus enunciationem illam Memmii ualde Caesari displicere. Messalla noster, & eius competitor Domitius liberalis in populo ualde fuit. nihil gratius. certi erant consules: ac senatus decreuit, ut tacitum iudicium ante comitia fieret ab iis consiliis, quae erant omnibus sortita in singulos. ma- * gnus timor candidatorum. sed quidam iudices, in his Opi- * mius Veientonatius, tribunos pl. appellarunt, ne iniussu populi iudicarent. rescidit. comitia dilata ex S. C. dum lex de tacito iudicio ferretur. uenit legi dies. Terentius intercessit. consules, qui illud leui brachio egissent, rem ad senatum detulerunt. hic Abdera, non tacente me. Dices, tamen tu non quiescis? ignosce, uix possum. uerum tamē quid tam ridiculum? senatus decreuerat, ne prius comitia haberentur, quam lex lata esset: si qui intercessisset, res integra referretur. coepta ferri leniter. intercessum non inuitis. res ad senatum. de ea re ita censuerunt: comitia primo quoque tempore haberi censere. Scaurus, qui erat paucis diebus illis absolutus, cum ego partem eius ornatissime defendissem, obnunciationibus per Scaeuolam interpositis, singulis diebus usque ad prid. kal. Oct. quo ego haec die scripsi, sublatis, populo tributim domi suae satis fecerat. sed tamen, etsi uberior liberalitas huius, gratior esse uidebatur eorum, qui occuparant. Cuperem uultum uidere tuum, cum haec legeres. nam profecto rem non habes nullam, haec negotia multarum nundinarum fore. sed senatus hodie fuerat futurus, idest kal. Oct. iam enim lucescit. ibi loquetur, praeter Antium, & Fauonium, liber nemo. nam Cato aegrotat. de me nihil timueris: sed tamen promitto nihil. Quid quaeris aliud? iudicia, credo. Drusus, Scaurus non fecisse uidentur. tres candidati fore rei putabantur, Domitius a Memmio, Messalla a Q. Pompeio Rufo, Scaurus a Triario, aut a L. Caesare. quid poteris, inquies, pro iis dicere? ne uiuam, si scio. in illis quidem tribus libris, quos tu dilaudas, nihil reperio.*

*Nunc, ut opinionem habeas rerum, referendum est. Quaeris, ego me ut gesserim? constanter, & libere. Quid ille, inquies, ut ferebat? humaniter: meaeq. dignitatis, quoad mihi satisfactum esset, habendam sibi rationem putabat. Quo modo ergo absolutus? omnino ΠΟΡΠΑΠΥΜΝΑ accusatorum incredibilis in- * fantia, idest L. Lentuli, L. F. quem fremunt omnes praeuaricatum: deinde Pompeii mira contentio, iudicum sordes. attamen XXXII condemnarunt, XXXIIX. absoluerunt. iudicia reliqua impendent. non dum est plane expeditus. Dices, tu ergo haec quo modo fers? belle mehercule, & in eo me ualde amo. amisimus, mi Pomponi, non omnem modo succum, ac sanguinem, sed etiam colorem, & speciem pristinam ciuitatis. nulla est resp. quae delectet, in qua acquiescam. id ne igitur, inquies, facile fers? id ipsum. recordor enim, quam bella paulisper nobis gubernantibus ciuitas fuerit, quae mihi gratia relata sit. nullus dolor me angit. posse doluerunt. multa mihi dant solatia. nec tamen ego de meo statu demigro: quaeq. uia maxime est ad naturam, ad eam me refero, & litteras, & studia nostra: dicendi laborem delectatione oratoria consolor. domus me, & rura nostra delectant. non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim. fratrem meum, & te si habebo, per me ista pedibus trahantur: uobis ἐμφιλοσοφῆσαι possum. locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, concaluit, priuata modo, & domestica nos delectant. miram securitatem uidebis: cuius plurimae mehercule partes sunt in tuo reditu. nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus. Sed accipe alia. Res fluit ad interregnum: & est non nullus odor dictaturae, sermo quidem multus, qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuuit. Candidati consulares omnes rei ambitus. accedit etiam Gabinius. quem P. Sulla non dubitans, quin foris esset, postularat, contra dicente, & nihil obtinente Torquato. sed omnes absoluentur, nec posthac quisquā damnabitur, nisi qui hominem occiderit. Hoc tamen agitur seuerius; itaque iudicia calent. M. Fulvius Nobilior condemnatus est. multi alii urbani ne respondent quidem. Quid aliud noui? & tamen, absoluto Gabinio, stomachantes alii iudices, hora post, Antiochum Gabinium, nescio quem, solidis pectoribus, libertum, accensum Gabinii, lege Papia condemnarunt. itaque dixit statim reus laesae maiestatis ΟΤCΟΙΜΡΙCΑ- * ΜΑΦΙΗ. Pontinius uult ad IV. non. Non. triumphare. huic obuiam Cato, & Seruilius praetor aperte, & Q. Mucius trib. negant enim latum de imperio. & est latum hercule insulse. sed erit cum Pontinio Appius cos. Cato tamen affirmat, se uiuo illum non triumphare. id ego puto, ut multa eiusdem, ad nihil recasurum. Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat. Ab Quincto fratre, & a Caesare accepi ad IX. kal. Nou. litteras, confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla praeda, imperata tamen pecunia, datas a litoribus Britanniae, proximo: ad VI. kal. Oct. exercitum Britannia reportabant. Q. Tilius erat iam ad Caesarem profectus. Tu, si aut amor in te est noster, ac tuorum, aut illa ueritas; aut si etiam sapis, ac frui tuis commodis cogitas; aduentare, & prope adesse iam debes. non mehercule aequo animo te careo: te autem, quod mirum, qui Dionysium tantopere desiderem? quem quidem abs te, cum dies uenerit, & ego, & Cicero meus flagitabit. Abs te proximas litteras habebam, Ephesi, ad v. id. Sext. datas. Vale.*

EXPLANA-

EXPLANATIO

LIBRARII *manu* } sua enim scribebat, cum occupatus non erat. idem ep. 5. lib. 3. ad Q. fratrem. QVOD *erat abs te*, } non est locus sine mendo. Supra Bessarionis liber, Pleriq., non, Pleraeque; &, Esset, non Esses. BRVTO *datae.* } mallem, Buthroto: ut ep. 16. IN *aliquem locum*: } in mea scripta. LAELII, } antea, Paeti: & in Bessarionis libro, Paetij. nos, Laelij, reposuimus, ex epistola v. libri III. ad Q. fratrem, in qua ita scribit: Sermo est a me institutus Africani, paullo ante mortem Laelij, Phili, Manilij, Q. Tuberonis. Macrobius etiam cum Scipione locutum Laelium in libris de rep. testatur. COGITABAM, *quoniam in singulis libris utor prooemijs, ut Aristoteles in ijs, quos ἐξωτερικοὺς uocat, aliquid efficere, ut non sine caussa istum appellarem*: } Qui fuerint ij libri, quos ἐξωτερικοὺς ab Aristotele dicit esse nominatos, primum ipsius Ciceronis, deinde Simplicij, tum Gellij uerbis ostendam. ac Cicero quidem, ut mihi uidetur, non solum Aristotelem, sed Theophrastum quoque scripsisse docet libros ἐξωτερικούς. nã lib. 5. de Fin. cum Peripateticae disciplinae formam esse triplicem dixisset, unam, quae naturae partes omnes inuestigaret: alteram, quae disserendi rationem doceret; tertiam, quae bene uiuendi praecepta traderet; cumq. de duabus locutus esset, de tertia subiunxit haec: Omnium fere ciuitatũ non Graeciae solum, sed etiam barbariae, ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, a Theophrasto leges etiam cognouimus. Et paullo post: De summo autem bono, quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant, alterum limatius, quod in commentarijs reliquerunt: non semper idem dicere uidentur. Quibus uerbis, patet id, quod dixi, ut Aristotelem, sic Theophrastum libros ἐξωτερικοὺς de summo bono composuisse: simul illud intelligitur, eos libros non tam eruditis hominibus, quam rudioribus esse scriptos, neque conferendos cum ijs, quos in commentarijs reliquerunt, qui ἀκροαματικοὶ dicebantur. Voluit autem Cicero, cum dixit, populariter scriptum, Graecum uocabulum, ἐξωτερικὸν, interpretari. quasi diceret, ad intelligentiam quoque uulgi: non exquisitis, & ab interiore doctrina depromptis rationibus, sed communibus, & ueluti de medio sumptis, idest, probabilibus magis, quam demonstratiuis. quod Simplicius quoque sensit. nam cum illud Phys. lib. 4. c. 10. interpretaretur. Πρῶτον δὲ καλῶς ἔχει, διαπορῆσαι περὶ αὐτοῦ καὶ διὰ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων, πότερον τῶν ὄντων ἐστὶν, ἢ τῶν μὴ ὄντων: subiunxit haec: Ἐξωτερικὰ ἐστὶ τὰ κοινὰ, καὶ δι' ἐνδόξων περαινόμενα, ἀλλὰ μὴ ἀποδεικτικὰ, μηδὲ ἀκροαματικά. Eodemq. spectat illud Aristotelis ἐν τῷ μ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, in principio: Τεθρύλληται τὰ πολλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων. Et in primo de caelo, cum dixisset Aristoteles, καθάπερ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι: intulit Simplicius: ἐγκύκλια φιλοσοφήματα καλεῖ, τὰ κατὰ τάξιν ἐξ ἀρχῆς τοῖς πολλοῖς προτιθέμενα, ἅπερ καὶ ἐξωτερικὰ καλεῖν εἴωθεν, ὥσπερ καὶ ἀκροαματικὰ, καὶ συνταγματικὰ, τὰ σπουδαιότερα. Sunt autem ἐγκύκλια uulgaria, & communia, non exquisita, nec inter ea, quae excellant, numeranda. quo sensu, (ut illud Aristotelis libro I. Polit. omittam: ἐκεῖ λαμβάνων τις μισθὸν ἐδίδασκε τὰ ἐγκύκλια διακονήματα τοὺς παῖδας) dixit Isocrates in oratione, quam inscripsit, Νικοκλῆς, οὐ μόνον δ' ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις, καὶ τοῖς καθ' ἡμέραν γιγνομένοις αἱ μοναρχίαι διαφέρουσιν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῷ πολέμῳ πλεονεξίας ἁπάσας περιειλήφασι. Et in ea περὶ τῆς εἰρήνης: πλείους ἢ χιλίους τοῦ τὸν τῶν ἐγκυκλίων ταφὰς ποιεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. Quod ad nominis caussam attinet, Gellius lib. xx. cap. 4. eam tradit, quod Aristoteles, cum duo genera commentationum earum haberet, quas discipulis tradebat, unius generis disciplinae, quam ἀκροαματικὴν uocabat, tempus exercendae dabat in Lycio matutinum; nec ad eam quemquam admittebat, nisi quorum ante ingenium, & eruditionis elementa, atque in discendo studium, laboremq. explorasset: illas uero ἐξωτερικὰς eodem in loco uesperi faciebat, easq. uulgo iuuenibus sine delectu dabat, librosq. suos, earum omnium rerum commentarios, seorsum diuisit, ut alij ἐξωτερικοὶ dicerentur, partim ἀκροαματικοί. Perspicua est igitur deriuatio nominis τῶν ἐξωτερικῶν disputationum, quod ad eas uulgo omnes, nullo delectu, admitterentur: quasi publicae essent, atque extra paterent: cum ad illas ἀκροαματικὰς non temere quisquam admitteretur, sed tamquam intus paucis delectis asseruarentur. Illud obseruatione dignum censeo, quod Gellius eas commentationes non tantum genere auditorum, sed argumẽto quoque distinguit, ἐξωτερικὰς manifeste disiungens a quaestionibus naturalibus, & dialecticis, tantumq. ad rhetoricae artis, & ciuilium rerum notitiam pertinere significans: ἀκροαματικὰς autem de naturae tantum contemplationibus, disputationibus ue dialecticis fuisse demonstrans. ipsa uerba recitabo. Ἐξωτερικὰ dicebantur, quae ad rhetoricas meditationes facultatem argutiarum, ciuiliumq. rerum notitiam conducebant: ἀκροαματικὰ autem uocabantur, in quibus philosophia remotior, subtiliorq. agitabatur, quaeq. ad naturae contemplationes, disputationes ue dialecticas pertinebant. Erant igitur ἐξωτερικὰ βιβλία, idest libri populariter scripti, uel de arte rhetorica, uel de moribus, uel de rep. quorũ est crebra mentio apud ipsum Aristotelem, ut Ethicorum Nicom. lib. I. bis, & lib. 4. lib. 6. & in Moralibus ad Eudemum: Politicorum autem lib. 3. & 7. Erant & ἐξωτερικοὶ λόγοι, idest, populares rationes, in altero genere librorum, quod ἀκροαματικὸν uocabatur: quarum rationum exstat exemplum Phy. lib. 4. ut supra ostendimus. quamquam Aristoteles, siue de libris loquatur, siue de rationibus ijs, quas ἀκροαματικοῖς interdum inseruit, λόγους ἐξωτερικοὺς semper, βιβλία numquam uocat: cum tamen & libri separatim essent, & rationes, quas, ut dixi, nonnumquam ἀκροαματικοῖς admiscuit. libros etiam ipsos Physicorum ἀκροαματικοὺς λόγους appellat in epistola ad Alexandrũ. Quod autem Gellius ἐξωτερικοῖς λόγοις non omne genus argumenti assignat, sed illa tantum tria, ῥητορικὰ, ἠθικὰ, πολιτικά: fortasse aliquis contra senserit:

ſerit: cum Ariſtoteles ipſe lib. 1. Ethicorum, ſe eſſe de anima locutum ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, perſpicue dicat: & quaeſtionem de anima naturalem eſſe, negare nemo poſſit. Niſi ſi quis, Gellij ſuſcepto patrocinio, obiectioni reſpondeat hoc modo: naturalem quidem eſſe quaeſtionem de anima. ſed ut Ariſtoteles in libris Ethicorum quaedam tamen, quae propoſita res exigeret, de anima tradidit, ſic eundem ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, quos περὶ τῶν ἠθικῶν ſcripſit, de anima quaedam, a ſuſcepta re non aliena, eodem loco paullo apertius diſputaſſe. quam opinionem ipſa uidentur adiuuare Ariſtotelis uerba: cum dicat ſe ἀρκούντως ἔνια, i. nonnulla, quae ſufficere tamen ei loco uiderentur, ſcripſiſſe: nam, ſi περὶ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων φυσικῶν locutus eſſet, ἔνια non dixiſſet: ſiquidem ijs libris totum argumentum complecti, & copioſe tractare cogeretur, utpote qui rudioribus componerentur, ideoq. prolixiores, quam ἀκροαματικοὶ λόγοι, eſſe deberent. Accedit ea ratio, quod, ſi ἐξωτερικὰ φυσικὰ ſcripſiſſet Ariſtoteles, mentionem interdum eorum feciſſet in libris Phyſicorum, & in ijs de caelo, & de anima, quemadmodum ſaepe facit in Ethicis, & Politicis. mentionem aũt ideo numquam fieri, quia nulla ſcripſerit eius argumenti, cui uerisimile non uidetur? Quod ait Cicero, In ſingulis libris utor prooemijs, ut Ariſtoteles in ijs, quos ἐξωτερικοὺς uocat: licet colligere, in reliquis libris non ſolere uti prooemijs Ariſtotelẽ. i. ἐν τοῖς ἀκροαματικοῖς, ut in ethicis, politicis, phyſicis, dialecticis, poeticis, rhetoricis, quiq. praeterea eiuſdem hodie exſtant: quibus in omnibus, omiſſo prooemio, orditur ab ipſa re. IN *ns* } in libris oratorijs. ep. 16. ISTVM *appellarem:* Varronis mentionem facerem. VALETVDINE } infirmiſſima: ut in oratione pro Rabirio. NON *alienus a Scaeuolae ſtudijs* } erat. n. de iure ciuili: & Scaeuola iuriſconſultus. itaq. adeſt in primo libro: in duobus reliquis, praecepta tradentibus, uir grauiſſimus recte non adeſt. DISPVTATIONI } haec dictio a trib. antiquis libris, Beſſarionis, Caualcantis, Ferri, abeſt. IOCVLATORIAE } ad τεχνολογίαν refer, Scaeuolae, ut leuem, & ioculatoriam, perſona minime dignam. LVCVLENTA. } Beſſarionis, & Ferri libri, Luculenta res Aureliani, ut ſcribis, indicijs: ut Aurelianum indicaſſe dicat, luculentam rem eſſe. VT *ille intelligat*, } tibi gratum eſſe, quod ei non deſum. NIHIL *difficilius* } Veſtorio: cum tamen te, & me utatur facillimis. LEGE *Iunia, & Licinia* } ne idem iteretur, uide ſupra, ep. 9. l. 2. FVSIA } uide ſupra, ep. 14. l. 1. PATRONIS } patronum C. Catonis fuiſſe M. Scaurum, ſcribit Aſconius in argumento orationis pro Scauro. IN *gratiam rediꝫ* } altero. n. ante anno, Marcellino, & Philippo coſ. tribunus pl. rogationem in Milonem promulgauerat. ep. I I I. & V I. lib. I I. ad Q. fratrem. DRVSVS } in epiſtola extrema lib. II. ad Q. fratrem, Druſus, inquit, erat de praeuaricatione a tribunis aerarijs abſolutus, in ſumma quattuor ſententijs, cum ſenatores, & equites damnaſſent. Liuiae gentis fuit, patriciae, pater fortaſſe Liuiae Auguſtae: cuius etiam filiorum alteri cognomen Druſi uidemus impoſitum. IVDICIBVS *reijciendis ad V. nonas Quinct.* } ut ad V. nonas Quinct. reijcerentur iudices, deinde iudicium fieret. DE *prelio* } mihi locus uidetur deprauatus. De Procilio, rectius putarem: de quo in ep. proxima ſuperiore. RVMORES *non boni* } condemnatũ iri. IVDICIA } quib. ẽt nocentes abſolui non ignoras. DOMITIO } Ahenobarbo, conſule. QVICVMQVE *poſthac* } uerba S. C. NON *mihi nt quod* } ſic in libris antiquis, Beſſarionis, & Caualcantis. mendum apparet: neque poteſt eſſe certa diuinatio, cum ſententia lateat. quid tamen, ſi ſic? S C. quod hic conſules de prouincijs fecerunt, Quicumq. poſthac, non nihil Pompeio iam intelligebamus, enunciationem illam Memmij ualde Caeſari diſplicere: ut reſpondeant inter ſe, Non nihil Pompeio, &c, Valde Caeſari: &, Pompeij cauſſam prouincialem hoc s. c. deteriorem eſſe factam, ſignificetur. ENVNCIATIONEM } cum C. Memmius pactionem in ſenatu recitauit, quam ipſe, & ſuus competitor Domitius cum conſulib. feciſſent. uide ep. 18. CAESARI } cuius opib in conſulatus petitione Memmius cũ uteretur, enunciatione illa eũ offendit. ep. 15. DOMITIVS } Caluinus, plebeius; Meſſalla, patricius, conſules proximis comitijs deſignati. LIBERALIS *in populo* } munere dato. ep. 17. CERTI } ſane cõſules creati, ſed, quia comitia eo anno habita nõ ſunt, ex interregno. TACITVM *iudicium* } quod factũ non ederetur. Hoc aũt decreuit ſenatus, ut, qui nullo pudore prohiberentur ab effuſo ambitu, largitionem omitterent: cũ intelligerent futurum, ut irrita eſſet deſignatio, ſi damnati tacito iudicio fuiſſent. erat igitur ad cohibendam largitionis impudentiam quaſi frenum quoddam taciti iudicii timore. ANTE *comitia* } ne, ſi poſt comitia fieret, potentia deſignatorum deterriti iudices minus libere iudicarent. CONSILIIS } iudicũ. OMNIBVS *ſortita in ſingulos* } iã facta erat in ſingulos candidatos iudicum ſortitio, (nam non eadẽ erant omnium candidatorum conſilia) ſed iudicia nondum facta. QVIDAM *indices*, } de ambitu. VEIETORANTIVS } in Caualcantis antiquo libro, Veietorantius: in Beſſarionis, Veiotorantius. Opimij cognomen puto fuiſſe, ſed põt eſſe mendum in litteris. IVDICARENT } tacitũ iudiciũ facerent in candidatos. RESCIDIT. } placeret, Res ad S. ideſt, Res ad ſenatum: quam ſniam & proxima uerba confirmant, & illa paullo infra, Senatus decreuerat, ne prius comitia haberẽtur, quã lex lata eſſet. & infra loquendi modus idem eſt: Interceſſum non inuitis: res ad ſenatũ. TERENTIVS } tribunus pl. LEVI *brachio* } non uehementer: qui ad populũ de tacito iudicio leuiter tuliſſent. HIC *Abdera* } hic ſumma fuit ſenatorũ ſtultitia: ut Abderitae uiderẽtur: de quorũ ſtupore, atq. inſania multi ſcripſerunt. & ipſe infra, ep. 7. lib. 7. eſt, inquit, ἀβδηριτικόν, i. tõne carens, quaſi factum Abderitarum. NON *tacente me* } reprehendente leuitatẽ, ſtultitiamq. ſenatorum: qui cum antea decreuiſeẽt, ut ante comitia tacitum iudicium fieret, mox decernerent, ut primo quoq. tempore comitia haberẽtur, omiſſo tacito iudicio. RES *integra ferretur*. } ad ſenatum. &, Res integra, ut ageretur ſuper tota re, quid omnino agendũ, haberentur ne comitia conſularia omiſſo tacito iudicio, an comitijs iudicium anteponeretur. Eodem ſenſu dixit oratione. I V. in Catilinam, Referre tamquam integrum, i. tamquam nihil, eſſe actum a uobis. multa enim feciſtis, quamobrem iam damnaſſe coniuratos uideamini. Sunt, inquit, haec eiuſmodi, ut ij, qui in cuſtodiam nominatim dati ſunt, ſine ulla dubitatione a uobis damnati eſſe

 uideantur.

uideantur. sed ego institui referre ad uos P.C. tamquam integrum, & de facto, quid iudicetis; & de poena, quid censeatis. FERRI *leuiter.* a consulibus, molli brachio. NON *inuitis.* consulibus, qui tulerant. HABERI *censere* censuit senatus, haberi censere comitia. libentius omnino legerem sine dictione, Censere. PARTEM *eius* alijs placet, Patrem eius, ex Pediano: recte fortasse: uerũ ego hoc in Pediano, ut accurate legerim, tamen non comperi. filiũm quidem, Pacuuijs subscriptoribus, a C. Valerio Triario uideo accusatum, a Cicerone defensum: quo de Scauro agitur in hac epistola: cum eius pater Sullanis temporibus, adolescentulo Cicerone, perijsset. nec meas tamen aures offendit locutio, Cum partẽ eius defendissem: at ita locutus alibi Cicero non est, quid? non & alia sunt apud hunc ipsum singularia? SINGVLIS *diebus* singulos dies comitiales Q. Mucius Scaeuola tribunus pl. obnunciatione sustulerat: id autẽ, ne cum populo posset agi, itaq. comitia traherentur. omnes. n. magistratus de caelo seruandi potestatem habebant: quod & Cicero Philippica 2. & apud Nonium Varro significat. sic Milo tribunus pl. ne comitia aedilicia haberentur, obnunciauit se de caelo seruaturum. uide ep. 5. SATISFECERAT nummos distribuerat, ut ea liberalitate consul designaretur. QVI *occuparant* qui ante dederant: ut Domitius, Messalla, competitores. HAEC *negotia multarum nundinarum fore:* hoc pendet ex eo, Rem non habes nullã. magnum, inquit, hoc tibi uideri oporteret, tam frequentes esse largitiones, ut nundinae potius suffragiorũ, ac mercatus quidã comitiorum, quam populi iudicium in designandis magistratibus, uideantur. ANTIVM, *& Fauonium* Antiae gentis apud Plutarchũ, Appianumq. mentio reperitur. Fauonius aũt Catonis imitator dictus, qui de rep. quidquid sentiret, libere loqueretur. CATO praetor eo tẽpore. NIHIL *timueris* noli uereri, ne in senatu ita libere loquar, ut eos, qui rerum potiuntur, offendã. NON *fecisse uidentur.* reus, a iudicib. absolutus, is uerbis innocens pronunciabatur, Non uideri fecisse. ergo hic Drusum, & Scaurum dicit absolutos, Drusum de praeuaricatione, Scaurum de repetundis, Cicerone utrumque defendente. ep. 15. Hanc aũt absoluendi consuetudinem commemorat Cic. lib. 2. Acad. his uerbis: Quam rõnem maiorum ẽt comprobat diligentia: qui uoluerunt, quae iurati iudices cognouissent, ut, ea non esse facta, sed, uideri, pronunciarent. REI de ambitu. quattuor aũt rei fuerunt, non tres. ep. 2. l. 3. ad Q. fr. Q. POMPEIO *Rufo,* hic, occiso Clodio, acerbissimas conciones tribunus pl. habuit in Milonem, & Ciceronem. Pedianus in argũ Milonianae. A TRIARIO qui iã de repetundis eundem accusauerat. defendit eum Cicero ẽt de ambitu. Quinct. l. 4. c. 1. PRO *ijs dicere* cum eos de ambitu reos defendes. TRIBVS *libris* oratorijs. VT *opinionem habeas rerum* ut habeas, mea quae sit his de reb. opinio. FERENDVM *est* Gabinij turpem absolutionem significat. ILLE Pompeius, Gabinij amicissimus. MEAEQ. *dignitatis* cuius caussa constanter, & libere me gessi. QVOAD *mihi satisfactum esset* quoad mihi satisfecisset, usque, dum mihi satisfactum uidisset. ΠΟΡΠΑΠΥΜΗΑ ex perturbatis litteris corrigerem, πρῴρα, πρύμνα. uetus adagium est Prora & puppis, quo totum significatur, quod usurpauit ẽt in epistola ad Tironem: Mihi prora & puppis, ut in prouerbio Graecorum est, fuit a me tui dimittendi, ut rõnes nostras explicares. Quod Gabinius igitur absolutus sit, potissimum id fuit accusatorũ infantia. L. LENTVLI flaminis filij, ad Q. fr. ep. 1. & 4. lib. 3. L. F. ut distinguatur a L. Lentulo Crure, P. F. qui postea consul fuit. alibi, eadem caussa, flaminis filium appellat. IVDICIA *reliqua* erãt. n. de maiestate absolutus; sed praeterea de ambitu, & de repetundis accusabatur. uide ad Q. fr. ep. 2. & 3. lib. 3. NOBIS *gubernantibus* hoc est, quod dicit in epistola nona ad Lentulũ, Cum nostrae sententiae magnum in senatu pondus haberẽt usque ad Caesarem, & Bibulum cos. tum. n. quas gubernatores in puppi sedebamus? nunc uix est in sentina locus. VNVM Pompeium, cuius opes ẽt nocentissimos reos absoluunt. MVLTA *mihi dant solatia* multa mẽ consolantur, id aũt in primis, quod eos, qui mihi nullam gratiam retulerunt, inuidentes dignitati meae, magnis in remp. beneficijs quaesitae, nunc infinitã unius potentiam cernentes uideo disrumpi. DE *meo statu* de statu dignitatis meae. VNDE *ceciderim* casũm intelligit exsulij. PEDIBVS *trahuntur,* non laboro, ẽt si pessime administrentur. Sic locutus est in epistola ad Volumnium, fam. ep. 33. l. 7. STOMACHVS *ubi habitabat* ubi sedes irae fuit. CONCALVIT. calorem concepit ad concoquenda, quae dura sunt: idest, ut non ferenda feram tamen. Nonius legit, Concalluit: pro, callum obduxit: ut iã nulla res me ad iram adducat. Sic in epist. ad Varronem: Consuetudo callum obduxit stomacho meo. FLVIT *ad interregnum.* interrex creabatur, cum urbs sine consulibus, & reliquis patricijs magistratibus esset, ut is haberet comitia consularia; ijsq. comitijs consules creati, haberent comitia reliquorum magistratuũ. dum autem unus esset patricius magistratus, auspicia ad patres redire non poterant: ita nec creari interrex: quem & a patribus, & auspicato creari oportebat. Qua de re diximus in commentario in epistolas ad M. Brutum. *Fluit* : tendit. quia, cum haec scriberet mense Nouembri, nondum habitis consularib. comitijs, quae nec in exspectatione essent, futurum uidebatur, ut res usque eo protraheretur, ut, anno confecto, cum nulli consules essent, interrex comitiorum caussa crearetur. quod ita factum est. nam consules ex interregno creati Domitius, & Messalla, sicuti Appius quoque, & Ahenobarbus; itemq. Pompeius, & Crassus. Quod autem in antiquis libris, Fuit, legitur; falsum esse constat; probabilius autem, ut correximus, Fluit: siquidem in epistola ad Q. fratrem 2. libri 3. eadem de re eandem sententiam posuit, his uerbis: Res uidetur spectare ad interregnum. APVD *timidos iudices* quia a Põpeio, ad quem dictaturam delatum iri putabant, sibi timentes, si eius amicissimum Gabinium damnassent, absoluerunt. ad Q. fratrem epist. 7. lib. 3. GABINIVS qui & ipse de ambitu postulatur. epist. 3. lib. 3 ad Q. fratrem. P. SVLLA fortẽis, quem Cicero defendit, accusante Torquato. exstat oratio. QVIN *foris esset* quin accusatione excluderetur, Torquato de diuinatione contendente. Alij sic explanant: Non dubitans, quin Gabinius in urbem non introiret, sed foris maneret triumphi caussa, cum ex prouincia reuer-

teretur,

teretur. quod si fecisset, accusationem Sulla faciliorem sperabat. CONTRA *dicente*: } contenderunt Torquatus, & Sulla: ut accusandi munus alter alteri eriperet. obtinuit Sulla: cum id ante nõ sperasset. HOC *tamen agitur seuerius*: } non de parricidijs accipio, neq. de ambitus crimine accusatis, sed γενικῶς de omnibus reis. INDICIA } sic antiqui libri, non, Iudicia. quotidie, inquit, nocentes homines indicio produntur. MVLTI *alij* } quo modo, cum proxime dixisset, Omnes absoluentur, de multorum condemnatione subiecit? quia, Hoc tamen, scriptum est non eodem die, quo superiora. quasi. n. se corrigens, intulit. Hoc tamen agitur seuerius. VRBANI } per iocum: ut urbanos, & festiuos homines per iocum appellet; qui accusati ne responderent quidem; ne defensionem inutilem stulte dicerentur suscepisse. ET *tamen* } quã quam Gabinius absolutus sit. ABSOLVTO } maiestatis iudicio, Lētulo accusante: quod paullo ante cum scripsisset, de liberto condemnato per obliuionem omisit, hic omissum repetit, non suo loco. ad fratrem ep. 1. 2. & 3. libri III. SOLIDIS *pectoribus* } animi non infirmi; qui. postquam reus iudicatus est laesae maiestatis, statim magna libertate dixit, quae sequuntur. fuit aũt uel Graecum adagiũ, uel initiũ uersus ex aliquo uetere poeta. LEGE *Papia* } haec uidetur fuisse de maiestate. PONTINIVS } C. Pontinius, qui praetor fuerat Cicerone consule, moxq. in prouinciã Ciliciã legatus cum eo profectus est. Et uidetur ab urbe deriuatum nomen. nã, ut a Gabijs Gabius, & inde Gabinius, sic a Pomoetia Pomptinus & Pomptinius, siue Pontinius. utroque enim modo scribebatur, sicuti & trib. modo Pontina, modo Pomptina. AD IV. *nonas Nou.* } qui dies ludos plebeios primus, ut opinor, consequebatur. uide infra de ludis, ep. XI. l. 7. TRIVMPHARE } de Allobrogib. Dio lib. XXXIX. in oratione de prouincijs. CATO } M. Catonem hoc anno fuisse praetorem, & iudicium repetundarum in M. Scaurum exercuisse, perspicuum fit ex Pediano. itaque, quod sequitur, Praetor, mallẽ, Praetores. nam etiam ad Q. fr. lib. 3. ep. 4. Cato, & Seruilius praetores prohibituros se minantur. ut omittam, quod supra de Catone, & Seruilio praetoribus patet, ep. 14. MVCIVS } Scaeuola, ep. 16. LATVM *de imperio* } unius diei, quo ingressus urbem, triumphũ ducturus erat. alioqui imperium habere intra urbem licebat nemini. huius generis exemplum apud Liuium l. 45. his uerbis: Tribus his omnibus decretus ab senatu triumphus: mandatumq. Q. Cassio praetori, cũ tribunis pl. ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut ijs, quo die urbem triumphantes inueherentur, imperium esset. INSVLSE } quia legem de imperio Pontinij Ser. Galba praetor clã ante lucem tulerat: quod a Dione traditum est: &, agi quidquam cum populo ante horam primam, leges uetabant. APPIVS *consul* } eius amicissimus, ut apparet ex ep. 9. l. 3. fam. TRIVMPHARE } Bessarionis liber, Triumphaturum. utrumque recte. SINE *lege* } curiata: qua populus proficiscentib. in prouincias imperium dabat. ep. 9. lib. 1. ad Lentulum, & ep. 2. lib. 3. ad. Q. fr. CONFECTA *Britannia* } cũ Caesari, quod ageret in Britannia, reliquum nihil esset. PROXIMO } proximis diebus; cũ & alias ante accepisset. Sic Arcano, & Arcane; Commodo, & Commode; Assiduo, & Assidue; indifferenter ueteres dixere. ep. 6. l. 9. & 3. lib. 16. Quod itẽ obseruauit Carisius. PILIVS } Piliae propinquus, quã Atticus habebat in matrimonio. ep. 7. l. 8. fam. NOSTER, } Bessarionis liber, Non. placeret, Nostri; cũ sequatur, Tuorũ. VLLA *ueritas* } si praestare uis, quod promisisti. CICERO *meus* } quem Dionysius erudiebat. ep. 15. ILLVD } animaduertẽdum, esse in hac epistola multa inter se pugnantia: ut necesse sit aut pluribus dieb. scriptam, aut non unã esse.

Cicero S. D. Attico 17.

O EXSPECTATAS *mihi tuas litteras, o gratum aduentum, o constantiam promissi, & fidem mirã: o nauigationem amandam; quam mehercule ego ualde timebam, recordans superioris tuae transmissionis. sed, nisi fallor, citius te, quam scribis, uidebo. credo enim te putasse, tuas mulieres in Apulia esse: quod cũ secus erit, quid te Apulia moretur? nam Vestorio dandi sunt dies, & ille Latinus ἀττικισμὸς ex interuallo regustandus. quin tu huc aduolas, & inuisis illius nostrae reip. germanae putaui de nummis ante comitia tributim uno loco diuisis palam: uide absolutum Gabinium: uidetur esse ualiturum. De Messalla quod quaeris, quid scribam, nescio: numquam uidi tam pares candidatos. Messallae copias nosti, Scaurum Triarius reum fecit. si quaeris, nulla est magnopere commota συμπάθεια. sed tamen habet aedilitas eius memoriam nõ ingratam; & est pondus apud rusticos in patris memoriã. reliqui duo plebeij sic exaequantur, ut Domitius ualeat amicis, adiuuentur tamen non gratissimo munere, Memmius Caesaris commendetur militibus, Pompeij Gallia nitatur. quibus si non ualuerit: putant fore aliquem, qui comitia in aduentum Caesaris detrudat, Catone praesertim absoluto. Paccianae epistolae respondi. cognosce cetera. Ex fratris litteris incredibilia quaedam de Caesaris in me amore cognoui: eaq. sunt ipsius Caesaris uberrimis litteris confirmata. Britannici belli exitus exspectatur. constat. n. aditus insulae esse munitos mirificis molibus. etiam illud iam cognitum est, neq. argenti scrupulũ esse ullum in illa insula, neq. ullã spem praedae, nisi ex mancipijs: ex quibus nullos puto te litteris, aut musicis eruditos exspectare. Paullus in medio foro basilicã iã paene texuit ijsdem antiquis columnis: illam autem, quam locauit, facit magnificentissimam. quid quaeris? nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius: itaq. Caesaris amici, (me dico & Oppium: disrumparis licet) monumentũ illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus, & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus. sexcenties HS cum priuatis non poterat transigi. minore pecunia efficiemus rem gloriosissimam. nam in campo Martio saepta tribunicijs comitijs marmorea sumus, & tecta facturi: eaq. cingemus excelsa porticu, ut mille passuũ conficiatur. simul adiungetur huic operi Villa etiam Publica. Dicis, quid mihi hoc monumentũ proderit? ad quid laboramus res Romanas? non n. te puto de lustro, quod iam desperatũ est, aut de iudicijs, quae lege Plotia fiant, quaerere. Nũc te obiurgari*

 patere,

patere,si iure. scribis enim in ea epistola,quam C.Decimus mihi reddidit Buthroto datam,in Asiam tibi eundum esse,te arbitrari.mihi mehercule nihil uidebatur esse,in quo tantulum interesset, utrum per procuratores ageres,an per te ipsum:ne toties,& tam longe abesses. sed haec mallem, integra re,tecum egisse. profecto enim aliquid egissem.nunc reprimam susceptam obiurgationem.utinam ualeat ad celeritatem reditus tui.Ego ad te propterea minus saepe scribo,quod certum non habeo,ubi sis, aut ubi futurus sis.huic tamen nescio cui, quod uidebatur is te uisurus esse,putaui dandas esse literas. tu , quoniam iturum te in Asiam esse putas , ad quae tempora te exspectem,facias me certiorem uelim, & de Eutychide quid egeris. Vale.

EXPLANATIO

GRATVM *aduentum* } aduentum Attici in Italiam.Buthroti enim fuerat. infra. PROMISSI } hoc est,quod in proxima dixit,Si ulla est in te ueritas,aduentare iam debes. TRANSMISSIONIS} cum ex Italia in Graeciam cum periculo nauigasti. NAM *Vestorio dandi sunt dies*,} nam Puteolis merito pones aliquot dies in Vestorij nostri suauissima consuetudine;ut illius urbanitatem , & quasi Atticos sales ex interuallo regustes.Erat autem Vestorius Puteolanus:& Puteoli in uia,quae ex Apulia Romã fert. GERMANAE *puta uide* } etsi nihil immutaui:tamen non dubito,quin ita legendum sit:Germanam:peti uide. ut sit sensus.aduola, mi Attice,& inuise similem remp.reip.illi nostrae,quam laudare solebamus. dicit enim,Germanam illius nostrae reip.cum ironia,quasi prorsus dissimilem, & plane mutatam. deinde sequitur:Vide magistratus peti:nummis ante comitia tributim uno loco diuisis palã. Quae uerba si quis diligentius expendat,singula emphasim habere cognoscet.uide item,inquit, Gabinium absolutũ,cum nocentissimus esset.concedatur etiã,ut auctoritate floreat,& gratia. DE *Messalla*}consulatum petente.supra.REVM} de ambitu.nam de repetundis iam fuerat absolutus.ep.16.& ep.2.l.3. ad Q. fr. NVLLA *est, &c.*} nemo fere condoluit. AEDILITAS } Asconij uerba sunt : Aedilitatẽ summa magnificentia gessit, adeo,ut in eius impensas opes suas absumpserit,magnumq.aes alienum contraxerit. EST *pondus* } magni ponderis est,multum ualet apud rusticas tribus memoria Scauri patris,optimi,& clarissimi uiri,qui princeps senatus saepenumero electus est.absolutum patris egregia memoria, Valerius tradit lib. 8.c.1. DVO *plebeij*} nam Messalla,& Scaurus patricij;plebeij Domitius,& Memmius.ergo cum Messalla Scaurus,cum Domitio Memmius contendebat. ADIVVETVR } adiuuetur munere, tametsi non gratissimo. ep.16. CAESARIS *commendetur militibus* } ad suffragia uenientibus. POMPEII *Gallia* } forsan Pompeij Galliam eos colonos appellat,qui ab eius patre Strabone deducti sunt in Galliam: ut Galliã Pompeij dicat Pompeij clientes a patre relictos.suspicor tamen in dictione Pompeij mendum esse.non.n.fautor Memmij Pompeius;aduersarius potius,ut supra,ep.15.Pompeius fremit,queritur . SI *non ualuerit* } si Memmius intelliget, haec sibi ad consulatum obtinendum haud satis esse,tribunum pl. aliquem inueniet,qui,obnunciationibus interpositis,comitia in aduentum Caesaris detrudat.Sic ad Q.fr.ep.2.lib.3. Consules comitia habere cupiunt,rei nolunt,& maxime Memmius, quod Caesaris aduentu sperat se futurũ consulẽ.Aduentum autem Caesaris in Italiam intelligit,(nam Romam ingredi proconsul cũ imperio non poterat)quemadmodum uenit triennio post,ut M.Antonij,quaestoris sui,commendaret colonijs, & municipijs sacerdotii petitionem.lib.IIX.belli Gallici.CATONE *praesertim absoluto*} tribuni pl. iã nihil non audebunt,cum C.Catonem,qui nihil non ausus erat in tribunatu,uideant absolutũ.uel proprie de comitijs impediendis intellige.facile.n.ut id faciant,adducentur tribuni pl.cum Cato,qui tribunus pl.biennio ante comitia in annum sequentem detruserat,sit absolutus.ad Quinct. fr.ep.5.l.2. PACCIANAE *epistolae* } hic apparet,diuulsa esse,& alieno loco agglutinata harum epistolarum membra.nam Paccianae epistolae incipit respondere in epistola proxima superiore;ut,in hac quo modo respondere possit, non uideam. MVSICIS *eruditos* } sic ueteres libentius,quam , Arte musica. Lib.1.de or. In musicis numeri,& uoces,& modi.pro,in musica arte.Et in prooemio eiusdem libri: Quis musicis penitus se dedidit?pro,arti musicae.Et Tusc. V.Musicorum perstudiosum accepimus Dionysium ; poetam etiam tragicum.Terentius in Eun.Fac periculum in musicis.Hic lib.XII.Hominem remotum a dialecticis,in arithmeticis exercitatum. PAVLLVS} L.Aemilius Paullus,qui duas basilicas,ueterem restituit , nouam exstruxit. DISRVMPARIS *licet.*} inuidia:quia me uideas inter praecipuos esse Caesaris amicos, hominis florentissimi , nobilissimi. dictum quasi ioco. MONVMENTVM } quod:laxationem fori.ipse enim proxime sequentibus uerbis interpretatur. VT *forum laxaremus* } Suetonius haec de Caesare : Forum de manubijs inchoauit: cuius area HS super millies constitit. CONTEMPSIMVS } abiecimus : quia cum priuatis non poterat trãsigi sexcenties HS:& qui rem gloriosissimam,saepta scilicet in campo Martio marmorea, minore pecunia faciemus. Postea tamen cum priuatis transactum esse millies, idest , scutatorum tricies centenis millibus, e Suetonio , & Plinio cognoscitur . SEXCENTIES HS } decies octies centenis scutatorum millibus . CVM *priuatis* } quorum aedes,ut forum laxaremus,erant euertendae. TRIBVNICIIS *comitijs* } Caualcantis,& Bessarionis duo antiqui libri,Tributis comitijs.placet : ut, populum,qui ex regionibus,& locis ad suffragia conueniebat,(haec enim Tributa comitia dicta, docet Gellius ex libro Laelij Felicis) marmorea saepta , non, ut ante,lignea,concluderent. Qua de re plenius in libro nostro de Comitijs. AD *quid laboramus res Romanas?* } quorum igitur de rebus Romanis laboramus?qui enim hoc monumentum contemnit,apparet eum de rebus Romanis nihil laborare.sin autem laboramus;non est,ut hoc monumentũ contẽnere possimus. DE *lustro*}censores post cen-

sum

ſum urbem luſtrabat: ſed cenſum, luſtrumq. ſimul tribuni pl. obnunciationibus impediebant. epiſt. 10. Lege *Plotia* } qua iudicia inter tres ordines communicata, ſenatores, equites, plebem, declarat Aſconius his uerbis: M. Plautius Siluanus tribunus pl. Cn. Pompeio, Strabone, L. Porcio Catone coſ. anno II. belli Italici, legem tulit adiuuantibus nobilibus, qua lege tribus ſingulae ex eo numero quinos denos ſuffragio creabant, qui eo anno iudicarent. ex eo factum eſt, ut ſenatores quoque in eo numero eſſent, & quidam etiam ex ipſa plebe. Beſſarionis tamen liber, item Caualcantis, & Tertij, Lege Coctia. & ſane de lege Plautia, uix eſt ut putem intelligi poſſe: primum, quia non de genere iudicum queri Ciceronem exiſtimo, ſed de criminibus, quorum impunitatem improbi aſſequerentur. at lex M. Plautij Siluani tantum fuit de genere iudicum, de crimine nullo fuit. alia igitur haec. deinde, ideo hic de genere iudicum non agitur, quia iudicia hoc tempore non iam lege Plautia fiebant, ſed Aurelia, quã tulerat L. Aurelius Cotta Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Craſſo coſ. ut cum ſenatoribus ſimul equites Romani, & tribuni aerarij iudicarent. eaq. lege iudicatum eſſe in cauſſa Clodij, ſupra legimus lib. I. item in cauſſa Scauri apud Pedianum, in Miloniana, in alijs. Quod ſi, Plautia, legimus; ab alio Plautio latam intellige, qui tulerit non de iudicibus, ſed de certo crimine, & fortaſſe de ui, nam legis Plotiae de ui mentionem facit Coelius in epiſtola ad Ciceronẽ, fam. l. IIX. C. Domitius } ſic antea repoſui, C. Decimius, ut & Caualcantis, & Beſſarionis, & Tertij libri habent: primum, quia libenter ſequor ueterum librorum auctoritatem; deinde, quia, C. Domitius, mẽdoſe legi uideo. numquam enim Domitia gens Caio praenomine uſa eſt, ſed tantum Cnaeo, & Lucio; ut in Tranquillo legimus. Decimiae gentis mentio apud Liuium lib. 27. & 42. Ne *toties* } nondum in Italiam Atticus redierat, cum in Aſiam eundi conſilium cepit. Integra re, } ante quam ire in Aſiam decreuiſſes. Reprimam } quia futurum non ſpero, ut conſilium mutes. Reditus } ſi profectionem tuam impedire non poteſt, ſaltem ualeat ad celeritatem reditus. Qui *egeris.* } num eum libertate donaueris. ep. 15.

Cicero S. D. Attico. 18.

Puto te exiſtimare, me, non oblitum conſuetudinis, & inſtituti mei, rarius ad te ſcribere, quam ſolebam: ſed, cum loca, & itinera tua nihil habere certi uideo, neque in Epirum, neque Athenas, neque in Aſiam, neque cuiquam, niſi ad te ipſum proficiſcenti, dedi litteras. neque enim ſunt epiſtolae noſtrae, quae ſi perlatae non ſint, nihil ea res nos offenſura ſit: quae tantum habent myſteriorum, ut eas ne librarijs quidem fere cõmittamus. Lepidum quo excidat. Conſules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in ſenatu recitauit, quam ipſe ſuus competitor Domitius cum conſulibus feciſſet, ut ambo HS cccc conſulibus darent, ſi eſſent ipſi conſules facti, niſi tres augures dediſſent, qui ſe affuiſſe dicerent, cum lex curiata ferretur, quae lata non eſſet; & duos conſulares, qui ſe dicerent in ornandis prouincijs conſularibus ſcribendo affuiſſe, cum omnino ne ſenatus quidem affuiſſet. haec pactio nõ uerbis, ſed nominibus, & perſcriptionibus, multorum tabulis cum eſſe facta diceretur; prolata a Memmio eſt, nominibus inductis auctore Pompeio. hic Appius erat idem: nihil ſane iacturae. corruerat alter, & plane, inquam, iacebat. Memmius autem, dirempta coitione inuito Caluino, plane refrixerat, & eo magis nunc. concitare dictaturam, fauere iuſtitio, & omnium rerum licentiae. Perſpice aequitatem animi mei, & ludum, & contemptionem Seleucianae prouinciae, & meam hercule cum Caeſare ſuauiſſimam coniunctionem: haec. n. me una ex hoc naufragio tabula delectat. qui quidem Quinctum meum, tuumque, dij boni, quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia; non ſecus, ac ſi ego eſſem imperator. hibernam legionem eligendi optio delata commodum, ut ad me ſcribit. hũc tu non ames? quem igitur iſtorum? Sed, heus tu, ſcripſeram ne tibi me eſſe legatum Pompeio? & extra urbem quidem fore ex id. Ian.? uiſum eſt hoc mihi ad multa quadrare. ſed, quid plura? coram, opinor, reliqua; ut tu tamen aliquid exſpectes. Dionyſio plurimam ſalutem: cui quidem ego non modo ſeruaui, ſed etiam aedificaui locũ. quid quaeris? ad ſummam laetitiam meam, quam ex tuo reditu capio, magnus ex illius aduentu cumulus accedit. quo die ad me uenies, ſi me amas, apud me cum tuis maneas. Vale.

EXPLANATIO

Non *oblitum* } non quia ſim oblitus. Committamus. } ſcribendas demus. Excidat. } Excidant, Beſſarionis liber. locus deprauatus. Pactionem } pactio haec erat. Mẽmius, & L. Domitius Ahenobarbus cõſules fieri cupiunt: Appius aũt Claudius, & L. Domitius Ahenobarbus conſules id agunt, ut conſulatu functi in prouincias mittantur. promittunt igitur, ſe operã daturos, ut conſules creẽtur Memmius, & Caluinus: illi contra, ſe tres augures daturos, qui dicerent ſe affuiſſe, cũ lex curiata de imperio prouinciarũ ad populum ferretur; & duos cõſulares, qui ſe affuiſſe dicerent, cum ſenatuſconſultum de ornandis, & inſtruendis conſularibus prouincijs ſcriberetur: niſi hoc feciſſent, HS darent ambo quadringena Appio, & Ahenobarbo. Ipse *ſuus* } mallem, Ipſe, & ſuus: & paullo poſt, Feciſſent. Ambo } Mẽmius, & Domitius. HS Quadringena } quae ſunt omnino aureorum ſcutatorum duodecim millia. Consulibus } Ap. Claudio Pulchro, L. Domitio Ahenobarbo. Ipsi } Memmius, & Caluinus. Tres *augures* } nam, cum lex ad populum fertur, adſint neceſſe eſt, qui dicãt licere per Iouem legem ferri. tres autem plane, cum lex curiata ferebatur; quia XXX. curiae tres ueteres tribus repraeſentabant, quas ſingulas

las in denas curias Romulus diuisit. porro ueteres tribus suum quaeque augurem habuit. Liuius l. 10. QVAE *lata non esset* } augures igitur pretio erant adducendi, ut latam mentirentur. non licebat autem sine curiata lege militare imperium in prouincijs habere. ORNANDIS *prouincijs* } instruendis, ut solebat. CVM *omnino* } nam re uera neque lata curiata lex, neque senatus fuerat: sed, quasi utrumque fuisset, ita prouinciarum administrationem, & lege curiata, & senatusconsulto se daturos consulibus promittebant Memmius, & Caluinus, si modo ipsi essent consules facti. AFFVISSET } puto, Fuisset, rectius. NOMINIBVS } Nomen dicitur, quod in codicem refertur. PERSCRIPTIONIBVS } certa pecuniae promissione, ut cautum esset consulibus de HS quadringenis millibus. Hinc illud apud Terentium: Perscripsi omnibus, quibus debui. MVLTORVM *tabulis* } cum multi, Memmio, & Caluino amicitia, aut affinitate cōiuncti, solutionis promissione se obstrinxissent, perscriptione suis tabulis facta. ERAT *idem :* } ita non commouebatur, quasi nihil turpe commisisset. ALTER } alter consul Domitius Ahenobarbus. DIREMPTA *coitione* } coierant candidati Memmius, Caluinus cum Appio, & Ahenobarbo cos. eam coitionem Memmius inuito Caluino diremit, cum prolatam pactionē in senatu recitauit. REFRIXERAT } amiserat amicorum studia, cum illa pactionis enunciatio Caesarem offendisset. ep. 16. AEQVITATEM *animi mei* } quem uideas nihil his rebus commoueri. SELEVCIANAE *prouinciae* } nobilis prouinciae Ciliciae, quam Seleucus urbibus auxit. PERSPICE } uides enim, me nihil prorsus laborare, ut proconsul in Ciliciam mittar: quam alij tam turpi pactione quaerunt: cum ego multo ante consul fuerim, ideoq. multo, quam illi, facilius consequi possim. quare laudes uelim aequitatem animi mei, cum his pactionibus nihil commoueor. quod tibi argumento est, prouinciam a me contemni. nisi enim contēnerem, commouerer. ideo autem non commoueor, quia contemno. CONIVNCTIONEM } mira est, inquit, aequitas animi mei: neutram in partem ualde me iacto: & suauissimam cum Caesare coniunctionem tueri consilium est. Ex *hoc naufragio* } cetera cum amiserim, teneo, quasi tabulam ex naufragio suauissimam cum Caesare coniunctionem. HIBERNAM *legionem* } ut sumeret quam uellet legionem, in hiberna ducendam. COMMODVM } paullo ante: ut saepe apud hunc ipsum. SCRIBIT } Quinctus. LEGATVM *Pompeio* } ituro in Hispaniam, ei lege Trebonia in quinquennium anno superiore demandatam, quo tamen numquam iuit. De legatione autem frumentaria hic Cicero non loquitur. nam ea res triennio ante Pompeio mandata fuerat. epist. 1. lib. 3. ad Q. fratr. VT *tu tamen aliquid exspectes* } ne nunc ex meis litteris omnia cognoscas. AD *me* } hoc aut abundat, aut mendosum est. dicit enim, Cum Romam uenies. aut explana, Ad me, in aliquam uillarum mearum, ubi tum ero. Scripsit enim iam extra urbem se fore ex idibus Ian. Illud addo, omnes huius libri epistolas, praeter priores tres, perturbato esse ordine, neque solum ipsa corpora, uerum etiam membra: quae suum in locum singula restituere, neque audendum est sine uetustis libris, neque audentibus fortasse succederet.



IN · EPISTOLARVM
M · TVLLII · CICERONIS
AD
T · POMPONIVM · ATTICVM
LIBRVM . V.
PAVLLI . MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.

EGo uero & tuum in discessu uidi animum, & meo sum ipse testis: quo magis erit tibi uidendum, ne quid noui decernatur; ut hoc nostrum desiderium ne plus sit annuum. De Annio Saturnino curasti probe. De satisdando uero te rogo, quoad eris Romae, tu ut satisdes. & sunt aliquot satisdationes secundum mancipium, in his & Memmianorum praediorum, uel Atilianorum. De Oppio factum est, ut uolui, & maxime quod DCCC aperuisti: quae quidem ego utique uel uersura facta solui uolo; ne extrema exactio nostrorum nominum exspectetur. Nunc uenio ad transuersum illum extremae epistolae tuae uersiculum, in quo me admones de sorore. quae res se sic habet. Vt ueni in Arpinum, cum ad me frater uenisset, in primis nobis sermo, isq. multus, de te fuit. ex quo ego ueni ad ea, quae fueramus ego, & tu inter nos de sorore in Tusculano locuti. nihil tam uidi mite, nihil tã placatum, quã tum meus frater erat in sororem tuam; ut etiam, si qua fuerat ex ratione sumpta offensio, non appareret. Illo sic die: postridie ex Arpinati profecti sumus. ut in Arcano Quinctus maneret, dies fecit: ego Aquini. sed prandimus in Arcano. nosti hunc fundum. quo ut uenimus, humanissime Quinctus, Pomponia, inquit, tu inuita mulieres, ego acciuero pueros. nihil potuit, mihi quidem ut uisum est, dulcius, idq. cum uerbis, tum etiam animo, & uultu. at illa, audientibus nobis, Ego sum, inquit, hic hospita. id autem ex eo, ut opinor, quod antecesserat Statius, ut prandium nobis uideret. tum Quinctus, En, inquit mihi, haec ego patior quotidie. dices, Quid, quaeso, istuc erat? magnum, itaque me ipsum commouerat: sic absurde, & aspere uerbis, uultuq. responderat. dissimulaui dolens. discubuimus omnes praeter illam: cui tamen Quinctus de mensa misit; illa reiecit. quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi uisum est: & multa praetereo, quae tum mihi maiore stomacho, quam ipsi Quincto, fuerunt. ego inde Aquinum, Quinctus in Arcano remansit, & Aquinum ad me postridie mane uenit, mihique narrauit, nec secum illam dormire uoluisse, &, cum discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego uidissem. quid quaeris? uel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei, meo iudicio, illo die defuisse. Haec ad te scripsi fortasse pluribus, quam necesse fuit, ut uideres, tuas quoque esse partes instituendi, & monendi. Reliquum est, ut ante, quam proficiscare, mandata nostra exhaurias, scribas ad me omnia, Pontinium extrudas. cum profectus eris; cures, ut sciam. sic habeas, nihil mehercule te mihi nec carius esse, nec suauius. A. Torquatum amantissime dimisi Minturnis, optimum uirum: cui, me ad te scripsisse aliquid, in sermone significes uelim. Vale.

EXPLANATIO

IBAT Cicero proconſul, cum annuo imperio, in Ciliciam prouinciam, & ſenatus conſulto, & lege curiata datam, Sulpicio, & Marcello cos. Ac de tota Ciliciensi prouincia, locus poſtulat, ut paullo uberius agatur. nam, etſi prouinciam ſuam Cicero Ciliciam appellat; ſcire tamen oportet, primum non omnem Ciliciam Romanis, ſed partem quandam regibus ſubiectam fuiſſe; quam Veſpaſianus, ut ait Suetonius, in prouinciae formam redegit: deinde, ad Ciceronis imperium ſex praeterea dioeceſes pertinuiſſe, primum tres, Ciliciae proconſulibus, aut propraetoribus cum Cilicia attributas, Pamphyliam, quae Ciliciam attingebat, Lycaoniam, & Phrygiae maioris partem ultra Maeandrum; cum eius altera pars citra Maeandrum, ab eo, qui Aſiae praeerat, adminiſtraretur; deinde, tres alteras, Laodiceam, Cibyram, Apameam: quas ipſe uocat διοικήσεις Aſiaticas in epiſtola ad Seruilium, lib. 13. fam. Ex prouincia, inquit, mea Cilicienſi, cui ſcis τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas eſſe attributas, nullo ſum familiarius uſus, quam Androne Laodicenſi. Quibus uerbis conſtat, ex tribus dioeceſibus Aſiaticis Laodiceam unam fuiſſe; quae poſtea, ex priſtino more, ad imperium Seruilij, Aſiam regentis, translata eſt. nam, Aſiae Seruilium praefuiſſe, indicat idem in alia ad eundem epiſtola his uerbis: Si tibi utilius eſt, ideſt glorioſius, Aſiae praeeſſe, & iſtam partē reip. male affectam tueri. Septem igitur omnino dioeceſes complectebatur prouincia Ciceronis, Ciliciam ipſam, unde tota adminiſtratio nomen accipiebat, Pamphyliam, Lycaoniam, Phrygiae maioris partem ultra Maeandrum; tres praeterea, Laodiceam, Cibyram, Apameam, ipſas quoque Phrygiae maioris partes, ſed citra Maeandrum; quae ideo Aſiaticae uocabantur, quod antea in Aſiae adminiſtrationem includebantur. Et, quoniam de Cilicia ſatis conſtat, reliquarum exempla, ne qua ſuperſit dubitatio, ex ipſo Cicerone proferemus. De Pamphylia igitur in epiſtola 21. huius libri, ubi Pamphylium forum nominatur, & l. 1. de Diuin. De Lycaonia in eadem epiſtola, cum Iſauricum forum appellatur. Iſaurum enim in Lycaonia Strabo lib. 12. conſtituit. De eadem aperte in ep. 15. huius libri, & ep. 10. ad Appium, lib. 3. fam. De Phrygia in epiſt. 21. huius libri. nam, ad forum Synnadenſe Phryges conueniſſe, inde cōijcio, quod Synnadem in Phrygia maiore ultra Maeandrum ueteres Geographi ponunt. & ep. 1. l. 7. & 10. l. 11. fam. De Cibyra ep. 21. huius libri, ubi mentio fit fori Cibyratici. De Apamea ibidem, & ep. 16. 20. & lib. 3. fam. & alibi. Ne quis autem plures, quam ſeptem, in Ciceronis prouincia fuiſſe dioeceſes arbitretur, ipſius uerba recitabo, ex ep. 21. huius libri. Idibus Feb. forum inſtitueram agere Laodiceae, Cibyraticum, & Apamenſe: ex Id. Mart. ibidem Synnadenſe, Pamphylium, Iſauricum: ex Id. Maij in Ciliciam. Ex hoc loco ſeptem fora conſtant, Laodicenſe primum, Cibyraticum, Apamenſe, Synnadenſe, Pamphylium, Iſauricum, Cilicienſe, quamquam Cilicienſe non, ut reliqua, actum eſt Laodiceae, ſed in Cilicia, quo ſe iturum ſcribit poſt Idus Maij. & ep. 2. lib. 6. idem confirmat his uerbis: Hoc foro, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceae ad kal. Maij, omnium dioeceſium, praeter Ciliciae. Nec uero dubitandū eſt, quin forum etiam egerit in Cilicia, quo ſe perueniſſe ep. 4. l. 6. ſignificat. Idemq. de celeberrima urbe Laodicea credendum eſt, praeſertim cum in ea reliquarum dioeceſium forum egerit, ipſaq. inter tres Aſiaticas dioeceſes una nominetur in ep. ad Seruilium, lib. 13. fam. Quod enim ait Plinius l. 5. ad iuriſdictionem Cibyraticam Laodicenſes conueniſſe; conſuetudinem ſui temporis oſtendit, omnium paene rerum mutatione facta. nam, ſi Laodiceam ad forum Cibyraticum adiungimus; quaenam erūt tres dioeceſes Aſiaticae? non. n. de Pamphylia, aut Lycaonia, aut Phrygiae maioris parte, trans Maeandrū, in qua Synnadem urbem fuiſſe diximus, licet ſuſpicari. nam & Lycaoniam, & Phrygiam trans Maeandrum ad Ciliciae adminiſtrationem pertinuiſſe, iam oſtendimus. Pamphyliam uero ideo non fuiſſe inter Aſiaticas dioeceſes conſtat, quod eam P. Seruilius Iſauricus cum Cilicia, & Piſidia, & Phrygia trans Maeandrum ad populi R. ditionem adiunxit, multis annis poſt Aſiam ab Attalo rege Romanis legatā. ideo ſemper eas nationes unus rexit, tamquam unam prouinciam. Aſia uero, quae Attali fuerat, modo tota a propraetoribus, aut proconſulibus Romanis eſt adminiſtrata, ut a P. Seruilio, Iſaurici, quem proxime nominauimus, filio: cuius in prouincia Laodiceam fuiſſe, iam ſignificauimus: &, opinor, a Q. Cicerone, a quo Epheſum, & Apameam ſimul cum reliqua Aſia gubernatas eſſe conſtat: modo non tota, ſed ademptis tribus dioeceſibus, Cilicienſi prouinciae attributis. Quaeſtio ſupereſt de Piſidia, & Cypro inſula, quae ad Ciceronis imperium ipſae quoque pertinēt, nec tamen inter dioeceſes nominantur: de quibus utriſque dicam, quod ſentio. Propriam non fuiſſe Piſidiae dioeceſim, ſed cum Pamphylia coniūctā, exiſtimo, eo quidem magis, quod Piſidiae pars libera erat. In quam ſententiam illa me uerba ep. 5. l. 6. adduxerunt: Exercitum infirmum habebam, auxilia ſane bona, ſed ea Galatarum, Piſidarum, Lyciorum. certe enim non ſubiecti Ciceronis imperio Piſidae, cum inter auxiliares numerentur. alteram uero Piſidiae partem ut a Cicerone adminiſtratam putem, commoueor ijs uerbis libri 1. de Diuin. Cilicum, & Piſidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipſi. Cyprum uero Ciceroni, & ante eum Appio, ac Lentulo attributam fuiſſe, cognoſcitur ex epiſtola prima lib. 6. & ep. 7. l. 15. fam. cuius inſulae incolas ad aliarum dioeceſium fora non licebat euocari; ſed eo mittebat aliquem de ſua cohorte, is, qui Ciliciam regebat. hoc ab ipſo Cicerone didici, qui epiſtola ultima huius libri, Q. Voluſium, inquit, miſi in Cyprum, ut ibi pauculos dies eſſet; ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius ſibi dictum negarent. nam euocari ex inſula Cyprios non licet. Cyprus uero lege P. Clodij tribuni pl. Piſone, & Gabinio cos. Ptolemaeo regi ablata, prouincia praetoria, ut ait Strabo l. 14. facta eſt: & in

eam

iam M. Cato missus, quaestor cum iure praetorio, ut l. 2. tradidit Velleius: postea Ciliciae proconsulibus, Lentulo, Appio, Ciceroni tradita: postremo a quaestoribus uidetur administrata: ut ep. 48. l. 13. fam. IN *discessu* } cum a tuo complexu in Tusculano diuulsus sum, in prouinciam Ciliciam proficiscens. NE *quid noui* } ne prorogetur annuum prouinciae tempus: quod esset nouum, & inusitatũ. DESIDERIVM } urbis, & meorum. SATISDATIONES *secundum mancipium*, } puto eas esse, quae de rebus mancipio emptis, pretio nondum soluto, fiant. nam, etsi mancipia uenditor possidet ab emptore data, quia tamen ea possunt fieri deteriora, ut deinde eiusmodi non inueniantur, qualia emptor promiserit; satisdationem secundum mancipium uenditor quaerit, ut sibi de mancipijs caueatur. PRAEDIORVM } pro quib. Mẽmius, & Atilius cum ab emptoribus mancipia accepissent, satisdatione praeterea de mancipiorum probitate, & fructu sibi caueri uoluerunt. DE *Oppio* } Cicero Caesari debebat HS DCCC, idest aureorum uiginti quattuor millia. exigebat Oppius absentis Caesaris nomine, cuius inter amicos praecipuum locum obtinuit. ep. 4. & l. 6. fam. ep. 8. APERVISTI } exposuisti, ostendisti te daturum, si urgeret. ep. 4. VERSVRA *facta* } uersuram facit, qui, uetus ut aes alienum soluat, nouum contrahit. fit. n. conuersio quaedã, & mutatio creditoris. NOSTRORVM *nominum* } pecuniae mihi ab alijs debitae. cuius exactionem si exspectare uellem, sine uersura DCCC soluerentur. TRANSVERSVM *uersiculum* } cum pagina, uersibus recto ordine subsequentibus completa, nihil ultra capit; tum, si quid eiusmodi superest, quod multorum uerborum non sit, scribere solemus de transuerso. DE *sorore* } tua, Quincti fratris uxore. EGO, *& tu* } ut inter fratrem meũ, & sororem tuam uterque gratiam componeremus. DIES *fecit* } non dies in uesperum iã uergens, (nam & Marcum fratrem eadem caussa in Arcano retinuisset) sed dies festus Arcani pagi, quẽ sibi Quinctus in suo fundo celebrandum putauit. MVLIERES, } Terentiam, & Tulliolam, quae Ciceronem prosequebantur. PVEROS } Quinctum filium, & Marcum, fratris filium. HOSPITIA } itaq. inuitãdi partes meae non sunt. STATIVS } libertus Quincti, gratiosissimus apud eum, ideoq. uxori odiosus. VIDERET } pararet, curaret, ut alibi. Sic & Graeci loquuntur. nam Theocritus ἐν τῷ ιιδ. ιι, Ορη δῖππον ἰωνδ' αὐτῷ. QVID *quaeso, istuc erat? magnum, itaque me ipsum commouerat.* } plane, & dilucide: ueteres tamen libri aliter, & hic, & in alijs locis, ubi nos ex ingenio, Quaeso, pro Quasi, reposuimus. ut in Oratore, Quem, quaeso, nostrum fefellit ita uos esse facturos? & in Bruto: Quid, Quaeso, nos aliud fugimus? & in ep. ad Hirtium, apud Nonium: Dicis, quid, quaeso, istuc intererat? nescio: nisi tamen erat mihi iucundum. Hic quidẽ, & in antiquo libro, & in omnib. ante nostrã correctionem impressis ita legitur, ac distinguitur: Dices, quid? quasi istuc erat magnũ. quod ita sententiam perturbat, ac dissoluit, ut probari non possit. de nostra coniectura docti homines iudicent, quã ab antiquis libris dissentire, ingenue fatemur: nec tamẽ eo minus arridet: quippe cum in oratione pro Roscio Am. scriptũ uideamus: Quid, quaeso, eius intererat? quae sunt eadem uerba in ep. ad Hirtium, de qua mentionem fecimus. DISCVBVIMVS *omnes, praeter illam:* } ergo mulieres quoq. discũbebant. Valerius Max. l. 2. c. 1. Tacitus l. 4. ANTEQVAM *proficiscare* } in Epirum. PONTINIVM } legatum meũ. Quattuor legatos habuit Cicero in Ciliciensi administratione, C. Pontinium, M. Anneium, L. Tullium, Ciceronem fratrem. fam. ep. 4. l. 15.

Cicero S. D. Attico. 2.

AD VI. id. Mai. cum has dabam litteras, ex Pompeiano proficiscebar, ut eo die manerem in Trebulano apud Pontium. deinde cogitabam sine ulla mora iustis itinera facere. In Cumano cũ essem, uenit ad me, quod mihi pergratum fuit, noster Hortensius: cui, deposcenti mea mandata, cetera uniuerse mandaui, illud proprie, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis prouincias in quo eum tu uelim confirmes, gratumque mihi fecisse dicas, quod & uenerit ad me, & hoc mihi, praeterea q. si quid opus esset, promiserit. confirma ui ad eam caussam etiam Furnium nostrum; quem ad annum tribunum pl. uidebam fore. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam: tanta erat in his locis multitudo; cum interim Rufio noster, quod se a Vestorio obseruari uidebat stratagemate hominem percussit: nam ad me non accessit. ita ne? cum Hortensius ueniret, & infirmus, & tam longe Hortensius, cum maxima praeterea multitudo, ille non uenit? non, inquam. non uidisti igitur hominem? inquies. qui potui non uidere, cum per emptorium Puteolanorum iter facerem? in quo illum, agentem aliquid, credo, salutaui; post etiam iussi ualere, cũ me e Pansae uilla, num quid uellem, rogasset. hunc hominem parum gratum quisquam putet? aut non in eo ipso laudandum, quod audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Noli putare, mihi aliam consolationem esse huius ingentis molestiae, nisi quod spero non longiorem annua fore. hoc me ita uelle multi non credunt, ex consuetudine aliquorum. tu, qui scis, omnem diligentiam adhibebis, tum scilicet, cum id agi debebit. cum ex Epiro redieris, de rep. scribas ad me uelim, si quid erit, quod operaire. non dum enim satis huc erat allatum, quo modo Caesar ferret de auctoritate perscripta: eratq. rumor de transpadanis, eos iussos IV. uiros creare. quod si ita est, magnos motus timeo: sed aliquid ex Pompeio sciãm. Vale.

EXPLANATIO

IVSTA *itinera* } non, ut adhuc, interrupta, aut inaequalia, sed quantũ procedi quotidie posset, quantũ iustis, i. satis longis itineribus possem. MEA *mandata*, } ut mandarem, si quid eũ, me absente, curare uellem. NOBIS *prouincias.* } nobis, qui prouincias administramus. γενικῶς de prouinciarum rectorib. dixit

Q nam

nam ipse unam habuit prouinciam Ciliciam, aut, Prouincias, quia simul habuit Cyprum, & dioeceses tres Asiaticas, Pamphyliam, Lycaoniam, Isauriam, tutelam regis Cappadociae. AD *annum* } sic locutus est libro III. de oratore: Vt tibi Caesar faciendum est ad annum. TRIBVNVM *pl.* } qui, si quis uellet prouinciarum tempora prorogare, posset intercessionem impedire. RVFIO *noster* } hic est C. Sempronius Rufus, de quo in epist. fam. ep. 8. l. 8. quem hic per iocum appellat Rufionem. quoniam autem cum Vestorio nescio quid ei erat controuersiae, arbitrum statuerant Ciceronem, ut cognosceret. deinde, cum Sempronius se a Vestorio uideret obseruari, (obseruabat autem Vestorius, ut, si Ciceronem Sempronius adijsset, statim & ipse accurreret, transigendaeq. controuersiae arbitrum moneret: quod Rufio nolebat, ut qui se non bonam habere caussam intelligeret) hominem stratagematae fefellit: nam ad Ciceronem non accessit. hunc Cicero gratissimum sibi fecisse dicit, quod de controuersia audiri noluerit, idest, quod ad se arbitrum non accesserit, ut de controuersia, quam habebat cum Vestorio, transigeret. in quo quasi gratiam referre Ciceroni pro accepto beneficio uisus est, quod eum audiendi molestia liberauerit. Hic Rufio per iocum a Cicerone uocatur Vestorianus ep. 14. l. 14. ob insignem, & diuturnam cum Vestorio controuersiam. TAM *longe* } Baulis in Cumanum. Baulis enim habuisse uillam Hortensium, constat ex Varrone, lib. III. de re rustica, etiam ex Academicis. HORTENSIVS } hic non hominem, sed dignitatem indicat. AGENTEM *aliquid* } ementem, aut uendentem, ut in emptorio. E PANSAE *uilla* } Caualcantis liber, Epense uilla, corrupte, sed unde facile possit erui uera lectio. Bessarionis, Expense sua uilla. ut aut legi possit, Exiens e sua uilla: aut, quo modo ego correxi Caualcantis librum secutus, E Pansae uilla. NVM *quid uellem,* } num quid sibi mandarem, proficiscens in prouinciam. INGENTIS *molestiae,* } prouincialis. ALIORVM } quibus prouinciarum administratio, quo longior, eo, rapinarum spe, gratior. DE *auctoritate perscripta.* } Senatus auctoritas quid sit, aperiendum est. Cum aliquid senatorum maior pars decreuerat, S.C. scribebatur, nisi tribunus pl. aliquis intercederet. intercedente, S.C. non erat, sed scribebatur tamen, quod senatus eo die statuisset; eaq. Perscripta auctoritas dicebatur. Ergo, cum senatus decreuisset, M. Marcello consule referente, ut Caesari Gallias obtinenti ante tempus succederetur, itemq. ne absentis ratio comitijs consularibus haberetur, intercesserunt tribuni pl. itaque S.C. non est factum, sed auctoritas perscripta. Hac de re legendus Dio lib. XLI. & quae in Commentario in familiares Ciceronis epistolas diximus. IVSSOS IV. *uiros creare* } ut, cum essent omnes Latinae coloniae, aliquam, creatis IV. uiris, municipiorum formam acciperent. nam IV. uiri municipiorum erat, non coloniarum, magistratus, ut Romae consules. (ep. XI. l. X.) id erat inducere paullatim eos in iura ciuium Romanorum, ut & suffragij ferendi, & petendi honores facultatem, Latinis colonijs negatam, municipijs, & Romanis colonijs concessam, adipiscerentur. semper enim Caesar, quod e Suetonio quoque constat, id spectauit, ut Transpadani, idest Latinae coloniae, ciuitate donarentur, ut qui etiam Nouum Comum Romanam coloniam consul miserit. De transpadanis autem cum a senatu numquam impetrasset, postea, rerum potitus, effecit, ut apud Dionem scriptum est. Ideo infra ep. 7. l. 7. in partibus Caesaris Transpadanos numerat. & fam. l. 16. Gallias habet inimicissimas, praeter Transpadanos. Nec dubito M. Coelium in epist. ad Cic. de his comitijs, quibus IV. uiri crearentur, significare, cum ait: Illi rumores de comitijs Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt. IVSSOS } a Caesare, cuius in prouincia erant coloniae Transpadanae. MAGNOS *motus* } quod auderet Caesar sine senatus auctoritate iura municipiorum, idest ciuitatis Romanae, municipijs dare. Ex *Pompeio* } cum quo Tarenti sermonem habuit de rep. ep. 5.

Cicero S. D. Attico. 3.

AD VI. id. Mai. ueni in Trebulanum ad Pontium. ibi mihi tuae litterae binae redditae sunt tertio abs te die. eodem autem ex Pompeiano Philotimo dederam ad te litteras. nec uero nunc erat sane, quid scriberem. qui de rep. rumores, scribe quaeso. in opidis enim summum uideo timorem. sed multa inania. quid de ijs cogites, & quando, scire uelim. Ad quas litteras tibi rescribi uelis, nescio. nullas enim adhuc acceperam, praeter quae mihi binae semel in Trebulano redditae sunt. quarum alterae edictum P. Licinij habebant, (erant autem nonis Mai. datae) alterae rescriptae ad meas Minturnenses. quam uereor, ne quid fuerit σπουδαιότερον in ijs, quas non accepi, quibus rescribi uis. Apud Lentulum ponam te in gratiam. Dionysius nobis cordi est. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. Iam deest, quid scribam: & lucet. Beneuenti cogitabam hodie. nostra continentia, & diligentia faciemus satis. A Pontio, ex Trebulano, ad V. id. Mai.

EXPLANATIO

QVID *de ijs cogites, & quando,* } quid futurum putes de ijs rumoribus, & quando futurum. EDICTVM *P. Licinij* } edictum prouinciale, ut edictum Asiaticum Q. Mucij. ep. 1. l. 6. Ex ijs edictis Cicero, quidquid utile prouinciae putaret, in suum edictum transferebat. DIONYSIVS } Ciceronum puerorum magister, qui & ipse cum pueris in prouinciam proficiscebatur. NICANOR } Attici seruus. ep. 2. l. 6. CONTINENTIA, *& diligentia* } in administranda prouincia. A PONTIO, } cum essem apud Pontium.

Cicero S. D. Attico. 4.

BENEVENTVM *ueni ad v.id.Mai.ibi accepi eas literas,quas tu ſuperioribus litteris ſignificaueras te dediſſe:ad quas ego ipſo eo die dederam ex Trebulano a Pōtio. ac binas quidē tuas Beneuēti accepi. quarū alteras Faeſulanus multo mane mihi dedit, alteras ſcriba Tullius.Gratiſſima eſt mihi tua cura de illo meo primo,& maximo mandato : ſed tua profectio ſpem meā debilitat.ac ne illud quidem labat, non quo, ſed inopia cogimur eo contenti eſſe.De illo altero, quem ſcribis tibi uiſum eſſe non alienum,uereor adduci,ut noſtris poſſit (& tuis δυσδιάγνωστον πρὸς νοῦν eſſe, & quidem ſumme facilis. ſed tu aberis, & me abſente rei habebis rationem meae.nam poſſet aliquid, ſi uteruis noſtrū adeſſet,agente Seruio fieri probabile.nūc,ſi iam res placeat,agendi tamen uiam non uideo. Nunc uenio ad illā epiſtolam,quam accepi a Tullio.De Marcello, feciſti diligenter.igitur S.C.ſi erit factum, ſcribes ad me : ſin minus;rem tamen conficies.mihi enim attribui oportebit, item Bibulo. ſed non dubito, quin S. C. expeditum ſit, in quo praeſertim ſit compendium populi. De Torquato,probe.De Maſone,& Ligure,cum uenerint.De illo,quod Cherippus : (quoniam hic quoque πρὸς νοῦν ſuſtuliſti) o prouincia:etiam ne hic mihi curandus eſt? curandus autem? hactenus, ne quid ad ſenatum.conſule,aut numera.nam DC ceperis.ſed tamē commode,quod cum Scrofa. De Pontinio, recte ſcribis. eſt enim ita,ut,ſi ante Kal.Iun. Brundiſij futurus ſit, minus urgendi fuerint M.Annius,& Tullius.Quae de Sicinio audiſti,ea mihi probantur ; modo ne illa exceptio in aliquem incurrat bene de nobis meritum.ſed conſiderabimus.rem enim probo.De noſtro itinere, quod ſtatuero : de quinque praefectis,quid Pompeius facturus ſit;cum ex ipſo cognoro,faciam,ut ſcias. De Oppio bene curaſti,quod ei CC∞ expoſuiſti:idque,quoniam Philotimum habes, perfice, & cognoſce rationem : &, ut agam amplius,ſi me amas,prius quam proficiſcaris, effice.magna me cura leuaris.Habes ad omnia.& ſi paene praeterij.Chartam tibi deeſſe, mea cautio eſt,ſiquidē eius inopia minus multa ad me ſcribis.tu uero aufer ducentos.etſi meam in eo parcimoniam huius paginae contractio ſignificat,dum acta,& rumores uellent.iam, ſi qua certa habes de Caeſare,exſpecto litteras ; & alias Pontinio de omnibus rebus diligentes dabis. Vale.*

EXPLANATIO

SCRIBA] meus,M.Tullius Laurea.Plinius. PRIMO, *& maximo mandato:*] de Tulliae matrimonio. Ac *ne illud*] cum in Beſſarionis libro ſcriptum uideam,Ac me illud quidem labat,fit, ut ita corrigendum putem,Ac ne illud quidem labat. hoc ſenſu, Ac ne illud quidem,de quo ante diſceſſum meum collocuti ſumus,ex animo excidit,ſed haeret. NON *quo,*] ſubaudi,probem. CONTENTI *eſſe.*] ut ei Tulliola matrimonio iungatur. hoc enim intelligit. NON *alienum,*] a Tulliae nuptijs. VT *noſtris poſſit*] uereor, ut is adduci poſſit, ut noſtris mulieribus,Tulliae,& Terentiae,in conſuetudine obſequatur:etſi ſumme facilis ſit.generum.n.Cicero cupiebat,cuius comitate,& obſequio mulieres laetarentur. quod infra ſcribit de Dolabella,ep.6.l.6. ET *tuis δυσδιάγνωστον*] & quod ſcribis,tuas mulieres putare generum fore, qualem noſtrae maxime uelint;id eis difficile cognitu. *πρὸς νοῦν eſſe,*] ad aſſenſum ; ad obſequium : ut aſſentiatur,ut obſequatur noſtris mulieribus. ET *quidem ſumme facilis.*] horum uerborum iam ſententiā oſtendi:ſed antiqua lectio, Equidem ſum facilis.cuius hic eſt ſenſus : quemquem illae probabunt, ego probabo, facilis in omnes partes. REI *habebis rationem meae.*] ſuſpecta ſententia eſt,eo magis, quod in antiquis Beſſarionis,& Tertii libris uideo ſcriptum,Res habebis mirationem nam. Suſpicionem autem de mendo facit, quod,cum ſcribat Atticum abfuturum,deinde ſubiungit:Rei habebis rationem meae. qui.n.ſi abfuturus eſt,Atticus rem Ciceronis poterit curare? AGENTE *Seruio*] libri tres ueteres, Agente Seruilio Seruio.ut ſenſus ſit:negotium ſuſcipientibus P.Seruilio Iſaurico, & Ser. Sulpicio, grauiſſimis uiris,& ſumma auctoritate praeditis,nobiſq.haud uulgari amicitia coniunctis ; poſſet aliquid fieri probabile: ſed,utroque noſtrum abſente,neque Seruilius aget,neque Seruius.Et,ut ſine copula duo nomina iungantur, ita Ciceroni uſitatum eſt,ut exempla recitare putidum uideatur. DE *Marcello,*] M.Claudio Marcello conſule,collega Ser.Sulpicij. S. C. SI *erit factum,&c.*] ſi decreuerit ſenatus, ut omnibus prouinciarum rectoribus ſupplementum ſcribatur. REM *tamen conficies.*] ages tamen de ſupplemento. nam certe,ut de ceteris ſenatus non probet,mihi tamen,& Bibulo,qui proconſul in Syriam ibit, attribui oportebit. Attribui,autem explano,pecuniam:cum ſequatur, Compendium populi. PROBE.] quod ei in ſermone ſignificaſti, me ad te de eo ſcripſiſſe.ep.1. CVM *uenerint.*] ages cum ijs. QVOD *Cherippus.*] ſubaudi,de me locutus eſt. HIC *quoque πρὸς νοῦν ſuſtuliſti*] ne hic quidem ſcripſiſti, quid mihi agendum putes, ſicuti nec de illo ſcripſeras,qui tibi a Tulliae nuptijs uiſus erat non alienus. Suſtuliſti igitur *πρὸς νοῦν*, ideſt,non ſcripſiſti, ad aſſenſum tuum quid ſit, quid tibi uideatur agendum, quid probes. O PROVINCIA:] cum indignatione.etiam ne,inquit,quid Cherippus libertus de me cogitet, aut dicat,mihi curandum eſt? HACTENVS, *ne quid ad ſenatum.*] hactenus mihi eſt curandus ; ne, ſi a nobis contemnatur,impulſus ab eo patronus eius conſul ad ſenatum referat de ſupplemento non attribuendo.& protulit cum dolore. *Hactenus ne quid ad ſenatum:* quaſi maxime curandus, cum tanta res agatur. CONSVLE, *aut numera.*] aut conſilium mihi, Attice, da, quo pacto me geram : aut, alia uia ſi non eſt, pecuniam liberto numera.minimū in eo dānī faciemus: nam capies eum DC nūmis ſeſtertiis.i.pecuniae noſtratis aureis XIIX. (& poſuit exigui numeri notas, non quae pecuniam definirent, ſed quae pecuniae minimum ſignificarent) qua ſumma facile adducetur, ut patrono ſuo, quod contra exiſtimatio-

nem, aut uoluntatem nostram sit, (puta, de non dando supplemento, aut de prorogāda prouincia) nihil persuadeat. Ceperis, autem ex ingenio legimus, non, Ceteris, mutatione fere nulla: & DC pro DE. qui error etiam est in uulgatis libris, ex antiquarum notarum ignoratione, & litterarum similitudine ortus. QVOD *cum Scrofa,* } subaudi, locutus de illo, quod Cherippus de me dixit. Scrofa autem, Tremelliorū cognomen. MINVS *urgendi* } C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius legati Ciceronis in prouincia fuere: sed Pontinius honoris gradu praestantior: nam & praetor fuerat. & triumphauerat. Videtur igitur Atticus hoc scripsisse: debere Ciceronem, si Pontinius ante Kal. Iun. Brundisij futurus sit, eo comite contentum esse, & minus urgere Anneium, ac Tullium: qui deinde suo commodo ad eum, uel in Graeciā, uel in Ciliciam ire possent. nam, si dignitas in comitatu quaeretur, Pontinij maior, quam ceterorum. ANNIVS, *& Tullius* } legatos suos significat, sed nominat Anneium ep. 15. l. 15. fam. RECTE *scribis* } scripserat Atticus; quoniam Brundisij ante Kalendas Iunias Pontinius legatus futurus esset, ut inde in prouinciam profecturus transijceret; non fuisse caussam, cur Cicero reliquos legatos urgeret, Annium, & Tullium quamquam, cum in epist. fam. legatur Anneius, pro Annius; necesse est alterutrum esse mendosum. DE *Sicinio* } hunc puto peritum fuisse in conscribendis edictis prouincialibus. NE *illa exceptio* } exceptionem quandam dixerat Sicinius in edicto sibi placere: quae Ciceroni suspecta erat, ne forte in amicum negotiatorem, aut publicanum, cum damno incurreret. QVINQVE *praefectis,* } uide ep. 7. DE *Oppio* } uide epist. 1. QVONIAM *Philotimum habes* } libertum Terentiae, qui te huius oneris parte leuabit. COGNOSCE *rationem* } uide, quantum debeam. ET, *ut agam amplius,* } &c, ut uehementius a te contendam. Deinde intulit, Si me amas. PROFICISCARIS } ex urbe. ep. 4. PAENE *praeteriti.* } paene ad eā partem non rescripsi, in qua chartam scribis tibi deesse. MEA *cautio* } mea interest cauere, ne tibi charta desit. DVCENTOS } sestertios nummos ad emendam chartam. sume de meo ducentos; ut posthac lōgiores a te litteras accipiam, quibus & de meis, & de publicis rebus certior fiam. VELLET } a te quaerere.

Cicero S. D. Attico. 5.

PLANE deest, quod scribam. nam nec, quid mandē, habeo; nihil enim praetermissum est: nec, quid narrem; noui enim nihil: nec iocandi locus est; ita me multa solicitant. tantum tamen scito, idibus Mai. nos Venusia mane proficiscentes, has dedisse. eo autem die credo aliquid actum in senatu. sequantur igitur nos tuae litterae, quibus non modo res omnes, sed etiam rumores cognoscamus. eas accipiemus Brundisij: ibi enim Pontinium ad eam diem, quam tu scripsisti, exspectare consilium est. Nos Tarenti quos cum Pompeio διαλόγους *de rep. habuerimus, ad te perscribemus. etsi id ipsum scire cupio, quod ad tempus recte ad te scribere possem, id est, quam diu Romae futurus sis; ut, aut quo dem posthac litteras, sciam, aut ne dem frustra. Sed ante, quam proficiscare, utique explicatum sit illud, HS XX & DCCC. hoc, uelim, in maximis rebus, & maxime necessarijs habeas; ut, quod auctore te uelle coepi, adiutore assequar. Vale.*

EXPLANATIO

QVID *narrem; noui enim nihil:* } coniectura ducti, sic correximus. ueteres libri, Noui enim mihi. nostram correximus non dubito quin docti probent, eo magis, quod in epistola sequenti idem scribit: Nec tamen iam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. mandaui omnia, quae quidē, ut polliceris, exhauries: narrabo, cum aliquid habebo noui. Terui liber, Nec, quid narrem, noui. etenim, mihi &c. EO *autem die* } nā fere senatus nonis, idibus, Kalendis habebatur. HS XX & DCCC. } quae Caesari debemus. ep. 1. QVOD *auctore te uelle coepi,* } Caesaris amicitiam auctore te sum amplexus. hinc illud ep. 5. l. 4. Te auctore resipui. ADIVTORE } in soluenda pecunia. sic enim amicitia retinebitur.

Cicero S. D. Attico. 6.

TARENTVM ueni ad XV. Kal. Iun. quod Pontinium statueram exspectare, commodissimum duxi, dies eos, quoad ille ueniret, cum Pompeio consumere, eoq. magis, quod ei gratum esse id uidebam, qui etiam a me petierit, ut secum, & apud se essem quotidie: quod concessi libenter multos enim eius praeclaros de rep. sermones accipiam: instruar etiam consilijs idoneis ad hoc nostrum negotium. Sed ad te breuior iā in scribendo incipio fieri, dubitans, Romae ne sis, an iam profectus. quod tamen quoad ignorabo, scribam aliquid potius, quam committam, ut, tibi cum possint reddi a me litterae, non reddantur. nec tamen iam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. mādaui omnia; quae quidem tu, ut polliceris, exhauries: narrabo, cum aliquid habebo noui. illud tamen non desinam, dum adesse putabo, de Caesaris nomine rogare, ut confectum relinquas. auide exspecto tuas litteras, maxime, ut norim tēpus profectionis tuae. Vale.

EXPLANATIO

CVM *Pompeio* } quid agebat hoc tēpore Pōpeius Tarenti? ualetudini recuperandae operā dabat, cum grauissime prope urbem Neapolim laborasset, post tertiū consulatum. Plutarchus, Cicero Tusc. 1. & hic

hic ep. 15. lib. 8. SECVM, *& apud se.* } & consuetudinem, & domum significat, ut in epistola sequenti, Cum Pompeio, & apud Pompeium. nam, Apud se, est domi suae: unde illud in libro de Faio: Cum esset apud se ad Lauernium Scipio, acipenser est ei allatus. NOSTRVM *negotium.* } administrationem prouinciae. Ex HAVRIES: } conficies, ut nihil supersit. ep. 1. DE *Caesaris nomine* } de HS xx & DCCC, quae Caesari debemus.

Cicero S. D. Attico. 7.

QVOTIDIE, uel potius in dies singulos breuiores litteras ad te mitto. quotidie enim magis, ac magis suspicor te in Epirum iam profectum. sed tamen, ut mandatum scias me curasse; quot ante, ait se Pompeius quinos praefectos delaturum nouos, uocationes, iudiciariam caussam. Ego cum triduum cum Pompeio, & apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brundisium ad XIII. Kal. Ian. ciuem illum egregium relinquebam, & ad haec, quae timentur, propulsanda paratissimum. Tuas litteras exspectabo, cum ut quid agas, tum ut, ubi sis, sciam. Vale.

EXPLANATIO

QVINOS *praefectos &c.* } ut praefectis quinq. uterer in mea iurisdictione ab ipso datis. ep. 4. NOVOS, } non eosdem, qui superioribus annis praefuerunt, sed nouos, qui non praefuerint. uel, quod magis placet, *Quinos praefectos*, nouas uacationes, iudiciariã caussam. ut nouae sint uacationes, quas praefectis Pompeius petebat, iudiciorum caussa. VACATIONES, *iudiciariam caussam.* } ut ob hanc caussam uacarent a praefecturis, si in iudicium uocarentur. id autem Atticus mãdarat, quia, si locus a Pompeio relinqueretur, forte & ipse amicum aliquem deferre praefectum uellet.

Cicero S. D. Attico. 8.

ME ET incommoda ualetudo, qua iam emerseram, ut pote cum sine febri laborassem, & Pontinij exspectatio, de quo adhuc ne rumor quidem uenerat, tenebat duodecimum iam diem Brundisij: sed cursum exspectabamus. tu si modo es Romae, (uix enim puto) sin es, hoc uehementer animaduertas uelim. Romae acceperam litteras, Milonem meum queri per litteras iniuriã meam, quod Philotimus socius esset in bonis suis. id ego ita fieri uolui de C. Duronij sententia: quem & amicissimum Miloni perspexeram, & talem uirum, qualem tu iudicas, cognoram. eius autem cõsilium, meumq. hoc fuerat: primum, ut in potestate nostra esset res; ne illum malus emptor alienis mancipijs, quae permulta secum habet, spoliaret: deinde, ut Faustae, cui cautum ille esse uoluisset, ratum esset. erat etiam illud, ut ipsi nos, si quid seruari posset, quam facillime seruaremus. nunc rem totam perspicias uelim. nobis enim scribuntur saepe maiora. sed, si ille queritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta uult: Philotimus, ut ego ei coram dixeram, mihiq. ille receperat, ne sit inuito Milone in bonis. nihil nobis fuerat tanti. sin haec leuiora sunt, tu iudicabis. loquere cum Duronio. scripsi etiam ad Camillum, ad Lamiam, eoq. magis, quod non confidebam, Romae te esse. summa erit haec: statues, ut ex fide, fama req. mea uidebitur. Vale.

EXPLANATIO

CVRSVM } idoneam tempestatem. ROMAE, } Roma, uidetur legendum. non enim Romae a Milone, sed in itinere ab amicis, de Milone scribentibus, litteras acceperat. itaq. paullo post, Rem, inquit, totam perspicias uelim. nobis enim scribuntur saepe maiora. QVOD *Philotimus socius esset in bonis suis.* } uolebat enim Milo, suis necessarijs, (nam ipse Massiliae exulabat) a Philotimo bona restitui. nec dubito, quin ea bona Philotimus ab hasta emerit, sed ea condicione, ut Milo recuperare aliquando posset, ipsi autem Philotimo, quantum Cicero aestimasset, pro fide, & sedulitate daretur. apparet ex epistola M. Coelij, in qua ita scriptum est: Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis attinet, dedimus operam, ut & Philotimus quam honestissime Miloni absenti, eiusq. necessarijs satisfaceret, & secundum eius fidem, & sedulitatem aestimatio tua conseruaretur. Qua in epistola, Aestimatio, accipio, id quod Cicero Philotimo dandum censuerat, pro bonis fideliter, seduloq. seruatis. Dixit autem, Philotimus socius, quia partem Milonis bonorum Cicero quoque emerat. infra. IN *potestate nostra* } cum sciremus, Philotimum bona fideliter Miloni redditurum. quae si malus emptor, idest nõ neque amicus, emisset, abduxisset a Milone mancipia, quae ille permulta secum habebat. cur enim, quae in auctione emisset, Miloni uellet relinquere? fecimus autem, ut Philotimus emeret, eo consilio, ut & ijs mancipijs Milo posset uti, &, redimere ab eo sua bona cum uellet, liceret. quod ab alio emptore minus licuisset. ALIENIS } non iam Milonis, sed eius, qui ab auctione emisset. FAVSTAE, } Milonis uxori, cui uidebatur de dote caueri, si ea bona Philotimus emisset, a quo Milo recuperare aliquando posset,

pecunia

pecunia Philotimo uel fine usura reddita. RATVM } certa cautio. IPSI NOS } cum & ipse Cicero socius esset in bonis. ideo Philotimus socius: idq. confirmatur in extrema epistola, cum ait, Req. mea. SERVAREMVS } alius enim si emisset, recuperandi nulla Miloni spes esset. prorsus igitur perijssent ea bona. NIHIL *nobis fuerat tanti.* } hoc enim consilio emimus, ut id denique fieret, quod ipse Milo uellet. ut uero eius bona ipso inuito possideremus, nihil nobis fuit tanti. LEVIORA } quia fortasse non sunt, ut scribuntur. nobis enim scribuntur saepe maiora. FIDE *fama, req. mea* } fide, quia promiserat Cicero, Philotimo, } quod ei Milo pro conseruatis bonis daret, cum sua bona recuperaret. *Fama:* } quia turpe Ciceroni fuisset. non reddi Miloni sua bona, quae ipse a Philotimo emi uoluisset, ut aliquando redderentur. ideo dixit, Queri Milonem iniuriam meam. *Re:* } quod ipse Cicero socius esset in bonis: quod proxime demonstratum est in eo, Philotimus socius, & in eo, Ipsi nos.

Cicero S. D. Attico. 9.

ACTIVM uenimus ad XVII. Kal. Quinct. cum quidem & Corcyrae, & Sybotis muneribus tuis, quae & Areus, & meus amicus Eutychides opipare, & φιλοφρονέστατα nobis concesserant, epulati essemus Saliarem in modum. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissime nauigassemus: & Leucaten flectere, molestum uidebatur. actuarijs autem minutis Patras accedere sine his impedimentis, non satis uisum est decorum. Ego, ut saepe tu me currentem hortatus es, quotidie meditor: praecipio meis: faciam denique, ut summa modestia, & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus, uelim, quiescat, & fortuna nos iuuet: nostra praestabimus. Tu, quaeso, quid agas, ubi quoque hoc tempore futurus sis, quales res nostras Romae reliqueris, maxime de CXX, & de CC∞, cura, ut sciamus. id unis diligenter litteris datis, quae ad me utique perferatur, cōsequere. Illud tamen (quoniam nunc abes, cum id non agitur: aderis autem ad tempus, ut mihi scripsisti) memento curare per te, & per omnes nostros, in primis per Hortensium, ut annus noster maneat suo statu; ne quid noui decernatur. hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam te rogem, ut pugnes, ut interkaletur. sed non audeo tibi omnia onera imponere. annum quidem utique teneto. Cicero meus, modestissimus, & suauissimus puer, tibi salutem dicit. Dionysium semper equidem, ut scis, dilexi, sed quotidie pluris facio, & mehercule in primis, quod te amat, nec tui mentionem intermitti sinit. Vale.

EXPLANATIO

MVNERIBVS *tuis,* } Attici res agebant Areus, & Eutychides, liberti, Corcyrae, & Sybotis: eius igitur nomine ad Ciceronem munera detulerunt. *Concesserant,* } Congesserant, corrige: aptius erit ad sententiam. Sic & Plautus in Trin. locutus est: Ego huc dona congessi. Et pro Plancio: Minturnenses C. Mario uiaticum congesserunt. SALIAREM *in modum,* } copiose admodum, quales erant cenae Saliorum sacerdotum. SINE *his impedimentis,* } quae scis me multa habere. &, His, (ut est in Bessarionis libro) nemo non uidet esse rectius, quam Iis. SVMMA *modestia, & summa abstinentia* } modestiam, & abstinentiam non sine caussa coniunxit: quia multi, quod superbe & auare prouincias administrassent, condemnati. EXTRAORDINARIVM } multis enim post consulatum annis in prouinciam proficiscebatur: quod erat extraordinarium; cum alij statim post consulatum solerent. PARTHVS, } Parthorum incursiones timet. ep. XI. NOSTRA } nam, cum armis res geritur, fortuna dominatur. in pace autem, quae requiruntur, ea praestabo, modestiam, abstinentiam, & quae in nobis ipsis, non in fortuna, posita sunt. DE CXX, *& de* CC∞, } Caesaris, ut opinor, nomen intelligit, de quo supra, epist. I. 4. & 5. ANNVS *noster maneat* } quae nobis data est annua prouinciae administratio, ea ne prorogetur, sed eadem maneat. NE *interkaletur.* } nam interkalatio dies interponebat: ita, diebus inter positis, longior fiebat administratio prouinciarum. DIONYSIVM } hominem Graecum, pueri M. Ciceronis magistrum, ab Attico traditum.

Cicero S. D. Attico. 10.

VT Athenas ad XV. kal. Quinct. ueneram, exspectabam ibi iam quartam diem Pontinium, neque de eius aduentu certi quidquam habebam: eram autē totus, credo mihi, tecum: &, quamquam sine ijs per me ipse, tamen acrius, uestigijs tuis monitus, de te cogitabam. quid quaeris? non mehercule alius ullus sermo, nisi de te. sed tu aliquid de me ipso scire fortasse mauis. haec sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publice, aut priuatim, nec in quemquam comitum. nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hospite. persuasum est omnibus meis, seruiendum esse famae meae. belle adhuc. hoc animaduersum, Graecorum laude, & multo sermone celebratur. quod superest, elaboratur in hoc a me, sicut tibi sensi placere. sed haec tum laudemus, cum erunt perorata. Reliqua sunt eiusmodi, ut meum consilium saepe reprehendam, quod non aliqua ratione ex hoc negotio emerserim. o rem minime aptam meis moribus. o illum uerum, ἔρδοι τις. dices, quid adhuc? non dum enim in negotio uersaris. nescio; & puto molestiora restare. sed haec ipsa fero quidem fronte, ut puto, & uolo, bellissime: sed angor intimis sensibus: ita multa uel iracunde, uel insolenter, uel in omni genere stultitiae insulse, arrogan-

gan-ter

enter & dicuntur, & tacentur quotidie, quae, non quo te celem, non perscribo, sed quia δυσδιάλυτα sunt. itaque admirabere meam βαθύτητα, cum salui redierimus: tanta mihi μελέτη huius uirtutis datur. Ergo haec quoque hactenus: etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum; quia, quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem: nec hercule umquam tam diu ignarus rerum mearum fui; quid de Caesaris, quid de Milonis nominibus actum sit, hac non modo nemo, sed ne rumor quidem quisquam; ut sciremus, in rep. quid agere tur. quare, si quid erit, quod scias de ijs rebus, quas putabis scire me uelle, per mihi gratũ erit, si id curaris ad me perferendum. Quid est praeterea? nihil sane, nisi illud: ualde me Athenae delectarunt: turbae dũtaxat? & urbis ornamentum, & hominum amores in te, in nos quadam beneuolentia, sed multum ea philosophia, ἄνω, καὶ κάτω: siquidem est in Aristo, apud quem eram: nam Xenonem tuum, uel nostrum potius, Quincto concesseram: tamen propter uicinitatem totos dies simul eramus inuicem. Cum primum poteris, tua consilia ad me scribas; ut sciam, quid agas, ubi quoque, & maxime quando Romae futurus sis. Vale.

EXPLANATIO

XV. *Kal.* } perspicue mendosum, ut in duabus, quae proxime sequuntur, epistolis apparet. malim igitur, VII. Kal. PONTINIVM } legatum. VESTIGIIS *tuis* } quia diu Atticus uixerat Athenis, multamq. & iucundam sui memoriam reliquerat. COMITVM } e cohorte ipsius. LEGE *Iulia* } cum lex Iulia concedat, ut accipiam, nihil tamen accipitur. ep. 15. AB *hospite* } publice. n. hospitia magistratibus in prouincias proficiscẽtibus dabantur, cum hospes cuique suus assignaretur: sed Cicero sumptum ubique fecit de suo, accipi ab hospitibus uetuit. EX *hoc negotio emerserim* } quod prouinciam non recusauerim. ἐρδοι τις } uerissimum est illud, Nemo artem, quam non nouerit, exerceat. Aristophanis uersus in Vespis. QVID *adhuc?* } quid accidit adhuc, ut te prouincia offendat? NESCIO } non fere quidquam accidit. VT *puto, & uolo* } placet, quod scriptum est in antiquo Bessarionis libro, Vt puto, & uolo. DICVNTVR, *& tacentur* } a comitibus meis, ineptis hominibus: ut de uxore difficili dicere solemus, neque loqui, neque tacere, cum oporteat. *δυσδιάλυτα sunt* } non est, ut ea sedare possis, & tollere. βαθύτητα. } summam taciturnitatem, summam in ferendo, & dissimulando grauitatem, & prudentiam. ep. 21. HVIVS *uirtutis* } quae est in ferendo, & dissimulando. ERGO *haec quoque hactenus:* } ergo nihil addam: haec ipsa satis sint: ut in hoc quoque meam βαθύτητα cognoscas. QVID *de Caesaris* } pecuniam debuisse Caesari Ciceronem. supra diximus. ep. 1. DE *Milonis* } & Miloni Philotimum debuisse, diximus. ep. 8. NON *modo nemo, sed ne rumor quidem quisquam;* } antiquus liber: Non modo nemo ne roma quidem quisquam. Ex quo suspicari de mendo licet: eoq. magis, quod, Rumor quisquam, pro Rumor ullus, non omnino placet. TVRBAE *dumtaxat?* } in Bessarionis antiquo libro, Vrbe: ut legi possit, Vrbs, quod tamen haud scio an maxime probem, cum intelligam, si, Vrbs, retineatur, superuacaneum illud uideri, Et urbis ornamentum: si quidem urbe ornamenta urbis continentur, ut ciuitate ciues. Placet igitur, & rectius uidetur, Turbae; hoc sensu: Athenae me delectarunt, hominum dumtaxat multitudo? immo & urbis species, atq. ornamentum, & amor in te ciuitatis, quadam in nos beneuolentia coniunctus, sed multum ea philosophia, quae sursum deorsum agitatur, Academia, inquam, leuis, & incerta, quae nihil affirmat. O Academiam, inquit infra, uolaticam, & sui similem, modo huc, modo illuc. SIQVIDEM *est in Aristo,* } quandoquidem eius philosophiae princeps est hospes meus Aristus. in libro de claris oratoribus, in extremo, Aristus, inquit, heres ueteris Academiae, hospes, & familiaris meus. TVVM, } uidetur Xeno Attici res curasse. ep. 13. QVINCTO *concesseram:* } ut eius domi Quinctus frater esset. SIMVL *eramus inuicem.* } amicus meus, Cosmus Gherius, Fanensis episcopus, doctissimus, & sanctissimus adolescens, quem nisi mors immatura praeripuisset, ueram antiquae uirtutis imaginem habituri fuimus, cum ego, Romam proficiscens, eius uisendi, ac salutãdi caussa, Fanum diuertissem, hunc locum ut ita corrigerem, admonuit. Cum ex eo quaesissem, correctio illa esset ex ingenio, an ex libro scripto: uetustum librum Patauij se affirmauit audisse ita scriptum. postea Caualcantis in antiquo libro, cuius mihi, Benedicto Accolto Cardinali cõmodante, ad paucos dies copia fuit, animaduerti esse, Eramus inuicem: nunc in Bessarionis exemplari plane uideo, nulla prorsus uarietate litterarum, Inuicem.

Cicero S. D. Attico II.

HVI, toties ne me litteras dedisse Romam, cum ad te nulla darem? at uero posthac frustra potius dabo, quam, si recte dari potuerint, committam, ut non dem. Ne prouincia nobis prorogetur, per fortunas, dum ades, quidquid prouideri potest, prouide. non dici potest, quam flagrem desiderio urbis, quam uix harum rerum insulsitatem feram. Marcellus sedendi comes; etsi ille magistratum non gesserit, erit tamen transpadanus. ita mihi uidetur non minus stomachi nostro Caesari fecisse. sed hoc ipse uiderit. Pompeius mihi quoque uidebatur, quod scribis Varronem dicere, in Hispaniam certe iturus. id ego minime probabam: qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius, quam illud, nusquam illum discedere. ergo Graecus incumbet. ualet autem auctoritas eius apud illum plurimum. Ego has prid. non. Quinct. proficiscens Athenis dedi, cum ibi decem ipsos fuissem dies. uenerat Pontinius. nam Cn. Volusius aderat quaestor. tuus

unus

unus Tullius aberat. ἄφρακτα Rhodiorum, & dicrota Mitylenaeorum habebam, & aliquid ἐπίκωπον. De Parthis erat silentium. quod superest, dij iuuent. Nos adhuc iter per Graeciam summa cum admiratione fecimus. nec mehercule habeo, quod adhuc quem accusem meorum. uidentur mihi nosse nos, nostram caussam, & condicionem profectionis suae. plane seruiunt existimationi meae. quod superest, si uerum illud est, οἷα τ' ἂν δέσποινα, certe permanebunt. nihil. n. a me fieri ita uidebũt, ut sibi sit delinquẽdi locus: sin id parũ profuerit, fiet aliquid a nobis seuerius: nã adhuc lenitate dulces sumus; &, ut spero, proficimus aliquantũ. sed ego hanc, ut singuli dicunt, ἀνεξίαν in unũ annũ meditatus sum. proinde pugna; ne, si quid prorogatum sit, turpis inueniar. Nũc redeo ad quae mihi mandas. In praefectis excusatio. ijs, quos uoles, deferto: non ero tam μετέωρος, quam in Appuleio fui. Xenonem tam diligo, quam tu: quod ipsum sentire certo scio. Apud Patronem, & reliquos Barones te in maxima gratia posui: & hercule merito tuo feci. nam mihi is ter dixit, te scripsisse ad se, mihi ex illius litteris rem illam curae fuisse. quod ei pergratum erat. sed, cum Patro mecum egisset, ut peterem a uestro Ariopago, ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Polycharmo praetore fecerant: commodius uisum est & Xenoni, & post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, qui pridie, quam ego Athenas ueni, Mitylenas profectus erat, ut is ad suos scriberet, posse id suà uoluntate fieri. non enim dubitabat Xeno, quin ab Ariopagitis inuito Memmio impetrari non posset. Memmius autem aedificandi consilium abiecerat; sed erat Patroni iratus. itaque scripsi ad eum accurate: cuius epistolae misi ad te exemplum. Tu, uelim, Piliam meis uerbis consolere. indicabo enim tibi: tu illi nihil dixeris. accepi fasciculum, in quo erat epistola Piliae: abstuli, aperui, legi: ualde scripta est συμπαθῶς. Brundisio quae tibi epistolae redditae sunt sine mea, tum uidelicet datae, cum ego me non belle haberem. nam illam νομανδρίαν excusationem ne acceperis. Cura, ut omnia sciam, sed maxime, ut ualeas.

EXPLANATIO

MARCELLVS *sedendi comes* } placet doctissimi uiri coniectura, Caroli Sigonij, ut legatur: *Marcellus foede in Comensi.* subaudi, se gessit. Comensem enim, ut scripsit Appianus lib. 2. de bel. ci. in Caesaris contumeliam caedi M. Marcellus consul iusserat, ut ostenderet, eum ciuem Romanum non esse: contra legem Vatiniam, iussu Caesaris latam: ex qua lege Caesar, ut ait Strabo lib. 5. quinque millia hominum, ex quibus illustres quingentos Graecos, Comum deduxit, & Latij iure donauit, sicuti antee reliquos omnes Comenses, & colonias transpadanas Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, iure Latij donauerat. Ius autem Latij hoc erat, ut, qui annuum magistratum gesserant, ciues Romani fierent: quod idem Appianus ostendit. ideo autem foede Marcellus, quia, licet magistratum Comensis ille in patria non gessisset, tamen, cum transpadanus esset, caedendus non fuit: quia Cn. Pompeius, Magni pater, transpadanos omnes sua lege ornauerat. ex quo Marcellus iniuriam facere uisus est non Caesari tantũ, inimico suo, sed etiam amico suo Pompeio, contempta patris eius lege, ac uoluntate erga transpadanos omnes. Pompeium. n. Cicero significat, cum ait, Caesari nostro: quasi eodem nomine possent appellari, qui principatu pares essent. VARRONEM } qui scire poterat, cum & Pompeij familiarissimus, & eius in Hispaniae administratione legatus esset, non dum tamen profectus, sicuti nec ipse Pompeius. HISPANIAM } ut proconsul administraret. THEOPHANI } Mitylenaeo, liberto: (ut in oratione pro Balbo) cuius erat summa apud Pompeium auctoritas. NVSQVAM *illum discedere* } ut urbi, & reip. praesidio esset, si quis motus exoriretur. ep. 17. IPSOS } integros. CN. *Volusius aderat quaestor.* } tres igitur quaestores habuit Cicero. nam & de Mescinio, & de Coelio tum ex his epistolis, tum ex illis, quae familiares dicuntur, notum est. Opinor tamen duos dumtaxat eodem tempore fuisse, in dioecesibus tribus Asiaticis Mescinium, in reliquis quattuor Cn. Volusium; cui successerit Coelius, qui uenit in exitu anni, ut ep. 5. lib. 6. & ep. 19. lib. 2. fam. cum Volusius aliquam ob caussam discessisset. ep. 3. lib. 6. TVVS } legatus mihi ab amico tuo Titinio datus: quem te rogante accepi. ep. 14. & 21. DICROTA } biremes. *οἷα τ' ἂν δέσποινα,* } adagium est, Catellam dominae similem esse. id si uerum est, possum de meis comitibus sperare, ut in hoc imperio se mihi similes praestent. VT *singuli dicunt,* } dicunt hanc abstinentiam non esse mihi familiarem, sed ad illam me composuisse per unum annum. EXCVSATIO. } excusa me. posthac deferto praefecturam, quibus uoles: non tergiuersabor, ut in Appuleio: statim sine ulla mora satisfaciam. epist. 21. PATRONEM, } philosophum Epicureum. BARONES } cum ioco dictum. nam Baro mulier philosophiae studiosa: molles autem, ut feminae, & dediti uoluptatibus Epicurei. REM *illam curae fuisse.* } uide epistolam, quae prima est lib. 13. fam. tum omnia patebunt. exsulabat autem Memmius Athenis, de ambitu condemnatus. ad Q. fr. lib. 3. epist. 11. & Appianus lib. 11. EPISTOLA *Piliae* } missa ad Ciceronem, ut is ad Atticum, Romam iam profectum, deferendam curaret, cũ inter ipsos irent redirent frequentes tabellarij. *νομανδρίαν excusationem* } legitimam, ac uiro dignam: occupationum uidelicet. nam haec inualetudinis mollior est, nec satis uiro digna: occupationum contra: quoniam agere uirorum est. NE *acceperis.* } neque enim occupatio ulla potest esse tanta, quae cursum officij nostri debeat interrumpere. eam igitur quia nostra respuit amicitia, tollamus, cum alijs potius utamur.

Cicero S. D. Attico 12.

NEGOTIVM *magnum est nauigare, atque id mense Quinct. sexto die Delum Athenis uenimus. pri de non. Quinct. a Piraeeo ad Zostera, uento molesto, qui nos ibidem nonis tenuit. ad VIII. id. ab Ceo iucunde. inde Gyarum saeuo uento, non aduerso: hinc Scyrum, inde Delum, utroque citius, quam uellemus, cursum confecimus. iam nosti ἄφρακτα Rhodiorum. nihil, quod minus fluctum ferre possit. itaque erat in animo nihil festinare, Delo nec me mouere, nisi omnia ἀκρωτήρια iura uidissem. De Messalla ad te statim, ut audiui, de Gyaro dedi litteras, & id ipsum consilium nostrum etiam ad Hortensium: cui quidem ualde συνηγωνίων. sed tuas de eius iudicij sermonibus, & mehercule omni de reip. statu litteras exspecto, πολιτικώτερον quidem scripta, (quoniam meos cum Thallumeto nostro peruolutas libros) eiusmodi inquam litteras, ex quibus ego, non quid fiat, (nam id uel Helonius, uir gratissimus, potest efficere, cliens tuus) sed quid futurum sit, sciam. Cum haec leges, habebimus consules. omnia perspicere poteris, de Caesare, de Pompeio, de ipsis iudicijs. Nostra autem negotia, quoniam Romae commoraris, amabo te, explica. Cui rei fugerat me rescribere, de strue salinarum plane rogo. De aqua, si quid poterit fieri, eo sis animo, quo soles esse: quam ego cum mea sponte, tum tuis sermonibus aestimo plurimi. ergo quid conficies. Praeterea, si quid Philippus regauit; quod in tua re faceres, id uelim facias. Plura scribam ad te, cum constitero: nunc eram plane in medio mari. Vale.*

EXPLANATIO

NEGOTIVM *magnum* } quo enim tempore satis commoda esse nauigatio consueuit, eo ipso accidit, ut incommodissime nauigaret; qui sex diebus uix Athenis Delum peruenerit. Ad *Ceo* } omnino pro, Ad, ueteres libri habent Ab. sed malo, Ad, ut absoluta maritimi cursus ratio constet, A Peiraeeo ad Zostera, a Zostere ad Ceo, inde ad Gyarum, a Gyaro Scyrum, inde Delum. nam, si legas, Ab Ceo, discessus quidem apparebit, aduentus autem silebitur. placet igitur, Ad Ceo: ut sit nomen ex ijs, quae uariari casibus non solent. Ἀκρωτήρια *iura* } placet ἀκρωτηρίων, obseruationum a promontorijs. VT *audiui*, } accusatum de ambitu post consulatum. Accusatus autem erat & ante, cum esset candidatus. epist. 2. l. 3. ad Q. fratrem. ID *ipsum consilium* } quod ad te scripsi ut fieret, idem scripsi & ad Hortensium. Erat autem amicus Atticus Messallae, ut ep. 15. lib. 4. Hortensius etiam patronus. fam. ep. 2. & 4. l. 8. Συνηγωνίων, } condoluit, ob communis amici casum. MEOS } scriptos περὶ τῆς πολιτείας. THALLVMETO } litteratus Attici seruus. HABEBIMVS *consules*. } iam erunt designati. IPSIS } quia iam de iudicio Messallae mentionem fecit, aut, quod post comitia plerumque crebra solerent fieri iudicia.

Cicero S. D. Attico. 13.

EPHESVM *uenimus ad XI. kal. Sext. sexagesimo & quincto post pugnam Bouillam. nauigauimus sine timore, & sine nausea, sed tardius propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. De concursu legationum, priuatorum, & de incredibili multitudine, quae mihi iam Sami, sed mirabilem in modum Ephesi praesto fuit, aut audisse te puto, aut quid ad me attinet? uerumtamen decumanis uenissem cum imperio, Graeci quasi Ephesio praetori se alacres obtulerunt. ex quo te intelligere certo scio, multorum annorum ostentationes meas nunc in discrimen esse adductas. sed, ut spero, utemur ea palaestra, quam a te didicimus; omnibusq. satisfaciemus; & eo facilius, quod in nostra prouincia confectae sunt pactiones. Sed hactenus, praesertim cum cenanti mihi nunciaret Sextius, se de nocte proficisci. Tua negotia Ephesi curae mihi fuerunt: Thermoque, tametsi ante aduentum meum liberalissime erat pollicitus tuis omnibus, tamen Philogenem, & Seium Rhodium, & Apollonicensem Xenonem commendaui. omnino omnia se facturum recepit. Ego praeterea rationem Philogeni permutationis eius, quam tecum feci, edidi. Ergo haec quoque hactenus. redeo ad urbana. Per fortunas, (quoniam Romae manes) primum illud praefulci, atque praemuni, quaeso, ut simus annui; ne interkaletur quidem: deinde exhauri mea mandata, maximeq., si quid potest, de illo domestico, scrupulum quem non ignoras; deinde de Caesare: cuius in cupiditatem te auctore incubui; nec me piget. &, si intelligis, quam meum sit scire, & curare, quid in rep. fiat: fiat autem? immo uero etiam quid futurum sit, perscribe ad me omnia, sed diligentissime, inprimisq. quid indiciorum status aut factorum, aut futurorum etiam laboret. De aqua, si curae est, si quid Philippus aget, animaduertas. Vale.*

EXPLANATIO

SEXAGESIMO *& quincto post pugnam Bouillam.* } cum de caede Clodij ad Bouillas facta nō possit accipi, quae multis ante mensib. fuerat; libenter legerem, Septuagesimo & quincto. tot. n. dies a nonis Ma

ijs,quo die a Cicerone in prouinciam proficiscente Atticus discessit, sic enim patebit rationem attente subducenti)ad xI.Kal.Sextilis numerantur.& Attici discessum ideo pugnam opinor Bouillam appellari,quia , cum Ciceronem proficiscentem Bouillas usque prosecutus esset,ulteriusq.progredi uellet, Cicero autem recusaret,or- um est inter eos quasi certamen humanitatis, aegreq. discessus factus. hoc autem eo magis opinor,quia, simul eos in Tusculano fuisse,cum in prima huius libri epistola uideam, prosecutum deinde Atticum usque ad Bouillas,facile mihi fit uerisimile.Ephesum igitur,inquit, ueni ad.xv.Kal.Sext.septuagesimo & quinqto postquam a te discessi. LEGATIONVM } obuiam prodeuntium,extra prouinciae terminos,cuius initium fuit Laodicea.ep.14.Vel legationes fuere urbium Asiae, extra Ciceronis prouinciam,quia in epist.sequenti, Nos, inquit,Asia accepit admirabiliter. GRAECI } etsi Ephesus in Ionia,& Ionia in Asia , Graeci tamen incolae dicebantur, quia Graeco sermone uterentur. VERVMTAMEN *decumanis* } sic & in Bessarionis libro.placeret, Verumtamen cum Romanus.ut hoc dicat,Graeci, qui Romanos magistratus odisse soliti sunt, quia praelati fasces quasi minari uidentur eorum libertati,me tamen cum imperio uenientem nō minus laeti exceperunt,quam si Ephesius praetor,hoc est ex ipsis unus,essem. OSTENTATIONES *meas* } quem enim permultos annos me ostentaui,eum nunc re praestem necesse est,modestum,abstinentem,iustum. VTEMVR *ea palaestra* } ita me exercebo,ita geram,ut tu monuisti. CONFECTAE *pactiones* } huius anni. nam sequentis confecit ipse: quod infra gloriatur,ep.1.l.6. THERMOQVE. } Q.Minucio Thermo propraetori, Ioniam regenti.fam.ep.18.l.2.& 53.l.13. Edidi. } cum ei tantundem me dicerem redditurum , quantum a te accepissem.ep.13. DE *illo domestico*, } de filiae, opinor, intelligit matrimonio: de quo discedens Attico mandauerat.uide epist.4.& in epist.fam.epist.12.l.3. DE *Caesare* } de HS xx & cc∞ , quae Caesari debita solui cupiebat. ep.1. 5.& 9. TE *auctore* } uide ep.5.l.4.& 5.l.5. SI *curae est* } si aestimas eum,quanti in sermonibus ostendisti.epist.xI.

Cicero S. D. Attico. 14.

*A*NTE, *quam aliquo loco consedero,neque longas a me,neque semper mea manu litteras exspectabis.cum autem erit spatium, utrumque praestabo.nunc iter conficiebamus aestuosa,& puluerulenta uia:dederam Epheso pridie : has dedi Trallibus. In prouincia mea fore me putabam Kal.Sext.ex ea die,si me amas,παράγγελμα ἐνιαύσιον commoueto.tamen interea haec, quae uellem, mihi afferebantur : primum otium Parthicum,deinde confectae pactiones publicanorum,postremo seditio militum sedata ab Appio,stipendiumq. eis usque ad idus Quinct.persolutum. Nos Asia accepit admirabiliter. aduentus noster ne nummo quidem sumptui fuit. Spero meos omnes seruire laudi meae:tamen magno timore sum: sed bene speramus. omnes iam nostri,praeter Tullium tuum, ueneruns. erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum, aestiuos menses reliquos rei militari dare,hibernos iurisdictioni. Tu, uelim, si me nihilo minus nostri curiosum in rep. quam te, scribas ad me omnia, quae sint,quae ue futura sint. nihil mihi gratius facere potes:nisi tamen id erit mihi gratissimum, si, quae tibi mandaui, confeceris; in primis, quid illud ἐνδόμυχον : quo mihi scis nihil esse carius. Habes epistolam plenam festinationis,& pulueris. reliquae subtiliores erunt. Vale.*

EXPLANATIO

EX *ea die* παράγγελμα ἐνιαύσιον *commoueto.* } mandatum de annuo munere prouinciali incipito curare:ne scilicet mihi tempus prorogetur.Ex ea die,autem , quia fuisset absurdum agere de prouincia non proroganda,ante quam in prouinciam esset peruentum. SEDITIO } ideo facta, quia stipendium non persolueretur.puto esse eam seditionem,de qua epist.6.l.3.& 4.l.15.fam. APPIO, } Asiam est ingressus, nec dum tamen peruenit in prouinciam suam. eius initium Laodicea,urbs Phrygiae,quae regio est minoris Asiae. TVLLIVM *tuum,* } ep.11. REI *militari* } non ut bellum gereret , sed ut rem militarem collocaret.fam.ep.13.lib.2. IN *primis,quid illud* } placet,In primisq. illud. significat , quod in proxima epist. dixit, Scrupulum quem ignoras; uidelicet de filia collocanda. SVBTILIORES } scriptae diligentius.

Cicero S. D. Attico 15.

*L*AODICEAM *ueni pridie kal. Sext. ex hoc die clauum amouebis . nihil exoptatius aduentu meo, nihil carius. sed est incredibile , quam me negotij taedeat. non habeat satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi, & industriae meae ? in praeclara opera cesset? quippe ius Laodiceae me dicere , cum Romae A. Plotius dicat ? & , cum exercitum noster amicus habeat, tantum me nomen habere duarum legionum exsilium ? denique hoc non desidero: lucem, forum, urbem, domum , uos desidero. sed feram, ut potero.: sim modo annuus. si prorogatur, actum est. uerum perfacile resisti potest. tu modo Romae sis. Quaeris, quid hic agam:ita uiuam, ut maximos sumptus facio. mirifice delector hoc instituto. admirabilis abstinentia ex praeceptis tuis : ut uerear,ne illud, quod tecum permutaui, uersura mihi soluendum sit. Appij uulnera non refrico:sed apparent, nec occuli possunt. iter Laodicea faciebam ad III. non.*

non. Sext. cum has litteras dabam in castra Lycaoniam, inde ad Taurum cogitabam, ut cum Morphagene signis collatis, si possem, de seruo tuo deciderem. clitellae boui sunt impositae. plane non est nostrum onus: sed feremus. modo, si me amas, sim annuus. adsis tu ad tempus, ut senatum excites. mirifice sollicitus sum, quod iam diu ignota sunt mihi ista omnia. quare, ut ad te ante scripsi, cum cetera, tum resp. cura, ut mihi nota sit. Plura scribam alias. tarde tibi redituro, sed dabam familiari homini, ac domestico, C. Andronico Puteolano. tu autem saepe dare tabellarijs publicanorum poteris, promagistris scripturae, & portus, & nostrarum dioecesium. Vale.

EXPLANATIO

EX *hoc die clauum animo uerbis.* } hoc totum abest a Bessarionis & Tertij libris, & a duobus item antiquis, qui Romae sunt apud amicissimum meum. nec hercule, si tollitur, erit, quod in sententia desideremus. sin retinemus, legi poterit, Ex hoc die commouebis. ut sit, quod in proxima dixit, παράγγελμα ἐνιαύσιον commoueto. &, Ex hoc die, quia, si ageretur de prouincia non prorogandа, antequam in prouinciam esset peruentum, absurdum, ac leue quiddam uideretur. erat autem Laodicea prouinciae Ciceronis prima ciuitas, nec tamen in Cilicia, sed in Asia: cuius tres διοικήσεις sibi attributas esse, scribit ep. 67. l. 13. fam. MAGNVM *campum.* } hoc est, quod dicit in epist. ad M. Coelium: Totum negotium non est dignum uiribus nostris; qui maiora in rep. onera sustinere & possimus, & soleamus. IVS *Laodiceae &c.* } nihil, inquit, inter me, & A. Plotium interest, nihil ego hic plus ago, quam Romae Plotius praetor. NOSTER *amicus* } C. Cassius, ut epist. 18. qui, mihi dignitate non comparandus, tamen habet exercitum: ego duas tantum legiones, ac ne legiones quidem. nomen dumtaxat legionum. tres enim cohortes aberant. epist. 6. lib. 3. fam. Alij Bibulum significari putant. sed is nondum uenerat in prouinciam. (ep. 18.) & iustior indignationis caussa, si de Cassio accipiatur, nondum consulari, quaestoria tantum potestate ornato. EXSILIVM } tenuium, infirmarum: quod erant infrequentes. DENIQVE. } denique, etiam & si exercitum, & quae optari in prouincia possunt, omnia habeam; tamen haec non desidero. Hoc *instituto.* } ut de meo sumptus fiant, de alieno nihil sumatur. ep. 10. & 14. Quod tecum permutaui: quam a te pecuniam accepi, tuis procuratoribus hic reddendam. epist. 33. APPII *uulnera* } quae prouinciae imposuit illius auaritia. uide epist. 15. IN *castra*, } ut rem militarē constituerem. epist. 13. LYCAONIAM } de qua diximus initio huius libri. CVM *Morphagene* } latronum duce, ad quem fugitiuus Attici seruus confugerat. PROMAGISTRIS *scripturae, & portus, & nostrarum dioecesium.* } sic habent duo antiqui libri, Caualcantis, & Bessarionis. forte legendum, Et portus nostrarum dioecesium, ut est in Alberti Tertij antiquo libro: ut sit sensus: dare poteris tabellarijs publicanorum, & dare item poteris promagistris scripturae, & portus nostrarum dioecesium. certe enim & scripturam, & portum intelligit intra ipsius dioeceses. ep. 10. lib. 11. & 7. lib. 14. & in orat. in Verrem. Quod si quis legat, Per magistros; subaudietur, mihi reddendas in prouincia, ut tabellarij ad promagistros deferant, promagistri reddendas curent Ciceroni.

Cicero S. D. Attico. 16.

ETSI *in ipso itinere, & uia discedebant publicanorum tabellarij, & eramus in cursu: tamen surripiendum aliquid putaui spatij, ne me immemorem mandati tui putares. itaque subsedi in ipsa uia, dum haec, quae longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem. Maxima exspectatione in perditam, & plane euersam in perpetuum prouinciam nos uenisse scito pridie Kal. Sext. moratus triduum Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnade. audiuimus nihil aliud, nisi impetrata ἐπικεφάλια soluere non posse: possessiones omnium uenditas: ciuitatum gemitus, ploratus, monstra quaedam non hominis, sed ferae nescio cuius immanis. quid quaeris? taedet omnium nos uitae. leuantur tamen miserae ciuitates, quod nullus fit sumptus in nos, neque in legatos, neque in quaestorem, neque in quemquam. scito, non modo nos fenum, aut quod lege Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem; nec, praeter quattuor lectos, & tectum, quemquam accipere quidquam; multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerumque. itaque incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex uicis, ex domibus omnibus. mehercule etiam aduentu nostro reuiuiscunt iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis. itaque opiniones omnium superauit. Appius, ut audiuit nos uenire, in ultimam prouinciam se coniecit Tarsum usque. ibi forum agit. De Partho silentium est: sed tamen concisos equites nostros a barbaris nunciabant ij, qui ueniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in prouinciam suam accedere. id autem facere ob eam caussam dicebat, quod tardius uellet decedere. Nos in castra properabamus, quae aberant bidui. Vale.*

EXPLANATIO

IN *ipso itinere, & uia discedebant tabellarij.* ʒ maiorem festinationem tabellariorum ostendit, cum subiungit, Et uia. est enim in uia, qui discedit, a loco ad locum iturus; est in itinere, non solum qui discedit, aut statim discessurus est, sed etiam qui subsideat in diuersorio, aut in hospitio, discessurus post aliquot horas, aut etiam post aliquot dies. itaque saepe ita loquimnt, Longo itinere, difficili uia. Tabellarij igitur, Ciceronis litteras exspectantes, non modo in itinere, sed in uia etiam erant, statim, acceptis litteris, discessuri. PERDITAM ʒ uide ep. 7. l. 6. IMPERATA ἐπικεφάλια ʒ imperatum ab Appio procos. tributum in singula capita. uide fam. ep. 8. l. 3. NON *hominis* ʒ ut, qui haec tam immania ediderit, non hominem, sed feram dicas fuisse. OMNIVM *nos uitae.* ʒ rectius, Omnino uitae, putarem: ut de prouincialib. accipiatur. LEGE *Iulia* ʒ legem de prouincijs tulerat consul C. Iulius Caesar: de qua in epist. fam. epist. 17. l. 1. & in Pisonem. ADVENTV *nostro.* ʒ hic locus in impressis libris non recte distinctus. ego sic interpungo, Ex domibus mehercule etiam, aduentu nostro. reuiuescunt iustitia &c. Reuiuiscere autem antiquum uerbum est: quod & hic aperte legitur in antiquis libris, & a Lucretio usurpatur. FORVM *agit.* ʒ quod ne ab ijs quidem fieri solet, qui breui tempore sibi successum iri putant: eo minus ab Appio debebat, qui posset iam suspicari, sibi esse successum. ep. 6. l. 3. PROVINCIAM *suam* ʒ Syriam. ep. 18. IN *castra* ʒ ut aestiuos menses rei militari daremus. ep. 13.

Cicero S. D. Attico. 17.

ACCEPI *Romae sine epistola tua fasciculum litterarum. in quo, si modo ualuisti, & Romae fuisti, Philotimi duco esse culpam, non tuam. hanc epistolam dictaui sedens in rheda, cum in castra proficiscerer, ab quibus aberam bidui. paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras: itaque eo me seruaui. Nos, tamen etsi hoc te ex alijs audire malo, sic in prouincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quemquam. id fit etiã & legatorum, & tribunorum, & praefectorum diligentia: nã oẽs mirifice συμφιλοδοξοῦσιν gloriae meae. Lepta noster mirificus est. Sed nunc propero. perscribam ad te paucis diebus omnia. Cicerones nostros Deiotarus filius, qui rex ab senatu appellatus est, secum in regnum. dum in aestiuis nos essemus, illum pueris locum esse bellissimum duximus. Sextius ad me scripsit, quae tecum esset de mea domestica, & maxima cura locutus, & quid tibi esset uisum. amabo te, incumbe in eam rem, & ad me scribe, quid & possit, & tu censeas. Idem scripsit, Hortensium de proroganda nostra prouincia dixisse nescio quid. mihi in Cumano, diligentissime, se, ut annui essemus, defensurum, receperat. si quidquam me amas, hunc locum ama. dici non potest, quam inuitus a uobis absim. & simul hanc gloriam iustitiae, & abstinentiae fore illustriorem spero, si cito decesserimus. id quod Scaeuolae contigit; qui solos nouem menses Asiae praefuit. Appius noster, cum me aduentare uideret, profectus est Tarsum usque Laodicea. ibi forum agit, cum ego sum in prouincia. quam eius iniuriam non insector. satis enim habeo negotij in sanandis uulneribus, quae sunt imposita prouinciae. quod, do operam, ut faciam quamminima illius contumelia. sed hoc Bruto nostro uelim dicas, illum fecisse non belle, qui aduentu meo, quam longissime potuerit, discesserit. Vale.*

EXPLANATIO

PHILOTIMI ʒ qui tibi non dixit, esse, qui ad me proficisceretur. PAVCIS *diebus habebam* ʒ aperta sententia. sed nonandum genus loquendi, Paucis diebus habebam, pro, Ad paucos dies habiturus eram. TAMENETSI ʒ sic locutus epist. ultima lib. IV. fam. & Q. Cic. de Petitione consulatus. TRIBVNORVM, ʒ tribunorum mil. LEPTA ʒ Q. Lepta, praefectus fabrum. fam. l. 3. ep. 7. CICERONES ʒ filium, & fratris filium. DOMESTICA, *& maxima cura* ʒ de collocanda filia. ep. 4. & 14. BRVTO *nostro* ʒ Appij genero. PACORO. ʒ quem postea Ventidius cum uniuerso exercitu cecidit. Iustinus lib. 42. ORODIS, ʒ Orodae, & hic, & infra, liber antiquus habet. NONDVM ʒ cum tamen circiter idus Sext. ab Epheso nauibus in Syriam profectus esset, uentosq. secundos habuisset. ep. 3. l. 15. fam.

Cicero S. D. Attico. 18.

QVAM *uellem, Romae esses, si forte non es. nihil enim certi habebamus, nisi accepisse nos tuas litteras ad XIV. Kal. Sext. datas, in quibus scriptum esset, te in Epirum iturum circiter kal. Sext. sed, siue Romae es, siue in Epiro, Parthi Euphratẽ trãsierunt duce Pacoro, Orodis, Parthorum regis, filio, cũ ctis referto copijs. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. Cassius in opido Antiochiae cum omni exercitu.*

nos

uos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra. hostis in Cyrrhestica, quae Syriae pars proxima est prouinciae meae. his de rebus scripsi ad senatum. quas litteras, si Romae es, uidebis, putes ne reddendas: & multa, immo omnia. quorum κεφάλαιον, ne quid inter caesa, & porrecta, ut aiunt, oneris mihi addatur, aut temporis. nobis enim, hac infirmitate exercitus, inopia sociorum, praesertim fidelium, certissimum subsidium est hiems. ea si uenerit, nec illi ante in meam prouinciam transierint, unum uereor, ne senatus propter urbanarum rerum metum Pompeium nolit dimittere. quod si alium ad uer mittit; non laboro. nobis modo temporis ne quid prorogetur. Haec igitur, si Romae es. sin abes, aut etiam si ades; haec negotia sic se habet. Stamus animis; &, quia consilijs, ut uidemur, bonis utimur, speramus etiam manu. tuto consedimus, copioso a frumento, Ciliciam prope conspiciente, expedito ad mutandum locum, paruo exercitu, sed, ut spero, ad beneuolentiam erga nos consentiente: quem nos, Deiotari aduentu cum suis omnibus copijs, duplicaturi eramus. socijs multo fidelioribus utimur, quam quisquam usus esset: quibus incredibilis uidetur & nostra mansuetudo, & abstinentia. delectus habetur ciuium Romanorum: frumentum ex agris in loca tuta comportatur. si fuerit occasio, manu; sin minus, locis nos defendemus. quare bono animo es. uideo enim te, &, quasi coram adsis, ita cerno συμπάθειαν amoris tui. sed te rogo, (si ullo pacto fieri poterit) si integra in senatu nostra caussa ad Kal. Ian. manserit, ut Romae sis mense Ianuario. profecto nihil accipiam iniuriae, si tu aderis. amicos consules habemus, nostrum tribunum pl. Furnium. uerũ tua est opus assiduitate, prudentia, gratia. tempus est necessarium: sed turpe est, me pluribus uerbis agere tecum. Cicerones nostri sunt apud Deiotarum: sed, si opus erit, deducentur Rhodum. Tu, si es Romae, ut soles, diligentissime: sin in Epiro; mitte tamen ad nos de tuis aliquẽ tabellarium; ut & tu, quid nos agamus, & nos, quid tu agas, quidq. acturus sis, scire possimus. Ego tui Bruti rẽ sic ago, ut suam ipse non ageret. sed iam exhibeo pupillum, neque defendo. sunt enim negotia & lenta, & inania. faciam tamen satis, tibi quidem, cui difficilius est, quam ipsi: sed certe satisfaciam utrique. Vale.

EXPLANATIO

CASSIVS } qui; Crasso a Parthis caeso, reliquias exercitus Antiochiam reduxerat. ET *multa,* } uidebis. INTER *caesa, & porrecta,* } in ipso articulo discessus mei. sumpta similitudine a Sacrificiis, cum inter caesa exta, & porrecta sinistri quid accideret, ne litari posset, sed instaurari sacrificium necesse esset. uerebatur Cicero, ne, quo tempore discessurus esset, eo tempore eiusmodi quid accideret, ne posset discedere. ONERIS } ut belli Parthici curam sustineret. TEMPORIS. } ut, etiam si ad Parthicum bellum alius mitteretur, ipse tamen ne discederet, qui uideretur socios posse in officio, fideq. continere. DIMITTERE. } ad bellum Parthicum mittere. COPIOSO *a frumento,* } in Bessarionis libro, Quo Piso a frumento. recte putamus, Copioso a frumento. figura eleganti, & usitata: ut Copioso referatur ad, Exercitũ. itaq. olim coniectura ductus emendaui. Quod autem supra nonnullis in libris est, Et in Amano tuto consedimus, non, ut in nostris, Etiam mãnu: tuto consedimus: id perspicue falsum: cum nunc ad montem Taurum Cicero sit, ad Amanum autem post contendat: ut ep. 20. LOCVM } forte rectius, Loco. DEIOTARI } Galatiae regis. epist. 1. l. 6. DVPLICATVRI } ut essent omnino quattuor legiones. duas enim Cicero habuit. epist. 15. huius lib. & 1. lib. 6. BONO *animo es* } Pro, Bono animo sis. antiqua locutione. SI *integra in senatu* } nisi in senatu ante Kalendas Ian. de prouinciis agetur. NIHIL *accipiam iniuriae,* } esset autem iniuria, si mihi prouinciae tempus prorogaretur. CONSVLES } qui Kal. Ian. magistratum inibunt, &, ut moris est, eo die ad senatum referent de rep. Intelligit autem L. Paullum, & C. Marcellum, consules designatos. TRIBVNVM *pl.* } designatum: qui tum in magistratu nostra caussa impediet, ne quid noui de prouincijs decernatur. epist. 2. NECESSARIVM: } agitur de maxima mea re, maximeq. necessaria. SI *opus erit,* } si Parthus coget. tuto enim erunt in insula Rhodo. REM } uide epist. 1. lib. VI. EXHIBEO *pupillum,* } Ariobarzanem regem, qui mihi a senatu in tutelam est traditus, exhibeo creditoribus, ut exigant ipsi. NEQVE *defendo,* } tutores enim dicti, quia pupillos tueantur. ego, inquit, iam non tueor; tutela me abdico. ET *lenta, & inania:* } lenta, quae non explicantur, ad exitum non perducuntur; inania, quia, quod Ariobarzanes sperare possit, non est. eget enim. epist. 1. l. 6.

Cicero S. D. Attico. 19.

OBSIGNARAM iam epistolam, eam, quam puto te modo perlegisse, scriptam mea manu, in qua omnia continentur, cum subito Appij tabellarius ad XI. kal. Oct. septimo quadragesimo die Roma celeriter (hui tam longe) mihi tuas litteras reddidit. ex quibus non dubito, quin, ut Pompeium exspectaris, dum Arimino rediret, etiam in Epirum profectus sis: magisque uereor, ut scribis, ne in Epiro solicitus sis non minus, quam nos hic sumus. De Atiliano nomine, scripsi ad Philotimum, ne appellaret Messallam. Itineris nostri famam ad te peruenisse laetor, magisq. laetabor, si reliqua cognoris. Filiolam tuam tibi iam Romae iucundam esse gaudeo; eamque, quam numquam uidi, tamen & amo, & amabilem esse certo scio. Etiam atque etiã uale. De Patrone, & tuis condiscipulis, quae de Tarentinis in militia laboraui, ea tibi grata esse gaudeo.

Quod

Quod scribis libenter, repulsam tulisse eum, qui cum sororis tuae filij patruo certaret: magni amoris signum: itaque me etiam admonuisti, ut gauderem. nam mihi in mentem non uenerat. non credo, inquis, ut libet: sed plane gaudeo: quoniam τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φθονεῖν. Vale

EXPLANATIO

VT *Pompeium exspectaris,* } Vt, ualet etiam si. & proxime, Etiam, est pro, Tamen, ut in epist. fam. lib. 7. ep. 3. Ego cum meis, si quidquam nunc cuiuspiam est, etiam in meis esse malui. ARIMINO } ab exercitu. fam. ep. 3. l. 7. SOLICITVS *sis* } de rebus urbanis, ut nos hic de Parthis. MESSALLAM. } qui pro Atilio promiserat. Et, Appellare, uerbum creditorum. appellare autem quo tempore de ambitu reus erat Messalla, hominis uidebatur de humanitate parum laborantis: ITINERIS *nostri* } dum in prouinciam proficiscitur. RELIQVA } postquam in prouinciam peruenit. IAM *Romae* } cum Romae es: iam enim profectum Atticum in Epirum existimabat. & dixit, Iam, quasi paucis ante mensibus natam. Posset etiam sic, nisi repugnarent antiqui libri, Iam mire iucundam. Ea post uxor Agrippae fuit, eius, qui Pantheon, quod nunc quoque integrum magna cum admiratione spectatur, Romae condidit. QVAM *numquam uidi,* } Quamquam non uidi, ingeniosi homines legendum putant. placeret, si ueteres libri assentirentur. TVIS *condiscipulis,* } reliquis Epicureis: quorum philosophiae deditum Atticum fuisse, aut supra diximus, aut, quia notum est, omisimus. TARENTINIS } legendum, Parietinis, puto: de quibus & Patro, & reliqui Epicurei laborabant, ut sibi a Memmio concederetur. uide epist. 1. & fam. ep. 1. lib. 13. IN *militia* } suum in prouinciam iter Militiam appellat, quia cum agmine proficisceretur: ut epist. 2. l. 6. In hac peregrinatione, militia ue nostra saepe incensum ira uidi, saepe placatum. & epist. 4. lib. 6. QVOD *scribis libenter,* } quod scribis, libenter te scribere de repulsa, quam C. Hirrus tulit in aedilitatis petitione: agnosco amorem tuum. CVM *sororis tuae filij patruo* } mecum, qui sororis tuae filio patruus sum. περίφρασις. *Certaret* } certare soleret: respexit enim ad certamen de auguratu: de quo fam. ep. 3. & 9. l. 8. MAGNI *amoris* } non sine ironia: quasi dicat: an hoc, te etiam non scribente, mihi dubium esse potuit? IN *mentem non uenerat* } iocatur; quia scripserat Atticus, Moneo te, ut gaudeas. uel, In mente non uenerat, ut de homine contemnendo. *Τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φθονεῖν* } indignatio distat ab inuidia: indignari, & inuidere, non idem sunt. Respondet Cicero tacitae obiectioni. Gaudeo, inquit, nec tamen est, cur quisquam reprehendat. non enim, quia laetitiam capio ex Hirri repulsa, propterea, si aedilitatem is esset adeptus, inuiderem, sed indignarer potius. iure igitur gaudeo: quoniam ab indignatione, non ab inuidia, proficiscitur laetitia mea. contra uero, si quis eius ignominia, damno ue laetatur, cuius honoribus, aut commodis inuideret, non iure gaudet. Quid est autem, cur damnetur inuidia, excusetur indignatio? quia, cum utraque sit, ut ait Aristoteles Rhet. lib. 2. λύπη ταραχώδης, καὶ ἐπὶ εὐπραγίαν, idest molestia mentem perturbans ob secundum fortunam: tamen hoc differunt, quod indignatio gignitur ob secundam eius fortunam, qui dignus ea non sit; inuidia uero, non, dignus, indignus ue sit, spectat, sed aduersus parem, & similem commouetur. itaque semper in bonum uirum cadere uidetur indignatio, aegre ferentem, quod improbi ea consequantur, quae ad bonos deferri par sit; inuidia, non item. Recte igitur Cicero suam laetitiam ad indignationem, non ad inuidiam, refert: quod Hirrus, qui repulsam tulerat, secunda fortuna minime dignus esse uideatur.

Cicero S. D. Attico. 3.

SATVRNALIBVS *mane se mihi Pindentissae dediderunt, septimo, & quinquagesimo die, postquã oppugnare eos coepimus. qui (malum) isti Pindentissae? qui sunt? inquies: nomen audiui numquam. quid ego faciam? num potui Ciliciam, Aetoliam, aut Macedoniam reddere? hoc iam sic habeto, nec hoc exercitu hic tanta negotia geri potuisse: quae cognosce ἐν ἐπιτομῇ. sic enim concedis mihi proximis litteris. Ephesum ut uenerim, nosti; qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritate: qua nihil me umquam delectauit magis. inde opidis, iis, quae erant, mirabiliter accepti, Laodiceam prid. Kal. Sex. uenimus. ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificisq. uerbis omnes iniurias reuellimus superiores. quod * Dein Apameae quinque dies morati, Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconij decem fecimus. nihil ea iurisdictione aequabilius, nihil lenius, nihil grauius. inde ad castra ueni ad VII. Kal. Sept. ad III. exercitum lustraui apud Iconium. ex his castris, cum graues de Parthis nuncij uenirent, perrexi in Ciliciam per Cappadociae partem eam, quae Ciliciam attingit, eo consilio, ut Armenius Artauasdes, & ipsi Parthi Cappadocia se excludi putarent. cum dies quinque ad Cybistra Cappadociae castra habuissem, certior sum factus, Parthos ab illo aditu Cappadociae longe abesse, Ciliciae magis imminere: itaque confestim iter in Ciliciam feci per Tauripylas: Tarsum ueni ad III. non. Oct. inde ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum diuortio diuidit, qui mons erat hostium plenus sempiternorum. hic ad III. id. Oct. magnum numerum hostium occidimus: castella munitissima, nocturno Pontinij aduentu, nostro matutino, cepimus, incendimus: imperatores appellati sumus: castra paucos dies habuimus, ea ipsa, quae contra Darium habuerat apud Issum Alexander, imperator haud paullo melior, quam aut tu, aut ego. ibi dies quinque morati, direpto, & uastato Amano, inde discessimus. Interim (scis enim quaedam πανικὰ dici, item τὰ κενὰ τοῦ πολέμου) rumore aduentus nostri; &*

Cassio,

Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, & Parthis timor iniectus est. itaque eos cedentes ab opido Cassius insecutus, rem bene gessit. qua in fuga, magna auctoritate, Osaces, dux Parthorum, uulnus accepit, eoq. interijt paucis post diebus. erat in Syria nostrum nomen in gratia. uenit interim Bibulus. credo, uoluit appellatione hac inani nobis esse par. in eodem Amano coepit laureolam in mustaceo quaerere. at ille cohortem primam totam perdidit, centurionemque primipili, nobilem sui generis, Asinium Dentonem, & reliquos cohortis eiusdem, & Sex. Lucilium, T. Gauij Caepionis, locupletis, & splendidi hominis, filium, tribunum militum. sane plagam odiosam acceperat cum re, tum tempore. Nos Pindenissum, quod opidum munitissimum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit, (feri homines, & acres, & omnibus rebus ad defendendum parati) cinximus uallo, & fossa: aggere maximo, uineis, turre altissima, magna tormentorum copia, multis sagittarijs, magno labore, apparatu, multis saucijs nostris, incolumi exercitu, negotium confecimus. hilara sane Saturnalia. militibus quoque, equis exceptis, reliquam praedam concessimus. mancipia ueniebant Saturnalibus tertijs. cum haec scribebam in tribunali, res erat ad HS $\overline{CXX}$. hinc exercitum in hiberna agri male pacati deducendum Quincto fratri dabam. ipse me Laodiceam recipiebam. Haec adhuc. sed ad praeterita reuertamur. Quod me maxime hortaris, &, quod pluris est, quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino μώμῳ satisfaciam: moriar, si quidquam fieri potest elegantius. nec tamen ego hanc continentiam appello, quae uirtus uoluptati resistere uidetur. ego in uita mea nulla umquam uoluptate tanta sum affectus, quanta afficior hac integritate. nec me tam fama, quae summa est, quam res ipsa, delectat. quid quaeris? fuit tanti: me ipse non noram: nec satis sciebam, quid in hoc genere facere possem: recte πεφυσίωμαι. nihil est praeclarius. interim haec λαμπρά. Ariobarzanes opera mea uiuit, regnat. ἐν παρόδῳ, consilio, & auctoritate, & quod insidiatoribus eius ἀπρόσιτον me, non modo ἀδωροδόκητον praebui, regem, regnumq. seruaui. interea e Cappadocia ne pilum quidem: Brutum abiectum, quantum potui, excitaui: quem non minus amo, quam tu; paene dixi, quam te. atq. etiã spero toto anno imperij nostri teruncium sumptum in prouincia nullum fore. Habes omnia. nunc publice litteras Romam mittere parabam. uberiores erunt, quam si ex Amano misissem. at te Romae nõ fore! sed est totũ, quid kal. Martij futurum sit. uereor enim, ne, cũ de prouincia agetur, si Caesar resistet, nos retineamur. his tu si adesses, nihil timerem. Redeo ad urbana: quae ego diu ignorans, ex tuis iucundissimis litteris ad V. Kal. Ian. denique cognoui. eas diligentissime Philogenes, libertus tuus, curauit, per longa, & non satis tuta uia, perferendas. nam, quas Lenij pueris scribis datas, non acceperam. Iucunde de Caesare, & quae senatus decreuit, & quae tu speras. quibus ille si cedit, salui sumus. Incendio Plaetoriano quod Leius adustus est, minus moleste fero. Lucceius de Q. Cassio cur tam uehemens fuerit, & quid actum sit, aueo scire. Ego, cum Laodiceam uenero, Quincto, sororis tuae filio, togam puram iubeor dare: cui moderabor diligentius. Deiotarus, cuius auxilijs magnis usus sum, ad me, ut scripsit, cum Ciceronibus Laodiceam uenturus erat. Tuas etiam Epiroticas exspecto litteras; ut habeam rationem non modo negotij, uerum etiam otij tui. Nicanor in officio est, & a me liberaliter tractatur: quem, ut puto, Romã cum litteris publicis mittam; ut & diligentius perferantur, & idem ad me certa de te, & a te referat. Alexis quod mihi toties salutem adscribit, est gratum: sed cur non suis litteris idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Themio quaeritur χίρας. Sed haec hactenus. Cura, ut ualeas, et ut sciam, quando cogites Romam. etiam atque etiam uale. Tua, tuosq. Thermo, & praesens Ephesi diligentissime commendaram, & nunc per litteras: ipsumq. intellexi esse perstudiosum tui. Tu uelim, quod antea ad te scripsi, de domo Pammenis, des operam, ut, quod tuo, meoq. beneficio puer habet, cures, ne qua ratione conuellatur. utrique nostrum existimo, tum mihi erit pergratum.

EXPLANATIO

SATVRNALIBVS } Saturnaliorum diem XIV. Kal. Ian. fuisse, tradit Macrobius lib. I. PINDENISSAE } infra Pindenissum opidum uocat, & fam. lib. 2. Apud Graecos tamen πινδένισσος.. *Nomen* } inauditum Romae. Sic in epist. ad Coelium: Pindenissum tantis opibus oppugnabam, ut mihi ad summam gloriam nihil deesset, nisi nomen opidi. IIS, *quae erant,* } inter Ephesum, & Laodiceam. PERILLVSTRES *fuimus* } Fuerunt, antiquus liber Bessarionis. OMNES *iniurias reuellimus superiores* } hoc puto dici: Quaecumque Appius uulnera imposuerat, omnia sanauimus. QVOD *Dein* } Bessarionis liber, Quod idem quod idem. dein. ut fortasse repetitum sit, Quod idem, negligentia librarij. erit enim aperta sententia, si legatur, Quod idem dein Apameae &c. & patebit uerbum, Fecimus, referendum esse ad Reuellimus iniurias superiores. Cum haec iam diuulgassem, confirmari meam coniecturam Vrbinatis Ducis antiquo libro, significauit Gabriel Bartolucius, iuuenis ingeniosus, & bene moratus. QVINQVE *dies* } aliter epist. 16. & fam. epist. 4. lib. 15. IVRISDICTIONE } Iconij tamen ius non dixit, ut ex ep. ad Catonem lib. 15. fam. cognoscitur. AQVARVM *diuortio* } antiqui libri duo, In, praeponunt. ad sententiam nihil interest. Aquarum diuortio diuidi montes dicuntur, cum in eos imbres delapsi, quia consistere in summo iugo non possunt, bifariam diuiduntur, & deorsum praecipitant. Hinc illud fam. epistola 10. lib. 2. Mons Amanus mihi cum Bibulo communis, diuisus aquarum diuortijs. Et Liuius libro XXXIX. In iugo montis castra posuit ad aquarum diuortia. Iulius Frontinus in libro de qualitate agrorum Aquarum diuergia uocat, itemq. Aggenus Vrbicus, & ubi hunc Frontini locum explanat, & in commentario libelli de controuersijs. EA *ipsa, quae* } eo ipso in loco, ubi &c. fam. epist. 10. lib. 2. & 4. lib. 15. IMPERATOR *haud paullo melior, quam aut tu, aut ego.* } eodem modo

modo Horatius Sar. 1.lib.2. Me pedibus delectat claudere uerba, Lucili ritu, nostrû melioris utroque. OSACES } de hac Osacis nece, Cassijq. uictoria, Dio lib. XL. APPELLATIONE *hac inani* } imperatoria. nomen imperatoris concupiuit: quod nos, ut inane quippiam, nihili ducimus. LAVREOLAM *in mustaceo* } iocatur. quoniam mustaceis lauri folia subijcerentur, ut ait Plinius l. XV. Mustaceorum cõfectionem Cato docet in l. de re rust. Bibulus, triumphi cupiditate adductus, uoluit cum obscuris, paucis, infirmis hostibus confligere. COHORTEM *primam totam perdidit,* } cohortes in legione decem Vegetius nominat. Polybius nullam de cohortibus mentionem facit de legione, & manipulis dumtaxat loquitur. quod mirari aliquis possit. sed Polybius descriptionem legionis exponit; cohortes autem ab imperatore interdum fiebant ex coniunctis manipulis rerum gerendarum caussa. Porro, quin duas legiones habuerit Bibulus, minime dubito; cum & is esset consularis exercitus, & duas item Cicero legiones, ut Plutarchus memoriae prodidit, in Ciliciam prouinciam duxerit; & maius Syriae, cui Bibulus praeerat, a finitimis Parthis periculum impendere uideretur. Primam cohortem uocat, quae tribus primis manipulis, idest, uno primo Hastatorum, altero primo Principum, tertio primo Triariorum constaret. ut enim numero manipuli, sic numero cohortes, ex ijsdem manipulis factae, notabantur. Vegetius Primam nominat, quae numero militum, & dignitate praestaret: eamque constituit ex peditibus ∞ CV. reliquas autem nouem ex DLV. ut omnino essent peditum sex millia centum, mutata prorsus militiae ratione, auctoq. numero militum in singulis legionibus. nam Polybius neque plures quattuor millibus ducentis in legione numerat; &, cum ex ijs triginta manipulos faciat, denos e quolibet militum genere, singulos cuiusque generis eodem semper numero, idest Hastatorum CXX, Principum item CXX, Triariorum LX; rationem non inuenio, qua potuerint in una cohorte ∞ CV milites conscribi. quamquam, ut dixi iam, cohortes Polybius numquam nominat, manipulos tantum describit, & utitur his nominibus, τάγμα, σημεῖα, quae Latine dici uidentur, Ordo, Signum. addit etiam, σπεῖρα, parum proprie: nam apud Latinos Cohors est, non manipulus. uerum cohortes multis ante Polybium aetatibus fuisse, Liuius docet: Varro etiam ita ex manipulis copulari cohortem dixit, ut in uilla ex pluribus tectis coniungitur, ac quiddam fit unum. Omnium autem cohortium primam ceteris fortitudine praestitisse crediderim. nam, licet omnes decem cohortes ex quattuor militum generibus, e Velitibus, Hastatis, Principibus, Triarijs, constarent, ternis manipulis cuique cohorti attributis: (uelites enim neque proprios habebant manipulos, neque centuriones, neque signa, uerum ad singulos Hastatorum, Principum, Triariorum manipulos adiungebantur) tamen haud omnes Hastatos, Principes ue usu militari, & uiribus excelluisse uerisimile uidetur. nam, si non omnes Hastatorum, aut Principum centuriones honore pares erant, sed alij alijs praestabant, quod infra docebitur: sequitur, ut nec omnes omnium manipulorum milites uirtute pares fuerint, exceptis fortasse Triarijs: quorum si centuriones pariter Primipili uocabantur: (quod ideo facile arbitror, quia nec usquam primi, secundi, tertij, quarti pili, uel reliquorum mentio fit; & unamquamque Triariorum partem Primum pilum esse dictum, asserit Liuius lib. IIX.) consentaneum uidetur, eandem de omnium Triariorum robore opinionem fuisse. Itaque fortissimos Hastatorum, & Principum, praeter Triarios; qui fortitudine pares omnes habebantur, in primo manipulo delectos esse arbitror; qui primam cohortem constituerent; post eos, qui secundam; deinde, qui tertiam; eodemq. modo usque ad decimam, habita semper in hoc ordine uirtutis ratione. quo plus detrimenti Bibulum accepisse, perdita cohorte prima tota, Cicero significat. In uerbo autem, Perdidit, magis indicatur ducis culpa, quam si dixisset, Amisit. perdimus enim uitio nostro, amittimus etiam alieno. Coelius hac de re, Amisit, dixit, epistola 6. lib. IIX. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit. Vsus est leniore uerbo, quam Cicero, ambitione scilicet minus impeditus. CENTVRIONEMQ. *primipili* } uide Aldi filij scholia in Sallustij Iugurtham. NOBILEM *sui generis* } non familiae suae nobilem, sed nobilem inter Centuriones Triariorum, qui ceteris Hastatorum, & Principum Centurionibus nobiliores erant: uel nobilem inter omnes plane Centuriones, qui ceteris militibus uirtute praestabant. ELEVTHEROCILICVM } liberum: cuius incolae ne regibus quidem umquam paruissent. uide fam. epist. 4. lib. XV. TERTIIS } triduum igitur Saturnalia celebrabantur Ciceronis aetate. qua de re Macrobius plura. AD HS CXX } mancipiorum, quae iam auctione uenierant, pretium erat aureorum 3600. LIGVRINO μώμῳ } momo satisfacere quam non facile sit, uel prouerbium declarat, in rebus difficillimis usurpatum. & puto M. Catonem intelligi, seuerissimum hominem, cui satisfacere magni negotij fuit, usque eo, ut sua morositate, & sibi, & reip. perniciosas excitarit inimicitias. recte igitur Cato momus. Ligurinus cur, compertum mihi nondum est. potest tamen ἀφελῶς esse scriptum: ut uere Ligurinus aliquis fuerit maledicentissimus. ELEGANTIVS } ea parte, in qua scribis de Ligurino momo. NEC *tamen ego, &c.* } uenusta sententia. Continentia, inquit, uirtus est, uoluptati contraria: sed, cum ego ex hac integritate, abstinentiaq. mea tantam capiam uoluptatem, quantam antea numquam; continentiam non uocabo, quae uoluptati resistit; integritatem potius dicam, aut quiduis aliud. FVIT *tanti* } tanta in me fuit, me ipso insciente, integritas, & abstinentia. Περυσιῶμαι. } intumesco, effero me. ut a φυσιάομαι, uerbo tamen, quod putem, inusitato, deducatur. ARIOBARZANES } in Cappadocia tres Ariobarzanes regnasse, postea redactam in prouinciae formam, a Strabone didicimus. OPERA *mea uiuit* } hoc exponit multis uerbis in ep. ad senatum lib. 15. fam. ἐν παρόδῳ, *&c.* } in cursu: quasi enim praeteriens, & alias res agens, belli Parthici cura occupatus, ἐν παρόδῳ regem Ariobarzanem, praesentibus insidijs circumuentum, nec opinantem liberaui. CONSILIO } quia consilij mei fuit, ut triduum illud, dum in castris ad Cybistra moror,

in mi-

in magno officio ponerem, quodq. senatus ad me de Ariobarzane scripsisset, id ad ipsum deferrem. AVCTORITATE} quia mei praesidij spe, insidias ij patefecerunt, qui ante meum aduentum, periculi metu, occultauerant. fam. l. 15. ep. 2. & 4. *Ἀπρόσιτον me*} tantum abest, ut me regis Ariobarzanis insidiatores muneribus corruperint, ut ijs ne accedere quidem ad me, aut alloqui licuerit. ergo, praeter consilium, atque auctoritatem, etiam integritas in me fuit. NE *pilum quidem*} quod mirificae fuit abstinentiae, cum regem Cappadociae seruasset, ex eius regno ne pilum quidem auferre. BRVTVM *abiectum excitaui*} hoc dicit: Rem Bruti desperatam restitui, quia rex, mihi tanto beneficio deuinctus, pecuniam Bruto debitam, quam soluisset numquam, me contendente soluturum se promisit. epist. 1. & 3. l. 6. EST *totum*} in hoc omnia sunt. sic locutus est epist. 4. l. 15. fam. KAL. *Martij*} quo die de prouincijs ad senatum ex S. C. referent noui consules, L. Paullus, C. Marcellus, epist. 8. lib. 8. & 10. ibidem. RESISTET} si Caesaris amici repugnabunt, ne successor ei mittatur; uereor, ne sit eadem prouinciarum omnium condicio, itaq. nec de successore mihi mittendo agatur. epist. 6. l. 8. IVCVNDE *de Caesare*,} grata mihi sunt, quae de Caesare scribis a senatu decreta. Intelligit S. C. Marcello consule referente factum: quo senatus uoluntas aperte significabatur de successore Caesari mittendo. ep. 8. l. 7. fam. QVAE *tu speras*} Caesarem senatus uoluntati cessurum, prouinciam successori traditurum. SALVI *sumus*} de prouincia, ita ut cupimus, decedemus, annuo imperio terminato. INCENDIO *Plaetoriano*} grauiter fero de incensa Plaetorij domo: sed eo minus molestum est, quod adusta simul est propinqua Leij domus, hominis non amici. Aut sic. Eo minus moleste fero Plaetorium condemnatum, quod ex appendice iudicij Plaetoriani uocatus est Leius in iudicium, quo ea pecunia peruenerit: ut Rabirius ex damnatione Gabinij. Sic & Liuius lib. xxix. Serius, inquit, ei triumphandi caussa fuit, ne, P. Terentio Culeone praetore, caussam lege Petilia diceret, & incendio alieni iudicij, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret. LVCCEIVS *de Q. Cassio*} Q. Cassio Longino; qui anno sequenti tribunus pl. cum Antonio collega ad Caesarem profectus, propensum ad ciuile bellum impulit. contentio igitur inter Lucceium, & Cassium, cum alter Pompeij, alter Caesari faueret. TOGAM *puram*} uirilem togam; quam sumebat praetexta deposita, anno XIV. finito. ep. 1. lib. 6. IVBEOR} a fratre meo, sororis tuae uiro. ep. 1. l. 6. MODERABOR} ut minus modesto, minus continenti: qualem se postea Quinctus filius magis quotidie praestitit. VT *habeam rationem*} ut ex tuis, quae sit negotij, atque etiam otij tui ratio, cognoscam; ut mihi rationem reddas & negotij, & otij tui. ALEXIS} Attici seruus amanuensis. ep. 2. lib. 7. ADSCRIBIT} in litteris tuus, ab ipso scriptis. CVR *non suis litteris, &c.*} cur non litteras ipse ad me mittit, sicuti amanuensis meus Tiro ad te mittit? QVAERITVR *Κέρας.*} do operam, ut cornicini Phemio cornu, quale scribis, inueniam. ep. 1. lib. 6. TVO, *meoq. beneficio*} cum uterque puero fortasse tutor esset. CONVELLATVR} eripiatur.

Cicero S. D. Attico. 21.

TE in Epirum saluum uenisse, &, ut scribis, ex sententia nauigasse, uehementer gaudeo: non esse Romae meo tempore pernecessario, submoleste fero. hoc me tamen consolor, quod non spero te istic iucunde hiemare, & libenter requiescere. Cassius, frater Q. Cassij, familiaris tui, pudentiores illas litteras miserat, de quibus tu ex me requiris, quid sibi uoluerint, quam eas, quas postea misit, quibus per se scribit confectum esse Parthicum bellum. recesserant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli aduentum, sed nullo nostro ἁμαρτήματι. *hodie uero hiemant in Cyrbestica, maximumq. bellum impendet. nam & Orodis, regis Parthorum, filius in prouincia nostra est: nec dubitat Deiotarus, cuius filio pacta est Artauasdis filia, ex quo sciri potest, quin cum omnibus copijs ipse prima aestate Euphratem transiturus sit. quo autem die Cassij litterae uictrices in senatu recitatae sunt, idest, non. Oct. eodem meae tumultum nunciantes. Axius noster ait nostras auctoritatis plenas fuisse; illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatae: quas certo scio plenas timoris fore. Ex ijs rebus hoc uereor, ne, cum Pompeius propter metum rerum nouarum nusquam dimittatur, Caesari nullus honos a senatu habeatur; dum hic nodus expediatur, non putet senatus, nos ante, quam successum sit, oportere decedere nec in tanto motu rerum tantis prouincijs singulos legatos praeesse. hic, ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo, atque eo magis, quod tu abes, qui consilio, gratia, studio multis rebus occurreres. sed dices, me ipsum mihi solicitudinem struere. cogor: & uelim ita sit: sed omnia metuo. etsi bellum* ἀκροτελεύτιον *habet illa tua epistola, quam dedisti nauseans Buthroto:* TIBI, VT VIDEO, ET SPERO, NVLLA AD DECEDENDVM MORA. *mallem,* VT VIDEO: *nihil opus fuit,* VT SPERO. *acceperam autem satis celeriter Iconij per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas. in his* γλυκύπικρον *illud confirmas, moram mihi nullam fore: deinde addis, si quid secus, te ad me fore uenturum. pungunt me dubitationes tuae. simul & uides, quas acceperim litteras. nam, quas Hemoni centurioni Scamulae ipse scribis te dedisse, non accepi. Lenij pueris te dedisse, saepe ad me scripseras. eas Laodiceae denique, cum eo uenissem,* III. *id. Febr. Lenius mihi reddidit, datas ad* X. *Kalend. Oct. Lenio tuas commendationes, & statim uerbis, & re aliquo tempore probabo. hae litterae cetera uetera habebant, unum hoc nouum, de Cibyratis pantheris. multum te amo, quod respondisti M. Octauio, te non putare: sed posthac omnia, quae certa non erunt, pro certo negato. nos enim & nostra sponte bene firmi,*

ne firmi, & mehercule auctoritate tua inflammati uicimus omnes (hoc tu ita reperies) cum abstinentia, tum iustitia, facilitate, clementia. caue putes quidquam homines magis umquam esse miratos, quam nullum teruncium, me obtinente prouinciam, sumptus factum esse nec in remp. nec in quemquam meorum, praeterquam in L. Tullium legatum. is, ceteroqui ab-
* stinens, (sed Iulia lege transita, semel tamen in diem, non, ut alij solebant, omnibus uicis : praeter eum semel, nemo acepit) facit, ut mihi excipiendus sit, cum teruncium nego sumptus factum. praeter eum accepit nemo. has a nostro Q. Titinio sordes accepimus. Ego, aestiuis confectis, Quinctum fratrem hibernis, & Ciliciae praefeci. Q. Volusium, tui Tiberij generum, certum hominem, sed mirifice abstinentem, misi in Cyprum, ut ibi pauculos dies esset, ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarent. nam euocari ex insula Cyprios non licet. ipse in Asiam profectus sum Tarso nonis Ian. non mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciae ciuitatum, maximeq. Tarsensium. postea uero quam Taurum transgressus sum, mirifica exspectatio Asiae nostrarum dioecesium; quae sex mensibus imperij mei nullas meas acceperat litteras, numquam hospitem uiderat. illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quaestu. ciuitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant : Cyprij talenta Attica cc. qua ex insula (non ὑπερβολικῶς, sed uerissime loquor) nummus nullus me obtinente erogabatur, ob haec beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi uerborum, decerni sino : statuas,
* cana, τίθριππα probibeo. nec sum in ulla alia re molestus ciuitatibus, sed fortasse tibi, qui haec praedicem de me. perfer, si me amas : tu enim me haec facere uoluisti. Iter igitur ita per Asiam feci, ut etiam fames, qua nihil miserius est, quae tum erat in hac mea Asia, (messis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit. quacumque iter feci, nulla ui, nullo iudicio, nulla contumelia, auctoritate, & cohortatione perfeci, ut Graeci, & ciues Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur. Idibus Febr. quo die has litteras dedi, forum institueram agere Laodiceae Cibyraticum, & Apamense : ex idibus Mart. ibidem Synnadense, Pamphylium, cum Phemio dispiciam κέρας Aonium; Isauricum : ex idibus Mai. in Ciliciam, ut ibi Iunius consumatur. uelim tranquille a Parthis. Quinctilis, si erit, ut uolumus, in itinere est, per prouinciam redeuntibus, consumendus. uenimus enim in prouinciam, Laodiceam, Sulpicio, & Marcello cos. pridie kalend. Sext. inde nos oportet decedere ad IV. Kal. Sext. primum contendam a Quincto fratre, ut se praefici patiatur : quod & illo, & me inuitissimo fiet : sed aliter honeste fieri non potest, praesertim cum, uirum optimum, Pontinium ne nunc quidem retinere possim, rapit enim hominem Postumius Romam, fortasse etiam Postumia. Habes consilia nostra : nunc cognosce de Bruto. Familiares habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum, ex Cypro, M. Scaptium, & P. Matinium; quos mihi maiorem in modum commendauit. Matinium non noui. Scaptius ad me in castra uenit. pollicitus sum ruraturum me, Bruti caussa, ut ei Salaminij pecuniam soluerent. egit gratias. praefecturam petiuit : negaui me cuiquam negotianti dare : quod idem tibi ostenderam : Cn. Pompeio petenti probaram institutum meum : quid dicam, Torquato in Lenio tuo ? multis alijs. si praefectus uellet esse syngraphae caussa, me curaturum, ut exigeret. gratias egit : discessit. Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coerceret; & eundem habuerat praefectum. uexabat Salaminios. ego equites ex Cypro decedere iussi. moleste tulit Scaptius, quid multa ? ut ei fidem meam praestarem; cum ad me Salaminij Tarsum uenissent, & una Scaptius, imperaui, ut pecuniam soluerent. multa de syngrapha, de Scaptij iniurijs : negaui me audire : hortatus sum, petiui etiam pro meis in ciuitatem beneficijs, ut negotium conficerent : denique dixi me coacturum. homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me soluere : quod enim praetori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se a me quodam modo dare; atque etiam minus esse aliquanto in Scaptij nomine, quam in uectigali praetorio. collaudaui homines. recte, inquit Scaptius : sed subducamus summam. interim, cum ego in edicto translaticio centesimas me obseruaturum haberem, cum antocismi anniuersario; ille ex syngrapha postulabat quaternas. quid ais ? inquam. possum ne contra meum edictum ? at ille profert, S. C. Lentulo Philippoq. cos. ut, qui Ciliciam obtineret, ius ex illa syngrapha diceret. cohorrui primo. etenim erat interitus ciuitatis. reperio duo S. C. iisdem consulibus de eadem syngrapha. Salaminij cum Romae uersuram facere uellent, non poterant; quod lex Gabinia uetabat. tum ij Bruti familiares, freti gratia Bruti, dare uolebant, si sibi S. C. caueretur. fit gratia Bruti S. C. ut ne ue Salaminijs, ne ue qui cis dedisset, fraudi esset. pecuniam numerarunt : & postea uenit in mentem feneratoribus, nihil se iuuare illud S. C. quod ex syngrapha ius dici lex Gabinia uetaret. tum fit S. C. ut & ea syngrapha esset, quam ceterae, sed ut eedem. *
Cum haec disseruissem, seducit me Scaptius; ait se nihil contradicere; sed illos putare talenta CC se debere; ea se uelle accipere; debere autem illo paullo minus : rogat, ut eos ad CC perducam. optime, inquam. uoco illos ad me, remoto Scaptio. quid uos ? quantum, inquam debetis ? respondent, CVI. refero ad Scaptium. homo clamare. quid opus est ? inquam, rationes conferatis. assidunt : subducunt : ad nummum conuenit. illi se numerare uelle, urgere ut acciperet. Scaptius me rursus seducit : rogat, ut rem sic relinquam. dedi ueniam homini impudenter petenti, Graecis querentibus, ut in fano deponerent, postulantibus, non concessi. clamare omnes qui aderant, nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset : alij, nihil stultius. mihi autem impudens magis, quam stultus, uidebatur. nam aut, bono nomine, centesimis contentus erat, aut, non bono, quaternas centesimas sperabat. Habes meam caussam : quae si Bruto non probatur; nescio, cur illum amemus : sed auunculo eius certe probabitur, praesertim cum S. C. modo factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum caussa, ut centesimae perpetuo fenore ducerentur.


cerentur. hoc quid intersit, si tuos digitos noui, certe habes subductum, in quo quidem ὁδοῦ πάρεργον. *Lucceius M. F. queritur apud me per litteras, summum esse periculum, ne culpa senatus, his decretis, res ad tabulas nouas perueniat. commemorat, quid olim mali C. Iulius fecerit, cum dieculam dixerit: numquam resp. plus. Sed ad rem redeo. meditare aduersus Brutum caussam meam: si haec caussa est, contra quam nihil honeste dici potest, praesertim cum integram rem, & caussam reliquerim. Reliqua sunt domestica. De* ἐνδομύχοις, *probo idem, quod tu, Postumiae filiae: quoniam Pontidia nugatur. sed uellem adesses. A Quincto fratre his mensibus nihil exspectaris: nam Taurus propter niues ante mensem Iunium transiri non potest. Thermum, ut rogas, creberrimis litteris fulcio: P. Valerium negat habere quidquam Deiotarus rex, eumque ait se sustentari. Cum scies, Romae intercalatum sit, nec ne; uelim ad me scribas certum, quo die mysteria futura sint. Litteras tuas minus paullo exspecto, quam si Romae esses, sed tamen exspecto. Vale.*

EXPLANATIO

MEO *tempore pernecessario* } cum de prouincijs agetur, Kalendis Martij. ep. 20. CASSIVS } hic M. Crassi quaestor in Parthos est profectus; Crasso interfecto, collectis exercitus reliquijs, in Syriam profugit, quo Parthi postea cum irruissent, eos Antiochia, magna caede edita, reiecit. post ciuile bellum, facta cum M. Bruto coniuratione, Caesarem occidit. Philippensi proelio, cum uictum M. Brutū opinaretur; desperata uictoria, sua sibi manu mortem consciuit. Q. CASSII } qui tribunus pl. cum esset, Lentulo, & Marcello cos. cum M. Antonio collega, & C. Curione, qui anno ante tribunus pl. fuerat, ad Caesarem profugit. tres fratres fuerunt, C. Q. L. omnes tribuni pl. fuerunt. de C. satis historiae loquūtur: de Q. nominatim Cicero in epist. ad Tironem, Caesar commen. lib. 1. & alij: de L. in Philip. III. & hic l. 14. ep. 2. quem etiam significat in ep. ad C. Cassium, fam. ep. 2. l. 12. NVLLO *nostro* ἐγκλήματι. } non pulsi a nobis. ORODIS } legendum, Orodae, ut in antiquo Bessarionis libro. ita enim uariatur Orodes Orodae, ut in Anchises Anchisae. quam ueterem flectendi rationem qui ignorarunt, ex Orodae fecerunt Orodis. PROVINCIA *nostra* } Cyrhestica, Syriae parte, Ciceronis prouinciae proxima. epist. 18. Nostra, igitur, populi Romani. ARTAVASDIS } Armeniorum regis, cuius nupta soror erat cum Pacoro, regis Parthorum filio, ex quo scire poterat Deiotarus aliquid de Parthorum consilijs. epist. 3. lib. 15. fam. & Appianus in Parthico. IPSE } rex Parthorum Orodes, Pacori pater. ep. 1. lib. 6. Hiemant, inquit, in nostra prouincia Parthi: exspectatur ipse Orodes. HOC *uereor*, *ne &c.* } modus loquendi, Vereor ne non, hoc significat: fortasse accidet, ut non. elicitur enim negatio, non affirmatio. nam, si, Vereor ne, affirmat, ut, cum dicimus, Vereor, ne filius meus perspectet: certe, Vereor ne non, perspicue negabit. NVLLVS *honos* } cum senatus ei prouinciam, per decennium a populo traditā, ante tēpus uelit eripere. qui erit difficillimus nodus: ut uerear, ne successio prouinciarum non facile expediatur. &, NVLLVS *honos*, quia Pompeius adesset: qui si quo dimitteretur, nemo Caesarem magnopere oppugnaret. LEGATOS *praeesse.* } rectores enim prouinciarum, sine successione decedentes, legatos, qui praeessent, relinquebant. fam. l. XII. ep. 17. & 32. & Pompeius Hispaniam prouinciam diu per legatos Afranium, & Petreium administrauit. NE *intercessor quidem* } si prorogabitur prouincia, tribunum pl. inueniemus, qui prorogationem intercessione impediat. sed uereor, ne S. C. eiusmodi fiat, quo tribuni ab intercessione summoueantur: quale illud epist. 3. lib. 4. STRVERE. } qui haec molestissima cogitem, quae fortasse non erunt. VELIM *ita sit* } ut, inania cogitans, mihi ipse solicitudinem struam. A LENTVLI *triumpho* } post P. Lentuli triumphum ex rebus in Cilicia gestis: ut multis mensibus post, quam decesserat, triumpharit, fortasse a tribunis pl. impeditus: quod & L. Lucullo obuenerat. Rexit autem Lentulus per triennium Ciliciam. id ex eo constat, quod, cum in prouinciam ierit Marcellino, & Philippo cos. ut ex l. 1. fam. liquet, Appio Claudio succedente decessit, ut ex l. 3. fam. intelligitur. γλυκύπικρον } quia partim affirmas, partim dubitas: ut sit spes cum metu, quasi dulce simul, & amarum. dubitare autem uidebatur Atticus in eo, Si quid secus. MORAM } ad decedendum. CENTVRIONI *Scamulae* } mallem, Centurionis Camulae: liberto uidelicet, aut seruo: usitato loquendi genere. DE *Cibyratis pantheris.* } M. Octauio aedili curuli designato, M. Coelij collegae, roganti num Cicero pantheras Coelio missurus esset, Atticus respondit, se non putare. ep. 1. l. 6. & fam. ep. XI. l. 2. & l. 8. AVCTORITATE *tua* } auctor. n. fuisti, ut ita me gererem, ut etiam Ligurino momo satisfacerem. ep. 20. TRANSITA } quid si, Transitans? ut transitans L. Tullius acceperit, sed & semel in diem, & tamen lege Iulia: quae, transeuntibus, magistratuumq. comitibus ut fenum, aliaque, ab oppidis, & uicis sumministrarentur, iubebat. (ep. 10. & 16.) ergo semel in diem L. Tullius, tantum quod necessarium esset: cum alij, Iulia lege abusi, ex omnibus uicis, etiam quod necessarium non esset, transeuntes acciperent. In Bessarionis lib. Transitam, item in duobus apud amicissimum meum. Q. TITINIO } qui mihi legatum dedit L. Tullium. CILICIAE *praefeci* } ipse in Asiam proficiscens, partem prouinciae meae. Q. VOLVSIVM, } de cohorte sua, priuatum hominem: nam quaestori Volusio praenomen fuit Cnaeo, non Quincto. aut, si hic quaestor est, qui tamen quasi a quaestore Cnaeo distinguitur ijs uerbis, Tui Tiberij generum, certum hominem, sed mirifice abstinētē, utrobique praenomen idem sit. CERTVM *hominem*, } grauem. SED *mirifice* } aut, Sed, accipe di-

ctum ad augendam laudem;ut si dicas, homo eruditus, sed eloquens in primis: aut pro, Sed, repone, Et. Cives *Romani pauci*, cur non Cyprij simul & Romani? quia, cum Cyprij alios in iudicium uocant, possunt de suo iure decedere, atque extra insulam ad eum, qui ius dicit, ire; cum uero uocantur ab alijs, utuntur priuilegio suo, nec inuitos ex insula licet euocari. Asiae *nostrarum dioecesium*, non Asiae uniuersae, sed tantum nostrarum in Asia dioecesium, idest trium, quae ipsi praeter consuetudinem erant attributae. uide epist. 67. ad Seruilium, lib. XIII. fam. Eana sic duo antiqua exemplaria, Caualcantis, & Bessarionis. ego, Fana; cum in libris antiquis E saepe repetiatur pro F, errorem creante similitudine. Sententiam autem ipse confirmat, in ep. 1. libri. 1. ad Quinctum fratrem, cum pecunias ad templum decretas non accepisse scribit. Τέτριππα ne dicarentur ei quadrigae aeneae, aut marmoreae. In *hac mea Asia* in hac parte Asiae, mei imperij quae est. Optanda *fuerit*. nunc enim apparet magis nostra abstinentia; qui iter per Asiam ita fecimus, ut ne in fame quidem alieno uti uoluerimus. ipsi de nostro sumptus omnes fecimus. Cibyraticum, totus hic locus multis uerbis explanatus a nobis initio huius libri. Cum *Phemio* cum operam dabo, ut Κέρας Aonium Phemio reperiatur. Aonium autem, quod Aonum regio cantoribus celebrata, ideoq. in ea Cornua praeclarissima. Isauricum non respicit Κέρας, sed Forum. Bessarionis liber non, Aonium, sed, Omnium. Ciliciam ut ibi quoque forum ageret, uide, quae diximus initio huius libri. Sulpicio *& Marcello cos.* consules hic esse adscriptos a Cicerone, credibile non est. quasi uero ita peregrinaretur Atticus in rebus Romanis, ut, qui essent eius anni consules, ignoraret, praesertim sex mensibus post, quam magistratum inierant. glossema igitur sine dubio fuit. Ad IV. *Kal. Sex.* integer non erit annus, si uenit pridie Kal. decedit ad. IV. probabilius igitur, Ad. III. ut est ep. 2. & 3. l. 6. Pontinium legatum meum, hominem praetorium. fam. ep. 15. l. 2. Postumia uel uxor Pontinij, uel amica. Praefecturam iuris dicendi. ep. 1. lib. 6. Negotianti uide ep. 1. lib. 6. Torquato *in Lenio tuo* cui petenti, ut Lenio tuo praefecturam deferrem, negaui, quia Lenius negotiator. ep. 1. lib. 6. Syngraphae *caussa* si praefectus ideo esse uellet, ut ea potestate nummos a Salaminijs exprimeret, non esse, cur praefecturam peteret: me enim curaturum, ut exigeret. Fidem *meam* ut, quod promiseram, re praestarem. Iniuriis equitibus Salaminios uexarat. supra ibidem, & ep. 1. l. 6. Meis *in ciuitatem beneficiis* quia non accepissem, quot praetori dare consuessent: & quia Scaptij equites ante certam diem ex insula decedere iussissem. ep. 1. lib. 6. Praetori proconsuli: antiquo more, cum omnes magistratus, quibus pareret exercitus, Praetor appellabantur. Sic in Verrem lib. 3. Cohorti praetoriae, pro, comitibus consularibus. Praefuerant autem Cypro insulae, ante Ciceronem, proconsules duo, P. Lentulus triennium, Ap. Claudius biennium. Vectigali a me remisso. Translaticio in suum enim edictum ex aliorum edictis, qui Ciliciam administrauerant, cum alia multa, tum caput de centesimis transtulerat. epist. 1. lib. 6. Centesimis autem maiores usuras pendi, L. Lucullus, Ciliciae proconsul, primus uetuerat. qua de re, quod in eius uita Plutarchus tradidit, operaepretium est uidere. Centesimas ut creditoribus centesimae usurae soluerentur, idest, duodeni annui pro centenis: quae grauissima erat omnium usurarum. uide ep. x. l. 1. Cum *anatocismi anniuersario* quae est usurarum in singulos annos quasi regeneratio. accrescebat enim ad sortem id, quod, usurarum nomine, suo tempore dissolutum non erat. ita, aucta sorte, ad usuras quoque necessario fiebat accessio. atque haec est, quam Cicero παλιγγενεσίαν uocat: ego dum rudibus seruio, uerbum de uerbo exprimens, quasi regenerationem conuerti. Hac mihi, in hac tertia commentariorum meorum editione, paullo fusius explicandum putaui: quia quosdam animaduerteram, qui, propter eam, qua usus fueram, breuitatem, sententiam meam minus peruidere potuissent, parum de ea considerate pronunciasse. Quaternas centesimas, cum ego unas haberem in edicto. Ex *illa syngrapha* quas Scaptius quaternas petebat: quas Gabinia lex, centesimis tantum concessis, exigi uetabat. Hic Cicero cohortuit, primo, ueritus ne ex illo S.C. cogeretur ius dicere de quaternis centesimis: postea animaduertit, illud S. C. non de quaternis exigendis cauere, sed ne feneratores sortem ipsam amitterent, quia contra legem Gabiniam dedissent, ne ue Salaminij multarentur, qui contra eandem legem accepissent. lex autem Gabinia, usuram centesima grauiorem uetans, non modo poenam irrogabat feneratoribus, & uersuram facientibus, a qua liberauit utrosque primum S.C. sed uetebat quoque ius dici ex ea syngrapha. cui rei fuit remedio secundi S.C. ijsdem consulibus factum, ut ius diceretur ex illa syngrapha, qua Salaminij Scaptio debebant, itidem ut ex aliis, quib. centesimae tantum, non quaternae, deberentur, dici solebat. Fraudi *esset* ut neq. feneratores creditam pecuniam amitterent, neque Salaminij multarentur, quod contra legem uersuram fecissent. Fraudem pro poena & damno ueteres usurpabant. ep. 26. l. 7. fam. & Vlpianus, Nihil *se iuuare illud* S.C. iuuabat quidem, ne praeter amissam pecuniam etiam damnarentur, quod contra legem fecissent; sed non iuuabat, ut sortem cum fenore quaternarum petere possent e syngrapha. quod nec alterum S.C. nominatim dedit, sed tectis uerbis, hoc modo; Vt ex ea syngrapha ita ius dici posset, sicuti ex ceteris: quod primum S.C. non dederat. Vt *& ea syngrapha* corruptus locus; qui sanus id significaret, quod proxime ostendimus. Dedi *ueniam* concessi: quod tamen non debebam. Salaminij enim, ut usura consisteret, aut numerare uolebant, aut in fano deponere: sed ego Bruti caussa in Scaptium propensior: itaque rem sic reliqui. Illi, inquit, impudenter petenti ueniam dedi: Salaminiis autem, quaerentibus id fieri, &, ut in fano deponerent, postulantibus, non concessi. Sic l. 1. de or. Date nobis hanc ueniam, ut ea, quae sentitis de omni ratione dicendi, subtiliter persequamini. & Suetonius in Tiberio: Honorum satietatem, ac re-

ac requiem laborum praetendens, commeatum petijt: nequeat aut matri, suppliciter precanti, aut uitrico, deseri se etiam in senatu conquerenti, ueniam dedit. STVLTVS } stultus non erat: quia rem sic relinquens nihil amittebat. neq. enim periclitaturus umquam de centesimis cum anatocismo, cum de his intelligeret Salaminios numquam recusaturos, etiam usuram capiebat, quoniam in fano deposita pecunia non esset. ergo in hoc minime stultus: impudens autem, quia quaternas, contra quam esset in edicto, speraret. BONO *nomine* } honesto: quia centesimas cum anatocismo concedebat edictum. NON *bono* } turpi: quia quaternae contra edictum. CONTENTVS *erat* } contentus erat futurus, cum quaternas plane desperasset, nam tum quidem aperte ostendebat, contentum se non esse. tacite igitur sic ratiocinabitur Scaptius, ut contentus tum esset centesimis, cum de quaternis non succederet. secum ipse uidelicet ita loquebatur: De quaternis non impetro: quid agam? rem sic relinquere, e re mea est: impetrabo fortasse ab alio proconsule, Bruti gratia, cuius commendatio apud hunc minus ualet, quam speraui: differam, cum in dilatione spes sit, neque tamen damni quidquam, quoniam usura non consistit, pecunia nō deposita. Hoc est, quod queritur Cicero, Salaminijs timens, ep. 1. lib. 6. Quid inquit, ijs fiet, si huc Paullus uenerit? qui erat Bruti affinis. AVVNCVLO } M. Catone, cuius uterina soror Bruti mater Seruilia. PERPETVO *fenore* } sine renouatione singulorum annorum, sine anatocismo, ne usurae usurarum soluerentur, sed centesimarum perpetuum esset fenus, alio praeterea fenore non adiecto. DVCERENTVR } in supputatione. inde Subduco, & rationes subducere. QVID *intersit* } quid lucri creditoribus fiat ex hoc S.C. ὁδοῦ πάρεργον } quasi praeter propositum, interponam hoc de Lucceio. ep. 8. lib. 3. Q. fr. HIS *decretis* } quae pro creditoribus fiunt. quibus decretis tribunus pl. aliquis excitabitur ad legem de nouis tabulis ferendam, quia senatus uoluntatem animaduerterit in creditores esse propensiorem. C. IVLIVS } C. Caesar in consulatu. CVM *dieculam dixerit* } malo, Duxerit. ut diem Caesar solutionis produxerit, qui consultum debitoribus uellet. Puto etiam, pro Deduceret, legendum duceret, lib. 1. Acad. in extremo. Dieculam autem potius, quam diem: quia parua res quae uidebatur, summum detrimentum attulit reip. Vel: Dieculam dixerit: dieculam, idest tempus, interponi, aequum esse dixerit. est enim hic contracta Ciceronis oratio: itaq. infert: Numquam resp. plus. PLVS } tulit mali, perspicuum est subaudiri. MEDITARE } ut defendas. INTEGRAM *rem* } nihil enim a me factum est contra Scaptii uoluntatem: sic reliqui: quod ille me rogauit. ep. 21. DE ἐνδομύχῳ } de filia collocanda, uide epist. 14. POSTVMIAE *filiae &c.* } mallem, Filio: ut Postumiae filium generum probet: quoniam Pontidia, de alio locuta, certi nihil afferebat. ep. 1. lib. 6. TAVRVS } quem tabellarij, ex Cilicia Romam euntes, transirent, necesse erat. Quinctus autem Cicero, Ciliciae praefectus, trans Taurum; Marcus in Asia, cis Taurum, ut mittere tabellarios Romam posset. FVLCIO. } ut tuis ne desit. ep. 13. & 20. VALERIVM } Attici puto debitorem. QVO *die mysteria* } in quem diem incidant mysteria. nam interkalatio ordinem dierum mutabat. sed Atticus, qui Roma propius abesset, interkalationis dies, & dies item reliquos certius nosse poterat. ep. 20.



IN EPISTOLARVM M. TVLLII CICERONIS AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBRVM VI.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.

ACCEPI tuas litteras ad quinctũ termilia Laodiceae, quas legi libentissime, plenissimas amoris, humanitatis, officij, diligentiae. ijs igitur respondebo: sic enim postulas: nec οἰκονομίαν meam instituam, sed ordinem conseruabo tuum. Recentissime a Cybistris te meas litteras habere ais, ad x. kal. Oct. datas: & scire uis, tuas ego quas acceperim. omnes fere, quas commemoras, praeter eas, quas scribis Lentuli pueris & Equotutico, & Brundisio datas. quare non οἴχεται tuá industria, quod uereris, sed praeclare ponitur; siquidem id egisti, ut ego delectarer. nam nulla re sum delectatus magis. Quod meam βαθύτητα in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto probo; uehementer gaudeo. ac putaram secus. Appius enim ad me ex itinere bis, ter ue ὑπομεμψιμοίρους litteras miserat, quod quaedam a se constituta rescinderem. ut si medicus, cum aegrotus alij medico traditus sit, irasci uelit ei medico, qui sibi successerit, si, quae ipse in curando constituerit, mutet ille: sic Appius, cum ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam, προσανατρεφομένην eam a me non libenter uidet; sed modo succenset, modo gratias agit. nihil enim a me fit cum ulla illius contumelia. tantummodo dissimilitudo meae rationis offendit hominem. quid enim potest esse tam dissimile, quam, illo imperante, exhaustam esse sumptibus, & iacturis prouinciam; nobis eam obtinentibus, nummum nullum esse erogatum nec priuatim, nec publice? Quid dicam de illius praefectis? comitibus? legatis etiam de rapinis? de libidinibus? de contumelijs? nunc autem domus mehercule nulla tanto consilio, aut tanta disciplina gubernatur, aut tam modesta est, quam nostra tota prouincia. hanc non nulli amici Appij ridicule interpretantur: qui me iccirco putent bene audire uelle, ut ille male audiat; & recte facere non meae laudis, sed illius contumeliae caussa. sin Appius, ut Bruti litterae, quas ad te misit, significabant, gratias nobis agit: non moleste fero: sed tamen eo ipso die, quo haec ante lucẽ scribebã, cogitabã eius multa, iniq. cõstituta, & acta, tollere. Nũc uenio ad Brutum: quem ego omni studio, te auctore, sum complexus. quem etiam amare coeperam: sed; dico? reuocaui me, ne te offenderem. noli enim putare, me quidquam maluisse, quam ut mandatis satisfacerem, nec ulla de re plus laborasse. mandatorum autem mihi libellum dedit, ijsdemq. de rebus tu mecum egeras. omnia sum diligentissime persecutus. primum ab Ariobarzane sic contendi, ut talenta, quae mihi pollicebatur, illi daret. quoad mecum rex fuit, perbono loco res fuit; post a Pompeij procuratoribus sexcentis premi coeptus. Pompeius autem cum ob ceteras caussas plus potest unus, quam ceteri omnes, tum quod putatur ad bellum Parthicum esse uenturus. & tamen sic nunc soluitur, tricesimo quoque die talenta Attica XXXIII, & hoc ex tributis: nec id satis efficitur in usuram menstruam. sed Cnaeus noster clemenser id fert: sorte caret: usura, nec ea solida, contentus est. alij

neque


neque soluit quidquam, nec potest soluere: nullū enim aerarium, nullum uectigal habet. Appij instituto tributa imperat. ea uix, in fenus Pompeij quod satis sit, efficiunt. amici regis duo, tres ue perdiuites sunt: sed ij suum tam diligenter tenent, quam ego, aut tu. equidem non desino tamen per litteras rogare, suadere, accusare regem. Deiotarus etiam mihi narrauit, se ad eum legatos misisse de re Bruti: eos sibi responsum retulisse, illum non habere. & mehercule ego ita iudico. nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius. itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scaeuola, fenus, & impendium recusare. Ego autem, quas per te Bruto promiseram praefecturas M. Scaptio, & L. Gauio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli: nec enim in prouincia mea negotiabantur. tu autem meministi, nos sic agere, ut, quot uellet, praefecturas sumeret, dum ne negotiatori. duas ei praeterea dederam: sed ij, quibus petierat, prouincia decesserant. Nunc cognosce de Salaminijs: quod uideo tibi etiam nouum accidisse, tamquam mihi. numquam enim ex illo audiui, illam pecuniam esse suam. quin etiam libellum ipsius habet, in quo est, Salaminij pecuniam debent M. Scaptio, & P. Matinio, familiaribus meis: eos mihi commendat: adscribit etiam, & quasi calcar admouet, intercessisse se pro ijs magnam pecuniam. confeceram, ut soluerent centesimis sexennij ductis cum renouatione singulorum annorum. at Scaptius quaternas postulabat. metui, si impetrasset, ne tu ipse me amare desineres. nam ab edicto meo recessissem, & ciuitatem, in Catonis, & in ipsius Bruti fide locatam, meisq. beneficijs ornatam, funditus perdidissem. Atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse: quod nec mihi umquam Brutus dixerat, nec tibi: etiam, ut praefecturam Scaptio deferrem. id uero per te exceperamus, ne negotiatori: quod si cuiquam, huic tamen non: fuerat enim praefectus Appio: & quidem habuerat turmas equitum, quibus inclusum in curia senatum Salamine obsederat, ut fame senatores quinque morerentur. itaque ego, quo die tetigi prouinciam, cū mihi Cyprij legati Ephesum obuiam uenissent, litteras misi, ut equites ex insula statim decederent. His de caussis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum scripsisse. sed tamen hoc sum animo: si Brutus putabit me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota prouincia singulas obseruarem, itaq. edixissem, idq. etiam acerbissimis feneratoribus probaretur; si praefecturam negotiatori denegatam queretur, quod ego Torquato nostro in tuo Lenio, Pompeio ipsi in Sex. Statio negaui, & ijs probaui; si equites deductos moleste feret; accipiam equidem dolorem, mihi illum irasci, sed multo maiorem, non esse eum talem, qualem putassem. Illud quidem fatebitur Scaptius, me ius dicente, sibi omnem pecuniam ex edicto meo auferendi potestatem fuisse. Adde etiam illud, quod, uereor, tibi ipsi ut probem: consistere usura debuit, quae erat in edicto meo. deponere uolebant: impetraui ab Salaminijs, ut silerent. ueniam illi quidem mihi dederunt: sed quid ijs fiet, si huc Paullus uenerit? sed totum hoc Bruto dedi; qui de me ad te humanissimas litteras scripsit. ad me autem, etiam cum rogat aliquid, contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere, tu autem, uelim, ad eum scribas de his rebus; ut sciam, quo modo haec accipiat. facies enim me certiorem. atque hoc superioribus litteris ad te diligenter perscripseram. sed plane te intelligere uolui, mihi nō excidisse illud, quod ad me quibusdam litteris scripsisses; si nihil aliud de hac prouincia, nisi illius beneuolentiam, deportassem, mihi satis esse. sit sane; quoniam ita tu uis: sed tamen cum eo credo, quod sine peccato meo fiat. Igitur meo decreto soluta res Scaptio, statim quam decretum sit, * tu indicabis; ne ad Catonem quidem prouocabo. sed noli me putare ἐγκελεύσματα illa tua abiecisse, quae mihi in uisceribus haerent. flens mihi meam famam commendasti. quae epistola tua est, in qua mentionem non facias? itaque irascatur, qui uolet: patiar. τὸ γὰρ εὖ, μετ' ἐμοῦ: praesertim cum sex libris tamquam praedibus me ipse obstrinxerim; quos tibi tam ualde probari gaudeo: e quibus unum ἱστορικὸν requiris de Cn. Flauio Cn. F. ille uero ante decemuiros non fuit: quippe qui magistratus multis annis post decemuiros institutus est. quid ergo profecit, quod protulit fastos? occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. nec uero pauci sunt auctores, Cn. Flauium scribam fastos protulisse, actionesq. composuisse: ne me hoc, uel potius Africanum, (is. n. loquitur) commentum putes. Οὐκ ἔλαθέ σ' illud, de gestu histrionis: tu scelestè suspicaris, ego ἀφελῶς scripsi. De me imperatore scribis te ex Philotimi litteris cognouisse. sed credo te, iam in Epiro cum esses, binas meas de omnibus rebus accepisse, unas a Pindenisso capto, alteras a Laodicea, utrasque tuis pueris datas: quibus de rebus, propter casum nauigandi, per binos tabellarios misi Romam litteras publice. De Tullia mea tibi assentior: scripsiq. ad eam, & ad Terentiam, mihi placere. tu enim ad me iam ante scripseras, Ac uellem, te in tuum ueterem gregem retulisses. correcta uero epistola Memmiana, nihil negotij fuit. multo enim malo huic a Pontidia, quam illum a Seruilia. quare adiunges Aufium nostrum, hominem semper amantem me, nunc, credo, eo magis, quod debet etiam fratris Appij amorem erga me cum reliqua hereditate creuisse; qui declarauit, quanti me faceret, cū saepe, tum in Bursa. nae tu me sollicitudine magna liberaris. Furnij exceptio mihi non placet; nec ego ullum aliud tempus timeo, nisi quod ille solum excipit. Sed scriberem ad te de hoc plura, si Romae esses. In Pompeio te spem omnem otij ponere non miror. ita res est. remouendumq. censeo illum dissimulantem. sed enim, οἰκονομία si perturbatior est, tibi assignato: te enim sequor σχεδιάζοντα. Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercentur: sed alter, ut dixit Isocrates in Ephoro, & Theopompo, frenis eget, alter calcaribus. Quincto togam puram Liberalibus cogitabam dare. mandauit enim pater. ea sic obseruabo, quasi interkalatum non sit. Dionysius mihi quidem in amoribus est: pueri autem aiunt, eum furenter irasci. sed homo nec doctior, nec sanctior fieri potest, nec tui meiq. amantior. Thermum, Siluium uere audis laudari. ualde se honeste gerunt. adde M. Nonium, Bibulum, me, si uoles. iam Scrofa, uellem, haberet, ubi posset: est enim lautum negotium. ceteri infirmant πολίτευμα Catonis. Hortensio quod caussam meam commendas, ualde gratum. De Ammiano, spei nihil putat esse Dionysius Terentij nullum uestigium agnoui. Meragenes certe perijt. feci iter per eius possessionem, in qua animal reliquum nullum

lum est, haec non noram tuam, cum Democrito tuo locutus sum. Rhosij caussam mandaui. Sed heus tu, quid cogitas infelicitatis? lancibus, & splendidissimis canistris, olusculis nos soles pascere: quid te in uasis fictilibus appositurum putem? Κέρας Phemio mandatum est: reperietur: modo aliquid illo dignum canat. Parthicum bellum impendet. Cassius ineptas litteras misit: nec dum Bibuli erant allatae: quibus recitatis, puto fore, ut aliquando commoueatur senatus. equidem sum magna animi perturbatione. si, ut opto, non prorogatur nostrum negotium: habeo Iunium, & Quinctilē in metu. esto: duos quidem menses sustinebit Bibulus. quid illo fiet, quem reliquero, praesertim si fratrem? quid de me autem, si non tam cito decedo? magna turba est. mihi tamen cum Deiotaro conuenit, ut ille in meis castris esset cum suis copijs omnibus. habet autē cohortes quadringenarias, nostra armatura, xxx, equitum ∞∞. erit ad sustentandum, quoad Pompeius ueniat; qui litteris, quas ad me mittit, significat, suum negotium illud fore. hiemant in nostra prouincia Parthi: exspectatur ipse Orodes. quid quaeris? aliquantum est negotij. De Bibuli edicto nihil noui, praeter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras, Nimis graui praeiudicio in ordinem nostrum. *ego tamen habeo ἰσοδυναμοῦσαν, sed tectiorem, ex Q. Mucij P. F. edicto Asiatico,* Extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat, ex fide bona. *multaq. sum secutus Scaeuolae, in ijs illud, in quo sibi libertatem censent Graeci datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus. breue autem edictum est propter hāc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putaui: quorum unum est prouinciale, in quo est de rationibus ciuitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis: alterum, quod sine edicto satis cōmode transigi non pōt, de hereditatū possessionib. de bonis possidendis, magistris faciūdis, uendēdis: quae ex edicto & postulari, & fieri solent. tertiū, de reliquo iure dicēdo, ἄγραφον reliqui: dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum: itaq. curo: & satisfacio adhuc omnibus. Graeci uero exsultant, quod peregrinis iudicibus utuntur. nugatoribus quidem, inquies. quid refert? tamen se αὐτονομίαν adeptos putant. nostri enim, credo, graues habent, Turpionem sutorium, & Vettium mancipem. De publicanis quid agam, uideris quaerere. habeo in delicijs, obsequor, uerbis laudo, orno; efficio, ne cui molesti sint. τὸ παραδοξότατον. usuras eorum, quas pactionibus adscripserant, seruauit etiam Seruilius. ego sic. diem statuo satis laxam; quam ante si soluerint, dico me centesimas ducturum: si non soluerint, ex pactione. itaque & Graeci soluunt tolerabili fenore: & publicanis res est gratissima, si illa iam habent, pleno modio uerborum honorem, inuitationem crebram. quid plura? sunt omnes ita mihi familiares, ut se quisq. maxime putet. sed tamē μηδὲν ἐν αὐτοῖς. scis reliqua. De statua Africani, (ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων: sed me ipsum delectauit in tuis litteris) ain' tu? Scipio hic Metellus proauum suū nescit censorem non fuisse? atqui nihil habuit aliud inscriptum, nisi,* CENSOR, *ea statua, quae ad Opis aperte posita in excelso est. in illa autem, quae est ad πολυδέυκους. inscriptum est,* COS. *quam esse eiusdem, status, amictus, anulus, imago ipsa declarat. at hercule ego eum in turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animaduertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putaui, nunc uideo Metelli ἀνιστορησίαν turpem. Nam illud de Flauio, & fastis, si secus est, commune erratum est; & tu belle ὑπέφηνας; & nos publicam prope opinionē secuti sumus, ut multa apud Graecos. quis enim non dixit, Εὔπολιν, τὸν τῆς ἀρχαίας, ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum esse in mare? redarguit Eratosthenes: affert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit. nunc iccirco Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis errauit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur iacet Theophrastus, si id a Timaeo, tuo familiari, reprehensum est? Sed nescire proauum suum censorem non fuisse, turpe est, praesertim cum post eum consulem nemo Cornelius, illo uiuo, censor fuerit. Quod de Philotimo, & de solutione* $\overline{XX}$ DC *scribis: Philotimum circiter kal. Ian. in Chersonessum audio uenisse. ac mihi ab eo nihil adhuc. reliqua mea Camillus scribit se accepisse. ea quae sint, nescio, & aueo scire. sed haec posterius, & coram fortaße commodius. Illud me, mi Attice, in extrema fere parte epistolae commouit: scribis enim sic, τί λοιπόν? deinde me obsecras amantissime, ne obliuiscar uigilare; ut animaduertā quae fiant. num quid de quo inaudisti? etsi nihil eiusmodi est: πολλοῦ γε καὶ δεῖ. nec enim me fefellisset, nec fallet. sed ista admonitio tua tam accurata nescio quid mihi significare uisa est. De M. Octauio, iterum tibi rescribo, te illi probe respondisse. paullo uellem fidentius. Nam Coelius libertum ad me misit, & litteras accurate scriptas, & de pantheris, sed a ciuitatibus. rescripsi, alterum me moleste ferre, si ego in tenebris laterem, nec audiretur Romae, nullum in mea prouincia nummum, nisi in aes alienum, erogari; docuique, nec mihi conciliare pecuniam licere, nec illi capere: monuiq. eum, quem plane diligo, ut, cum alios accusasset, cautius uiueret: illud autem alterum alienum eße existimatione mea, Cibyratas imperio meo publice uenari. Lepta tua epistola gaudio exsultat: etenim scripta belle est, meq. apud eum magna in gratia posuit. Filiola tua gratum mihi fecit, quod tibi diligēter mandauit, ut mihi salutem adscriberes: gratum etiā Pilia: sed illa officiosius, quod mihi, quem iam pridem numquam uidet. igitur tu quoque salutem utrique adscribito.* Litteras daturum pridie Kal. Ian. *suauem habuit recordationem clarissimi iurisiurandi: quod ego non eram oblitus: magnus enim praetextatus illo die fui. Habes ad omnia, non, ut postulasti, χρύσεα χαλκείων; sed paria paribus respondemus. Ecce autem alia pusilla epistola; quam non relinquebam ἀναντιφώνητον. Bene mehercule potuit Lucceius Tusculanū: nisi forte, solet enim, cum suo tibicine. & uelim scire, quis sit status eius. Lentulum quidem nostrum, praeter Tusculanum, proscripsiße audio. cupio hos expeditos uidere: cupio etiā Sextium: addes etiam ijs Coelium. quibus omnibus est: αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. De Memmio restituendo ut Curio cogitet, te audisse puto. De Egnatij Sidicini nomine, nec nulla, nec magna spe sumus. Pinarium, quem mihi commendas, diligentissime Deiotarus curat, grauiter aegrum. Respondi etiam minori. Tu, uelim, dum ero Laodiceae, idest ad idus Mai. quamsaepissime mecum per litteras colloquare: & cum Athenas ueneris, (iam enim sciemus de rebus*

urbanis,

urbanis, de prouincijs, quae omnia in mensem Martium sunt collata) utique ad me tabellarios mittas. Sed, heus tu, Gennarios a Caesare per Herodem, talenta Attica L, extorsistis: in quo, ut audio, magnum odium Pompeij suscepistis. putat enim, suos nummos uos comedisse, Caesarem in merito reaedificando diligentiorem fore. hoc ego ex P. Vedio, magno nebulone, sed Pompeij tamen familiari, audiui. hic Vedius uenit mihi obuiam cum duobus essedis, & rheda equis iuncta, & lectica, & familia magna: pro qua, si Curio legem pertulerit, H-S centena pendat necesse est. erat praeterea cynocephalus in essedo: nec deerant onagri. numquam uidi hominem nequiorem. sed extremum audi. Diuersatus est Laodiceae apud Pompeium Vindullum: ibi sua deposuit, cum ad me profectus est. moritur interim Vindullus: quae res ad Magnum Pompeium pertinere putabatur. C. Vennonius domum Vindulli uenit: cum omnia obsignaret, in Vedianas res incidit. in his inuentae sunt quinque laguncülae matronarum, in quibus una sororis amici tui, hominis Bruti, qui hoc utatur; & illius Lepidi, qui haec tam negligenter ferat. Haec te uolui παριστορῆσαι. sumus enim ambo belle curiosi. Vnum etiam uelim cogites. audio Appium προπύλαιον Eleusi ne facere. num inepti fuerimus, si nos quoque Academiae fecerimus? puto, inquies. ergo id ipsum scribes ad me. equidem ualde Athenas ipsas amo. uolo esse aliquod monumentum. fodi falsas inscriptiones statuarum alienarum. sed ut tibi placebit: faciesq. me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem, & quo modo hiemaris. Cura ut ualeas. Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quincto.

EXPLANATIO



AD QVINCTVM *termilia* } placet, Ad v. Terminalia: ut sit, die v. ante Terminalia, sicuti Ad v. Kalendas, die v. ante kalendas. SIC *enim postulas* } hoc si quis transijciat, & post uerbum, Instituam, collocet; ut ego existimo, nō inepte faciat. Οἰκονομίαν *meam* } οἰκονομία est ordo in re domestica: μεταφορικῶς hic sumitur pro ordine, quem scribentes seruamus. EQVOTVTICO } opido, quod nominatur in Itinerario Antonini. conditum a Diomede post euersam Troiam, unaq. Beneuentum, & Arpos, ait Seruius super illo uersu, Mittitur & Magni Venulus Diomedis ad urbem, Aen. lib. 8. MEAM βαθύτητα } patientiam; cum ea fero, & dissimulo, quae ille commisit. Sic lib. 5. epist. 16. Appij uulnera non refrico, sed apparent, nec occuli possunt. LIBERTATEM } quod non omnia Scaptio, quem mihi Brutus commendauerat, concessi. ep. 21. l. 5. CVM ἐξ ἀφαιρέσεως *prouinciam curarit,* } iocus ex medicina sumptus. nam, cū ueteres medici, ut ait Hippocrates, ἐξ ἀφαιρέσεως, uel ἐξ ἀποθέσεως idest uel diminuendo, uel addendo, aegrotos curare consueuissent, Appius τῇ ἀφαιρέσει in curanda prouincia usus est. Exhaustam ab eo sumptibus, & iacturis prouinciam, Cicero significat. quod paullo post aperte dicit. Πρόσαντα τρεφομένην } recreatam, meis institutis, quae ab institutis Appij differunt. PRAEFECTIS, } ius in prouincia dicentibus. ut M. Scaptio, de quo in ep. 21. l. 5. & in hac infra. HANC *nonnulli* } uel, Hanc, interpretare, dissimilitudinem administrationis; uel, Haec, repone, pro Hanc. COEPERAM } mea sponte. SED *dico?* } sed eum nunc quidem minus amo, hoc dicturus fuit: deinde reuocauit se, ne Atticum offenderet, Bruti amantissimū. Dico? dicon, quod uolui? non faciam: & tacui quod eram dicturus, ne te offenderem. MANDATIS } Bruti. POLLICEBATVR } ob acceptum a me beneficium. ILLI } Bruto, cui debebat. lib. 5. ep. 20. PREMI *coeptus* } ut solueret eam pecuniam, quam a Pompeio, bellum in ijs regionib. contra Mithridatem gerente, mutuam acceperat. TALENTA *Attica* } Talentum Atticum scutati 720. IN *usuram menstruam* } soluit Ariobarzanes usurae nomine singulis mensibus talenta Attica XXXIII. nec ea tamen in usuram satis sunt. SORTE } pecunia Ariobarzani credita. ACCVSARE *regem* } qui Bruto non solueret, praesertim cum mihi promisisset. VT *Glabrione Scaeuola* } pro Glabrione pupillo tutor Scaeuola fenus, & impendium recusauit aduersus creditores pupilli. ita ego alterum duorum faciam, ut aut tutelam regis, mihi a senatu traditā, renunciem, ac deponam, aut aduersus eius creditorem fenus, & impendium recusem. hoc est, ita pergam in tutela, ut, quod pupilli nomine fenus, & impendium est soluendum, id non soluam. Impendiū, est usura. Varro lib. 4. Vsura, quod in sortem accedebat, Impendium appellatum. Hoc intellecto, patet sententia illius loci in libro de claris orat. Vt etiam impendijs augere possimus largitatem tui muneris. Et in Catone: Terra numquam recusat impendium, nec umquam sine usura reddit, quod accipit. Sic. n. legendum putat homo eruditus. DETVLI: } ut supra, epist. 21. lib. 5. & hac epist. dicit Scaptio petenti negasse. nisi si duo Scapij fuere, quod opinor; ut hic in regno Ariobarzanis negotiaretur, ille in prouincia Ciceronis. ep. 21. lib. 5. INTERCESSISSE *se* } apparet, quam pecuniam Scaptius, & Matinius Salaminijs Romae dederant, eam pecuniam & ipsos mutuam sumpsisse, sponsore Bruto. nam, Intercedere, uerbum est de sponsionibus usurpatum; ut oratione. II. in Antonium; Tantum se pro te intercessisse dicebat. & hic lib. I. Accersiuit ad se, promisit, intercessit, dedit. Et Parad. VI. ubi in uulgatis legitur, Intercissas pecuniarum, legendum puto, Intercessiones. VT *soluerent, &c.* } ut omnem pecuniam Salaminij soluerent; quoniamq. per sexennium ea pecunia usi fuerant, eius sexennij cētesimas usuras soluerent. CENTESIMIS } sigulis, ut in edicto. infra. DVCTIS } subductis; unde Ducere rationes. CVM *renouatione singulorum annorum* } cum anatocismo anniuersario, idest, ut usurarum centesimarum, quae solutae nō fuerant,

usurae cum centesimis simul soluerentur, id enim est Renouare fenus per singulos annos; ut summa fiat, pro centesimis non solutis quantum noui fenoris sexennio creetur, ducta ratione per singulos annos. IN *Catonis, & in ipsius Bruti fide locatam,* } Cyprus Catonis erat clientela: epist. 4. lib. 15. fam. item Bruti, quia cum auunculo suo Catone fuerat, cum is lege Clodia Cyprum insulam Ptolemaeo regi ademit. Plutarchus, Strabo lib. 14. Velleius lib. 2. & alij. QVAE *erat in edicto meo;* } centesimae usurae consistere debuerunt, quas habebam in edicto meo, me esse obseruaturum cum anatocismo: consistere autem ab eo tempore, quo tantum pecuniae depositum fuisset, quantum deberetur ductis centesimis cum anatocismo. id Salaminij uolebant; sed ego postulantibus, ut deponerent, non concessi. SI *huc Paullus uenerit?* } si, inquit, acciderit, ut L. Paullus, qui nunc consul est, consulatu functus, huc proconsul mittatur: male cum Salaminijs agetur. Brutus enim contra eos omnia Scaptij caussa impetrabit; quatenus dare cogentur. Erat autem affinis Bruti Paullus; quod eius frater Lepidus Tertullam, Bruti sororem, habebat in matrimonio. MEO *decreto* } habent antiqui libri, quorum mihi copia fuit, omnes sic: Soluta res Scaptio statim quam decretum sit tu iudicabis. unus, Soluta res captio. uideamus ut si tueri liceat antiquam scripturam: quod opinor licet. primum interpunge sic. Igitur meo decreto soluta res Scaptio, statim quam decretum sit: tu iudicabis. deinde explana: Igitur datum hoc sit a me Bruti gratiae, ut quaternae Scaptio soluantur meo decreto, idq. statim quam decretum sit: sit inquam res Scaptio soluta. tum decreti mei iudex ipse eris: plane tuo iudicio stare constitutum est: ad neminem prouocabo, ne ad Catonem quidem: quam certo scio, inique decretum a me, dicturum. te unum, inquam, decreti mei iudicem constituam: certe, quae tua est aequitas, decretum meum probare non poteris; quamquam Bruti caussa omnia cupias. patere decreturum, Cicero dicit, sed utitur quodam simulacro, ut Atticus, re ante oculos posita, turpitudinem cernens, excuset eum, quia pro Scaptio, idest pro Bruto, non decreuerit. Forte etiam, cum, ut dixi iam, uno in uetere libro scriptum sit, Soluta res captio; legi rectius possit, mutatione parua; Soluatur Scaptio statim. quam directum sit, tu iudicabis. atque in hanc opinionem eo me facilius demitto, quod eodem modo non dubie uidetur esse corrigendus locus in Agraria 2. legendumque, Directo, & palam; non, ut est in impressis libris, Decreto, & palam. τὸ γὰρ &c. } hunc locum infra, ubi integer recitatur, uberius explano, epist. 9. libri 8. SEX *libris* } de republica, & de optimi ciuis officio. prius tamen nouem libros conficere in animo habuit. uide epist. 9. libri 3. ad Q. frat. CN. *Flauio Cn. F.* } legebatur antea, Cn. Flauio Annij filio: corrupte. nam filij a praenomine patris ostendebantur. Annius autem non praenomen, sed nomen, idest familia. mendosam igitur dictionem semper credidi, mutare uero non audebam, cum & a Plinio libro XXXIII. cap. I. & a Gellio lib. VI. cap. IX. hunc esse appellatum uiderem Cn. Flauium Annij filium. postea, Liuij libros percurrens, cum ad eum locum libri IX. uenissem, in quo Flauium hunc scribam Cnaei filium uocat: Cn. F. ego quoque in Cicerone scripsi: itaque Plinij, Gellijq. locus erit emendandus. Infra idem attigit. ISTAM *tabulam,* } Flauius scriba, cum populus, qui dies aut nefasti, aut fasti essent, ignoraret, eorumq. notionem a iurisconsultis peteret, ipse fastos circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur. quo beneficio populi gratiam, indeq. curulem aedilitatem, libertino patre natus, obtinuit. TABVLAM; } igitur fastorum. *Οὐ χιλιάδες illud &c.* } est hoc ἐκ τῶν αἰνιγμάτων. nam neque infra quidquam est, quo niti coniectura possit: nec diuinare nostrum est. ACTIONES } quibus diebus lege agi posset. IMPERATORE } appellato. lib. V. ep. 20. PHILOTIMI *litteris* } Roma scriptis. BINAS } unas, quarum est principium, Saturnalibus mane, lib. V. epist. 20. alteras, hoc principio, Te in Epirum, lib. V. ep. 21. MIHI *placere:* } ut nubat ei, de quo scribis: quem ex equestri ordine fuisse, proxima uerba declarant. ep. 4. TVVM *ueterem gregem* } mallem de equestri genero, quam de patricio, cogitasses. opinor enim, de patricio discedens Cicero mandauerat. Parui, inquit, tibi, monenti ut me in meum ueterem gregem referrem, idest, ut cum equestri loco natis iungerem. CORRECTA *uero epistola Memmiana* } quod antea scripseras de Memmio, Pontidiam scilicet nugari, postea correxisti, cum eam certa loqui significasti. epist. 21. lib. 5. NIHIL *negotij fuit* } perducere in eam sententiam, ut de uno Memmio cogitarem. MALO } generum. A PONTIDIA } de quo Pontidia sermonem habuit. epist. 21. lib. 5. ADIVNGES } ad consultationem de Tullia. FRATRIS *Appij* } non puto intelligi de Ap. Claudio, P. Clodij fratre, (hic enim tunc uiuebat) sed de alio, cuius paullo ante mortui hereditatem Aufius adierat. AMOREM } ut non solum rei, quam Appius habuit, sed amoris etiam, quo me uiuens prosecutus est, heres Aufius sit. Est autem nota locutio, Cernere hereditatem, & hereditate. utroque enim modo ueteres Latini loquebantur. QVI } Appius potius, quam Aufius. IN *Bursa.* } cum T. Munatium Plancum Bursam lege Pompeia de ambitu accusaui. fam. epist. 2. & 10. l. 9. & Philippica V. hunc Bursam postea Caesar, uicto Pompeio, cum alijs non paucis, lege Pompeia damnatis, restituit. LIBERARIS } si de Tullia mea confeceris. FVRNII *exceptio* } Furnium tribunum pl. (ep. 18. lib. 5.) Ciceronis studiosum, legem opinor tulisse de rectoribus transmarinis, nisi Parthus moueret intra Quinctilem mensem, eos posse decedere. at id ipsum tempus Cicero timebat, ideoq. exceptionem illam minime probabat. uolebat autem omnino ferri, ut, annuo imperio terminato, decederet: quod ipse non magis odio prouinciae, quam Parthorum metu, cupiebat. REMOVENDVMQ. *censeo* } quod attinet ad otium, & salutem reip. nihil eum dissimulaturum putemus. Et hoc adscripsit Cicero, quia, cum supra dixisset, Vsquequaque, de hoc cum dicemus, sit hoc quasi πολιτικὸν φυχολόγον, quibus uerbis perpetuum in Pompeio notauit dissimulationis uitium; exceptione hic utendum putauit, cum de communi otio loqueretur. Remoueamus, inquit, ab eo uitium dissimulationis. οἰκονομία } ordo, & dispositio rerum, quae

quae scribuntur. *χεδιάζον* } qui scribis non ordine, sed ut quidque in mentem uenit. SED *alter, &c.* } frenis egebat Quinctus, ut ingenio ualens plus etiam quam satis esset; calcaribus Marcus, ut tardior. ergo hic Ephoro, ille Theopompo similis, utrique Isocratis discipulo. Suidas. DARE } Laodicae. ep. 20. l. 5. OBSERVABO, } quo die Liberalia de more celebrantur, eo die (nempe XII. Kal. Apr.) togam puram Quincto daturus sum. Quoniam autem mutare dies solebat interKalatio, (& , interKalatum esset, necne, Cicero ignorabat) ego, inquit, Liberalia sic obseruabo, quasi interKalatum non sit; suo inquam die obseruabo, quando mihi est ignota interKalatio. ep. 1. & 3. l. 6. IN *amoribus est* } carissimus est. nota locutio. fam. ep. 32. l. 7. AIVNT *eum* } alij, Aiunt se. malo, Eum, ex antiquo libro Bessarionis: idq. magis postulat Latini sermonis probata consuetudo. THERMVM, *Siluium* } uicinarum prouinciarum rectores. BIBVLVM } Syriae proconsulem. SCROFA } nostri cupidissimus. cui si daretur occasio, iure posset me laudibus efferre. LAVTVM *negotium* } egregia mea prouincialis administratio. INFIRMANT *πολίτευμα Catonis* } non ita publicam rem administrant, ut Cato iubet. CAVSSAM *meam* } ne patiatur mihi prouinciam prorogari. ep. 13. lib. 5. DE *Amiano* } hi tres, Amianus, Terentius, Meragenes, uidentur Attico pecuniam debuisse. & quod sequitur, Spei nihil, explano, de exigenda pecunia. DIONYSIVS } Ciceronum magister, tui amantissimus, qui adest, & rem tuam mecum curat. NVLLVM *uestigium* } hominem conuenire uolebam, ut agerem de tuo nomine. non modo non potuit, sed nec ullum eius uestigium agnoui. *Meragenes certe peryt:* } Attici debitor est, ad inopiam redactus. *Peryt:* decoxit, perdidit omnem rem: ut de pecunia tua prorsus actum sit. MANDAVI } dedi negotium, ut, quod de Rhosio scripsisti, ageretur. LANCIBVS *&c.* } iocus, quia scripserat Atticus, uasis fictilibus se esse usurum. quid, inquit, cogitas? in lancibus, & splendidissimis canistris oluscula apponebas, ijsq. nos pascere solitus es, cum praeterea nullum esset obsonium: in uasis fictilibus, quae humiliora sunt, quid appones? certe uiliora esculenta. INFELICITATIS } quasi infelicitatem quaerat, qui tam frugaliter cogitet uiuere. REPERTVROS } ij, quibus mandaui, polliciti sunt se reperturos. l. 5. ep. 21. INEPTAS } scripsit enim, ut ex Arij litteris cognoui, confectum per se Parthicum bellum: cum non ita res sit. l. 5. epist. 21. ALIQVANDO *commoneatur* } aliquando Parthici belli curam suscipiat. quod non esse confectum, ex Bibuli litteris intelliget; contra quam Cassius scripsit. epist. 21. l. 5. HABEO *Iunium & Quinctilem in metu* } qui sunt postremi duo menses imperij mei annui. uenit enim in prouinciam Cicero pridie Kal. Sext. ut est l. 5. epist. 2. & ad Appium epist. 7. lib. 3. SVSTINEBIT } impetum Parthorum, usque eo, dum annua mihi finiatur administratio. Erat autem Parthis, antequam Ciceronis in prouinciam peruenirent, per Syriam, Bibuli prouinciam, transeundem. SI *non tam cito* } si prouinciae mihi tempus non prorogatur; nec mihi liceat, casu aliquo, ut fit, anno confecto decedere; quid me fiet? QVID *illo fiet?* } antiqua locutio: ut in epistola ad Terentiam, Quid Tulliola mea fiet? fam. epist. 4. l. 14. QVADRINGENARIAS } quadringentorum militum singulas, numero triginta, omnes armatura Romana. supputa: duae legiones erunt. hoc & epist. 18. l. 5. significatur in illo uerbo, DVPLICATVRI. Hirtius in libro de bello Alex. unam tantum Deiotari legionem Romana disciplina, & armatura constitutam nominat. oratione in Antonium. XI. Deiotari exercitum, Romano more instructum, Cicero appellat. Quod sequitur, ∞∞; significare duo millia, supra docuimus in narratione de numerorum antiquorum notis. IN *nostra prouincia* } non cui ego praesum, sed in prouincia populi R. epist. 21. l. 5. IPSE *Orodes* } rex Parthorum, Pacori pater, qui iam Euphratem transierat. epist. 18. & 21. lib. 5. ALIQVANTVM *negotij* } non multum, quia Parthi nihil mouent; sed aliquantum tamen, quia sunt in nostra prouincia. ut in eo quiddam mihi sit negotij, quia, propinqui cum sint, a subitis excursionibus timendum. PRAETER *illam exceptionem* } exceptio erat ex prouincialium commodo contra publicanos, id est contra ordinem equestrem. nam publicani omnes equites. NIMIS *graui praeiudicio in ordinem nostrum* } Attici uerba de exceptione edicti. In ordinem nostrum, equestrem. nam Atticus, equestri loco natus erat, & in equestri ordine permanserat: senator enim numquam fuit. Cicero autem ab equestri ordine in senatorium adscenderat. Publicanis porro fere semper cum prouincialibus negotium erat e uectigalium exactione. & Bibulus equitibus infensus, quia Caesarem, inimicum suum, magno beneficio deuincti, studiosissime obseruabant. Suetonius. *ἐνδυναμοῦσαν* } exceptionem similem, quae prouincialibus magis, quam publicanis, consulat, translatam in meum edictum ex edicto Q. Mucij Scaeuolae, Asiae proconsulis. lib. 5. epist. 17. & fam. epist. 9. l. 1. TECTIOREM } ne aperta exceptione, ut Bibulus, equestrem ordinem offenderet. Q. MVCII P. F. } praenomen patris addidit, distinctionis caussa. uixerant enim eodem tempore duo Q. Mucij Scaeuolae, uterque iuris prudentia clarus. unus Q. F. augur, socer L. Crassi oratoris, qui consulatum gessit cum L. Metello Dalmatico anno V. DCXXXVI. quem Cicero loquentem induxit lib. 1. de or. hic praetor Athenas profectus est, ut lib. 1. de Fin. & lib. 1. de or. Alter fuit Q. Mucius P. F. Pont. Max. collega in consulatu L. Crassi, anno V. DCLVIII. Asiam rexit proconsul: ut hic, & l. 5. epist. 17. & in Verrem, & pro Plancio, & Val. Max. lib. 8. c. 16. epitome l. 76. Pedianus bis. Interfectus est iussu C. Marij consulis, ut epitome lib. lxxxvj. & lib. 3. de or. EXTRA *quam* } cum in pactionibus prouincialium, & publicanorum multa fierent contra fidem bonam, Bibulus in edicto suo scripserat, se non staturum tabulis pactionum. hoc idem Cicero, sed tectius, his, inquam, uerbis *γενικῶς*: Extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat, ex fide bona. EXTRA *quam*: cum hac exceptione. EX FIDE *bona* } ut ex bona fide conuenit. tectior autem ideo Ciceronis exceptio, quia neque pactiones, neque aliud quidquam nominatim, *γενικῶς* omnia cōplexus est: Bibulus autem de pactionibus expresserat, graui praeiudicio in ordinem equestrem. nam, si pactiones nō

ſeruarentur, magnū in eo damnum publicani facerent. OMNIA *de publicanis* : } de omnibus controuerſijs, quae inter publicanos & prouinciales poſſunt exſiſtere. MAGISTRIS *faciundis* } magiſtros auctionum intelligit; de quibus epiſtola 1. VENDENDIS } ut ex edicto primum a creditoribus poſſideantur bona, deinde, magiſtris factis, uendantur. PEREGRINIS } non Romanis, ſed peregrinis, ideſt ſuis, ep. 2. NVGATORIBVS } leues, inquis, erunt iudices, ſiquidem Graeci erunt. quid reſcripſi tamen ita exſultant, quaſi ſummum a me beneficium acceperint. VESTRI } qui Romae iudicant. ἀρμικῶς dixit. MANCIPEM } quaſi non grauis iudex eſſe poſſit, qui ob quaeſtum publica conducat, uel emat. NE *cui moleſti ſint* } acerbiore uectigalium exactione. itaque hoc accidit παραδοξότατον, ideſt maxime praeter opinionem. ante enim, moleſtiſſimi prouincialibus publicani. VSVRAS *eorum* } quas prouinciales ex pactione publicanis penderent, donec debitum uectigal ſoluerent. quod & Seruilius, cognomento Iſauricus, Ciliciae proconſul, ratum eſſe noluit. ego autem (inquit) prouincialibus amicior: qui uſuras, pactionibus adſcriptas, non ſeruo; ſed diem ſtatuo ſatis laxam, qua uectigal publicanis debitum ſoluant: quam ante ſi ſoluerint, ad uectigal uſuras tantum centeſimas addent; ſi non ſoluerint, tū, quod ne accidat, conſulto diem ſtatuo ſatis laxam, quo poſſint matura ſolutione uſuras illas intolerabiles effugere. CENTESIMAS *ducturum* } hoc ſeruaturum, ut centeſimas dumtaxat cum uectigali ſoluant publicanis. quod illis multo erit facilius, quam ſi uſuras illas, quae pactionibus adſcriptae fuerant, centeſimis uidelicet non comparandae, ex inſtituto Seruilij cogerentur ſoluere. EX PACTIONE } ſoluant, ut pactionibus adſcriptum eſt: adſcriptum autem erat grauiſſimum fenus : quod ſeruauerat proconſul Seruilius. SOLVVNT *tolerabili fenore* } ſoluunt uectigal iam ante debitum, cum cēteſimis, quod eſt fenus tolerabile. SI *illam iam habent* } Caualcantis liber, Illa, etiam alter antiquus. mendum tamen remanet in particula, Si. ſequitur translatio a menſura, copiam ſignificans. publicanos ualde uerbis orno, crebro inuito. MAXIME *putet*. } eſſe mihi familiarē. Μηδὲν αὐτοῖς } nihil ipſis tribuo: quamuis eos habeā in delicijs, nihil tamen ipſorū cauſſā facio, quod reprehendi poſſit. RELIQVA } quae perficiunt Graecam ſnīam. DE *ſtatua Africani* } de qua ut putē locutū eſſe Ciceronē in libris de rep. facit illud infra, Nā illud de Flauio, & faſtis. uſ .n. Atticus ad Ciceronem ſcripſiſſe, eius opinionē a Scipione Metello reprehendi, propterea quod in libris fortaſſe de rep. tradidiſſet, eam ſtatuā, quae ad Opis aedē poſita eſſet, cum hac inſcriptione, P. CORNELIVS. P. F. SCIPIO. CENSOR, Africani eſſet: quam Scipio Metellus non Scipionis Africani, ſed Scipionis Serapionis aiebat eſſe. quem refellit Cicero his uerbis: Cum habeat ea ſtatua inſcriptum, CENSOR, qui poteſt de Serapione intelligi, qui cenſor numquam fuit? an hoc Scipio hic Metellus ignorat, proauum ſuum Serapionem cenſorem non fuiſſe? Eſt autem Serapio, Naſica ille Scipio, qui Ti. Gracchum pontifex max. interfecit. Ὦ πραγμάτων ἀσυγχύτων } o perturbatum rerum ordinem, quo tu uteris in litteris tuis. ſupra dixit, Te enim ſequor σχεδιάζοντα. IAM } hoc ipſum, quod ſcribis ordine perturbato. SCIPIO *hic Metellus* } hic eſt Pompeij Magni ſocer, P. Scipio, qui poſt in Africa contra Caeſarem pugnauit, uictuſq. ſibi ipſe mortem conſciuit. adoptatus a Q. Metello Pio, Numidici filio, & praenomen ab eo, & cognomen acceperat, uetere tamen cognomine conſeruato, ut appellaretur Q. Metellus Scipio: quod patet ex S. C. miſſo ad Ciceronem a M. Coelio, ep. 7. lib. 8. fam. Pedianus etiam in argumento Milonianae Q. Metellum Scipionem nominat. alibi Scipio tantum, ut apud Caeſarem, Ciceronem ipſum, & hiſtoricos omnes. Metellus ſimpliciter, quod meminerim, numquam dictus. Idem, niſi fallor, Naſica uocatur a Cicerone, ep. 1. lib. 2. ſeruato cognomine patris, aui, maiorumq. ſuorum. Etiam illud obſeruaui, licet adoptati praenomē eorum, qui adoptaſſent, aſſumerent, hunc tamen in oratione pro domo P. Scipionem appellari. Dixit igitur, Scipio hic Metellus, ut in ep. 24. lib. 2. Caepio hic Brutus, gemino cognomine, quia Brutus ab auunculo Caepione adoptatus erat. PROAVVM *ſuum* } hoc ordine. P. Scipio Naſica Serapio, eius filius, qui Corculum uocatus eſt, genuit Scipionem Naſicam oratorē, qui conſul fuit cum Beſtia, anno urbis DCXLII. hic autem Naſicam, Craſſi oratoris generum, ex quo Naſica hic ultimus, quem diximus a Metello Pio adoptatum. CENSOREM *non fuiſſe?* } cenſor quidem fuerat Africanus Aemilianus, quod Cicero ſcripſerat, non Serapio, quod Scipio Metellus opinatus, Ciceronem, ut ignarum hiſtoriae, reprehenderat. CENSOR } cenſor fuerat Africanus cum L. Mummio, anno urbis DCXIV. EA *ſtatua* } Africani. AD *Opis* } aedem. e Graecis fontibus figura deriuata. APERTE } Beſſarionis liber, Ad Opis aperte. SERAPIONIS } cognomen hoc Scipio Naſica accepit a mancipio, ob ſimilitudinem formae. Valerius, Plinius, epitome Liuiana. VIDEO *Metelli ἀνιστορησίαν turpem* } bis errauerat Scipio Metellus: primum, quod putauerat ſtatuam illam, ad Opis poſitam, Serapionis potius eſſe, quam Africani: in quo eum inſcriptio refellebat: non enim cenſor umquam Serapio fuerat: deinde, quod in Capitolio imaginē Africani poſuerat, cum ſubſcriptione Serapionis: ut non ex hiſtoria tantum, ſed ex facie quoque ſuos gentiles ignorare uideretur. ἀνιστορησίαν, ignorationem hiſtoriae. NAM *illud de Flauio* } faſtos a Cn. Flauio, libertino homine, publicatos eſſe, de quo iam diximus, ex oratione pro Murena, Plinio, Gellio, & aliis notum eſt. Hac de re locutus erat Cicero in lib. 1. de rep. quod ex Nonio conſtat. ſupra, in hac ipſa epiſtola. SI *ſecus eſt* } ſi aliter eſt, atque ego ſcripſi in libris de rep. BELLE *ἠπόρησας* } acute, nec ſine cauſſa dubitaſti, utrum de Flauio, & faſtis ita ſit. epiſt. 1. Τὸν τῆς ἀρχαίας } illum ex ueteri comoedia cēlebrem. Horatius ſat. 4. lib. 1.

,, Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſq. poetae,

,, Atque alij, quorum comoedia priſca uirorum eſt.

ERRAVIT } de Eupoli. NŌ *dixit?* } dixit & Valerius. TVO *familiari* } ex aſſidua lectione. NEMO *Corneliu* }

ne errandi quidem occaſionem ullam habuit : cum nemo Cornelius, illo uiuo, cenſor fuerit. quo turpior uidetur error. XXDC. } quae Philotimo ſoluta ſunt a debitore meo. RELIQVA *mea,* } quae mihi reliqua debebantur. τί λοιπόν; } quid ſupereſt, quod ad te ſcribam ? INAVDISTI } huius uerbi uis haec eſt, ut non niſi de rebus occultis uſurpetur. ut in epiſtola ad Paetum: Aquini, & Fabrateriae conſilia ſunt inita de me, quae te uideo inaudiſſe. & apud Plautum, alioſq. eiuſdem generis ſunt exempla: ut legentes ad uſum Latinae locutionis obſeruauimus. NIHIL *eiuſmodi eſt* } non eſt, ut quidquam inaudire potueris a me turpiter commiſſum. nihil enim committo. πολλοῦ γε καὶ δεῖ. PROBE *reſpondiſſe.* } cum reſpondiſti, te non putare, pantheras mandato meo quaeri, ut ad Coelium mittantur. ep. 21. lib. 5. FIDENTIVS } nam, cum dixiſti, te non putare, non ſatis fidenter reſpondiſti. uellem affirmaſſes; non eſſe, cur pantheras Coelio, collegae ſuo, ſeorſum ab ipſo uenationem adornanti, ſuſpicetur a me miſſum iri. COELIVS *libertum* } M. Coelius Rufus, aedilis curulis deſignatus cum M. Octauio, Philonem libertum miſerat. fam. lib. 7. ep. 8. SED *a ciuitatibus* } ſic in antiquis libris. puto rectius, Et de ciuitatibus. litterarum mutatione parua : ſi quidem pro, Sed, ueteres librarij ſcribebant, Set; item, it, quit, pro id, quid: aliaq. huius generis multa. Scripſerat ad Ciceronem Coelius, ut & phantheras ſibi mitteret, & M. Feridij agros, (fam. l. 8. ep. 9.) qui ciuitatibus fructus penderent, immunes eſſe uellet. de agris reſpondit Cicero: In mea prouincia nihil cuiquam adimitur, niſi ſi quid quis debeat. nam, creditoribus ut ſatisfiat, uolo. itaque non eſt, quod petas, ut ciuitatibus adimam fructus, qui ex agris capiuntur. ac miror, cur petas; cum Romae audire poſſis, nullum in mea prouincia nummum, niſi in aes alienum, erogari. quod ſi non auditur, meaq. ſunt obſcura facta, ut tamquam in tenebris lateam: moleſte fero. NEC *mihi conciliare* } qui pecuniam non debitam uel ipſe cepiſſet, uel alteri conciliaſſet, is lege tenebatur. in Verrem lib. 3. NEC *illum capere* } ſignificatur, inter Feridium, & Coelium conueniſſe, ut, ſi Feridius, a Coelio Ciceroni commendatus, de immunitate agrorum impetraſſet, Coelio pecuniam eius rei cauſſa numeraret; quod quidem flagitij nemini eſſe committendum, minime uero omnium Coelio, cui pecuniam capere liceret eo minus, quod crimine repetundarum accuſaſſet C. Antonium. ILLVD *autem alterum* } de pantheris. CIBYRATAS } ab urbe Cibyra, homines uenandi ſtudio deditos. fam. l. 8. ep. 9. MAGNA *in gratia* } quia ſcripſiſti ad eum, me ſcripſiſſe ad te, mirificum illum eſſe. ep. 17. l. 5. MANDAVIT } ante quam Roma diſcederes. QVEM *iampridem numquam uidet* } ſupra tamen, ep. 19. l. 5. dixit, Quam numquam uidi; ut uideatur hic quoque legendum, Quem numquam uidit. ADSCRIPTO } cum Romam ad uxorem tuam Piliam litteras mittes. LITTERAS *daturum pridie Kal. Ian.* } locus ex epiſtola Attici: qui Ciceroni memoriam attulit clariſſimi iuriſiurandi, cum ſcilicet pridie Kalen. Ian. iurauit rempub. a ſe eſſe ſeruatam. fam. lib. 5. ep. 2. in oratione pro Sulla, & in ea pro domo. PRAETEXTATVS } cum effeci, ut ſumma tribuni pl. Metelli Nepotis iniuria ſummo mihi eſſet honori. Praetexta magiſtratuum toga, & puerorum ad annum XVII. PARIA *paribus* } qui in ſcribendo ſum ornatior, quam tu es. POTVIT *Lucceius Tuſculanum* } uendere. niſi forte ſibi retinet animi cauſſa. ſolet enim ibi ſe cum ſuo ſeruulo tibicine oblectare. EXPEDITOS } moleſtia aeris alieni. QVIBVS *omnibus eſt* } in quos omnes conuenit illud Homericum, αἴδεσθεν &c. quod pecunias in iudicio, cum propter aes alienum cuperent, tamen, deterriti metu, non accepiſſent. DE *Memmio* } exſule reducendo. exſulabat de ambitu condemnatus. Appianus lib. II. CVRIO } C. Scribonius Curio tribunus pl. fam. ep. 4. lib. 8. NOMINE } pecunia ab Egnatio exigenda. IN *menſem Martium* } uide ep. 20. lib. 3. GENVARIOS } nummos Genuae percuſſos, quae erat in Caeſaris prouincia. TALENTA *Attica L.* } ſcutati ſcilicet aurei triginta ſex millia noſtrae monetae. EXTORSISTIS } ad Marathonis aedificationē. ODIVM *Pompeij* } prorſus haec non conuenire uidentur in Pompeij perſonam. ſi quid opis afferrent ueteres libri, mallem, Poſſidonij : qui moleſte ferret a Caeſare pecuniam Athenienſes abſtuliſſe ad Marathonem aedificandum, quam ipſe ſuis Rhodiis datum iri non dubia ſpe crediderat. SVOS } quos ſuos certo putaret. COMEDISSE. } auide praeripuiſſe. IN *merito reaedificando* } In Marathone aedificando, eſſet apertius, nec ἄλογον, ut opinor. ſcribit enim Tranquillus, Italiae, Galliarum, Hiſpaniarū, Aſiae quoque, & Graeciae potentiſſimas urbes Caeſaris munificentia praecipuis operibus exornatas. DILIGENTIOREM } nobis inſtantibus. NEQVIOREM } uerbum proprie uſurpatum de hominibus luxu diffluentibus. VINDVLLVM : } aut libertum Pompeii Magni, ideoq. patroni nomine utentem, aut gentilem. QVAE *res* } quae hereditas. liberti enim patronis, & patroni aeque libertis heredes erant, cū aut inteſtati, aut ſine filijs obijſſent. ſin gentilis erat, de gentilicia hereditate accipiemus. LAGVNCVLAE } clarius, Lagunculae. Belliacionis liber, Langunculae. HOMINIS *Bruti* } ioco ſignificat, Brutum re uera Brutum eſſe, qui Vedio utatur. & argute, Hominis Bruti, quaſi non hominis magis, quam beſtiae ſimilis eſſet. &, Lepidi, plane hominis lepidi, ſi quidem haec de uxore ferat. ILLIVS *Lepidi* } ſubaudi, Vxoris: uſitata figura: ut, Terentia Ciceronis, Mucia Pompeii. Ex ſororibus Bruti alteram habuit in matrimonio M. hic Lepidus, poſtea triumuir cum Antonio, & Octauiano; alteram C. Caſſius, is, qui Caeſarem occidit. Προπύλαιον *Eleuſine facere.* } per amicos uidelicet. nam Appius tam ad urbem peruenerat. προπύλαιον autem, ut eſſet in urbe celebri monumentum nominis ſui. IN *ipſum* } te putare, nos ineptos fore, ſi προπύλαιον Academiae fecerimus. IPSAS } ipſam urbem. nam Eleuſin non tam Athenis propinqua, quam Academia, quae propemodum in portis erat. POST *Leuctricam pugnam* } poſt pugnam, qua Clodius a Milone apud Bouillas caeſus eſt. Leuctricam cur uocet, minus notum. niſi forte, quia memorabilis e Clodij nece, ut illa e Spartanorum, & Cleombroti regis occiſione. DIE DCCLV. } recte: tot enim dies a Clodij nece (is XIII. Kal. Feb. eſt interfectus) numerantur ad hunc diem : ut

ſcripta

scripta sit epistola ad III. nonas Martias, L. Paullo, C. Marcello cos. altero post Pompeii consulatum anno. ep. 12. lib. 5.

Cicero S. D. Attico. 2.

CVM Philogenes, libertus tuus, Laodiceam ad me, salutandi caussa, uenisset, & se statim ad te nauigaturum esse diceret; has ei litteras dedi; quibus ad eas rescripsi, quas acceperam a Bruti tabellario. Et respondebo primum postremae tuae paginae: quae mihi magnae molestiae fuit, quod ad te scriptum est ab Cincio de Statij sermone: in quo hoc molestissimum est, Statium dicere, a me quoque id consilium probari. probari autem? de isto hactenus. dixerim me uel plurima uincla tecum summae coniunctionis optare: & sunt amoris artissima: tantum abest, ut ego ex eo, quo adstricti sumus, laxari aliquid uelim. illum autem multa de istis rebus asperius solere loqui, saepe sum expertus, saepe etiam leniui iratum. id scire te arbitror. in hac autem peregrinatione, militia ue nostra saepe incensum ira uidi, saepe placatum. quid ad Statium scripserit, nescio. quidquid acturus de tali re fuit, scribendum tamē ad libertum non fuit. mihi autem erit maxime curae, ne quid fiat secus, quam uolumus, quamq. oportet. nec satis est in eiusmodi re, se quemque praestare. ac maxime partes istius officij sunt pueri Ciceronis, siue iam adolescentis; quod quidem illum soleo hortari. ac mihi uidetur matrem ualde, ut debet, amare, teq. mirifice. sed est magnum illud quidem, uerumtamen multiplex pueri ingenium: quo ego regendo habeo negotij satis. Quoniam respondi tuae paginae postremae prima mea, nunc ad primam reuertar tuam. Peloponnesias ciuitates omnes maritimas esse, hominis non nequam, sed etiam tuo iudicio probati, Dicaearchi tabulis credidi. is multis nominibus in Trophoniana Chaeronis narratione Graecos in eo reprehendit, quod mare tam secuti sunt: nec ullum in Peloponneso locum excipit. cum mihi auctor placeret, (etenim erat ἱστορικώτατος, & uixerat in Peloponneso) admirabar tamen, &, uix aggrediens, communicaui cum Dionysio. atque is primo est commotus: deinde, quod tum de isto Dicaearcho non minus bene existimabat, quam tu de C. Vestorio, ego de M. Cluuio, non dubitabat, quin ei crederemus. Arcadiae censebat esse Lepreon quoddam maritimum: Tene autē, & Alíphera, & Tritia νεόκτιστα ei uidebantur: idq. τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ confirmabat, ubi mentio non fit istorum. itaque istum ego locum totidem uerbis a Dicaearcho transtuli. Phliasios dici sciebam: & ita fac ut habeas: nos quidem sic habemus. sed primo me ἀναλογία deceperat, φλιοῦς, ὀπιοῦς, σιπιοῦς, quod ὀπούντιοι, σιπούντιοι. sed hoc continuo correximus. Laetari te nostra moderatione, & continentia uideo. tum id magis faceres, si adesses, atque hoc foro, quod egi ex idibus Febr. Laodiceae ad Kal. Mai. omnium dioecesium, praeter Ciliciae. mirabilia quaedam effecimus. ita multae ciuitates omni aere alieno liberatae, multae ualde leuatae sunt: omnes suis legibus, & iudicijs usae, αὐτονομίαν adeptae reuixerunt. his ego duobus generibus facultatem ad se aere alieno liberandas, aut leuandas dedi: uno, quod omnino nullus in imperio meo sumptus factus est, (nullum cum dico, non loquor ὑπερβολικῶς) nullus, inquam, ne teruncius quidem. hac autem re, incredibile est, quantum ciuitates emerserint. accessit altera. Mira erant in ciuitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus sui fecerant. quaesiui ipse de ys, qui annis decem proximis magistratum gesserant. aperte fatebantur: itaque sine ulla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt. populi autem, nullo gemitu, publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiam superioris lustri reddiderunt. itaque publicanis in oculis sumus. gratis, inquis, uiris. sensimus. Iam cetera iurisdictio nec imperita, & clemens, cum admirabili facilitate. aditus autem ad me minime prouinciales. nihil per cubicularium. ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus. grata haec, & magna, mihiq. non dum laboriosa ex illa uetere militia. Nonis Mai. in Ciliciam cogitabam: ibi cum Iunium mensem consumpsissem, atque utinam in pace, (magnum enim bellum impendet a Parthis) Quinctilem in reditu ponere. annuae enim mihi operae ad III. Kal. Sex. emerentur. magna autem in spe sum, mihi nihil temporis prorogatum iri. habebam acta urbana usque ad non. Mart. e quibus intelligebam, Curionis nostri constantia omnia potius actum iri, quam de prouincijs. ergo, ut spero, propediem te uidebo. Venio ad Brutum tuum, immo nostrum: sic enim mauis. Equidem omnia feci, quae potui aut in mea prouincia perficere, aut in regno experiri. omni igitur modo egi cum rege, & ago quotidie, per litteras scilicet: ipsum enim triduum, quattriduum ue mecum habui turbulentis in rebus, quibus eum liberaui: sed & eū praesens, & postea creberrime non destiti rogare, & petere mea caussa, suadere, & hortari sua. multum profeci, sed, quantum, non plane, quia longe absum, scio. Salaminios autem (hos enim poteram coercere) adduxi, ut totum nomen Scaptio uellent soluere, sed, centesimis ductis a proxima quidem syngrapha, nec perpetuis, sed renouatis quotannis. numerabantur nummi: noluit Scaptius. tu qui ais Brutum cupere aliquid perdere? quaternas habebat in syngrapha. fieri non poterat: nec, si posset, ego pati possem. audio omnino Scaptium paenitere. nam, quod S. C. esse dicebat, ut ius ex syngrapha diceretur; eo consilio factum est, quod pecuniam Salaminij contra legem Gabiniam sumpserant: uetabat autem Auli lex, ius dici de ita sumpta pecunia. decreuit igitur senatus, ut ius diceretur ista syngrapha. nunc ista habet iuris idem, quod ceterae, nihil praecipui. haec, a me ordine facta, puto me Bruto probaturum: tibi, nescio: Catoni certe probabo. sed iam ad te ipsum reuertor. Ain' tādē Attice, laudator integritatis, & elegantiae nostrae? ausus es hoc ex ore tuo? inquit Ennius: ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare? an tu, si mecum esses, qui scribis morderi interdum, quod non simul sis, paterere me id facere, si uellem? Non amplius, inquis, quinquaginta. Cum Spartaco minus multi primo fuerunt. quid tandem isti mali in tam tenera insula non fecissent? non fecissent autem? immo quid ante aduentum meum non fecerunt? inclusum in curia senatum habuerunt Salaminium ita multos dies, ut interierint non nulli fame. erat enim praefectus Appij Scaptius, & habe-

& habebat turmas ab Appio. id me igitur tu, cuius me hercule os mihi ante oculos solet uersari, cum de aliquo officio, ac laude cogito, tu me, inquam, rogas praefectus ut Scaptius sit? at hoc statueramus, ut negotiatorem ne minem: idq. Bruto probaueramus. Habeat is turmas. cur potius, quam cohortes? sumptu iam nepos euadit Scaptius. Volunt, inquis, principes. Scio: nam ad me Ephesum usque uenerunt: flentesque, equitum scelera, & miserias suas detulerunt. itaque statim dedi litteras, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent. ob eamq. caussam, tum ob ceteras, Salaminij nos in caelum decretis suis sustulerunt. Sed iam quid opus equitatu? soluunt enim Salaminij, nisi forte id uolumus armis efficere, ut fenus quatternis cẽtesimis ducãt. & ego audebo legere umquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, si tale quid fecero? nimis, inquam, in isto Brutum amasti, dulcissime Attice: nos, uereor, ne parum. atque haec, scripsi ego ad Brutum, scripsiße te ad me. cognosce nunc cetera. Pro Appio nos hic omnia facimus, honeste tamen, sed plane libenter. nec enim ipsum odimus: & Brutum amamus: & Pompeius a me mirifice contendit; quem mehercule plus plusq. in dies diligo. C. Coelium quaestorem huc uenire audisti, nescio, quid sit: sed Pammenia illa mihi non placent. Ego me spero Athenis fore mense Septembri. tuorum itinerum tempora scire sane uelim. Εὐήθειαν Sempronij Rufi cognoui ex epistola Corcyraea. quid quaeris? inuideo potentiae Vestorij. Cupiebam etiam nunc plura garrire: sed lucet: urget turba: festinat Philogenes. ualebis igitur, & ualere Piliam, & Caeciliam nostram iubebis litteris, & saluebis a meo Cicerone.

EXPLANATIO

AB *Cincio* } Romae res Attici curante. ID *consilium* } consilium Quincti fratris de dimittenda Pomponia, Attici sorore. Statius autem Quincti libertus. ILLVM *autem* } Quinctum. DE *istis rebus* } de quotidianis litibus cum uxore. epist. 1. lib. 5. MILITIA *ne nostra* } Militiã uocat, quia cum agmine armato proficisceretur. uide ep. 19. lib. 5. NEC *satis est, &c.* } non mihi satis est, me tibi eum praestare, qui esse debeo: curam etiam suscipiam, ne quid ab illo secus, quam uolumus, fiat. SOLEO *hortari* } ut ista sedet inter patrem, & matrem. NEQVAM, } inconsiderati, indiligentis, qui temere scriberet, quidquid in buccam. IN *Trophoniana Chaeronis narratione* } Chaeronem loquentem induxerat Dicaearchus in libris περὶ τῆς εἰς τροφωνίου καταβάσεως. Athenaeus. MARE *tam secuti* } cum urbes aedificarent. DE *isto Dicaearcho* } glossema, Dicaearcho, suspicor. NON *minus bene &c.* } dignum, cui crederetur, ita Dicaearchum putabat, ut tu C. Vestorium, ego M. Cluuium. Et, quoniam, M. Cluuio, primi correximus: nostra correctio si cui minus probabibur, huic opponemus duorum antiquissimorum exemplarium auctoritatem, Caualcantis, & Bessarionis. quam nos eo facilius secuti sumus, quod & Vestorium Attici fuisse amicissimum, & Ciceronis Cluuium, utrumque Puteolanum, ipse nobis Cicero narrat tum in his epistolis, tum in ijs, quas posterior aetas Familiares inscripsit. LEPREON } qui potest esse maritimum, cum Arcadia sit regio mediterranea? Tene autem, Alphera, & Tritia, maritima opida, ideo putabat Dicaearchus antiqua non esse, quod Homerus τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ, cum naues enumerat e Peloponneso discedentes, mentionem istorum non facit. TRANSTVLI } in libros de rep. de quibus ep. 1. VT *habeas* } ut corrigas. nam Phliuntos non recte scripseram, analogia deceptus; quod ut ab ὀπους, σιπους, ὀπούντιοι, σιπούντιοι, item Phliuntios a φλιοῦς deduci putaueram. PRAETER *Ciliciae.* } Asiaticarum igitur dioecesium, non Ciliciensium, forum egit, ep. 11. lib. 5. & fam. lib. 13. epist. 6ɔ. SVIS *legibus* } uide ep. 1. IPSORVM *furta Graecorum* } cur, Ipsorum? quia Romani magistratus iuri dicundo, pecunijs autem publicis administrandis Graeci ipsi praeerant. primus autem Cicero permisit, ut ad ius dicendum suis etiam legibus, iudicibusq. uterentur; cum antea Romanis legibus ius dicerent Romani homines, aut qui prouinciae praeerat, aut ab ipso dati. REDDIDERVNT. } debitas pecunias. Vectigalia autem publicani quincto quoq. anno de censoribus redimebant: & quinquennale spatium Lustrum dicebatur. Varro. EX *illa uetere militia.* } quod me iampridem antelucanis ambulationib. consuetudo assuefecit, cum ita me excitabat, exercebatq. ambitio, ut in bello milites uictoriae cupiditas. EMERENTVR. } annua prouinciae administratio terminatur. sic Emeritum annuum tempus, (ep. 5.) pro confectum. & emerentur proprie stipendia militibus. CVRIONIS *nostri* } tribuni pl. qui S.C. fieri de prouincijs non patiebatur. TE uidebo } quia nihil noui de prouincijs decernetur: itaque utar ea condicione, qua profectus sum, ut, annuo imperio terminato, reuertar. IN *mea prouincia* } cum Salaminijs. REGNO } Ariobarzanis. ep. 1. TVRBVLENTIS *in rebus* } cum paene ciuilibus insidijs oppressus est. lib. 5. ep. 20. fam. lib. 15. ep. 2. A PROXIMA *quidem syngrapha,* } quid, si, A prima quidem syngrapha? ut centesimae ducerentur, & a prima syngrapha, & cum anatocismo. NEC *perpetuis* } nec sine fenoris renouatione, sed ut & ipsae a Salaminijs soluerentur, & ipsarum item usurae, ducta ratione per singulos annos, quantum e centesimarum fenore noui fenoris crearetur, ita centesimae non perpetuae ducebãtur, sed renouatae quotannis: quod supra dixit, Cum anatocismo. ep. 1. QVI *ais* } qui uerum est id, quod scribis? HABEBAT *in syngrapha* } non simul stant, uelle aliquid perdere, & habere quaternas in syngrapha, quod est hominis praeter modum cupidi. FIERI *non poterat* } etenim erat interitus ciuitatis. ep. 21. lib. 5. EGO *pati possem* } qui in edicto translaticio, centesimas me obseruaturum, haberem, cum anatocismo anniuersario, nihil ultra. epist. 1. AVLI *lex* } Auli Gabinij. DE *ita sumpta* } de uersura. uetabat lex Gabinia ius dici, hoc est, debitores in iudicium uocari a creditoribus

de pecu-

de pecunia, quam uersura facta sumpsissent. id ob eam caussam, ne prouinciales homines Romae uersuram faciendo exhaurirentur. IVS *diceretur ista syngrapha* } ut Salaminij, Scaptio, & Matinio non soluentes, iudicio cogi possent. HABET *iuris idem,* } ista syngrapha nihil habere debet praecipui iuris, sed idem, quod ceterae, hoc inquam, ut obseruentur centesimae cum anatocismo. tantum enim senatus decreuit, ut ne ue Salaminiis, ne ue ijs, qui dedissent, fraudi esset; iusq. diceretur ex syngrapha inter Salaminios, & feneratores facta: quod sine S.C. non potuisset, lege Gabinia uetante. ergo hoc senatus decreuit, ut & dantibus, & accipientibus caueretur: id non decreuit, ut a senatoribus exigerentur quaternae: quod Scaptius postulabat. epist. 5. ORDINE } sapienter. inde ductum, quod in ordine consideratio inest, & in consideratione sapientia. Sic Philippica 5. Recte, atque ordine, eq. rep. fecisse, & facere. SPARTACO } qui seruile bellum excitauit. TENERA *insula* } imbelli, & delicijs potius, quam armis, dedita: quam uel paucis equitibus posset Scaptius ad libidinem uexare. contra dixit Virgilius, Scipiadas duros bello. NEGOTIATOREM *neminem* } praefectum haberemus. CVR *potius, quam cohortes* ? } fingit se mirari, cur Scaptius, cum pedites minore impensa possit alere, equites tamen malit: sed occulte significat, Scaptij consilium esse, ut equitibus ad extorquendas pecunias, insulamq. diuexandam utatur. quod peditū non ita firmo praesidio minus auderet. Et de peditibus, Cohors, dicitur; de equitibus, Turma. itaque in oratione pro Marcello pedites equitesq. significat, cum inquit: Huius gloriae Caesar, quam es paullo ante adeptus, socium habes neminem: nihil tibi cohors, nihil turma decerpit. NEPOS } is est, qui rem temere profundit. sed est in Scaptium ironia, qui, non quia nepos esset, sed, quia rapinas, & uim cogitaret, ideo turmas mallet, quam cohortes. PRINCIPES } Cypri. SCIO } εἰρωνικῶς: ex hoc, inquit, iudica, num uelint, quod ad me Ephesum &c. EOS *libros* } quos de rep. & de optimi ciuis officio scripsi. l.4. ep.16. l.6. ep.1. l.2. ep.3. l.8. ep.xi. l.10. ep.4. & ad Q. fr. l 3. ep.8. NIMIS, *inquam* } inquam, dicit, quasi eandem sententiam repetat. nam supra, licet non plane dixerit, non obscure tamen significauit, nimis ab Attico Brutum amari. ut in eo loco, Ausus es hoc ex ore tuo? SCRIPSISSE *te ad me* } ut equites Scaptio ad cogendam pecuniam darem. HIC *omnia facimus,* } ne, a Dolabella accusatus, prouincialium hominum testimonijs oppugnetur. fam. ep.10. l.3. ad ipsum ita scribit: De me tibi sic promitto, atque confirmo; me pro tua dignitate in hac prouincia, cui tu praefuisti, rogando, deprecatoris; laborando, propinqui; auctoritate, cari hominis apud ciuitates, grauitate, imperatoris suscepturū officia, atq. partes. HONESTE *tamen* } quatenus honeste possum. quasi essent nonnulla, quae fieri pro Appio non honeste possent. NEC *enim ipsum odimus* } quamquam & inimici mei frater fuerit, & inimicus ipse. BRVTVM } Appij generum. fam. lib.3, ep.2. POMPEIVS } cuius filius Appij filiam habebat in matrimonio. fam. lib.3. ep.4. QVAESTOREM } quem postea decedens prouinciae praefecit. fam. ep.15. lib.2. PAMMENIA *illa* } quae acta sunt de domo pueri Pammenis. supra lib.5. epist. 20. CORCYRAEA } quam Corcyra dedisti. POTENTIAE *Vestorij.* } cui controuersia fuerit cum homine tam fatuo, tam nullius consilij. hic est Sempronius Rufus, qui Rufio per irrisionem uocatur epist. 2. lib.5. idem qui in epist. M. Coelij, fam. epist.7. lib.8. CAECILIAM } Attici filiam. LITTERIS } cum Romam scribes.

Cicero S. D. Attico. 3.

ETSI *nil sane habebam noui, quod post accidisset, quam dedissem ad te Philogeni, liberto tuo, litteras: tamen, cum Philotimum Romam remitterem, scribēdum aliquid ad te fuit. ac primum illud, quod me maxime angebat, (non quo me aliquid iuuare posses: quippe res est in manibus: tu autem abes longe gentium:*

- Πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ

Νότος κυλινδεῖ κύματ' ἀλμυρᾶς ἁλός) *obrepsit dies, ut uides, (mihi enim ad* III. *Kal. Sext. de prouincia decedendum est) nec succeditur. quem relinquam, qui prouinciae praesit? ratio quidem, & opinio hominum postulat fratrem: primum, quod uidetur esse honos: nemo igitur potior: deinde, quod solum habeo praetoriū. Pontinius n. ex pacto, & conuentu (nam ea lege exierat) iam a me discesserat. Quaestorē nemo dignum putat: etenim est leuis, libidinosus, sagax. De fratre autē primum illud est: persuaderi non posse arbitror: odit. n. prouinciam. & hercule nihil odiosius, nihil molestius. deinde, ut mihi nolit negare; quidnam mei sit officij; cum bellum esse in Syriam magnum putetur, id uideatur in hanc prouinciam erupturum; hic praesidij nihil sit; sumptus annuus decretus sit: uideatur ne aut pietatis esse meae, fratrē, aut diligētiae, nugarum aliquid relinquere. Magna igitur, ut uides, solicitudine afficior, magna inopia consilij. quid quaeris? toto negotio nobis opus nō fuit. quanto tua prouincia melior? decedes, cum uoles: nisi forte iam decessisti. quem uidebitur, praeficies Thesprotiae, & Chaoniae. nec dum tamē ego Quinctum conueneram; ut iam, si id placeret, scirē, posset ne ab eo impetrari: nec tamen, si posset, quid uellem, habebam. Hoc est igitur eiusmodi; reliqua plena adhuc & laudis, & gratiae, digna ijs libris, quos dilaudas. conseruatae ciuitates; cumulate publicanis satisfactum: offensus contumelia nemo, decreto iusto, & seuero perpauci, nec tamē quisquam, ut queri audeat. res gestae dignae triūpho: de quo ipso nihil cupide agemus, sine tuo quidem consilio certe nihil. Clausula est difficilis in tradēda prouincia. sed haec deus aliquis gubernabit. De urbanis rebus scilicet plura tu scis; saepius, & certiora audis. equidē doleo, non me tuis litteris certiorem fieri. huc. n. odiosa afferebantur de Curione, de Paullo: non quo ullum periculum uideam stante Pompeio, uel etiam sedente; ualeat modo: sed mehercule Curionis, & Paulli, meorum familiarium, uicem doleo. formam igitur mihi totius*

tius

tius reip.si iam es Romae, aut cum eris, uelim mittas: quae mihi obuiam ueniat, ex qua me fingere possim, & praemeditari, quo animo accedam ad urbem. est enim quiddam, aduenientem non esse peregrinum, atque hospitem. Et, quod paene praeterij, Bruti tui caussa, ut saepe ad te scripsi, feci omnia. Cyprij numerabant: sed Scaptius centesimis, renouato in singulos annos fenore, contentus non fuit. Ariobarzanes non in Pompeium prolixior per ipsum, quam per me in Brutum: quem tamen ego praestare non poteram. erat enim rex perpauper; aberamq. ab eo ita longe, ut nihil possem, nisi litteris; quibus pugnare non destiti. summa haec est. pro ratione pecuniae liberius est Brutus tractatus, quam Pompeius. Bruto curata hoc anno talenta circiter c, Pompeio in sex mensibus promissa cc. in Appij negotio quantũ tribuerim Bruto, dici uix potest. quid est igitur, quod laborem? Amicos habet meras nugas, M. Scaptium: qui, quia non habuit a me turmas equitum, quibus Cyprum uexaret, ut ante me fecerat, fortasse succenset: aut quia praefectus non est; quod ego nemini tribui negotiatori, non C. Vennonio, meo familiari, non tuo M. Lenio; & quod tibi Romae ostenderã me seruaturum, in quo perseueraui. sed quid poterit queri is, qui, auferre pecuniã cum posset, noluit? Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfactum. is a me tribunatum cum accepisset, quem ego ex Bruti litteris ei detulissem, postea scripsit ad me, se uti nolle eo tribunatu. Caius est quidam; cui cũ praefecturam detulissem Bruti rogatu, multa & dixit, & fecit cum quadam mea contumelia, P. Clodij canis. is me nec proficiscentem Apameam prosecutus est; nec, cum postea in castra uenisset, atque inde discederet, nũquid uellem, rogauit; & fuit aperte mihi, nescio quare, non amicus. hunc ego si in praefectis habuissem, quem tu me hominem putares? qui, ut scis, potentissimorum hominum contumaciam numquam tulerim, ferrem huius asseclae? etsi hoc plus est, quam ferre, tribuere etiã beneficij aliquid, & honoris. is igitur Caius, cum Apameae me nuper uidisset Romam proficiscens, me ita appellauit: (Culleolum uix auderem) Vnde, inquit, me iubes petere cibaria? profecto respondi lenius, quam putabant oportuisse, qui aderant: me non instituisse ijs dare cibaria, quorum opera non essem usus. abijt iratus. huius nebulonis operatione si Brutus moueri potest, licebit eum solus ames, me aemulum non habebis. sed illum eum futurum esse puto, qui esse debet. tibi tamen caussam notam esse uolui: & ad ipsum haec perscripsi diligentissime. omnino (soli enim sumus) nullas umquam ad me litteras misit Brutus, ne proxime quidem de Appio, in quibus non inesset arrogans, ἀκοινώνητον aliquid. tibi autem ualde solet in ore esse, grauius autem. Non contemnere se, & reges odisse superbos. in quo tamen ille mihi risum magis, quam stomachum, mouere solet. sed plane parum cogitat, quid scribat, aut ad quem. Q. Cicero puer legit, ut opinor, & certe, epistolam inscriptam patri suo. solet enim aperire, idq. de meo consilio; si quid forte sit, quod opus sit sciri. in ea autem epistola erat illud idem de sorore, quod ad me. mirifice conturbatum uidi puerum. lacrymans mecum est questus. quid quaeris? miram in eo pietatem, suauitatem, humanitatemq. perspexi: quo maiorem spem habeo, nihil fore aliter, ac deceat. id te igitur scire uolui. Ne illud quidem praetermittam. Hortensius filius fuit Laodiceae cum gladiatoribus. flagitiose, & turpiter. hunc ego patris caussa uocaui ad cenam, quo die uenit: & eiusdem patris caussa nihil amplius. is mihi dixit, se Athenis me exspectaturum, ut mecum decederet. recte, inquam. quid enim dicerem? omnino puto nihil esse, quod dixit. non quidem; ne offendam patrem, quem mehercule ualde diligo sin fuerit meus comes; moderabor ita, ne quid eum offendam, quem minime uolo. Haec sunt, etiam illud. Orationem Q. Celeris mihi uelim mittas contra M. Seruilium. litteras mitte quamprimum, si nihil fuerit, uel per tuum tabellarium. Piliae, & filiae salutem. Cura ut ualeas.

EXPLANATIO

IVVARE *posses:* } non ideo scribendum ad te fuit, quod me iuuare posses: quippe res dilationem non fert: tu autem ab urbe longe abes. l. 5. ep. 20. 21. Πολλά, *&c.* } quid significat? hoc: magnum est interuallum: multa interiacent. Est autem hemistichium, & senarius integer, ex uetere aliquo tragico. NEMO *igitur potior* } neminem igitur fratri debeo praeferre: si honos est, fratre mihi nemo debet esse potior. Alij, Bonos, pro, Honos, contra ueteres libros Caualcantis, & Bessarionis: nec mihi satis probata sententia. PONTINIVS } qui erat & praetorius, & triumphalis. EA *lege* } ut, cũ uellet, a me discederet. QVAESTOREM } Coelius nondum uenerat. Mescinium igitur intellige. de quo ep. 4. & 5. SAGAX } quaero dictionem, quae uituperet. nam Sagacitas neque uitium significat, neque laudem. Rapax, aut quid simile, cum sententia congrueret: sed libri ueteres, Sagax. ut fortasse referri possit ad furta: quasi praedae latẽtis callidus indagator. DECRETVS } mihi ad annuam prouinciae administrationem. cuius anni cum circumactus orbis sit, (adest enim dies ad decedendum constituta, III. Kal. Sext.) frater, publico sumptu destitutus, qui tantum bellum sustinebit? FRATREM; } cum bellum periculosissimũ impẽdeat. NVGARVM *aliquid* } leuem hominem Mescinium. non pius, si fratrem relinquo; non diligens, si quaestorem, rei militaris expertem. Nam, si fratrem relinqueret, esset quidem diligens, at non pius. ep. 4. TVA *prouincia* } tua Epirotica negotiatio. THESPROTIAE, *& Chaoniae* } rebus tuis curandis in Thesprotia, & Chaonia: quae sunt Epiri loca. CONVENERAM } reuerterat ex Asia in Ciliciam, in qua fratrẽ hibernis praefectum reliquerat, sed eum tamen nondũ conuenerat. l. 5. ep. 21. SI *id placeret* } si mihi placeret, eum prouinciae praeponere. QVID *uellem* } utrum mihi placeret, relinquere, nec ne. SATISFACTVM } quod difficillimum est, prouincialibus simul, & publicanis satisfacere. ep. 1. RES *gestae* } quas enumerat ep. 10. l. 5. & fam. l. 2. ep. 10. & l. 15. ep. 4. CLAVSVLA *difficilis in tradenda prouincia* } hoc extremum nõ facile possum explicare, quis me decedẽte prouinciae praeficiatur. CERTIORA } qui ab urbe propius absis.

De *Curione, de Paullo.*} C. Scribonio Curione tribuno pl. L. Aemilio Paullo consule, utroq; Caesaris caussam defendente, accepta grandi pecunia. VICEM } quod publicam caussam deseruerint. CONTENTVS *non fuit.* } quaternas centesimas postulauit. ep. 21, l. 5. IN *Pompeium, &c.* } Ariobarzanis creditorem. ep. 1. PROLIXIOR } facilior, liberalior. unde Prolixa, & benefica natura, in ep. ad Appium, nec alibi semel, & fere in hanc sententiam. PER *ipsum* } ipsius Pompeij caussa. PRAESTARE } Praestare aliquem dicimur, cum efficimus, ne quid is committat secus, quam uolumus: ut ad Q. fr. l. 1. In hac custodia prouinciae non te unum, sed omnes ministros imperij tui socijs, & ciuibus, & reip. praestare debes. & ad eundem l. 3. Ego Messallam Caesari praestabo. LIBERIVS } maneo in mea ueteri sententia, ut, Liberalius, reponendum sit. non correxi tamen, quia libri scripti in dictione, Liberius, omnes consentiũt. PROMISSA } Pompeio promissa, Bruto curata. C C. } usurae nomine, ut apparet ep. 1. dixit autem, C C, numero absoluto, cum tamen ea summa duobus talentis minor esset: siquidem singulis mensibus soluebantur talenta 33. ut legimus ep. 1. IN *Appij negotio* } quem a Dolabella accusatum, omnibus officijs, Bruti maxime caussa, subleuaui. ep. 2. & fam. l. 3. ep. 10. QVOD *laborem* } quid est igitur, quod animum meum solicitet, cum in Ariobarzane, & in Appij negotio cumulate Bruto satisfecerim? solicitat, quod proxime scribam: in quo uereor, ne Bruto satisfactum non sit. AMICOS *habet meras nugas,* } dubitatur, cum, Amicos, dicat multitudinis numero, cur proxime unum nominet M. Scaptium. dubitantibus respondetur, plures nominari, primum M. Scaptium, deinde alterum Scaptium, postremo Caium. nam, quod Non omnis accusandi caussa subiecit, figura est Ciceroni usitata, ut ep. 2. His ego duobus facultatem ciuitatibus ad se aere alieno liberandas dedi: uno, quod omnino nullus in imperio meo sumptus factus est. Hic cum exspectari uideretur, Altero, quod, uno, respõderet; attende, quid subiecit. Hac autem re, incredibile est, quantum ciuitates emerserint. accessit altera. mira erant, &c. MERAS *nugas,* } leues homines, & quos amicorum numero habere Brutus non debeat. M. SCAPTIVM } in Bessarionis libro, Manium Scaptium. supra tamen de M. Scaptio legitur, non Manio, ep. 21. l. 5. & 1. l. 6. Nam, quod alij Matinium ex Manio faciunt, necessariam correctionem putantes: mihi secus uidetur. tantum. n. eos nominat, quos re cognitos Meras appellare potest, duos Scaptios, & Caium. Matinium dixit l. 5. ep. 21. non nouisse. praeterea iam ostendi, non esse, cur mutetur; cum dictio, Amicos, inferiora spectet. hoc addam, observasse me, in antiquis libris Manium saepe esse, ubi in impressis Marcum. addam & hoc, quod fortasse nonnullis alienum a proposito uidebitur, ego tamen gratum fore puto ueterum monumentorum studiosis: Manium tam praenomen esse, quam Marcum; deriuatum a mane, ut & Lucium praenomen a luce. & ut a mane Manius praenomen, a Manius Manilius nomen: (pro familia usurpabatur) sic a luce Lucius, a Lucius Lucilius, nomen a praenomine. Et, quoniã, ut diximus, in duobus praenominibus, Manio, & Marco, scripti libri saepe dissentiunt ab impressis: inde natus error, quod praenomina ueteres fere una littera significabant: ut diuinandum fuerit, M. utrum significaret, Manius, an Marcus: cum Manius unica littera, sicut Marcus, scriberetur, una tantum adiecta lineola, quae M. ad Manij significationem, ante secat, sic, M'. ME SERVATVRVM, } ne praefecturam negotianti darem. l. 5. ep. 21. & l. 6. ep. 1. NOLVIT? } contentus. n. centesimis, & anatocismo Scaptius non fuit. ep. 21. l. 5. & 2. l. 6. SCAPTIO, } non is, de quo proxime supra, sed is, de quo ep. 5. TRIBVNATVM } militum. CAIVS } Bessarionis liber, Gaius. forte, Gauius: ut sitis, de quo ep. 5 P. CLODII *canis* } cum Clodius uiueret, Tamen, inquit, amicum, & asseclam inimici mei ornare uolui praefectura, rogatus a Bruto. Sic in oratione in Pisonẽ, Clodianum canem appellat Sex. Clodium. SI *is praefectis habuisset,* } apparet, Ciceronem Caij opera usum non esse, cum tamen ei praefecturam detulisset. ep. 3. CVLLEOLVM *nix audiren* } fam. l. 13. ep. 41. scribit ad L. Culleolum prouinciae praefectum: sed, cum hic significari, mihi non fit uerisimile. Culleolũ alium, nullius pretij hominem, uidetur intelligere. PETERE *cibaria* } quae praefectis de publico dabãtur. OPERATIONE } reponunt nonnulli, Oratione: quod languidius uidetur. Operatio ualet turpis instigatio. DE *Appio,* } cum Appium, socerum suum, a Dolabella accusatum, mihi commendat. fam. ep. 9. l. 8. GRAVIVS *autem* } sine dubio sumptum ex uetere poeta. & forte ita scribendum:

Granius autem,

Non contemnere se, & reges odisse superbos. Vt Granium, salsum hominem, & dicacem, cuius mentio in libro de claris oratoribus, poeta nominet, ita dicere solitum, Ego neminem contemno, ne me quidem, sed superbos odi. Vides igitur, Attice, superbiam ex illo uersu non amandam. IN *quo* } tum ad me arroganter scribit. INSCRIPTAM *patri suo:* } a te missam. APERIRE } ante quam ad Quinctum patrem mittatur. is autem, Cicerone in Asiam proficiscente, praefectus in Cilicia manserat. ep. 21. l. 5. DE *sorore* } te audisse, illum uelle sorori tuae Pomponiae nuncium remittere. NIHIL *fore aliter, at deceat* } diuortium minime futurum. NIHIL *amplius* } alij sic interpretantur: Hortensium filium non reprehendi, ne patrem offenderem. quasi uero patres reprehendentibus flagitiosos filios irasci aut soleant, aut debeant. Ego potius sic. ad cenam uocaui, quod esset Hortensij filius: alijs eum officijs non sum prosecutus, ne pater, cui scio odiosum, inuisumq. esse, moleste ferret, quasi ipsius iudicium reprehenderem. odit enim Hortensius orator filium, quam diu uixit: heredem tamen moriens reliquit. haec Valerius l. v. c. ix. NE *offendam patrem,* } si filium habeam in comitatu meo. MODERABOR } si comitem effugere non potero, quod reliquum erit, ita eum tractabo, ut facile intelligãt pater, quem ipse oderit, nec a me diligi. SI *nihil fuerit,* } hic uidetur legendum, Etiam si nihil fuerit. Bessarionis liber, pro, Fuerit, habet, Fieri.

Cicero

Cicero S. D. Attico. 4.

TARSVM *uenimus non. Iun. ibi me multa mouerunt, magnum in Syria bellum, magna in Cilicia latrocinia. Mihi difficilis ratio administrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris: illud autem difficillimum: relinquendus erat ex S. C. qui praeesset. nihil minus probari poterat, quam quaestor Messinius. nam de Coelio nihil audiebamus. rectissimum uidebatur, fratrem cum imperio relinquere: in quo multa molestia, discessus noster, belli periculum, militum improbitas, sexcenta praeterea. o rem totam odiosam. sed haec fortuna uiderit: quoniam consilio non multum uti licet. Tu, quando Romam saluus, ut spero, uenisti, uidebis, ut soles, omnia, quae intelliges nostra interesse, in primis de Tullia mea: cuius de cõdicione quid mihi placeret, scripsi ad Terentiam, cum tu in Graecia esses: deinde de bonore nostro. quod. n. tu absuisti, uereor ut satis diligẽter actum in senatu sit de litteris meis. Illud praeterea μυστικώτερον ad te scribam, tu sagacius odorabere. τοῦ δ'ἀμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος (οἶδα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι πρῴην, ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. δέδοικα δὴ μή τι νοήσῃς, εἰς δή που τοῦτο ἐπισκεψάμενος, τὰ λοιπὰ ἐξ ἀσφαλείας. non queo tantum, quantum uereor, scribere. Tu autem fac, ut mihi tuae litterae uolent obuiae. Haec festinans scripsi in itinere, atque agmine. Piliae, & puellae Caeciliae bellissimae salutem dices. Vale.*

EXPLANATIO

DISCESSVS *noster*, } si a fratre seiungar. DE *Tullia mea* } de matrimonio. ep. 1. DE *litteris meis* } ad senatum, supplicationis honorem postulantibus. Ὁ ἀπελεύθερος } libertus Philotimus. Πεφυρακέναι τὰς ψήφους } rationes miscuisse, turbasse: id est, minus bona fide egisse in emptione bonorum Milonis. Κροτωνιάτου } Milonem designat, Milonis Crotoniatae, cuius insignis fortitudo fuit, cognomine. & τυραννοκτόνον appellat, quia P. Clodium, perniciosa molientem, occiderat. μή τι νοήσῃς } ne quid intelligas. hoc Graeca uerba significant. ego tamen aliquid desidero; ut potius, Ne quid non intelligas, dixerit. neque enim aperte scribebat, sed μυστικώτερον. aut, μὴ νοήσῃ: ne quid rescitcat Philotimus. εἰς δή που placeret, ἓν δή που, nisi ueteres libri repugnarent. esset enim ἓν δή που τοῦτο, hoc quidem unum. QVANTVM *uereor*, } de rationibus a Philotimo minus sincere administratis. AGMINE } militum. ep. 20. lib. 5. & 1. lib. 6. Et Suetonius in Domitiano: In expeditione, & agmine, equo rarius, lectica assidue uectus est.

Cicero S. D. Attico. 5.

NVNC *quidem profecto Romae es: quo te, si ita est, saluum uenisse gaudeo: unde quidem quam diu absuisti, magis a me abesse uidebare, quam si domi esses. minus enim mihi meae notae res erant, minus etiam publicae. quare uelim, & si, ut spero, te haec legente aliquantum tamen uiae processero, tamen obuias mihi litteras quam argutissimas de omnibus rebus crebro mittas, in primis de quo scripsi ad te antea.* τῆς ξυνεώρου τῆς ἐμῆς ὁ ἐξελεύθερος, ἔδοξέ μοι θαμὰ βατταρίζειν, καὶ ἀλύειν τοῖς ξυλλόγοις, καὶ ταῖς λέσχαις ὑπότι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου. *hoc tu indaga, ut soles, ast hoc magis.* ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου τειχῶν παρέδωκεν ὑμῶν γάμου ὀφειλήματα ὁ Κάμιλλος, αὐτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κδ. ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν, καὶ ἐκ τῶν Χερρονησιατικῶν μη. καὶ κληρονομούσας χμ. κ. μ. τούτων δὲ οὐδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι πάντων ὀφειληθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ. τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρί, μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι. ταῦτα οὖν, πρῶτον μέν, ἵνα πάντα σώζῃ: δεύτερον δέ, ἵνα μηδὲν τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃ τῶν ἀπὸ τῆς προεκκειμένης ἡμέρας, ὅσας αὐτὸν ἤνεγκα μήν, σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ὑμᾶς κατασκεψάμενος, καί τι σχεδὸν ἐλπίσας. ἀπογνοὺς δέ, ἀλόγως ἀχθ-ἐν ἰκετείᾳ, αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν. *meq. obiurgauit uetere prouerbio,* τὰ μὲν διδόμενα. *reliqua uide, & quantum fieri potest, perspiciamus. & si annuum tempus prope iam emeritũ habebamus: dies enim* XXXIII. *erant reliqui: solicitudine prouinciae tamen uel maxime urgebamur. cum enim arderet Syria bello; & Bibulus, in tanto maerore suo, maximam curam belli sustineret; ad meq. legati eius, & quaestor, & amici litteras mitterent, ut subsidio uenirem: etsi exercitum infirmum habebam, auxilia sane bona, sed ea Galatarũ, Pisidarum, Lyciorum; (haec enim sunt nostra robora) tamen esse officium meum putaui, exercitum habere quamproxime hostem, quoad mihi praeesse prouinciae per S. C. liceret. sed, quo ego maxime delectabar, Bibulus molestus mihi non erat; de omnibus rebus scribebat ad me potius. & mihi decessionis dies* λεληθότως *obrepebat. qui cum aduenerit:* ἄλλο πρόβλημα, *quem praeficiam, nisi Coelius quaestor uenerit; de quo adhuc nihil certi habebamus. Cupiebam mehercule longiorem epistolam facere: sed nec erat res, de qua scriberem; nec iocari prae cura poteram. ualebis igitur, & puellae salutem articulate dices, nostraeq. Piliae.*

EXPLANATIO

QVAM *si domi esses:* } quam si esses Romae. & tamen minus a me aberas, in Graecia cũ esses. QVAM *argutissimas* } quae uel tenuissima quaeque subtiliter admodum, & curiose persequantur. Argutum enim ualet tenue, & subtile: unde Arguta ilex Virgilio, quasi tenui sibilo susurrans. & de muliere apud Propertium, Argutat noctibus ignes: pro, narrat suos amores ea uoce, quae sua tenuitate femineam mollitiem indicet. Ita locutus est M. Coelius fam. lib. 8. epist. 1. Data opera, parani, qui sic omnia pesequeretur; ut uerear, ne tibi arguta nimium haec sedulitas uideatur. ἐξ ἀστεως ἑπταλόφου &c. } ex urbis septicollis moenibus scripsit ad me Camillus aes alienum uxoris meae: ipsam tum ex bonis Crotoniatae debere minas XXIV. & ex bonis Cherrhonesiticis XXIIX, & ex quibusdam bonis heredem fuisse DCXL: tum uero eam ne obolum quidem dissoluisse ex omni aere alieno Kalendis alterius mensis: eiusdem uero libertum, cognominem patri Cononis, in uniuersum nihil curasse. hoc igitur primum, ut omnia seruentur: alterum uero, ut ne usuras quidem floccifacias, quae ducendae sunt ab ante dicta die. sane per eos dies, quibus illũ pertuli, magno in timore sui. erat enim apud nos, ut exploraret, ac nonnulla etiam spe adductus: qua cum excidisset, temere abijt, fatus, turpe remanere diu, uacuumq. reuerti. nunc interpretemur. CROTONIATAE } Milonis. MNAS } exactas. CHERRHONESITICIS } in Cherrhoneso exactis. epist. I. COGNOMINEM *patri Cononis* } Timotheum igitur. A'B *ante dicta die* } a Kalendis alterius mensis. NONNVLLA *etiam spe adductus* } ex quo apparet, eum inopia rei pecuniariae laborare, cum a me dona exspectarit. TVRPE } Homeri uersus est in Iliade, lib. β ab Vlysse pronunciatus. Τὰ μὲν διδόμενα. } quae dantur: & subaudi, tenenda: ut dicat, bonorum Milonis possessionem non esse dimittendam. MAERORE *suo* } propter duos filios, a Gabinianis militibus interfectos. Caesar lib. III. de bello ci. & Valerius lib. IV. cap. 1. QVAESTOR } Caninius: ad quem scribit fam. l. 2. epist. 17. GALATARVM, *Pisidarum, Lyciorum,* } quae nationes non parebant populo R. excepta Pisidiae parte. de quo diximus initio libri V. Lycios a Sulla libertate donatos, ait Appianus in Mithridatico. MOLESTVS *mihi non erat,* } non rogabat, ut subsidio uenirem. fam. lib. 2. ep. 17. COELIVS *quaestor* } cognomine Caldus. ep. 19. lib. 2. fam. Eum Cicero decedens prouinciae praefecit. ep. 6. ARTICVLATE } huius uerbi uim uideo multos ignorare: & fuere etiam, qui mutandum censuerunt; & legendum, Atticae, pro, Articulate. Articulate, ualet distincte, sumpta metaphora a membris in corpore articulatim diuisis. erat autem adhuc infans Attica, quae neque satis integre proloqui, ueque loquentem quiret intelligere, nisi articulate pronunciasses. est enim articulus in oratione, ut inquit scriptor rhetoricorum ad Herennium, cum singula uerba interuallis distinguuntur, caesa oratione, hoc modo: Acrimonia, uoce, uultu aduersarios perterruisti. libro etiam 1. de legibus contraria posuit, Fuse, & articulatim. & Gellius lib. V. cap. IX. satis aperte huius uerbi significationem ostendit. Filius, inquit, Croesi regis, cum miles patrem stricto gladio inuaderet, regem ignorans; plane & articulate elocutus est, ὦ ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Et Lucret. l. IV. 67.

,, Ac, ubi non longum spatium est, unde illa profecta
,, Perueniat uox quaeque: necesse est uerba quoque ipsa
,, Plane exaudiri, discerniq. articulatim.

Cicero S. D. Attico. 6.

EGo, dum in prouincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus accusatoris eius socer. id quidem, inquis, dij approbent. ita uelim: teq. ita cupere certo scio: sed crede mihi, nihil minus putaram ego, qui de Ti. Nerone, qui mecũ egerat, certos homines ad mulieres miseram: qui Romam uenerunt factis sponsalib. sed hoc spero melius. mulieres quidem ualde intelligo delectari obsequio, & comitate adolescentis. cetera noli ἐξακανθίζειν. Sed heus tu, πυροὺς ἐς δῆμον Athenis, placet hoc tibi? etsi non impediebant mei certe libri: non enim ista largitio fuit in ciues, sed in hospites liberalitas. me tamen de Academiae προπύλῳ iubes cogitare; quoniam Appius de Eleusine non cogitet. De Hortensio te certo scio dolere: equidem excrucior: decreueram enim cum eo ualde familiariter uiuere. Nos prouinciae praefecimus Coelium. puerum, inquies, & fortasse fatuum, & non grauem, & non continentem. assentior: fieri non potuit aliter. nam, quas multo ante tuas acceperam litteras, in quibus ἐπέχειν te scripseras, quid esset mihi faciundum de relinquendo; eae me pungebant. uidebam n. quae tibi essent ἐποχῆς caussae, (& erant eaedem mihi) puero ne traderem. fratri aũt. illud non utile nobis. nã praeter fratrẽ nemo erat, quem sine contumelia quaestori, nobili praesertim, anteferrẽ. tamen, dũ impendere Parthi uidebantur, statuerã fratrem relinquere, aut etiam reip. caussa contra S. C. ipse remanere. qui postea quam, incredibili felicitate, discesserunt; sublata dubitatio est. uidebam sermones: Hui fratrẽ reliquit? num est hoc non plus annum obtinere prouinciã? Quid, quod senatus eos uoluit praeesse prouincijs, qui nõ praefuissent? at hic triẽnium. Ergo haec ad populũ. quid, quae tecum? numquam essem sine cura, si quid iracundius, aut contumeliosius, aut negligentius. quae fortuita hominũ? quid, si quid filius puer, & puer bene sibi fidens? qui esset dolor? quem pater non dimittebat; teq. id cẽsere, moleste ferebat. at nunc Coelius, non dico equidẽ, quod egerit; sed tamẽ multo minus laboro. Adde illud. Pompeius, eo robore uir, ijs radicibus, Q. Cassiũ sine sorte delegit, Caesar Antoniũ: ego sorte datum offenderem? aut etiam inquirerem in eum, quẽ reliquissem? hoc melius: & huius rei plura exẽpla. senectuti quidẽ nostrae profecto aptius. at te apud eũ, dij boni, quan-

ni, quanta in gratia posui: eiq. legi litteras non tuas, sed librarij tui. Amicorum litterae me ad triumphum uocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram, non negligendam. quare tu quoque, mi Attice, incipe hoc cupere; quo nos minus inepti uideamur. Vale.

EXPLANATIO

Accvsatoris *eius* } P. Cornelij Dolabellae. Mecvm *egerat*, } de Tulliae coniugio. & Nero hic est, opinor, de quo fam. l. 13. ep. 63. & 64. qui Tiberij Imperatoris pater fuit. Est autē Nero cognomen Claudiae gentis patriciae. nam & Claudij plebeij fuere, sed hi cognomine Marcellorum; patricij, Pulchrorum, & Neronum. Haec uberius in libro de Familijs. Ad *mulieres* } Terentiam, & Tulliam. Factis *sponsalibus* } cum Dolabella. ἐξακανθίζειν } tamquam spinas euellere. & puto hoc dici. Noli exulcerare animum meum numeratis uitijs illius. non enim opus est, cum confecta res sit. hoc quidem laetari debemus, quod eius obsequio & comitate mulieres ualde, ut audio, delectantur. neque enim satis probata superior Dolabellae uita: quod & Coelij epistola declarat, fam. lib. 8. ep. 13. Placet *hoc tibi?* } donasti frumento populum Atheniensem: probas igitur huiusmodi largitiones? Non *impediebant* } licet hoc per meos libros de rep. scriptos: quibus in libris improbaui equidem largitionē in ciues, (uidetur enim ad tyrannidem spectare) sed tua fuit in hospites liberalitas, in ciues largitio non fuit, quia tui non ciues, (Romanus enim, non Atheniensis ciuis es) sed hospites Athenienses: cum Athenis diu uixeris; ciuis autem fieri cum posses, recusaris. Nepos in uita. Qvoniam *Appius* } puto scriptum fuisse, Quom iam, antiquo more, id est, Cum iam. sententia patet. Quamquam Appius de προπύλαιον Eleusine faciundo iam non cogitet, me tamen de προπύλαιον Academiae iubes cogitare. ep. 1. De *Hortensio* } de interitu Q. Hortensij oratoris. In Bruti prooemio. De *relinquendo* } qui prouinciae praeesset. Fratri *autem* } prouinciam tradere. Nemo *erat* } praeter fratrem, & Pontinium, legatos, utrumque praetorium: sed, fratri, non utile: Pontinius discesserat. reliquos duos legatos, Anneium uidelicet, & Tullium, neutrum praetorium, quaestori, praesertim nobili, sine contumelia non possum anteferre. fam. l. 2. ep. 15. Contra s. c. } ultra annum a senatu decretum. Triennivm } triennium enim Asiae Quinctus praefuerat. fam. l. 2. ep. 15. Ad *populum* } dicerem, afferrem, cum excusarem me, quod fratrem prouinciae non praefecissem. tibi autem alias caussas exponerem. dicerem enim, timuisse me, ne quid in prouincia Quinctus committeret iracundius, contumeliosius, negligentius. Qvae *fortuita hominum?* } placeret sic: Quae fert uita hominum: ut fratrem excuset; qui potuerit aliquid committere iracundius, contumeliosius, negligentius, non deprauatae uitio uoluntatis, sed quod ita ferat hominum uita, ut accidere & haec, & similia possint. Sic, Aetas fert. in oratione pro Cluentio: Natura fert, de Somnio Scipionis: Adolescentia fert, Terentius in Heaut. &, Vita hominum, pro Sex. Roscio. Sin, Fortuita, placet, ad uitia fratris addentur fortunae casus. Non *dimittebat*, } mansisset igitur in prouincia cum patre; facileq. quia puer, & puer bene sibi fidens, commisisset, quod esset nobis magnopere dolendum. Id *censere* } dimittendum. censebat autem Atticus, quia patris indulgentia deprauari filium intelligeret. ep. 9. Non *dico equidem &c.* } hoc significat. Non dico equidem, quod egerit, non laboro; sed tamen multo minus, quam si fratrem reliquissem. Sine *sorte* } quem illi sors non dederat quaestorem, ut mihi Coelium. Delegit } quem Hispaniae praeficeret. hic Marcello, & Sulpicio cos. Pompeij quaestor Hispaniae praefuit: post annum, Marcello & Lentulo cos. tribunus pl. cum M. Antonio collega pro Caesare intercessit; &, deuictis Afranio & Petreio, in Hispania propraetor a Caesare relictus. Dio lib. 41. Antonivm: } M. Antonium: quem in Gallia Caesar hibernis praefecit. Hirtius lib. 8. de bello Gal. & oratione II. in Antonium his uerbis: Quaestores factus: deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Caesarem cucurristi. quo planum fit, quaestoribus prouincias assignari solitas S. C. sorte, lege. nam senatus decernebat, ut quaestores sortirentur, uel inter se compararent: deinde sortitio, aut comparatio: tum de his lex curiata ferebatur, si ordine res conficerent. Offenderem? } non relinquerem? Avt *etiam inquirerem in eum?* } appone hic interrogandi notam; ut sit sensus. ne inquirere quidem in eum debui, nedum non relinquere. inquirere scilicet in eius mores, utrum hoc honore dignus esset, an secus. tantum, inquit, abest, ut eum relinquere non debuerim, ut nec, utrum hoc munere dignus esset, inquirendum mihi fuerit. quem igitur reliquissem, nisi ipsum reliquissem? Hoc *melius* } quod quaestorem potius, quam fratrem, in prouincia reliquerim. Senectvti *quidem nostrae* } cui, si tam nobilem adolescentem offendissem, impendebant inimicitiae. Παλιγγενεσίαν } alij referunt ad generis nouitatem, ego ad dignitatē post exsulij tempora renascentem. ante exsulium enim, ut ipse testatur in epistola ad Catonem epistol. fam. lib. 15. & prouinciam ornatam, & spem non dubiam triumphi neglexerat: auguratum denique, cum non difficillime consequi posset, non appetierat: idem, post iniuriam acceptam, studuit quam ornatissima senatus populiq. R. de se iudicia intercedere: itaq. & augur fieri uoluit, & eum honorem, qui a senatu tribui rebus bellicis solet, sibi expetendum putauit.

Cicero S. D. Attico 7.

QVINCTVS *filius, pie sane, me quidem certe multum hortante, sed currentem animum patris sui sorori tuae reconciliauit. cum ualde tuae litterae excitarunt. quid quaeris? confido rem, ut uolumus, esse. Bis ad te ante scripsi de re mea familiari. si modo tibi redditae litterae sunt, graece, ἐν αἰνιγμοῖς. scilicet nihil est mouendum. sed tamen, ἀφελῶς percunctando de nominibus Milonis, & ut expedias, ut mihi recepit, hortando, aliquid ita tu proficies. Ego Laodiceae quaestorem Messinium exspectare iussi, ut confectas rationes lege Iulia apud ciuitates possim relinquere. Rhodum uolo puerorum caussa: inde quamprimum Athenas: etsi Etesiae ualde reflant: bis sed uolo magistratibus, quorum uoluntatem in supplicatione sum expertus. Tu tamen mitte mihi, quaeso, obuiam litteras, numquid putes reip. nomine tardandum esse nobis. Tiro ad te dedisset litteras, nisi eum grauiter aegrum Eseae reliquissem. sed nunciant, melius esse. ego tamen angor. nihil enim illo adolescente castius, nihil diligentius. Vale.* *

EXPLANATIO

Ἐν αἰνιγμοῖς } obscure, qualia sunt aenigmata. Nec dubito, quin ad Euripidis locum in Rhoeso respexerit. PERCVNCTANDO } ages hoc tantum cum Philotimo: percunctaberis, de Milonis bonis ecquid agatur: &, ut rem explicet, idest ut ipsa bona restituat, hortaberis. lib. 5. epist. 8. & lib. 6. epist. 5. ALIQVID *ita tu* } suspicor hoc esse ex ingenio. nam antiqui libri, Caualcantis, Ferri, & Bessarionis, Aliquid aut. probarem, Aliquanium. APVD *duas ciuitates* } deposuit Laodiceae, & Apameae: easdemq. totidem uerbis ad aerarium retulit, sicuti lex iubebat, quam consul C. Iulius Caesar tulerat. fam. ep. 20. lib. 5. PVERORVM } ut inde Cicerones pueros secum deduceret. lib. 5. epist. 18. & epist. 17. lib. 2. fam. SED *uolo* } cupio Romam peruenire ante exitum anni, ut eo facilius impetrem de triumpho, dum ij sunt in magistratu, qui supplicationes mihi decreuerunt. fam. l. 8. ep. 11. ESEAE } sic in Caualcantis libro: Bessarionis autem, Esse. utrumque deprauatum, forte, Issi. nam ex Cilicia nunc Cicero proficiscebatur in dioeceses Asiaticas, ut Laodiceae, & Apameae rationes confectas prius relinqueret, dein nauim conscenderet. Issus autem nota Ciliciae urbs. est etiam scriptus liber apud amicissimum meum, in quo simpliciter, Nisi eum grauiter aegrum reliquissem.

Cicero S. D. Attico 8.

CVM *instituissem ad te scribere, calamumq. sumpsissem, Batonius e naui recta ad me uenit domum Ephesi, & epistolam tuam reddidit prid. kal. Oct. Laetatus sum felicitate nauigationis tuae, opportunitate Piliae, etiam mehercule sermone eiusdem de coniugio Tulliae meae. Batonius autem miros terrores ad me attulit Caesarianos, cum Lepta etiam plura locutus est, spero, falsa, sed certe horribilia: exercitum nullo modo dimissurum: cum illo praetores des. Cassium tribunum, Lentulum cos. facere: Pompeio in animo esse urbem relinquere. Sed heus tu, numquid moleste fers de illo, qui se solet anteferre patruo sororis tuae filij? at a quibus uictus. sed ad rem. Nos Etesiae uehementissime tardarunt. detraxit XX ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. kal. Oct. Ephesо conscendentes hanc epistolam dedimus L. Tarquinio, simul e porto egredienti, sed expeditius nauiganti. nos Rhodiorum aphractis, ceterisq. longis nauibus tranquillitates aucupaturi eramus: ita tamen properabamus: ut non posset magis. De raudusculo Puteolano, gratum, Nunc uelim dispicias res Romanas: uideas, quid nobis de triumpho cogitandum putes; ad quem amici me uocant. ego, nisi Bibulus, qui, dum unus hostes in Suria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo sua, adniteretur de triumpho, aequo animo essem. nunc uero αἰσχρὸν σιωπᾶν. sed explora rem totam: ut, quo die congressi erimus, consilium capere possimus. At multa; qui & properarem, & ei litteras darem, qui aut mecum, aut paullo ante uenturus esset. Cicero tibi plurimam salutem dicit. tu dices utriusque nostrum uerbis & Piliae tuae, & filiae, Vale.*

EXPLANATIO

NAVIGATIONIS *tuae*, } commode, & sine periculo ex Epiro in Italiam nauigasti. episto. 2. l. 7. OPPORTVNITATE *Piliae* } quae tibi obuiam progressa, opportune aduenienti occurrerit. SERMONE *eiusdem* } quod tibi Pilia narrauerit de Tullia mea Dolabellae collocata. epist. 5. EXERCITVM *n. m. d.* } anno insequenti perendi consulatus caussa. cum enim lex esset, ut absentes consulatum petere non possent; obtinuerat Caesar decem tribunorum rogatione, consule Pompeio, ut & absens, & cum imperio posset petere. CASSIVM *trib.* } Q. Cassium Longinum, tribunum pl. designatum, & L. Cornelium,

nelium Lentulum Crus, consulem item designatum. DE *illo, qui &c.* } C. Hirrum intelligit, qui repulsam retulerat in aedilitate, cum se Ciceroni solitus esset anteferre. sam. epistola 6. lib. 8. SORORIS *tuae filij* } Q. Ciceronis, quem frater meus ex tua sorore genuit: cui ego patruus sum. APHRACTVS *Rhodiorum*. } quo tum periculose, tum tarde nauigauimus, ut integros uiginti dies consumpserimus. ep. 9. l. 10. EXPEDITIVS } breuiore naui. AVCVPATVRI } captaturi: ut, quae prima se idonea tempestas obtulerit, ea utamur. translatio ab aucupibus, uolucres captantibus. DE *raudusculo Puteolano*, } forte, quod pecuniam dissolueris, C. Vestorio Puteolano a me debitam, uide epist. 6. l. 4. pecunia certe debita uidetur significari. epist. 7. lib. 4. & 2. lib. 7. VNVS *hospes* } plus est, quam, Dum unus hostis: cum non modo hostes, sed & hospites, Bibulus timuerit. ep. 2. DOMO *sua* } cum domo consul se tenuit metu Caesaris collegae. AT *multa*, } at longior fui.

Cicero S. D. Attico. 9.

IN PIRAEEA cum exissem pridie id. Oct. accepi ab Acasto, seruo meo, statim tuas litteras: quas quidem cum exspectassem iam diu, admiratus sum, ut uidi obsignatam epistolam, breuitatem eius; ut aperui, rursus σύγχυσιν litterularum, quae solent tuae compositissimae, & clarissimae esse. ac, ne multa, cognoui ex eo, quod ita scripseras, te Romam uenisse ad XII. Kal. Oct. cum febri. perculsus uehementer, nec magis, quam debui, statim quaero ex Acasto. ille & tibi, & sibi uisum, & ita se domi ex tuis audisse, ut nihil esset incommode. id uidebatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem scripsisse. sed clamaui tamen; admiratusq; sum, quod nihilo minus ad me tua manu scripsisses. quare de hoc satis. spero enim, quae tua prudentia, & temperantia, & hercule, ut me iubet Acastus, confido te iam, ut uolumus, ualere. A Turranio te accepisse meas litteras gaudeo. παραφύλαξον, si me amas, τὴν τοῦ φυρατοῦ φιλοτιμίαν αὐτότατα. hanc, quae mehercule mihi magno dolori est, (dilexi enim hominem) procura, quantulacumque est, Praetianam hereditatem. prorsus ille ne attingat. dices, nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi: in quo, ut praecipis, nec me κενὸν in expetendo cognosces, nec ἄτυφον in abijciendo. Intellexi ex tuis litteris, te ex Turranio audisse, a me prouinciam fratri traditam. adeon' ego non perspexeram prudentiam litterarum tuarum? ἐπέχειν te scribebas. quid erat dubitatione dignum? si esset quidquam; cur placeret, fratrem, & talem fratrem, relinqui? ἀδίστακτον ista mihi tua, non ἐποχή, uidebatur. monebas de Q. Cicerone puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem: τοὐμὸν ὄναρ ἐρῶ ἐμοί. eadem omnia, quasi collocuti essemus, uidimus. non fuit faciendum aliter, meq. ἐπιχρονία ἐποχή tua dubitatione liberauit. sed puto te accepisse de hac re epistolam, scriptam accuratius. Ego tabellarios postero die ad uos eram missurus, quos puto ante uenturos, quam nostrum Sauseium. sed, eum sine meis litteris ad te uenire, uix rectum erat. Tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id est de Dolabella, perscribas: de rep. quam praeuideo in summis periculis, de censoribus, maximeq. de signis, tabulis quid fiat, referatur ne. Idibus Oct. has dedi litteras: quo die, ut scribis, Caesar Placentiam legiones quattuor. quaeso, quid nobis futurum est? In arce Athenis statio mea nunc placet. Vale.

EXPLANATIO

SOLENT *tuae compositissimae*, } bellissimae constructae. nunc autem scripsisti uacillantibus litterulis, manu a morbo minus firma. Lucilij uersus in Oratore sunt:

,, Quam lepide lexis compostae, ut tessernlae, omnes,
,, Arte, pauimento, atque emblemate uermiculato.

SCRIPSISSE, } ut intelligerem, non grauiter aegrotare, qui cum febri tamen scripsisses; quam etiam Febriculam nominares. φυρατοῦ φιλοτιμίαν } assentior ijs, qui φιλοτιμίαν e Suida interpretantur auaritiam, ut Philotimus designetur, qui rationes turbauerat in nominibus Milonis. epistola 4. lib. 6. & 1. lib. 7. NE *attingat* } Philotimus. epistola 1. lib. 7. DICES } Philotimo, ut sciat eam me conseruari uelle ad apparatum triumphi. epist. 3. PRVDENTIAM *litterarum tuarum?* } quia, cum significare uelles, ἀθετῶν te consilium de fratre relinquendo, aperte non scripsisti, sed tecto uerbo, ἐπέχειν, usus es. in quo tuam prudentiam perspexi. DVBITATIONE *dignum?* } dubitandum non erat, quin quaestor Coelius prouinciae praeponendus esset. quod si quid esset dubitatione dignum; fratrem tamen relinqui, cur placeret? Τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί. } meum mihi somnium: subaudi, narrabas, sententiam aperiunt, quae proxime sequuntur uerba. Prouerbium. EADEM *omnia*, } quid a fratre, si eum reliquissem, quid a fratris filio timendum esset. epistola 7. NON *fuit faciendum aliter*, } atque feci; qui Coelium reliqui. DVBITATIONE *liberauit* } cum enim ἐπέχειν te uiderem, id est haerere, & suspensum pendere, incertum, quid esset mihi faciendum

de

de relinquendo; ἐποχὴ haec tua mihi omnem dubitationem eximebat; cum intelligerem, fratrem relinqui, tibi non placere, dubitare igitur non debui, quid mihi esset agendum. Ἐπιχρονία § diuturna. quo uerbo adduci possumus, ut supra legamus, ἐπέχειν ter scribebas. Bessarionis tamen liber, Te. CENSORIBVS § Ap. Claudio Pulchro, L. Calpurnio Pisone Caesoniano. REFERATVR *ne* § a censoribus ad senatum, ut S.C. fiat de sumptu signorum, & tabularum coercendo. fam. lib. 8. epistola 14. MACTE *scribas*. *Athenis* § sic in ante impressis. Bessarionis liber, Marce Athenis: Caualcantis, In arce Athenis, uerbum quidem, Scribas, in neutro reperitur, ne in duobus quidem, quos habet amicissimus meus. reposui igitur sic, & opinor recte: Quaeso, quid nobis futurum est? ut hoc dixerit reip. timens: deinde, In arce Athenis statio mea nunc placet: ut Attico, qui diu uixerat Athenis, significet, qua maxime urbis parte delectetur. De hac autem arce sic Plinius lib. 7. cap. 56. Opidum Cecrops a se appellauit Cecropiam, quae nunc est arx Athenis. STATIO § castrensi uerbo usus est, quia cum militibus erat.



IN·EPISTOLARVM
M. TVLLII. CICERONIS
AD
T·POMPONIVM·ATTICVM
LIBRVM. VII.
PAVLLI. MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



DEDERAM *equidem L. Saufeio litteras, & dederam ad te unum; quod, cum non esset temporis mihi ad scribendũ satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis litteris ad te uenire nolebam. sed, ut philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius. sin iam illas accepisti, scis me Athenas ueniße pridie id Oct. e naui egreßum in Piraeeum tuas ab Acasto nostro litteras accepisse; conturbatum, quod cum febre Romam uenißes; bono tamen animo esse coepisse, quod Acastus ea, quae uellem, de alleuato corpore tuo nunciaret; cohorruisse autem, quod tuae litterae de legionibus Caesaris afferrent; & egisse tecum, ut uideres, ne quid* φιλοτιμία *eius, quem nosti, nobis noceret; & de quo iam pridem ad te scripseram. Turranius autem secus tibi Brundisij dixerat: quod ex ijs litteris cognoui, quas a Xenone, optimo uiro, accepi. Cur fratrem prouinciae non praefecissem, ex posui breuiter. Haec fere sunt in illa epistola: nunc audi reliqua. Per fortunas, omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnemq. tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere iudico singularem, conferto ad eam curam, ut de omni statu meo cogites. uidere enim mihi uideor tantam dimicationem, nisi idem deus, qui nos melius, quam optare auderemus, Parthico bello liberauit, respexerit remp. sed tantam, quanta numquam fuit. age, hoc malum mihi commune est cum omnibus: nihil tibi mando, ut de eo cogites: illud meum proprium* πρόβλημα, *quaeso, suscipe. uides ne, ut te auctore sim utrumque complexus? ac uellem a principio te audisse amicissime monentem:*

Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν:
Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος:

sed aliquando tamen persuasisti, ut alterum complecterer, quia de me erat optime meritus: alterum, quia tantum ualebat. feci igitur, atque effeci omni obsequio, ut neutri illorum quisquam eßet me carior. haec enim cogitabamus; nec mihi, iuncto cum Pompeio, fore necesse peccare in rep. aliquando, nec, cum Pompeio sentienti, pugnandum eße cum Caesare: tanta erat illorum coniunctio.. nunc impendet, ut & tu ostendis, & ego uideo, summa inter eos contentio: me autem uterque numerat suum. nisi forte simulat alter. nam Pompeius non dubitat (uere enim iudicat) ea, quae de rep. nunc sentiat, mihi ualde probari. utriusque aũt accepi eiusmodi litteras eodẽ tẽpore, quo tuas, ut neuter quẽquã omniũ pluris facere quã me, uideretur. uerũ quid agam? nõ quaero illa ultima, (si. n. castris res geretur, uideo cum altero uinci satius esse, quã cum altero uincere) sed illa, quae tum agentur, cum uenero; ne ratio absentis habeatur, ut exercitum dimit-

X tat.

tas. dic M. Tulli. quid dicam? exspecta, amabo te, dum Atticum conueniam. non est locus ad tergiuersandum contra Caesarem. ubi illae sunt densae dexterae? nam, ut illi hoc liceret, adiuui rogatus ab ipso Rauennae de Coelio tribuno pl. ab ipso autem? etiam a Cnaeo nostro, in illo diuino tertio consulatu. aliter sensero: αἰδέομαι non Pompeium modo, sed Τρῶας καὶ Τρωάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην καταθήσει, quis? tu ipse scilicet, laudator & factorum, & scriptorum meorum. hanc ego plagam effugi per duos superiores Marcellorum consulatus, cum est actum de prouincia Caesaris. nunc incido in discrimen ipsum. itaque, ut stultus primus suam sententiam dicat, mihi ualde placet de triumpho nos moliri aliquid, extra urbem esse cum iustissima caussa. tamen dabunt operam, ut eliciant sententiam meam. Ridebis hoc loco fortasse: quam uellem etiam nunc in prouincia morari. plane opus fuit, si hoc impendebat. etsi nil miserius. nam, ὁδοῦ πάρεργον, uolo te hoc scire: omnia illa prima, quae etiam tu litteris in caelum ferebas, ἐπίτευκτα fuerunt. quam non est facilis uirtus, quam uero difficilis eius diuturna simulatio. cum enim hoc rectum, & gloriosum putarem, ex annuo sumptu, qui mihi decretus esset, me C. Coelio quaestori relinquere annuum, referre in aerarium ad HS CIↃ: ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere; ut ego amicior inuenirer Phrygum, & Cilicum aerarijs, quam nostro. sed me non mouerunt. nam & mea laus apud me plurimum ualuit: nec tamen quidquam honorifice in quemquam fieri potuit, quod praetermiserim. Sed haec fuerit, ut ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis. Tu autem de nostro statu cogitabis: primum quo artificio tueamur beneuolentiam Caesaris: deinde de ipso triumpho: quem uideo, nisi reip. tempora impedient, εὔπορον. iudico autem cum ex litteris amicorum, tum ex supplicatione: quam qui non decreuit, plus decreuit, quam si omnes decreuisset triumphos. ei porro assensus est unus, familiaris meus, Fauonius, alter iratus Hirrus. Cato autem & scribendo affuit, & ad me de sententia sua iucundissimas litteras misit. sed tamen gratulans mihi Caesar de supplicatione, triumphat de sententia Catonis; nec scribit, quid ille sententiae dixerit, sed tantum, supplicationem eum mihi non decreuisse. Redeo ad Hirrum. coeperas eum mihi placare: perfice. habes Scrofam, habes Silium. ad eos ego etiam antea scripsi, & ad ipsum Hirrum: locutus enim erat cum ijs, commode se potuisse impedire, sed noluisse; assensum tamen esse Catoni, amicissimo meo; cum is honorificentissimam in me sententiam dixisset; nec me ad se ullas litteras misisse, cum ad omnes mitterem. uerum dicebat. ad eum enim solum, & ad Crassipedem non scripseram. Atque haec de rebus forensibus. redeamus domum. Dijungere me ab illo uolo. mirus est φυράτης, germanus Lartidius.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.

Reliqua expediamus, hoc primum, quod accessit cura dolori meo, sed hoc tamen, quidquid est: Praetianum cum ijs rationibus, quas ille meas tractat, admisceri nolo. scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum, me, quidquid possem nummorum, ad apparatum sperati triumphi ad te redacturum. ita puto ἀμεμπτα fore. uerum, ut lubebit. Hanc quoque suscipe curam, quemadmodum experiamur. id & ostendisti quibusdam litteris, ex Epiro, & Athenis datis; & in eo ego te adiuuabo. Vale.

EXPLANATIO

VT PHILOSOPHI *ambulant,* } philosophus enim Saufeius ex haeresi Epicurea: & omnes philosophi, quia praeter sapientiam nihil curent, tarde solent ambulare; tardissime autem Epicurei, quia molles, & laborem fugientes, ex Epicuri magistri doctrina. LEGIONIBVS *Caesaris* } quas Caesar Placentiam idibus Octobribus adducturus esset. epist. 9. lib. 6. *φιλοτιμία eius* } Philotimi: de quo epist. 9. lib. 6. SECVS } falsum, de prouincia scilicet fratri tradita, epist. 9. lib. 6. DIMICATIONEM } inter ciues. MEVM *proprium πρόβλημα* } quaestionem ad me unum pertinentem, utram partem eligam, Caesaris, an Pompeij; cum mihi uterque sit amicissimus. A PRINCIPIO } iam ante exsulij mei calamitatem: quam ideo subij, quia me ad Caesaris & Pompeij perniciosam reip. societatem, cum inuitarer, non adiunxeram. ἀλλ' ἐμὸν } Homeri uersus in Odyssea lib. IX. quem etiam in epistola ad Caesarem fam. lib. 13. epist. 15. usurpauit. Non potuisti, inquit, persuadere, ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος. Homeri uersu suum consilium probat; qui persuasus ideo non sit, quia patriam amicitiae Caesaris, & Pompeii praetulerit. OPTIME *meritus;* } cum mihi exsulanti reditum in patriam unus maxime confecit. NEC *mihi iuncto* } ita putabam, ea coniunctione consuli tum dignitati meae, tum etiam saluti, *Iuncto*, Pompeij ad amicitiam refertur: *Sentienti*, ad opinionem de rep. Neq. me, inquit, ob amicitiam Pompeij peccaturum aliquando in rep. putabam; neq. Pompeium ea sensurum, quae ego si sequerer, contentionem cum Caesare susciperem. NVNC *sentiat,* } quod eadem non semper senserit. CVM *altero uinci* } cum Pompeio. NE *ratio absentis,* } ne possit absens Caesar consulatum petere. quod ei, lege lata a decem tribunis pl. populus concesserat. VT *exercitum dimittat* } deposito imperio urbem ingrediatur, consulatum petere si uult. Haec agentur a Pompeianis, idest a consulibus, & omni fere senatu. NON *est locus* } id agam, ne contra Caesarem sententiam dicam: tergiuersabor, quantum in me erit: sed Pompeiani non permittent, urgebunt. DENSAE *dexterae?* } quas

Caesar

Caesar mihi cum suis obijciet, quasi eas uel oblitus sim, uel contempserim. VT *illi hoc liceret* } ut posset absens consulatum petere. AB *ipso* } Caesare. RAVENNAE } quo Caesar quo annis ad conuentus agendos uenire solitus erat. DE *Coelio* } ut M. Coelium, amicissimum meum, tribunum pl. inducerem ad legem ferendam de habenda Caesaris absentis ratione. quod factum est. latum enim a decem tribunis pl. idest ab uniuerso collegio, consule tertium Pompeio: quot anno tribunus pl. fuit M. Coelius, ut ex Pediano cognoscitur in argumento Milonianae. A CNAEO *nostro* } uide infra ep. 3. lib. 8. & fam. lib. 6. ep. 6. ILLO *diuino* } hoc uidetur dictum esse ad gloriam Pompeij, quia consul sine collega ex S. C. creatus fuerat, quo liberius posset perturbatam ciuilibus discordijs remp. constituere: sed cum ironia dictum: quippe, cum ipse consul pugnauerit, ut de habenda Caesaris absentis ratione lex ferretur, quod contra morem maiorum, contraq. remp. fuit. ep. 3. l. 8. ALITER } contra Pompeiũ. Αἰδέομαι } uide supra, ep. 5. lib. 2. HANC *ego plagam* } quam mihi nunc uideo esse accipiendam, quia necesse est, ut in dicenda sententia aut Pompeium offendam, aut Caesarrm. EFFVGI } quoniam absui. MARCELLORVM } quia profectus est ante in prouinciam, quam M. Marcellus referret de successione Galliarum. & anno proximo, consule C. Marcello, de prouincia decedens, tamen ad urbẽ non peruenit, tribus mensibus in itinere consumptis. & dicit, *Effugi*, quia, licet C. Marcellus consulatum nondum peregisset; tamen, quod erat eius anni reliquum, uidebat sibi esse in itinere ponendum. VT *stultus* } primum in senatu sententiam rogari, honorificum uidebatur. nunc, inquit, ea me non tenet ambitio. quin ideo triumphum petam, ut extra urbem maneam cum iustissima caussa, dum de prouinciarum successione conficiatur. dicat igitur uel stultus suam sententiam in senatu primus, non laboro. NIHIL *miserius* } prouincia. OMNIA *illa prima*, } quae primis litteris ad te scripsi de comitum meorum continentia. VT *ego amicior inuenirer* } quasi deberem aerarij nostri emolumentum negligere, qui Cilicum & Phrygum aerarijs consuuerant, nullum ab ijs sumptum neque in me, neque in meos fieri passus. ep. 2. lib. 6. Ἐκβολὴ λόγου } orationis egressio. quia, cum agere cum Attico de suo statu coepisset, interposuit de prouincia. redit igitur, unde diuerterat. EX *supplicatione*, } mihi decreta: quae solet esse triumphi praerogatiua: fere enim triumphus eam consequitur. PLVS *decreuit* } quia, cum mihi supplicationem non decerneret, tamen in sententia sua summis me laudibus ornauit; cum diceret, innocentia potius, & mansuetudine mea, quam ui militum, aut benignitate deorum, prouinciam esse seruatam. is autem fuit M. Cato. ut fam. ep. 5. l. 15. IRATVS *Hirrus* } ut a me in auguratus petitione superatus. uide fam. l. 8. ep. 3. & 9. SCRIBENDO } S. C. quod ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, fieri solet. fam. ep. 6. lib. 15. DE *sententia Catonis* } supplicationem non decernentis. epist. 2. QVID *ille sententiae dixerit*, } iniuriam Catonis in supplicatione non decernenda Caesar commemorat; laudes, quas mihi idem Cato sua sententia tribuit, dissimulat. Disiungere uidelicet a Catonis amicitia Ciceronem cupiebat Caesar. POTVISSE *impedire*, } si, cum de hostibus ageretur, numerum postularet. fam. lib. 8. ep. xi. MERVS *est &c.* } placeret, Merus: &, germanus Lartidius, explano; quod Lartidij, famosi furis, persimilis esset. intelligit enim Philotimum: quẽ & supra non optima fide bona Milonis administrasse ostẽdit, ep. 9. l. 6. HOC *primum* } quod proxime sequitur de Praetiana hereditate. ACCESSIT *cura dolori* } ad dolorem ex amici morte susceptũ accessit cura expediendae hereditatis. ep. 9. l. 6. QVIDQVID *est* } etiam si non ita magna sit hereditas, ut de ea ualde laborandũ uideatur ep. 8. l. 6. ILLE } Philotimus. nam & supra, Prorsus ille ne attingat, cum de hac ipsa hereditate, & de Philotimo loquatur. Ἀμέμπτα } si ad te pecunia in triumphi apparatum redigetur, non erit quod factum mecum Philotimus accuset, tamquam ei non confidentis, cum te, non quemuis, illi praeferam, in pecunia triumphali, non domestica: ἀμέμπτα: caussam accusandi nullam. VT *lubebit* } tibi, faciam de Philotimo, quod suadebis: tuum consilium sequar. refertur enim ad illud, Dijungere me ab illo uolo. In Bessarionis libro, Videbit, pro, Lubebit; quod fortasse, Videbitur, esse debuit. EXPERIAMVR. } de triumpho. nisi enim caute, consierateq. experimur, fortasse tribunorum pl. intercessionem eliciemus. hoc tu cogites uelim, tecum simul ego cogitabo, ut ad euitandam intercessionem aliquid excogitemus.

Cicero S. D. Attico. 2.

BRVNDISIVM *uenimus VII. Kal. Dec. usi tua felicitate nauigandi. ita belle nobis flauit ab Epiro leuissimus Auster mitis. hunc* σπουδάζοντα, *si cui uoles* τῶν νεωτέρων, *pro tuo uendito. Inualetudo tua me ualde conturbat. significant enim tuae litterae, te prorsus laborare. ego autem, cum sciam, quam sis fortis, uehementius esse quiddam suspicor, quod te cogat cedere, & propemodum infringat. etsi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit decessisse, & alteram leuiorem accedere. Terentia uero, quae quidem eodem tempore ad portam Brundisinam uenit, quo ego in portum, mihiq. obuiam in foro fuit, L. Pontium sibi in Trebulano dixisse narrabat, etiam eam decessisse. quod si ita est, quod maxime hercule opto; id spero tua prudentia, & temperantia te consecutum. Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi, aliam alia iucundiorem, quae quidem erant tua manu. nam Alexidis manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae litterae: manũ non amabam, quia indicabat te non ualere. cuius quo*

niam mentio iam facta est, Tironem Patris aegrum reliqui, adolescentem, ut nosti, (& adde, si quiduis) probum: nihil uidi melius: itaque careo aegre. quam quam uidebatur se non grauiter habere: tamen sum solicitus; maximamq. spem habeo in M'. Curij diligentia, de qua ad me scripsit Tiro, & multi nunciarunt. Curius autem ipse sensit, quem tu uelles a me diligi: & eo sum admodum delectatus: & mehercule est, quam facile diligas. αὐτόχθων in homine urbanitas. eius testamentum de tortorio, Ciceronum signis obsignatum, cohortisq. praetoriae. fecit palam te ex libella, me ex teruncia. Corcyrae Alexion me opipare muneratus est. Q. Ciceroni obsisti non potuit, quo minus Thyamim uideret. Filiola tua te delectari laetor, & probari tibi στοργὴν φυσικὴν esse, τὴν πρὸς τὰ τέκνα. etenim, si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio: qua sublata, uitae societas tollitur. Bene eueniat, inquit Carneades, spurce, sed tamen prudentius, quam Lucius noster, & Patron: qui cum omnia ad se referant, nec quidquam alterius caussa fieri putent; & cum ea re bonum uirum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit; non intelligunt se de callido homine loqui, non de bono uiro. sed haec opinor sunt in ijs libris, quos tu laudando, animos mihi addidisti. Redeo ad rem. Quo modo exspectabam epistolam, quam Philoxeno dedisses? scripseras enim, in ea esse de sermone Pompeij Neapolitano. eam mihi Patro Brundisij reddidit: Corcyrae, ut opinor, acceperat. nihil potuit esse iucundius. erat enim de rep. de opinione, quam is uir haberet integritatis meae; de beneuolentia, quam ostendit eo sermone, quam habuit de triumpho. sed tamen hoc iucundissimum, quod intellexi, te ad eum uenisse, ut eius animum erga me perspiceres. hoc mihi inquam accidit iucundissimum. De triumpho autem, nulla me cupiditas unquam tenuit ante Bibuli impudentissimas litteras, quas amplissime supplicatio consecuta est. a quo si ea gesta sunt, quae scripsit; gauderem, & honori fauerem: nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri; me, in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi, dedecus est nostrum, nostrum, inquam, te coniungens. itaque omnia experiar, &, ut spero, assequar. quod si tu ualeres, iam mihi quaedam explorata essent: sed, ut spero, ualebis. De rauduscuIo Numeriano multum te amo. Hortensius quid egerit, aueo scire. Cato quid agat: qui quidem in me turpiter fuit maleuolus: dedit integritatis, iustitiae, clementiae, fidei mihi testimonium, quod non quaerebam; quod postulabam, negauit. itaque Caesar ijs litteris, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quo modo exsultat Catonis, in me ingratissimi, iniuria? at hic idem Bibulo dierum xx. ignosce mihi, non possum haec ferre, nec feram. Cupio ad omnes tuas epistolas, sed nihil necesse est: iam enim te uidebo. illud tamen de Chrysippo. nam de altero illo minus sum admiratus, operario homine: sed tamen ne illo quidem quidquam improbius. Chrysippum uero, quem ego, propter litterularum nescio quid, libenter uidi, in honore habui, discedere a puero, insciente me? mitto alia, quae audio, multa: mitto furta: fugam non fero, qua mihi nihil uisum est sceleratius. itaque usurpaui uetus illud Drusi, ut ferunt, praetoris in eo, qui eadem liber non iuraret: me istos liberos non addixisse, praesertim cum adesset nemo, a quo recte uindicarentur. id tu, ut uidebitur, ita accipies: ego tibi assentiar. Vni tuae disertissimae epistolae non rescripsi, in qua est de periculis reip. quid rescriberem? ualde eram perturbatus: sed, ut nihil magnopere metuam, Parthi faciunt, qui repente Bibulum semiuiuum reliquerunt. Vale.

EXPLANATIO

AVSTER *mitis*] duabus caussis adducor, ut suspicer de mendo, primum, quia, Mitis, non necessaria dictio, cum idem significet, quod, Lenissimus, atque etiam multo minus: deinde, quia ueteribus in libris scriptum uideo, Anches mitis. quod ipsum non intelligo: sed assentior doctissimo uiro, Latino Latinio, Viterbiensi, qui, mutatione unius litterae, locum corrigit, Onchesmitis, uel ὀγχεσμίτης, legens: ut sit nomen uenti, ab Onchesmo, Epiri portu, quem nominat Ptolemaeus. MANVM *non amabam*] abundare puto, Manum, & esse non necessarium glossema: ut legatur, Ad similitudinem tuae litterae. quod enim solet esse in repetendo uerbo uenustatis, id sentitur in uerbo, Amabam: si Manum iteres, non item. alijs aliter fortasse uidebitur: ego de meo sensu iudico. TIRONEM] qui mihi in memoriam redigitur mentione Alexidis; quoniam uterque similem nobis operam praebet. Alibi: Quod meus Alexis facit. erat enim uterq. a studijs, & epistolis. DILIGI] ipsum. Eo] eius consuetudine. DE *Tortorio*] consentiunt cum impressis ueteres libri: ex ingenio autem possum equidem afferre, quae uerisimilia uideantur: sed in obscurissima re diuinantes cur inania captemus? Veri autem simile hoc sit, Deporto Ro. id est, deporto Romam. id confirmat, quod infra scriptum est ep. 3. A Curio tabulas accepi, quas mecum porto. CICERONVM] puerorum. Sic l. 5. ep. 18. Cicerones nostri sunt apud Deiotarum. COHORTIS *praetoriae*] Cohors praetoria est, quae tum in castris, tum in agmine, atque acie semper adest praetori. erant autem duae, una euocatorum militum, altera nobilium adolescentum, qui sua sponte cum proconsulibus exibant, dumtaxat ob hanc caussam, ut usurarum peritiores domum redirent. FECIT *palam*] fecit heredem praesente cohorte praetoria uniuersa: cum alij non palam, sed paucis adhibitis, testamentum facere solerent. TE *ex libella*] omnium bonorum heredem. nam libella & as idem sunt: nisi quod libella nummus argenteus, as aereus. assis autem nomine significatur omnis hereditas. ME *ex teruncia*] Teruncia quarta pars est librae: ergo, & quarta pars bonorum.

Scriptum

Scriptum erat in testamento, ut Atticus, heres ex libra, quartam deinde partem Ciceroni attribueret. &, Libella dixit, familiariter iocatus de Attici emolumento. THYAMIM } fluuium, qui, ut, inquit Thucydides l. 1. Thesprotidem, Cestrinamq. discriminat. &, Atticum in Thesprotia habuisse possessiones, dixit ep. 5. l. 6. Puer autem Q. Cicero significatur. De Thyami, & Plinius l. 4. c. 1. FILIOLA *tua* } Attica, quae postea M. Agrippae uxor fuit. PROBARI *tibi* } contra sententiam Epicuri tui: qui cum diceret, alterius caussa fieri nihil oportere, ad se ipsum omnia esse referenda, tollebat στοργὴν φυσικὴν τὴν πρὸς τὰ τέκνα. *Si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio* } si amor erga filios naturalis non est; quid erit, in quo hominem homini natura conciliet? BENE *eueniat, inquit Carneades,* } uidendum est, quo modo haec ad superiora referantur. Non placet, probare Carneadem id, quod proxime dictum est, Vitae societas tollitur; ut, Bene eueniat, uerba sint assentientis, & cupientis ita esse, nã, si Carneades illam sententiam laudasset, quae uitae societatem tollebat; germanissimus fuisset Epicureus. uitae enim societatem tollebat Epicurus, cum ad seipsum omnia referret, nihil alterius caussa faciendũ putaret. Carneades autem, cum diceret, Bene eueniat, in eo Epicureus erat, in reliquis Academicus. propterea subiunxit Cicero: Sed tamen prudentius, quam Lucius noster, & Patron. in quo significauit, dissentire Carneadem ab Epicureis, ad utilitatem suam omnia referentibus, nihil omnino de honestate, uel de aliena utilitate laborantibus; quamquam cum iis in optanda felicitate sentiret: itaq. dicebat, Bene eueniat: pro, nihil aduersi contingat. quod spurce dictum ait Cicero: quia fuit eadem Epicureorum sententia, qui, summum in dolore malum, summum in uoluptate bonum collocantes, ex animi sententia euenire omnia cupiebant. Sed in eo prudentior Carneades: quod illi ita bene euenire cupiebant, ut bonitatem per se nihil aestimandam, utilitatis tantum gratia colendam dicerent: ipse uero, cum, Bene eueniat, diceret, ita secunda omnia expetebat, ut bonitatis habendam esse rationem duceret, nec de se tantum, sed de aliis quoque, laboraret. conseruabat igitur uitae societatem, quam tollebat Epicurus. ep. 12. l. 7. fam. LVCIVS *noster* } L. Torquatus, qui sententiam Epicuri tuetur l. 1. de Fin. PATRON } is, de quo ep. 11. l. 5. NON *quo id natura rectum sit;* } non curabant igitur, quae natura recta sunt, ipsa per se, sed ut malum uitaretur. qua ratione qui uitam instituit, uere bonus non est, sed malitiosus, & callidus: utitur enim artificio simulato, ut ea uitet, quae mala esse putat. NON *intelligunt* } non igitur prudentes, ut Carneades. HAEC } in quo uir bonus a callido homine differat. IN *iis libris,* } de Rep. non de Finibus, quos post ciuile bellum scripsit. QVOS *tu laudando,* } quis eos non laudauit? nam Coelius in epistola ad Ciceronem, Tui politici libri, inquit, omnibus uigent. Idem Cicero ep. 13. l. 6. Reliqua plena laudis, & gratiae, digna iis libris, quos dilaudas. PEDEM *porta non extulerit* } hoc & Caesar l. 3. de bello ciuili scriptum reliquit. DE *raudusculo Numeriano* } quod paruam pecuniam, mihi a Numerio debitam, exegisti. sic loc. ep. 8. l. 4. & 8. l. 6. INTEGRITATIS, *iustitiae* } cum, haec in me esse, dixit in sententia sua. NEGAVIT } supplicationem. A PVERO } M. Cicerone filio. QVI *eadem liber non iuraret:* } Drusus praetor, cum is, quem manumiserat, eadem liber non iuraret, quae seruus iurauerat, negauit se manumisisse. negabo ego quoque: quoniam istos, memores beneficii quos putaui futuros, improbos ingratosq. experior. ADDIXISSE } iussisse, pronunciasse. VINDICARENTVR } in libertatem: quod praeter ipsum alios quoque adesse oporteret, qui uindicarent. aderant enim coram praetore dominus, seruus, uindex, testes, scriba: neq. sine his iusta erat addictio liberorum in hoc genere manumissionis. PARTHI *faciunt,* } sic explano. Parthi, a quibus maxime timebamus, cum repente discesserint, faciunt, ut nihil mihi iam magnopere timendum putem: cum uideam solere ea, quae magnopere timeantur, quandoque ad nihilum recidere. REPENTE } summa nostra felicitate. ep. 1. SEMIVIVVM. } metu exanimatum, qui porta pedem efferre non auderet. RELIQVERVNT } ex ipsius prouincia discedentes. ep. 5. lib. 6.

Cicero S. D. Attico. 3.

AD IIX. idus Dec. in Trebulanum ueni, & ibi tuas litteras legi, quas Philotimus mihi reddidit, e quibus hanc primo adspectu uoluptatem cepi, quod erant a te ipso scriptae, deinde earum accuratissima diligentia sum mirum in modum delectatus. Ac primum illud, in quo te Dicearcho assentiri negas, etsi cupidissime expeditum a me sit, & approbante te, ne diutius anno in prouincia essem, tamen non est nostra contentione perfectum. sic enim scito, uerbum in senatu factum esse numquam de ullo nostrum, qui prouincias obtinuimus, quo in his diutius, quam ex S. C. maneremus: ut iam ne istius quidem rei culpam sustineam, quod minus diu fuerim in prouincia, quam fortasse fuerit utile. sed quid, si hoc melius? oportune dici uidetur, ut in hoc ipso. siue enim ad concordiam res adduci potest, siue ad bonorum uictoriam; utriusuis rei me aut adiutorem uelim esse, aut certe non expertem: sin uincuntur boni; ubicumque essem, una cum iis uictus essem. quare celeritas nostri reditus ἀμεταμέλητος debet esse. quod si ista nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, quam tu quoq. approbas: nae tu haud multum requireres illum uirum, qui in V. libro informatus est. quid enim tibi faciam, qui illos libros deuorasti? qui nunc ipsum non dubitabo rem tantam abiicere, si id erit rectius. utrumque uero simul agi non potest, & de triumpho ambitiose, & de rep. libere. sed ne dubitaris, quin, quod honestius, id mihi futurum sit antiquius. Nam quod putas utilius esse uel mihi, quod tutius sit, uel etiam ut reip. prodesse pos- sim,

sim, me esse cum imperio: id coram considerabimus quale sit. habet enim res deliberationem: etsi ex parte magna tibi assentior. De animo autem meo erga remp bene facis, quod non dubitas; & illud probe iudicas, nequaquam satis pro meis officijs, pro ipsius in alios effusione illum in me liberalem fuisse: eiusq. rei caussam uere explicas; & eis, quae de Fabio, Caninioq. acta scribis, ualde consentiunt. quae si secus essent, totumq. se ille in me profudisset: tamen, illa quam scribis, custos urbis me praeclarae inscriptionis memorem esse cogeret; nec mihi concederet, ut imitarer Volcatium, aut Seruium, quibus tu es contentus; sed aliquid nos uellet nobis dignum & sentire, & defendere. quod quidem agerem, si liceret, alio modo, ac nunc agendum est. de sua potentia dimicant homines hoc tempore, periculo ciuitatis. nam, si resp. defenditur; cur ea, consule isto ipso, defensa non est? cur ego, in cuius caussa reip. salus consisteret, defensus postero anno non sum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum est? cur tantopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem tribuni pl. ferrent? his ille rebus ita conualuit, ut nunc in uno ciue resp. ad resistendum imbecilla sit. quam mallem, tantas ei uires non dedisset, quam nunc tam ualenti resisteret. sed, quoniam res eo deducta est, non quaeram, ut scribis, τὸ σχάφος τῶν Ἀτρειδῶν. mihi σχάφος unum erit, quod a Pompeio gubernabitur. illud ipsum, quod ais; quid fiet, cum erit dictum? dic M. Tulli σύντομα. Pompeio assentiar: ipsum tamen Pompeium separatim ad concordiam hortabor. sic enim sentio; maximo in periculo rem esse. nos scilicet plura, qui in urbe estis. uerumtamen hoc uideo, cum homine audacissimo, paratissimoq. negotiu esse; omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione, ignominiaq. dignos illac facere, omnem fere iuuentutem, omnem illam urbanam, ac perditam plebem, tribunos ualentes, addito C. Cassio, omnes, qui aere alieno premantur; quos plures esse intelligo, quam putaram. caussam solum illa caussa non habet; ceteris rebus abundat. hic omnia facere omnis, ne armis decernatur: quorum exitus semper incerti, nunc uero in alteram partem magis timendi. Bibulus de prouincia decessit; Veientonem praefecit. in decedendo erit, ut audio, tardior. quem cum ornauit Cato, declarauit, ijs se solis non inuidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem posset accedere. Nunc uenio ad priuata: fere enim respondi tuis litteris de rep. & ijs, quas in suburbano, & ijs, quas postea scripsisti. ad priuata uenio. Vnum etiam de Coelio. tantum abest, ut meam ille sententiam moueat, ut ualde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, paenitendum putem. sed quid est, quod cuncti Lucceij sint addicti? hoc te praetermisisse miror. De Philotimo, faciam equidem, ut mones: sed ego mihi ab illo non rationes exspectabam, quas tibi edidit, uerum id reliquum, quod ipse in Tusculano me referre in commentarium mea manu uoluit, quodq. idem in Asia mihi sua manu scriptum dedit. id si praestaret; quantum mihi aeris alieni esset, tibi edidit, tantum, & plus etiam ipse mihi deberet. sed in hoc genere, si modo per remp. licebit, non accusabimur posthac: neque hercule antea negligentes fuimus, sed amicorum multitudine occupati. ergo utemur, ut polliceris, & opera, & consilio tuo: nec tibi erimus, ut spero, in eo molesti. De serperastris cohortis meae, nihil est, quod doleas. ipsi. n. se collegerunt admiratione uitae integritatis meae. sed me mouerat nemo magis, quam is, quem tu neminem putas. idem & initio fuerat, & nunc est egregius: sed in ipsa decessione significauit, sperasse se aliquid; & id, quod animum induxerat paullisper, non tenuit: sed cito ad se redijt; meisq. honorificentissimis erga se officijs uictus, pluris ea duxit, quam omnem pecuniam. Ego a Curio tabulas accepi, quas mecum porto, Hortensij legata cognoui. nunc aueo scire, quid hominis sit, & quarum rerum auctionem instituat. nescio enim, cur, cum portam Flumentanam Coelius occuparit, ego Puteolos non faciam meos. Venio ad Piraeea. in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus Piraeea scripserim, non Piraeeum, (sic enim omnes nostri locuti sunt) quam quod, in, addiderim. non enim hoc ut opido praeposui, sed ut loco. & tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, & Nicias Cous non rebatur, opidum esse Piraeea. sed de re uidero. nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod, non ut de opido, locutus sum, sed ut de loco: secutusq. sum, non dico Caecilium, Mane ut ex portu in Piraeeum: (malus enim auctor latinitatis est) sed Terentium, cuius fabellae, propter elegantiam sermonis, putabantur a C. Laelio scribi l Heri aliquot adolescentuli coimus in Piraeeum. & idem, Mercator hoc addebat, captante Sunio. quod si δήμους opida uolemus esse, tam est opidum Sunium, quam Piraeeũ. sed quoniam grammaticus es; si hoc mihi ζήτημα persolueris, magna me molestia liberaris. Ille mihi litteras blandas mittit. facit idem pro eo Balbus. mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam. sed scis, illi reliquum quantum sit. putas ne igitur uerendum esse, ne aut obijciat id nobis aliquis, si languidius; aut repetat, si fortius? quid ad haec reperis? soluamus, inquis. age, a Coelio mutuabimur. hoc tu tamen consideres uelim. puto enim, in senatu si quando praeclare pro rep. dixero, Tartessium istum tuum mihi exeunti, Iube sodes nummos curare. Quid superest? etiam. gener est suauis mihi, Tulliae, Terentiae quantumuis. uel ingenij, uel humanitatis satis. reliqua, quae nosti, ferenda. scis enim, quos aperuimus. qui omnes, praeter eum, de quo per te egimus, reum me facere rentur. ipsis enim expensum nemo offeret. Sed haec coram: nam multi sermonis sunt. Tironis reficiendi spes est in M'. Curio: cui ego scripsi, tibi eum gratissimum facturum. Vale. D. V. id. Dec. a Pontio, ex Trebulano.

EXPLANATIO

A Te *ipso scriptae*: } ex quo de tua ualetudine coniecturam feci. nam Alexidis manus indicabat te non ualere. DICAEARCHO *assentiri* } non quod Dicaearchus nominatim prouinciarum administrationem, sed quod γυικῶς πρακτικὸν βίον laudaret: ergo & prouinciarum administrationem. Atticus contra, ut qui Ciceroni auctor esset decessionis, cum primum ei per S.C. liceret. alioqui Dicaearchus ualde Attico probatus. ep. 16. lib. 2. NOSTRA *contentione* } quod cupidissime expetiui, ut diutius

anno

anno in prouincia manerem, id perfectum quidem est, sed non nostra contentione, aut studio, uerum quia non est uerbum umquam in senatu factum, quo diutius anno maneremus. parui S. C. quod erat, ne quis prouinciam diutius anno administraret. itaq. culpam istius rei non sustineo, quod minus diu fuerim in prouincia, quam fortasse mihi fuerit utile. utile autem fortasse fuit, quia, cum in ipsam flammam ciuilis belli nunc intelligam me uenire, in dimicatione duorum mihi amicissimorum utram partem eligam, maximo est cum animi dolore cogitandum. ep. 1. Hoc *melius* ? ⁑ quod decesserim. Opportune *dici* ⁑ uulgo: ut in hac re. Haud *multum requireres* ⁑ diceres me illum ipsum, quem in VI. lib. de rep. informaui. agerem enim, & libere dicerem, quae de rep. sentirem. quod ne faciam, impedimento est triumphi cogitatio. fore enim intelligo, ut, libere agens de rep. multos offendam, quos in triumphi petitione aduersarios habere nollem. ep. 4. Nunc *ipsum* ⁑ nunc cum iam de triumpho staterim. & est genus loquendi cum emphasi usurpatum, ut lib. 12. Nunc ipsum ea lego, ea scribo, ut ij, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quam ego laborem. Rem *tantam* ⁑ triumphi cogitationē. Esse *cum imperio* ⁑ extra urbem manere. nam urbem ingredientes imperium deponebant. epist. 1. Illum ⁑ Caesarem. Fabio, *Caninioq.* ⁑ Fabio Gallo, Caninio Rebilo, utroque Caesaris legato; ut in eius Commentarijs. Custos *urbis* ⁑ Mineruae statua, quam, in exsulium proficiscens, in templo Iouis Capitolini posuit, cum hac inscriptione, Custos urbis. ep. 33. Quibus *tu es contentus* ; ⁑ scribis enim, in hac ciuili controuersia te satis putare, si ego tantum id agam, quod Volcatius Tullus, & Ser. Sulpicius, homines consulares, qui se neutram in partem ualde iactabunt. Si *liceret* ⁑ non licet, quia uideo pugnari utrimque non de rep. sed de unius hominis potentia. Consule *isto ipso* ⁑ Caesare. Defensa *non est* ? ⁑ a Pompeio, contra Caesarem consulem, exitiosas reip. leges per uim ferentem. In *cuius caussa reip. salus consistebat* ⁑ quod exsulio Tullij infirmarentur acta senatus. senatus enim Catilinam damnauerat. Defensus ⁑ a Pompeio. Postero *anno* ⁑ Pisone, & Gabinio cos. cum in exsulium indignissime sum pulsus. Illo *modo* ⁑ per uim: quia C. Trebonius tribunus pl. qui legem ferebat de prorogando in alterum quinquennium Caesaris imperio, M. Catonem legi obsistentem in carcerem duxit. Pugnatum ⁑ a Pompeio, tertium consule. ep. 1. l. 7. & 3. l. 8. Uno *ciue* ⁑ Caesare: in quem unum translatae uires reip. Τὸ σκαφὸς τῶν ἀτρειδῶν: ⁑ tutiorem partem, ut in classe Achiuorum tutissima nauis Agamemnonis, & Menelai Atridarum. Vel: utram principum partem sequar. Σύντομα breuia, dic breuiter, quid sentias. Damnatos, ⁑ a iudicibus. Ignominia *affectos* ⁑ a censoribus. Illam *urbanam, ac perditam plebem,* ⁑ plebs enim rustica laudatur, urbana non item. quia rusticae tribus ingenuorum, urbanae libertinorum. Plinius, Pedianus. C. Cassio. ⁑ praenomen suspicor abundare, & intelligendum de Q. Cassio trib. pl. qui ad Caesarem cum Antonio, & Curione confugit. ep. 10. l. 16. Quibus *alieno premantur* ⁑ in quibus Dolabella. Omnis ⁑ uel, Omnis, pro omnes; & subaudiendum, oportet, par est, aut aliquid simile: uel, Omnis, pro, unusquisque; & subaudiendum, debet: quod mihi magis probatur: etsi non satis usitatum. In epistola quidem 6. l. 5. fam. scripti libri habent, Omni semissibus magna copia est. at impressi fortasse mendose, Omnino. quo in loco uidetur, Omni, dictum esse, pro cuilibet: ut apud Plautum quoque obseruauimus in Amphitr. Ordine omne, ut quidque actum est, edissertauit Et in mil. Omnis moratur: nauim cupimus absoluere. Et Cato de re rust. c. 157. Omnis, qui insomniosus est, hac eadem curatione sanum facies. Sententiam fortasse sumpsit a Terentio, apud quem in Eunucho miles ait: Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet. In *alteram partem* ⁑ in Caesaris partem, quia rebus omnibus abundat. Bibulus *de prouincia decessit: Veientonem praefecit: in decedendo erit, ut audio, tardior.* ⁑ uidetur loqui repugnantia, si, Decedere, utrobique idem significet. quod secus est: ualet enim modo, de prouincia discedere, administrandi potestate terminata, quod melius exemplis licet cognoscere; modo ex prouincia ad urbem proficisci, & usurpatur etiam de priuatis hominibus. Prior significatio patet in ijs uerbis: Bibulus de prouincia decessit: Veientonem praefecit: posterior in ijs: In decedendo erit tardior. Quod ne nouum, aut insolens uideatur, addamus locum similem, ex frumentaria Ciceronis: Negotiatores, inquit, inuiti, raroq. Romam decedunt. Veiento Bibuli quaestor fuit, patriciae gentis, ut opinor. Tacitus lib. 14. Ornauit ⁑ supplicationes ei decernens, quas idem mihi ante negauerat. ep. 13. Unum *etiam* ⁑ unum addam de rep. De *sua sententia* ⁑ quod, ob amicitiam Curionis, & odium Appij, a rep. defecerit. fam. ep. 17. l. 8. Cuncti *Lucceijs sint addicti* ? ⁑ Bessarionis liber: Enuci Lucceijs sint additi. uulgata lectio non magna correctione satis aptam sententiam haberet: si pro, Lucceiis, reponatur, Lucceliis, ut Coelium pecunia corruptum a Caesare significet. haec enim cum Caesare multos, belli ciuilis initio, non honesta caussa coniunxit. Id *reliquum* ⁑ illud pecuniae. Non *accusabimur* ⁑ ut negligentes Amicorum *multitudine* ⁑ uel creditorum: ut exhaurire nobis omne aes alienum non licuerit, cum nimium multis deberemus, uel temporibus eorum: quod ait in prooemio libri II. de off. Serperastris ⁑ Serperastra sunt, ut ait Varro, instrumenta, quae geniculis puerorum, dum ambulare discunt, alligantur, ne uari fiant, aut compernes. uocat igitur eos Cicero serperastra, cum quibus ambularet, ut cum serperastri pueri ambulant. quorum hominum caussa ne quid infamiae subiret in prouincia, Atticus se timere significauerat. ep. 1. Vitae ⁑ non esse huic dictioni locum, & indicat sententia, & antiquus item Bessarionis liber satis demonstrat. non enim habet, Vitae, sed, In re; quod est principiū proxime sequentis dictionis, incuria librarij repetitum. Neminem ⁑ minime omnium, ut illud, Columbus adhuc nullus uenerat. pro, Minime uenerat. Bessarionis liber. Nemo. Tabulas ⁑ testamenti, quibus heredem fecit te ex libella, me ex teruncia. ep. 2. Hortensii *legata* ⁑ non oratoris, sed filii.

& Le-

& Legata, quae heres debebat testamento patris. QVID *hominis sit* } quid agat, ut se gerat. NESCE *enim* } Puteolanum fuisse M. Coelium, apparet ex oratione pro ipso. Cum inquit, omnia, quae ad portam Flumentanam sunt, Coelius Puteolanus emerit; nescio, cur ego contra omnia, quae Puteolis sunt, non emam: si modo ab Hortensio filio in auctione uendentur. & per iocum, Homo Puteolanus portam urbis occupauit, cur ego Puteolos non possim? IN, *addiderim* : } in principio epistolae ultimae libri. 6. ET *tamen* } contra sententiam tuam. DE *re uidero* } sit opidum, an locus, nunc non disputabo : ego quidem ut de loco sum locutus. A C. LAELIO *scribi* } id Terentius ipse non infitiatur in prologo Adelphorum. Hoc *mibi* ζήτημα } quod proxime sequitur de Caesare : de quo multo est magis considerandum, quam de Piraeeo. ILLE } Caesar, ut eius caussam ne oppugnem. RELIQVVM *quantum sit*, } quantum illi pecuniae debeamus. ep. 5. l. 5. ep. 8. l. 7. SI *languidius*; } si languidius de rep. sensero, facis hoc, dicet aliquis, quia nummos Caesari debes : sin fortiter, statim soluendum erit. ALIQVIS } Pompeianus. REPETAT } Caesarianus. A COELIO } trapezita; de quo l. 12. TARTESSIVM } L. Cornelium Balbum Gaditanum, Caesaris amicum. ex Gadibus enim alteram Tartesson esse dictam, Plinius tradit l. 5. c. XXII. Hunc Cicero oratione, quae exstat, defenderat. Cōsul postea factus est. Pli. l. 7. c. 43. EXEVNTI } e senatu: NVMMOS. } Caesari debitos. CVRARE } planius, Curari : nec male tamē, Curate. ETIAM } etiam superest, quod scribam. usitata locutio in epistolis. uide ep. 11. l. 1. GENER } Dolabella. RELIQVA } mores non omnino probandi. ep. 6. l. 6. APERVERIMVS. } scis enim, cum de moribus aliorum, qui me socerum cupiebant, diligenter scrutaremur, quales eos inuenerimus. *Aperuerimus* : intime cognouimus, aperientes introspeximus. Bessarionis tamen liber, Aperimus: scripti duo apud amicissimum meum, Aperuerimus. placet. PER *te egimus*, } ut ei Tullia collocaretur. REVM } reuertentibus enim ex prouincia, saepe erant, qui diem dicerent, quod prouinciā auare, aut crudeliter, aut denique contra quam e rep. uideretur, administrassent. RENTVR } irati, quod eos a Tulliae coniugio reiecerim quamquam nonnihil suspicor de mendo. nam, Reri, cogitare non est, sed opinari. NEMO *offeret* } Bessarionis liber, Offerret. duo scripti apud amicissimum meum, Offeret. quos sequor : ut sit : ego enim pecuniam, ut ab accusatione desistant, non offeram. A PONTIO } apud Pontium scripta, in Trebulano. ep. 3. l. 5.

Cicero S. D. Attico. 4.

DIONYSIVM, flagrantem desiderio tui, misi ad te, nec mehercule aequo animo: sed fuit concedendum. quem quidem cognoui cum doctum, quod mihi iam ante erat notum, tum sanctum, plenum officij, studiosum etiam meae laudis, frugi hominem, ac, ne libertinum laudare uidear, plane uirum bonum. Pompeium uidi IV. id. Dec. fuimus una horas duas fortasse. magna laetitia mihi uisus est affici meo aduentu. de triumpho hortari, suscipere partes suas: monere, ne ante in senatum accederem, quam rem confecissem; ne, dicendis sententijs, aliquem tribunum alienarem. quid quaeris? in hoc iudicio, & officio sermonis nihil potuit esse prolixius. de rep. autem ita mecum locutus est, quasi non dubium bellum haberemus. nihil ad spem concordiae : plane illum ab se alienatum, cum ante intelligeret, tum uero proxime iudicasse : uenisse Hirtium a Caesare, qui esset illi familiarissimus; ad se non accessisse; &, cum ille ad VIII. id. Dec. uesperi uenisset, Balbus de tota re constituisset, ad VII. ad Scipionem ante lucem uenisse; multa de nocte profectum esse ad Caesarem. hoc illi τεκμηριῶδες uidebatur esse alienationis. quid multa? nihil me aliud consolatur, nisi quod illum, cui etiam inimici alterum consulatum, fortuna summam potentiam dederit, non arbitror fore tam amentem, ut haec in discrimen adducat. quod si ruere coeperit; nae ego multa timeo; quae non audeo scribere. sed, ut nunc est, ad III. non. Ian. ad urbem cogito. Vale.

EXPLANATIO

IAM *ante* } antequam mihi ex consuetudine domestica plane notus esset. habuerat enim apud Atticum Dionysius: eumq. Atticus Ciceroni dederat, qui Cicerones pueros erudiret. TVM *sanctum*, *plenum officij* } malim sic : Tum sane plenum officij. ut Sane, dicat quasi de re minus nota. nam, etsi uideo, eundem Dionysium alio loco sanctum appellari, ep. 1. l. 6. tamen hic locum huic esse dictioni non opinor; cum sequatur, Plane uirum bonum, quod certe Cicero non adscripsisset, si sanctum eum iam nominasset. FRVGI } quod proprie de libertis usurpatur, ut fam. ep. 15. l. 4. Dionysius autem libertus erat, ut patet supra ep. 15. l. 4. SVSCIPERE *partes suas* : } polliceri se pro sua parte adiuturum. REM } de triumpho. TRIBVNVM } qui deinde triumphum intercessione impediret. PROLIXIVS } abundantius. ILLVM } Caesarem. DE *tota re* } quam cum Hirtio examinauit. AD *Scipionem* } Pompeij socerum : ad ipsum tamen Pompeium non uenisse. VENISSE } scripti libri, Venire, habent, non, Venisse. ILLVM, } Caesarem. Τεκμηριῶδες } signum eiusmodi, ut dubitari non posset. certū enim signum τεκμήριον uocat Arist. rhet. l. 1. ALTERVM *consulatum* } ut alterum consulatum absens peteret posset. ep. 3. HAEC } summam potentiam, summam dignitatem. RVERE } contra remp.

Cicero S. D. Attico 5.

MVLTAS *uno tempore accepi epistolas tuas: quae mihi, quamquam recentiora audiebam ex iis, qui ad me ueniebant, tamen erant iucundae. studium enim, & beneuolentiam declarabant. In ualetudine tua moueor: & Piliam in idem genus morbi delapsam, curam tibi afferre maiorem sentio. date igitur operam, ut ualeatis. De Tirone, uideo tibi curae esse: quem quidem ego, etsi mirabiles utilitates mihi praebet; cum ualet, in omni genere uel negotiorum, uel studiorum meorum, tamen propter humanitatem, & modestiam malo saluum, quam propter usum meum. Philogenes mecum nihil umquam de Luscenio locutus est: de ceteris rebus habes Dionysium. Sororem tuam non uenisse in Arcanum miror. De Chrysippo, meum consilium probari tibi, non moleste fero. Ego in Tusculanum nihil sane hoc tempore. deuium est τοῖς ἀπαντῶσιν, & habet alia δύσχρηστα. sed de Formiano Tarracinam pridie Kalen. Ian. inde Pontinium sumam: inde Albanum Pompeii: ita ad urbem III. non. natali meo. De rep. quotidie magis timeo. non enim boni, ut putaui, consentiunt. quos ego equites R. quos senatores uidi, qui acerrime cum cetera, tum hoc iter Pompeii uituperarent? pace opus est. ex uictoria cum multa mala, tum certe tyrannis exsistet. sed haec propediem coram. Iam plane mihi deest, quid ad te scribam. nec enim de rep. quod uterque nostrum scit eadem: & domestica nota sunt ambobus. reliquum est iocari, si hic sinat. nam ego is sum, qui, illi concedi, putem, utilius esse quod postulat, quam signa conferri. sero enim resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. quid sentis igitur? inquies. nihil scilicet, nisi de sententia tua, nec prius quidem, quam nostrum negotium aut confecerimus, aut deposuerimus. Cura igitur, ut ualeas. aliquando ἀπόσεισαι quartanam istam diligentia, quae in te summa est.*

EXPLANATIO

INVALETVDINE } ex quartana. 2. MIRABILES *utilitates,* } pro, mirabilem usum, mirabiles operas. est enim hic Vtilitas ab Vtor, non ab eo, quod utile est, & quod expedit. Ad Tironem ep. 1. l. 16. Vtilitatibus tuis carere possum. Et Lucretius lib. 6. Nil adeo posset cuiquam leue, tenueq. membris Vertere in utilitatem: pro, in usum. NIHIL *umquam* } quod agerem tua caussa. LVSCENIO } malo, Tuscenio, ex antiquis lapidibus. DIONYSIVM } qui tibi, quid actum a me sit in rebus tuis, optime narrabit. ep. 1. l. 6. IN *Arcanum* } Quincti fratris fundum: cum obuiam uiro uenire debuerit. MEVM *consilium* } qui negare uelim illum a me liberatum ep. 2. PONTINVM } praedium ad Pontinas paludes. & ita ratio dierum constat: pridie Kal. Tarracinam, kalendis in Pontinum, IV. nonas in Albanũ, III. Romam. uerbum, Sumam, crediderim abundare, & additum ab aliquo, qui de Pontinio Ciceronis legato acceperit. ITER *Pompeii* } cum potius ad urbem manere debeat; quod resp. hoc rerum tumore uideatur eius tum consilio, tum etiam praesidio indigere. erat enim Pompeius cum imperio Hispaniarum proconsul, quas absens per legatos administrabat. SI *hic sinat:* } si per Caesarem liceat. NOSTRVM *negotium* } triumphum significari, manifestum. ep. 4.

Cicero S. D. Attico. 6.

PLANE *deest, quid ad te scribam. nota omnia tibi sunt: nec ipse habeo, a te quid exspectem. tantum igitur nostrum illud sollemne seruemus, ut ne quem istuc euntem sine litteris dimittamus. De rep. ualde timeo: nec adhuc fere inueni, qui non concedendum putaret Caesari, quod postularet, potius, quam depugnandum. est illa quidem impudens postulatio, opinione ualentior: cur autem nunc primum ei resistamus? οὐ γὰρ ἄντιδι μεῖζον ἔχει κακὸν, quam cum quinquennium prorogabamus, aut cum, ut absentis ratio haberetur, ferebamus. nisi forte haec illi tum arma dedimus, ut nũc cum bene parato pugnaremus. dices, quid tu igitur sensurus es? non idem, quod dicturus. sentiam n. omnia facienda, ne armis decertetur: dicam idem, quod Pompeius; neque id faciam humili animo. sed rursus hoc permagnum reip. malum est, & quodam modo mihi praeter ceteros non rectum, me in tantis rebus a Põpeio dissidere. Vale.*

EXPLANATIO

OV' γάρ. *&c.* } Homeri uersus ἰδ.μ. ep. 8. etsi paullulum immutat Cicero, ut interdum solet, ad sententiam magis explicandam. SED *rursus,* } quia dixerat se dicturum quae non sentiat; in quo non uidetur officio fungi boni ciuis: quasi peccatum suum excusauit. dicere quae non sentias, malum est: sed rursus & hoc malum, me in tantis rebus Pompeio dissidere. MIHI *praeter ceteros non rectum,* } qui Pompeium semper, quãtum in me fuit, ornaui, nec ab eo in rep. dissentire sum solitus. ep. 8. l. 1. fam. Tantum animi inductio, & mehercule amor erga Pompeium apud me ualet, ut, quae illi utilia sunt, & quae ille uult, ea mihi omnia iam & recta, & uera uideantur.

Cicero S. D. Attico. 7.

DIONYSIVS, *uir optimus, ut mihi quoque est perspectus, & doctissimus, tuiq. amantissimus, Romam uenit* XV. *Kal. Ian. & litteras a te mihi reddidit. tot enim uerba sunt de Dionysio in epistola tua. illud putato. non adscribis, Et tibi gratias egit; atqui certe ille agere debuit: & si esset factum, quae tua est humanitas, adscripsisses. mihi autem nulla de eo* παλινῳδία *datur propter superioris epistolae testimonium. sit igitur sane bonus uir. hoc enim ipsum bene fecit, quod mihi sui cognoscendi penitus etiam istam facultatem dedit. Philogenes recte ad te scripsit: curauit enim, quod debuit. cum ego uti ea pecunia uolui, quoad liceret. itaque usus est menses* XIII. *Pontinium cupio ualere: & quod scribis in urbem introisse, uereor quid sit, nam id nisi graui de caussa non fecisset. Ego, quoniam* IV. *non. Ian. compitalicias dies, nolo eo die in Albanum uenire molestus familiae: ueniam* III. *non. igitur: inde ad urbem prid. non. Tua* λῆψις *quem in diem incurrat, nescio: sed prorsus te commoueri incommodo ualetudinis tuae nolo. De honore nostro, nisi quid occulte Caesar per suos tribunos molitus erit, cetera uideñ esse tranqlla. tranquillissimus autũ animus meus, qui totũ istuc aequi boni facit, & eo magis, quod iã a multis audio cõstitutum esse Pompeio, & eius consilio, in Siciliam me mittere, quod imperium habeam. id est* ἀβδηριτικόν. *nec enim senatus decreuit, nec populus iussit, me imperium in Sicilia habere. sin hoc resp. ad Pompeium refert: qui me magis, quam priuatum aliquem, mittat? itaque, si hoc imperium mihi molestum erit, utar ea porta, quam primum uidero. Nam quod scribis, mirificam exspectationem esse mei, neque tamen quemquam bonorum, aut satis bonorum dubitare, quid sensurus sim: ego, quos tu bonos esse dicas, non intelligo: ipse nullos noui, sed ita, si ordines bonorum quaerimus. nam singulares sunt boni uiri. uerum in dissensionibus ordines bonorum, & genera quaerenda sunt. senatum bonum putas, per quem sine imperio prouinciae sunt? nũquam enim Curio sustinuisset, si cum eo agi coeptum esset. quam sententiam senatus sequi noluit. ex quo factum est, ut Caesari non succederetur. an publicanos? qui numquam firmi. sed nunc Caesari sunt amicissimi. an feneratores? an agricolas? quibus optatissimum est otium. nisi eos timere putas, ne sub regno sint, qui id numquam, dum modo otiosi essent, recusarunt. quid ergo? exercitum retinentis, cum legis dies transierit, rationem haberi placet? mihi uero ne absentis quidem. sed, cum id datum est, illud una datum est. Annorum decem imperium, & ita latum, placet? placet igitur etiam me expulsum, & agrum Campanum periisse, & adoptatum patricium a plebeio, Gaditanum a Mitylenaeo. & Labieni diuitiae, & Mamurrae placent, & Balbi horti, & Tusculanum. sed horum omnium fons unus est. imbecillo resistendum fuit: & id erat facile. nunc legiones* XI, *equitatus tantus, quantum uolet; transpadani, plebs urbana, tot tribuni pl. tam perdita iuuentus, tanta auctoritate dux, tanta audacia. cum hoc aut depugnandum est, aut habenda e lege ratio. depugna, inquis, potius, quam seruias; ut quid? si uictus eris, proscribare: si uiceris, tamen seruias. quid ergo, inquis, acturus es? idem quod pecudes, quae dispulsae sui generis sequuntur greges. ut bos armenta, sic ego bonos uiros, aut eos, quicumque dicentur boni, sequar, etiam si ruent. quid sit optimum male contractis rebus, plane uideo. nemini est enim exploratum, cum ad arma uentum est, quid futurum sit: at illud omnibus, si boni uicti sint, nec in caede principum clementiorem hunc fore, quam Cinna fuerit, nec moderatiorem, quam Sulla, in pecunys locupletium.* Ἐμπλητδ᾽ ὁμαλ σοι *iam dudum, & facerem diutius, nisi me lucerna desereret. Ad summam, dic M. Tulli. assentior Cn. Pompeio, id est T. Pomponio. Alexim, humanissimum puerum, nisi forte, dum ego absum, adolescens factus est, (id enim agere uidebatur) saluere iubeas uelim.*

EXPLANATIO

MIHI *quoque* } non modo tibi: qui, studiosum tuae laudis eum esse, in ijs litteris scripsisti, quas ille a te mihi reddidit. LITTERAS *ad te* } eas, quae sunt ep. 4. hoc principio: Dionysiũ, flagrantẽ desiderio tui, misi ad te. PVTATO } licet, putes, utrum illum esse optimũ, & amantiss. mei: quod ego secus existimo. omitto, inquit, hanc partẽ. sit sane ut uis. non adscribis, &c. Videor autem mihi, Putato, pro, Priuatius, quod erat in impressis omnib. libris, recte reposuisse. nã, Priuatius, neque esse uideo in ueteribus libris; &, sententiae quid habeat, uix intelligo. ac ne dictio quidem placet. nostrum autem, Putato, sumptum est ex antiquo Bessarionis libro. & plane, quomodo in Dionysium animatus Cicero esset, ostendit. nam & paullo post eandem sentẽtiam alijs uerbis attingit, cum ait: Sit igitur sane bonus uir. ATQVI *certe* } opinor, Certe, glossema fuisse. PHILOGENES } libertus tuus. ep. 2. l. 6. QVOAD *liceret* } conuenerat inter nos, ut pecuniam sumerem a Philogene tuo: non sumpsi; quia nõ opus fuit: permisi, ut ipse uteretur, quoad meae rationes ferrent. uide ep. 23. & 15. lib. V. GRAVI *de caussa* } meum. n. aduentum exspectasset; ut, si de triumpho impetrarem, mecum simul urbem ingrederetur. ep. 5. COMPITALICIVS *dies* } in oratione in Pisonem suspicor esse mendum, & legendum, Cum in Kal. Ianuarias compitaliciorum dies incidisset, non, ut est in uulgaris libris, Incidissent. unum enim fuisse diem Compitalicium, patet ex Macrobio, & Varrone. ALBANVM } Pompeij. FAMILIAE } cuius hilaritatem die festo meus aduentus interpellaret. TVA λῆψις } quartanae correptio. TE *commoueri* } in Albanum uelim te ad me uenire: sed rursus nolo te commoueas incommodo ualetudinis tuae. epist. 8. MOLITVS *erit*, } ut intercedat tribunus aliquis, ne possim triumphare. ἀβδηριτικόν: } stultum: eiusmo-

iusmodi, ut Abderitarum stultitiam uideatur imitari. ep. 16. l. 4. VTAR *ea porta*, } si Pompeius ideo perget in Siciliam me mittere, quia imperium habeam: ego, ne mittar, statim, quae prima porta erit, ea in urbem ingrediar, abiecto imperio simul, & triumphandi consilio. PER *quem sine imperio* } cum. n. factum esset S. C. ut successores in prouincias mitterentur; C. Curio tribunus pl. Caesaris caussam defendens intercessit: & cum de intercessione referretur, primaq. M. Marcelli sententia pronunciata esset, qui agendum cum tribunis pl. censebat: frequens senatus dissensit. ergo senatus culpa successores non missi: itaque sine imperio prouincia, id est sine magistratibus. ep. 5. & 13. l. 8. fam. SI *cum eo agi* } quo modo agebatur cum tribunis pl.? fiebant in eos S. C. acerrima, nisi intercessionem remitterent; ut de domo Ciceronis, cum sententiae grauissimae dicerentur in Serranum, qui S. C. intercesserat, pertimuit, & intercessionem omisit. epist. 11. libri IV. SENTENTIAM } Marcelli, ut ageretur de Curionis intercessione. QVID *ergo?* } cum igitur omnia uideas infirma pro rep. & imparata ad bellum, censes dandum Caesari, quod postulat? LEGIS *dies* } uide epistolam sequentem, in extremo. CVM *id datum est*, } datum enim Caesari est a decem tribunis pl. lege lata, non solum ut absens, sed etiam ut exercitum retinens petere consulatum posset: uel quod ita in lege scriptum esset: uel quod, cum daretur, ut absens peteret, sequebatur, ut & illud daretur. ideo enim absens petere uult, ne exercitum dimittat, datur autem, ut absens petat: datur ergo simul, ut exercitum retineat. ANNORVM *decem* } per tot enim annos Caesar Galliam obtinuit, contra legem Semproniam. Hoc si placet, placent & illa quamuis iniusta, me patria pulsum a Clodio, quem Caesar consul ad plebem transduxerat, agrum Campanum diuisum, Clodium adoptatum a M. Fonteio, L. Cornelium Balbum Gaditanum a Theophane Mitylenaeo. haec enim in actis Caesaris numerantur. In oratione tamen pro Cornelio Balbo adoptionem Theophanis, quam hic improbat, exagitatam ab accusatore, tempori seruiens defendit. ITA *latum, placet?* } hoc significat: si dicam, non recte latum de decem annorum imperio; dicam in Pompeium, quo pugnante latum est, qui me illa reprehendere non uult. quae si probo, probem simul & ea necesse est, me pulsum, agrum Campanum diuisum, &c. LABIENI } Caesaris legati. DIVITIAE } a Caesare datae. MAMVRRAE } quippe qui primus Romae parietes crusta marmoris operuerit totius domus suae in Coelio monte, columnis omnibus e marmore solidis, Charystio, aut Lunensi, cum esset praefectus fabrum Caesaris in Gallia. Plinius, Suet. in Iulio, Catullus. BALBI *horti* } quos Pompeius dono dederat. ep. 16. l. 9. TRANSPADANI, } promissae ciuitatis beneficio deuincti, quam denique dictator dedit. Suet. in Iulio, Dio, & ep. fam. l. 16. ep. XI. de Caesare, Gallias, inquit, habet ambas inimicissimas, praeter Transpadanos. PLEBS *urbana* } infima uidelicet, & perdita. nam rustica bonorum uirorum ex omni ordine. ep. 3. l. 7. E LEGE } a decem tribunis pl. lata. RATIO } absentis, in petitione consulatus. QVID *sit optimum* } optimum cũ ualentiore non pugnare. QVID *futurum* } ad utram partem uictoria inclinatura. DIC *M. Tulli.* } sic rogabant sententias. Liu. l. 1. Dic, inquit, ei, quem primum sententiam rogabat, Quid censes? ID *enim agere uidebatur* } qui iam pubesceret: aut, qui se colere, & ornare diligentius inciperet, ut speciem adolescentis assequeretur; quod fere illa aetas solet.

Cicero S. D. Attico 8.

QVID opus est de Dionysio tam ualde affirmare? an mihi nutus tuus non faceret filium? suspicionẽ autẽ eo mihi maiorem tua taciturnitas attulerat, quod & tu soles conglutinare amicitias testimonijs tuis; & illum aliter cum alijs de nobis locutum audiebam. sed prorsus ita esse, ut scribis, mihi persuades: itaque ego is in illum sum, quem tu me esse uis. Diem tuum ego quoque ex epistola quadam tua, quam incipiente febricula scripseras, mihi notaueram, & animaduerteram; posse, pro re nata, te non incommode ad me in Albanum uenire III. non. Ian. sed, amabo te nihil incommodo ualetudinis feceris. quid enim est tantum in uno, aut altero die? Dolabellam uideo Liuiae testamento cum duobus coheredibus esse in triente, sed iuberi mutare nomen. est πολιτικὸν σκέμμα, *rectum ne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento. sed id* φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, *cum sciemus, quãtum quasi sit in trientis triente. Quod putasti fore, ut ante, quam istuc uenirem, Pompeium uiderem: factum est ita. nam VI. Kalen. ad Lauernium me consecutus est. una Formias uenimus, & ab hora octaua ad uesperum secreto collocuti sumus. Quod quaeris, ecquae spes pacificationis sit: quantum ex Pompeij multo, & accurato sermone perspexi, ne uoluntas quidem est. sic. n. existimat, si ille, uel dimisso exercitu, consul factus sit,* σύγχυσιν τῆς πολιτείας *fore. atque etiã putat eũ, cum audierit, contra se diligenter parari, consulatũ hoc anno neglecturũ, ac potius exercitum prouinciamq. retenturũ. sin autẽ ille fureret; uehementer hominẽ contemnebat, & suis, & reip. copijs confidebat. quid quaeris? etsi mihi crebro* ξυνὸς ἐνυάλιος *occurrebat; tamen leuabar cura, uirũ fortem, & peritum, & plurimum auctoritate ualentem audiens,* πολιτικῶς *de pacis simulatae periculis disserentẽ. habebamus autem in manibus Antonij cõcionem, habitam X. Kal. Ian. in qua erat accusatio Põpeij usque a toga pura, querella de damnatis, terror armorum. in quibus ille, Quid censes, aiebat, facturum esse ipsum, si in possessionem reip. uenerit, cum haec quaestor eius infirmus, & inops audeat dicere? quid multa? non modo non expetere pacem istam, sed etiam timere uisus est. ex illa autem sententia ira relinquendae urbis mouet hominem, ut puto. mihi autem illud molestissimum est, quod soluendi sunt nummi Caesari, & instrumentum triumphi eo conferendum: est enim* ἄμορφον, ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην *esse. Sed haec, & multa alia coram. Valetudinem tuam cura diligenter.*

EXPLANATIO

DIEM *tuum* } diem quartanae, τὴν λοιπήν. PRO *re nata* } quo modo se res habet: non ita quidē commode, ut si ualeres, nec tamen prorsus incommode: ut res fert: quatenus tua permittit ualetudo. ep. 4. l. 7. & l. 14. ep. 6. E re nata, dixit Terentius in Adelphis. RECTVM *ne sit* } praesertim mulieris testamento: quasi magis licere uideatur mutare nomen, cum a uiris adoptemur. Dolabellae uero eo minus licet, cui non omnia bona, sed nonam partem dumtaxat Liuia legauerit. erat enim in triente cum duobus coheredibus, ut ad eum quasi triens trientis, id est trientis tertia pars, pertineret. Accedit illud, quod ex patricio plebeius fiebat. QVANTVM } quantum bonorum in Dolabellae tertia parte trientis. QVASI } non omni quidem, (nam id, bonis Liuiae non uenditis, aut non aestimatis, certo sciri uix poterit) sed quasi, hoc est, quatenus sciri licebit. MVTARE *nomen* } ut ex Cornelio Liuius fieret, & plebeius e patricio. LAVERNIVM } hoc Lauerniū non memini. alij, Literninū: ut de fundo accipiatur. Bessarionis liber, Laruenium. PARARI } ut eius ratio absentis ne habeatur. OCCVRREBAT: } quem timens, à dimicatione abhorreo. SIMVLATAE } quam Caesar se uelle simularet, cum re uera belli cupidus esset. PERICVLIS } quid. n. non audebit Caesar consul, cum quaestor eius Antonius tantum ausus sit? quod paullo post subijciet. abhorrebā, inquit, prorsus a bello, quia cōmunem Martem timebam: sed rursus nec plane mihi pax placere poterat, cum eam, tamquam simulatā, ac reip. periculosam, homo fortis, ac peritus Pompeius improbaret. quam audiens, leuabar ea cura, quam, ex bellorum incerto euentu, sustinebam. ANTONII } tribuni pl. qui paucis post diebus cum Cassio collega ad Caesarem profugit. fam. l. 16. ep. x. A TOGA *pura* } a prima adolescentia, post XVI. annū finitum. ep. 20. l. 5. DAMNATIS } de ambitu, lege, quā Pompeius tertium consul tulerat. qua lege damnatos Caesar, uicto Pompeio, mox omnes restituit. ARMORVM } non minabatur Antonius, sed accusabat: itaq. non refero hoc ad Antoniū, sed ad ipsum Pōpeium, qui terrorem armorum, ductis in urbē legionibus, in tertio suo cōsulatu, inieceraт. quod Caesar etiam illi obijcit l. 3. de bel. ci. exprobrata simul damnatione eorū, qui lege ab ipso Pompeio lata, in exsulium ierant: quod utrumque in sua concione attigit Antonius. uerba Caesaris haec sunt: Nōnullos, ambitus lege Pompeia damnatos, illis temporibus, quibus in urbe praesidia legionum habuerat, in integrum restituit. ILLE } Pompeius. IPSVM } Caesarem. QVAESTOR } Antonius: quaestor autem in Gallijs. ep. 6. l. 6. & Hirtius l. 9. TIMERE } ut simulatam, & periculosam. IRA *relinquendae urbis* } hunc locum ut mendosum esse suspicarer, primum ipsa me adduxit sententia, obscuris inuoluta uerbis; deinde uarietas antiquorum librorum. Caualcantis. n. exemplar pro Ira habet υιυ. Bessarionis autem, Infra; alij duo, Ita. minime tamen displicet; Ira: hoc sensu: Ex illa sententia de pace fugienda, in qua ipse est, quia pacem simulatam putat; sequitur, ut urbem sibi uideat esse relinquendam. ad bellum. n. neque paratus est, neque parare potest; cum nihil adhuc senatus decreuerit, aut populus iusserit. *Ira*: necessitas ei molestissima. MOVET } perturbat. VT *puto* } quia Pompeius hoc quidem occultabat, ne, si diceret urbem esse relinquendam, omnium animi ad pacem uel iniqua condicione inclinarent; cum bellum ipse mallet.

Cicero S. D. Attico 9.

QVOTIDIE ne, inquit, a te accipiēdae litterae sunt? si habebo, cui dem, quotidie. at iam ipse ades. tū igitur, cum uenero, desinam. Vnas uideo mihi a te non esse redditas; quas L. Quinctius, familiaris meus, cum ferret, ad Bustum Basilij uulneratus, & despoliatus est. uidebis igitur, nū quid fuerit in ijs, quod me scire opus sit. & simul tu hoc διευκρινήσεις: πρόβλημα sane πολιτικόν: cum sit necesse, aut haberi Caesaris rationem, illo exercitum uel per senatū, uel per tribunos pl. obtinēte, aut persuaderi Caesari, ut tradat prouinciam, atque exercitum, & ita consul fiat; aut, si id non persuadeatur, haberi comitia sine illius ratione, illo patiente, atque obtinente prouinciam; aut, si per tribunos pl. non patiatur, tamen quiescat, rem adduci ad interregnum; aut, si ob eam caussam, quod ratio eius non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere; illum autem initium facere armorum aut statim nobis minus paratis, aut tum, cum comitijs, amicis eius postulantibus ut e lege ratio habeatur, impetratum non sit: ire autē ad arma aut hanc unam ob caussam, quod ratio non habeatur; aut addita caussa, si forte tribunus pl. senatum impediens, aut populum incitans notatus, aut senatus consulto circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit, dicens ue se expulsum, ad illum confugerit: suscepto autem bello, aut tenenda sit urbs, aut, ea relicta, ille a commeatu, & reliquis copijs intercludendus: quod horum malorum, quorum aliquod certe subeundum est, minimum putes. dices profecto, persuaderi illi, ut tradat exercitum, & ita consul fiat. est omnino id eiusmodi, ut, si ille eo descendat, contra dici nihil possit: idq. eum, si non obtinet, ut ratio habeatur retinentis exercitum, non facere miror. nobis autem, ut quidam putant, nihil est timendum magis, quam ille consul. at sic malo, inquies, quam cum exercitu. certe. sed istuc ipsum, SIC, o magnum malum, putat aliquis, neque ei remedium est ullum. cedendum est, si id uolet, uide consulem illum iterum, quem uidisti consulatu priore. at tum imbecillus plus, inquis, ualuit, quam tota resp. quid nunc putas? & eo consule, Pompeio certum est esse in Hispania. o rem miseram: siquidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest, & quod ille si faciat, iā iā a nobis omnibus summam ineat gratiam. Tollamus igitur hoc, quo illum posse adduci negant. de reliquis quid est deterrimum?

con-

concedere illi, quod, ut idem dicit, impudentissime postulat. nam quid impudentius? tenuisti prouinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per uim, & per factionem datos. praeteriit tempus legitimum, non legis, sed libidinis tuae: fac tamen, legis: ut succedatur, decernitur: impedis; & ais, habe mei rationem. habe tu nostrum. exercitum tu habeas diutius, quam populus iussit, inuito senatu? Depugnes oportet, nisi concedis. Cum bona quidem spe, ut ait idem, uel uincendi, uel in libertate moriendi. Iam, si pugnandum est; quo tempore, in casu; quo consilio, in temporibus situm est. itaque te in ea quaestione non exerceo: ad ea, quae dixi, affer, si quid habes. equidem dies, noctesq. torqueor. Vale.

EXPLANATIO

BVSTVM *Basilij* } Pediani uerba haec sunt in Miloniana: Via Appia est prope urbem monumentũ Basilij: qui locus latrocinijs fuit per quam infamis. CVM *sit necesse* } hoc, & quae proxime sequuntur, illud spectant, Quod horum malorum minimum putes. COMITIA } consularia. TAMEN *quiescat*, } prohibere comitia Caesar potest, uel iure, uel armis: iure, si paret intercessorem tribunum, qui comitia impediat, tamen ipse quiescat, nec arma moueat; armis, si non adhibeat intercessorem, sed exercitum adducat. REM *adduci ad interregnum*; } cum enim comitia usque eo protrahuntur, ut insequẽs annus sine consulibus sit, Interregnum dicitur. Res igitur adducetur ad interregnum, si Caesar per tribunos pl. non patietur haberi comitia sine sua ratione. SENATVM *impediens*, } S.C. intercedens. CIRCVMSCRIPTVS } facto aduersus eum S.C. Eodem sensu de Clodio dixit in oratione pro Milone: Senatus, credo, cum praetorem circumscripsisset. & de Octauiano Philipp. lib. 12. Parata de circumscribendo adolescente sententia consularis. est enim in circumscriptione ignominia, & priuatio iuris. INTERCLVDENDVS } hoc enim, nisi urbe relicta, fieri uix potest. CONTRA *dici nihil possit*. } non enim petet absens; quod contra leges est; sed praesens, tradito exercitu; quod usitatum. SIC *malo* } ut consulatum petat tradito exercitu. ISTVC *ipsum, sic* } Caesarem, tradito exercitu, ad consulatus petitionem uenire. O MAGNVM *malum* } O, crediderim abundare propter proximum uerbum, Putat. SI *id uolet* } si, tradito exercitu, uenire uolet ad petitionem consulatus. VIDE *consulem* } ecce iterum habebimus consulem, qualem habuimus consulatu priore, perditum scilicet, & reip. exitiosum. ET *eo consule*, } eo magis est timendus consul, quia, eo consule, Pompeio deliberatum est ab urbe discedere, & ad Hispaniae administrationem se conferre. in quo praesente magnum esset reip. praesidium contra factiosi consulis conatus. RECVSARI *non potest*. } si enim tradito exercitu uolet ad comitia uenire, recusare non possumus. INEAT *gratiam* } quia, cum ex lege a decem tribunis pl. lata possit absens, & exercitum retinens, consulatum petere; tamen de suo iure decedens, ne mali exempli rem instituat, tradito exercitu ad comitia ueniat. TOLLAMVS } omittamus. VT *idem dicit* } Pompeius. &, *Idem*, qui affirmat Caesare consule se futurum in Hispania. PRAETERIIT *tempus* } scripta enim est haec epistola Marcello & Lentulo cos. qui erat annus decimus prouinciae Caesaris. IMPEDIS. } per tribunos pl. MEI *rationem* } absentis, & exercitum retinentis: quod a populo datum est. ep. 7. NOSTRVM } nostrae uoluntatis. qui, ut succedatur, decernimus. DEPVGNES } ex persona Caesaris. CONCEDIS } quod postulo, ut absentis ratio habeatur. CVM *bona quidem spe*: } ex persona Ciceronis. VT *ait idem* } non, Caesar; (etsi factã proxime de eo mentio est) ad quem id referri, quo tuendae studium libertatis ostenditur, absurdum est; sed, Pompeius, qui tamquam optimatum princeps, & reip. ciuis amantissimus inducitur in hac epist. de quo & paullo ante, Vt idem dicit. IN *ea quaestione* } quo tempore, aut quo consilio pugnandum. pugnandi enim tempus ostendit casus, consilium autem non a nostra prudentia, sed a temporibus petitur. hoc igitur omisso, affer, si quid habes, ad superiora.

Cicero S. D. Attico. 10.

SVBITO consilium cepi, ut ante, quam luceret, exirem; ne qui conspectus fieret, aut sermo, lictoribus praesertim laureatis. de reliquo, neque hercule, quid agam, nec, quid acturus sim, scio: ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi consilij. tibi uero quid suadeam, cuius ipse consilium exspecto? Cnaeus noster quid consilij ceperit, capiat ue, nescio, adhuc in opidis coarctatus: & stupent omnes. si in Italia consistat, erimus una; sin cedet, consilij res est. adhuc certe, nisi ego insanio, stulte omnia, & incaute. Tu, quaeso, crebro ad me scribe, uel quod in buccam uenerit. Vale.

EXPLANATIO

LAVREATIS. } Imperatores & in litteris, & in lictorum fascibus utebantur laurea, deuictos hostes indicante. Caesar de bello ciuili l. 3. & in oratione in Pisonem. AMENTISSIMI *consilij*. } temere, & stulte urbe relicta. STVPENT } ex temeritate, & stultitia Pompeij, sed, quoniam proprie Stupere dicitur is, qui torpore quodam captus languet immobilis, aut inopia consilij, aut aliqua re tarditatem injiciente; uidetur non absurde posse corrigi, Coartatus, & stupens. Omnes, si in Italia consistet, erimus una.

una. Vt, Omnes, accipiatur de ijs, qui caussam Caesaris improbant. ueni autem in hanc sententiam eo libentius, quod & in Bessarionis libro scriptum animaduerti, Stupens, non, Stupent: & particula, Et, pro, Sed, reposita, minima mutatio est: siquidem in antiquioribus libris, & lapidibus, per t scribitur, Set. CONSILII *res est* ‖ deliberabitur. OMNIA ‖ Pompeij consilia de ratione belli gerendi.

Cicero S. D. Attico. II.

QVAESO, *quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebrae sunt. Cingulum, inquit, nos tenemus. Anconem amisimus. Labienus discessit ab Caesare. utrum de imperatore populi R. an de Hannibale loquuntur? o hominem amentem, & miserum, qui ne umbram quidem umquam* τοῦ καλοῦ *uiderit. atque haec ait omnia facere se dignitatis caussa. ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? num honestum igitur, habere exercitum nullo publico consilio? occupare urbes ciuium, quo facilior sit aditus ad patriã?* χρεῶν ἀποκοπάς, φυγάδων καθόδους, *sexcenta alia scelera moliri,* τὴν θεῶν μεγίστην ὡς ἔχειν τυραννίδα? *sibi habeat suam fortunam. unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quam omnia istiusmodi regna; uel potius mori millies, quam semel istiusmodi quidquam cogitare. quid si tu uelis? inquis. age quis est, cui uelle non liceat? sed ego ipsum, uelle, miserius esse duco, quam in crucem tolli. una res est ea miserior, adipisci, quod ita uolueris. Sed haec hactenus: libenter enim in his molestijs* ἐγχολάζωσοι. *redeamus ad nostrum. Per fortunas, quale tibi consilium Pompeij uidetur? hoc quaero, quod urbem reliquerit. ego enim* ἀπορῶ: *tum nihil absurdius. Vrbem tu relinquas? ergo idem, si Galli uenirent. non est, inquit, in parietibus resp. at in aris, & focis. fecit idem Themistocles. fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat. at idem Pericles non fecit, annum fere post quinquagesimum, cum praeter moenia nihil teneret. nostri olim, urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt.*

οὕτω που τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν.

rursus autem ex dolore municipali, sermonibusq. eorum, quos conuenio, uidetur hoc consilium exitum habiturum. mira hominum querella est, (nescio istic: sed facies, ut sciam) sine magistratibus urbem esse, sine senatu. fugiens denique Pompeius mirabiliter homines mouet. quid quaeris? alia caussa facta: nihil iam concedendum putant Caesari. haec, tu mihi explica, qualia sint. Ego negotio praesum non turbulento. uult enim me Pompeius esse, quem tota haec Campana, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, *ad quem delectus, & summa negotij referatur. itaque uagus esse cogitabam. Te puto iam uidere, quae sit* ὁρμὴ *Caesaris, qui populus, qui totius negotij status. ea uelim scribas ad me, & quidem, quoniam mutabilia sunt, quam saepissime. acquiesco enim & scribens ad te, & legens tua. Vale.*

EXPLANATIO

QVAESO, *quid hoc est?* ‖ quaeso mihi explica, quo consilio haec administrentur a Pompeio: ego enim non uideo. LABIENVS ‖ Caesaris legatus, summae auctoritatis in exercitu. fam. ep. XI. l. 16. LOQVVNTVR ‖ cum loquuntur de Caesare. LVCRETINO ‖ Lucratiuo, & Caualcantis liber, & Bessarionis. obscurum, quid significet: nec abest mendi suspicio. Lucretilis Horatio mons est in Sabinis. QVID *si tu uelis?* ‖ quasi dicat: si tyrannidem uelis, quod uolueris tamen uon assequere ideoq. fortasse o Cicero non uis; quia, si uelles, tamen adipisci non posses. Respondet. noli putare me tyrannidem ideo nolle, quia, etiam si uelim, adipisci tamen non possim: sed puta ideo nolle, quia, uelle, per se ipsum duco miserrimum. QVIS *est* ‖ possum quidem uelle, (quis enim non potest? libera cuiusque uoluntas est) sed uolo, quia summam miseriam in ipsa uoluntate constituo, maiorem tamen in re. AD *nostrum.* ‖ Pompeium. PER *fortunas* ‖ in re misera modus obtestandi. Ἀπορίαν ‖ mihi explicatum non est, utrum laudem, an secus: dubius animi neutram in partem pendeo. TVNC *nihil absurdius* ‖ ego modo ἀπορῶ, modo nihil statuo fieri posse absurdius. tu, quid sentias, ostende. IDEM ‖ faceres. quod maiores nostri non fecerunt; qui, urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt. IN *aris, & focis* ‖ in libertate: cuius ego conseruandae caussae, urbem, hoc est parietes, reliqui. Hinc, Pugnare pro aris, & focis, id est pro libertate. THEMISTOCLES ‖ qui, copijs Persarum in Graeciam influentibus, consilium cepit de urbe relinquenda. PERICLES ‖ Lacedaemoniorum bello. Ἐπευθόμεθα ‖ lugebamus gloriam, quasi amissam, & in Pompeio desideratam. Hom. ἰλ. ι. Hoc *consilium* ‖ quod urbem reliquerit. EXITVM *habiturum* ‖ non inutile futurum: siquidem fugiens Pompeius mirabiliter homines mouet, ut Caesari, cui aliquid antea concedebant, nunc nihil concedendum putent, ne hoc quidem, ut praesens consulatum possit petere. Consilium dicitur exitum habere, cum succedit, quod uoluimus. DELECTVS, ‖ militum. VAGVS *esse* ‖ ut specularer omnia. VIDERE ‖ quia Romae es.

Cicero S. D. Attico. 12.

VNAM *adbuc a te epistolam acceperam, datam* XII. *kal. Ian. in qua significabatur, aliam te ante dedisse, quam non acceperam. sed quaeso, ut scribas quam saepissime, non modo si quid scies, aut audieris,*

sed

sed etiam si quid suspicabere; maximeq. quid nobis faciundum, aut non faciundum putas. Nam quod rogas, curem, ut sciat, quid Pompeius agat: ne ipsum quidem scire puto; nostrum quidem nemo. uidi Lentulum cos. Formiis x. kal. uidi Libonem. plena timoris, & terroris omnia. ille iter Larinum. ibi enim cohortes, & Luceriae, & Theani, reliquae in Apulia. inde utrum consistere uispiam uelit, an mare transire, nescitur. si manet; uereor, ne exercitum firmum habere non possit. sin discedit; quo, aut qua, aut quid nobis agendum sit, nescio. nam istum quidem, cuius φαλαρισμὸν times, omnia taeterrime facturum puto. nec enim rerum prolatio, nec senatus, magistratuumq. discessus, nec aerarium clausum tardabit. Sed haec, ut scribis, cito sciemus. interim uelim mihi ignoscas, quod ad te scribo tā multa toties. acquiesco enim, & tuas uolo elicere litteras, maximeq. consilium, quid agam, aut quo me pacto geram; dimittam ne me penitus in caussam, (nō deterreor periculo, sed disrumpor dolore: tam ne nullo consilio, aut tam contra meum consilium gesta esse omnia?) an cunctor, & tergiuerser, & iis me dem, qui tenent, qui potiuntur? αἰδέομαι Τρῶας; nec solum ciuis, sed etiā amici officio reuocor. etsi frangor saepe misericordia puerorum. ut igitur ita perturbato, etsi te eadem solicitant, scribe aliquid, & maxime, si Pompeius Italia cedit, quid nobis agendum putes. M'. quidem Lepidus (nam fuimus una) eum finem statuit, L. Torquatus eundem. me cum multa, tum etiam lictores impediunt, nihil uidi unquam, quod minus explicari posset. itaque a te nihil dum certi exquiro, sed quid uideatur. denique ipsam ἀπορίαν tuam cupio cognoscere. Labienum ab illo discessisse, propemodum constat. si ita factum esset, ut ille Romam ueniens magistratum: & senatum Romae offenderet: magno usui caussae nostrae fuisset. dānasse enim sceleris hominem amicum, reip. caussa, uideretur. quod nunc quoque uidetur, sed minus prodest. non enim habet, cui prosit: eumq. arbitror paenitere: nisi forte id ipsum est falsum, discessisse illum: nos quidem pro certo habebamus. & uelim, (quamquam, ut scribis, domesticis te finibus tenes) formam mihi urbis exponas, ecquod Pompeij desiderium, ecquae Caesaris inuidia appareat; etiam quid censeas de Terentia, & Tullia, Romae eas esse, an mecum, an aliquo tuto loco: & haec, & si quid aliud, ad me scribas uelim, uel potius scriptites. Vale.

EXPLANATIO

XII. *kal. Iun.* } ex epistolis post proximam sequentibus perspicuum fit, non esse scriptam hanc mēse Maio, sed mense Ianuario, itaque mendum esse in uerbo Iun. *Libonem* } Sexto, Pompeij filio, socerum hunc fuisse, tradit Appianus. nec bonum ciuem indicat infra, ep. 14. l. 9. ISTVM } Caesarem. φαλαρισμὸν } similes actiones actionibus Phalaridis tyranni. RERVM *prolatio*, } Rerum prolatio, & Res prolatae, uideo scriptum a nemine, quid significet: significat autem, ut ex accurata multorum examinatione collegimus, tempus illud, cum homines feriarentur. Declarat maxime Plautus in Captiuis ex persona parasiti,

,, Vbi res prolatae sunt, cum rus homines eunt,
,, Simul prolatae res sunt nostris dentibus.
,, Quasi cum caletur, cochleae in occulto latent,
,, Suo sibi succo uiuunt, res si non cadit:
,, Item parasiti, rebus prolatis, latent.

Et pro Murena, ubi iurisconsultos agitat: Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quae neque extra Romam usquam, neque Romae, rebus prolatis, quidquam ualet. & ad Quinctum fratrem, Res prolatae, ad interregnum comitia adducta. & epist. v. libri xiv. Meam stultam uerecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere uiderer hunc rerum tumorem. Rerum igitur prolatio, siue, Res prolatae, idem est, ac si dicas, uacatio a muneribus; quae maxime erat ludorum diebus. Ludorum autem nomina, Votiui, Romani, Victoriae, Plebeij. quorum primi Votiui XVII. Kal. Sept. commissi, per quindecim dies celebrabantur: & continuo Romani per decem dies: cum interea res prolatae dicebantur. confectis Votiuis, & Romanis, rursus ad negotia. iudicia fiebant: senatus habebatur: tum publice, tum priuatim quisque satagebat in sua re. hoc usque ad IIX. Kal. Nouembris. nam cum inter ludos Romanos & ludos Victoriae dies intersint XLV. quod aperte ipse declarat lib. IV. in Verrem: recte subducenti perspicuum fiet, ludorum Victoriae commissionem incidere in diem IIX. Kal. Nouembris. quod significatur & ad Quinctum fratrem ep. 8. lib. 3. Iterum igitur res prolatae. Victoriae autem ludi, cumq. his Plebeij coniuncti, dies auferebant octo; ut ad 4 nonas Nouembris & magistratus, & cuiusuis ordines homines intermissam rei siue publicae, siue priuatae administrationem repeterent. itaque ep. 16. l. 4. Pontinius uult ad 4. nonas Nouembris triumphare. Ex quo patet, non fuisse diem festum 4. nonas Nouembris. ad Quinctum fratrem tamen 3. nonas legitur, ep. 4. l. 3. TARDABIT } quocumque tempore ad urbem Caesar uenerit, statim aget quae putabit e re sua; non eum tardabit rerum prolatio; quo tempore nihil neque publice fit, neque priuatim: contemnet antiquum morem; sine senatu, sine magistratibus decernet ipse ex libidine: refringet aerarium; publicasq. pecunias, ad usum reip. seruatas, reip. ad oppugnationem conuertet. IIS *me dem*, } Caesari. Αἰδέομαι Τρῶας } uide epist. 5, l. 2. PVERORVM } Marci filij, & Quincti Ciceronum: quibus intelligo me pessime consulere, nisi sequor eos, qui tenent, qui potiuntur. EVM *finem statuit* } ait, dum Pompeius in Italia sit, nos eum sequi debere; si cedit Italia, finem nobis esse faciendum. LICTORES } in epistola ad Coelium, fam. l. 2. ep. 16. Accedit, inquit, molesta haec pompa lictorum meorum, nomenq. imperij, quo appellor. eo si onere carerem, quamuis

nis paruis Italiae latebris contentus essem. sed incurrit haec nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam in uoculas maleuolorum. MINVS *explicari* } quod in utramque partem multa occurrunt. Ἀπορίαν *tuam* } solebat enim Atticus non plane suam sententiam explicare, sed uti uerbo dubitationem significante, uti ἐπέχειν, ep.9.l,6. ἀπορεῖν, ep.14.l.9. ILLE } Labienus. ROMAE *offenderet* } quod non euenit: quia nos urbem reliquimus: itaque non habet, cui prosit, cum ipsi nostram caussam perdiderimus. & fortasse abundat, Romae: cum dixerit iam, Romam ueniens. DOMESTICIS *finibus* } qui tantum domestica tractes, rebus publicis te non admisceas. VRBIS } rerum urbanarum.

Cicero S. D. Attico. 13.

DE Vennonianis rebus tibi assentior. Labienum ἥρωα iudico. facinus iam diu nullum ciuile praeclarius. qui ut aliud nihil, hoc tamen profecit; dedit illi dolorem. sed etiam ad summam profectum aliquid puto, amo etiam Pisonem: cuius iudicium de genero suspicor uisum iri graue. quamquam, genus belli quod sit, uides ita ciuile est, ut non ex ciuium dissensione, sed ex unius perditi ciuis audacia natum sit. is autem ualet; exercitum tenet multa spe, & promissis; omnia omnium concupiuit. huic tradita urbs est, nuda praesidio, referta copijs. quid est, quod ab eo non metuas, qui illa templa, & tecta non patriam, sed praedam putet? quid autem sit acturus, aut quo modo, nescio, sine senatu, sine magistratu. ne simulare quidem poterit quidquã πολιτικῶς. nos autem ubi exsurgere poterimus? aut quando? quorum dux quam ἀστρατήγητος, tu quoque animaduertis; cui ne Picena quidem nota fuerint. quae autem sine consilio res stet? ut enim alia omittam decẽ annorum peccata, quae condicio non huic fugae praestitit? nec uero nunc quid cogitet, scio: ac non desino per litteras sciscitari. nihil esse timidius constat, nihil perturbatius. itaque nec praesidium, cuius parandi caussa ad urbem retentus est, nec locum, ac sedem praesidij ullam uideo. spes omnis in duabus, inuidiose retentis, paene alienis legionibus. nam delectus adhuc quidem inuitorum est, & a pugnando abhorrentium. condicionum autem amissum tempus est. quid futurum sit, non uideo. commissum quidem a nobis certe est, siue a nostro duce, ut, e portu sine gubernaculis egressi, tempestati nos traderemus. itaque de Ciceronibus nostris dubito quid agam. nam mihi interdum amandandi uidentur in Graeciam. de Tullia autem, & Terentia, cum mihi barbarorum aduentus ad urbem proponitur, omnia timeo: cum autem Dolabellae uenit in mentem, paullum respiro. sed uelim consideres. quid faciendum putes: primum πρὸς τὸ ἀσφαλές: (aliter enim mihi de illis, ac de me ipso, consulendum est) deinde πρὸς τὰς δόξας; ne reprehendamur, quod eas Romae uelimus esse in communi bonorum fuga. quin etiam tibi, & Peducaeo, (scripsit enim ad me) quid faciatis, uidendum est. is enim splendor est uestrum, ut eadem postulentur a uobis, quae ab amplissimis ciuibus. sed de hoc tu uidebis, quippe cum de ipso, ac de me ista considerare uelim. Reliquum est, ut, & quid agatur, quoad poteris, explores, scribasq. ad me, & quid ipse coniectura assequare. quod etiam a te magis exspecto. nam acta omnibus nunciantibus, a te exspecto futura. μάντις δ' ἄριστος. Loquacitati ignosces, quae & me leuat ad te quidem scribentem, & elicit tuas litteras.

AENIGMA Oppiorum ex Velia plane non intellexi: est enim numero Platonis obscurius. iam intellexi tuum aenigma. Oppios enim de Velia Saccones dicis in eo aestu, aut diu. quo aperto, reliqua patebant, & cum Terentiae summa congruebant. L. Caesarem uidi Minturnis ad VIII. Kal. Febr. mane, cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas: ut id ipsum mihi ille uideatur irridendi caussa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit: nisi forte non dedit, & hic sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. Labienus, uir mea sententia magnus, Theanum uenit ad IX. Kal. Febr. ibi Pompeium, consulesq. conuenit. qui sermo fuerit, & quid actum sit, scribam ad te, cum certũ sciam. Pompeius ab Theano Larinum uersus profectus est ad VIII. kal. eo die mansit Venafri. aliquantum animi uidetur nobis attulisse Labienus. sed ego non dum habeo, quid ad te ex his locis scribam. ista magis exspecto, quid illinc afferatur, quo pacto de Labieno ferat, quid agat Domitius in Marsis, Tigny Thermus, P. Asitius Cinguli, quae sit populi urbani uoluntas, quae tua coniectura de rebus futuris. haec uelim crebro, & quid tibi de mulierib. nostris placeat, & quid acturus ipse sis, scribas. Si scriberem ipse, longior epistola fuisset: sed dictaui propter lippitudinem. Vale. *

EXPLANATIO

ILLI } Caesari: a quo cum discessit, uisus est eum sceleris damnare. PISONEM : } qui cum ab urbe discesserit, generum suum Caesarem non exspectans; quid de eo iudicet, manifestum est. hic est L. Calpurnius Piso, in quem exstat Ciceronis oratio, Gabinij in consulatu collega, nunc censor. fam. ep. 31.l.13. Caesar lib.1. de bello ci. NE *Picena quidem* } cum eius culpa Caesar in Piceno opida occupauerit: unde aditus ad urbem apertus. ep.3.lib.8. quod si Pompeius, in Piceno quantum esset nobis praesidij, cognouisset; opidis militum robore ante Caesaris aduentum firmatis, nũquam in hanc deserendae urbis necessitatem deuenisset. quasi enim agger fuit Picenum urbi tuendae. placet tamen, quod in Bessarionis libro scriptum est, describere. In eo igitur libro sic: Ne Epycenea quidem. QVAM *autem sine consilio res stet:* } placet, ut est in antiquo libro apud amicissimum meum, Quae autem sine consilio res stet? DECEM *annorum* } tot enim anni a consulatu Caesaris ad hoc tempus numerantur. &, Caesare consule,

consule, Pompeius se cum eo affinitate coniunxit, Iulia uxore ducta. inde eum per decem annos aluit, auxit, armauit. DVABVS *inuidiose retentis*, } cur, Inuidiose? quia Pompeius simulatione Parthici belli a Caesare abductas retinuerat. quod factum magna in infamia fuit. Ita Caesar libro 1. de bello ci. Pompeius, inquit, infamia duarum legionum permotus, quas ab itinere Asiae, Syriaeq. ad suam potentiam, dominatumq. conuerterat, rem ad arma deduci studebat. Inuidiose, igitur dixit, cum odio, & infamia. ALIENIS } quod aduersus imperatorem suum inuitae ducerentur. Hirtius lib. 8. INVITORVM } ut beneficij memoriam conseruantium, quod agrum Campanum colerent lege Iulia datum. epist. 14. DOLABELLAE, } generi mei, qui apud Caesarem est: per quem uidetur mulieres tuto in urbe esse posse. fam. episto. 6. lib. 9. & 12. lib. 14. Ac *de me* } cui non tam salutis, quam dignitatis,] habenda ratio est. DE *ipso* } de te ipso. cur enim ego tibi hac in re consilium dem. quem & de te ipso, & de me etiam considerare uolo? *Μάντις δ' ἄριστος* } uates optimus is est, bene qui conijcit. Senarius apud Euripidem, integer,

Μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς:

quem Cicero ita uertit libro de Diuin. II. Bene qui conijciet, uatem hunc perhibeto optimum. AENIGMA *Oppiorum* } uidetur epistolae principium. NVMERO *Platonis* } Plato enim Pythagoricis numeris philosophiam obscurauit. Probo, Timaeo Platonis, ut in antiquo libro eruditissimi uiri, Antonij Augustini, scriptum est. nam eo libro nihil obscurius, de quo haec lib. 2. de Fin. Rerum obscuritas, non uerborum, facit, ut non intelligatur oratio. qualis est in Timaeo Platonis. SACONES *dicit in eo aestu, aut diu.* } sic Caualcantis liber: Bessarionis, Saccone. Mihi & hoc uidetur Timaeo Platonis obscurius. quod si coniecturae credendum est, ita legerem, mutatione parua: Oppios de Velia Salacones dicis. in eo aestuaui diu. Aestuare autem dicitur qui dubitatione angitur, & inopia consilij. L. CAESAREM } filium. Suetonius, qui Caesaris clementiam commendat, Nulli, inquit, perijsse, nisi, in proelio, reperiuntur, exceptis dumtaxat Afranio, & Fausto, & L. Caesare iuuene. ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemptos putant. MANDATIS } Caesaris: quae explicantur lib. 1. bello ci. & fam. ep. 10. lib. 16. FERAT } Caesar. IGVVII *Thermus*, } ita lego, non Tignij, aut Sisingui. Sequor autem non modo librum scriptum, qui apud me est, sed etiam historiam ipsam, ac ueterem quoque lapidem, qui est Fulginei, in quo Iuguij opidi mentio fit his uerbis.

P. AELIO. P. F. PAPIR
MARCELLO. CENT.
FRVM. SVB. PRINCIPI. PE
PEREGRINORVM. ADSTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLEC-
TO. AD. MVNERA. PRAEFF.
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA.
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIAE. APVLESIVM. PATRONO
CIVITAT. FOROFLA. FVLGINIA
ITEMQVE. IGVVINORVM. SPLEN-
DIDISSIMVS. ORDO. FOROFLAM
CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM
ET. VINVM. S-S. XX. N. ITEM
MVNICIPIBVS. S-S. IIII. N. DEDIT

Est autem Iguuium, quod Vgubium hodie uocamus, opidum Vmbriae, itaque in Caesaris comm. lib. 1. de bel. ci. legendum, Iguuij, non Tignij, Steuchus Eugubinus, egregiae uir doctrinae, ante nos monuit. nam Tignium est in Piceno. Curio autem in Vmbria pro Caesare militabat, unde Thermum eiecit. Plinius quoque l. 3. c. 14. Inguinos nominat in Vmbriae descriptione.

Cicero S. D. Attico. 14.

AD VI. *kal. Febr. Capuam Calibus proficiscens, cum leuiter lippirem, has litteras dedi. L. Caesar mandata Caesaris detulit ad Pompeium* VIII. *kal. cum is esset cum consulibus Theani. probata condicio est, sed ita, ut ille de ijs opidis, quae extra suam prouinciam occupauisset, praesidia deduceret. id si fecisset, responsum est, ad urbem nos redituros esse, & rem per senatum confecturos. spero etiam in praesentia pacem nos habere. nam & illum furoris, & hunc nostrum copiarum suppaenitet. Me Pompeius Capuam uenire uoluit, & adiuuare delectum. in quo parum prolixe respondent Campani coloni. gladiatores Caesaris, qui Capuae sunt, de quibus ante ad te falsum ex Torquati litteris scripseram, sane commode Pompeius distribuit, binos singulis patribus familiarum. secutorum in ludo* IↃↃ *fuerunt. eruptionē facturi fuisse dicebantur.*

bantur. sane multum in eo reip. prouisum est. De *mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quaeso uideas, ut satis honestum nobis sit, eas Romae esse, cum ceterae ulla dignitate discesserint. hoc scripsi ad eas, & ad te ipsum antea. uelim, eas cohortere, ut exeant; praesertim cum ea praesidia in ora maritima habeamus, cui ego praesum, ut in his pro renata non incommode possint esse. nam, si quid offendimus in genero nostro, quod quidē ego praestare non debeo; id fit maius, quod mulieres nostrae praeter ceteras Romae remanserunt. tu ipse cum Sexto, scire uelim, quid cogites de exeundo, de totaq. re quid existimes. equidem ad pacem hortari non desino: quae uel iniusta utilior est, quam iustissimum bellum. ad haec, ut sors tulerit. Vale.*

EXPLANATIO

SVPPAENITET} infirmas enim habet copias. firmas tamen se habiturum sperabāt. ep. 16. PARVM *prolixe* } inuiti. nec mirum est, lege Iulia in agrum Campanum deductos, propensiores in Caesarē esse. sic alibi, Prolixe facere, Prolixe polliceri. RESPONDENT. } cum nominantur, dum habetur delectus. singuli enim citabantur. SECVTORVM } genus gladiatorum fuit, de quo Suetonius in Caligula: Retiarij quinque totidem secutoribus succubuerant. & Iuuenalis saty. 8. Quoniam igitur gladiatores generaliter nominauerat, quibus de gladiatoribus loqueretur, expressit. erant autem Secutores, & Myrmillones ijdem: quibus opponebantur Retiarij. Festus, & Quinctilianus. ꟾꟾꟾ *fuerunt* } Bessarionis liber, Bis fuerunt, corrupte: natus enim error ex ignoratione antiquae notae: quam significare quinque millia, supra ex analogiae ratione ostendimus. VLLA *dignitate* } quae modo ulla dignitate sint. epistolarum libro ad uxorem, Videte, inquit, quid aliae faciant isto loco feminae. quod eodem libro dixit, Vestri similes feminae. PRAESIDIA } Praedia, legendum esse constat, non solum quia sic legendū perspicue significant epistolae duae ad uxorem lib. 14. fam. sed etiam, quia uicissitudinem quandam harū dictionum in libris obseruaui, ut alterius altera locum occupet, quemadmodum in libro de Senectute, De praesidio, & statione uitae decedere: quod erat in quibusdam libris, De praedio, & statione. praeterea illud infra, Non incommode, aptius ad praedia, quam ad praedia, refertur. nam de praesidijs potius, Tuto, dixisset. PRO *re nata* } pro ratione temporum: minus omnino commode, quam Romae, sed rursus non admodum incommode. genus loquendi, ad imminuendam rem, quae significatur, usurpatum. uide epist. 8. lib. 7. & 6. lib. 14. GENERO *nostro* } Dolabella, qui pro Caesare contra reip. partes arma fert. SEX. *Peducaeo* } epist. 12.

Cicero S. D. Attico. 15.

VT AB *urbe discessi, nullum adhuc intermisi diē, quin aliquid ad te litterarum darem; non quo haberem magnopere, quid scriberem; sed ut loquerer tecum absens: quo mihi, cum coram id non liceret, nihil est iucundius. Capuam cum uenissem ad VI. Kal. pridie, quam has litteras dedi, consules conueni, multosq. nostri ordinis. omnes cupiebant, Caesarem, abductis praesidijs, stare condicionibus ijs, quas tulisset. uni Fauonio leges ab illo nobis imponi non placebat: sed is auditus in consilio. Cato enim ipse iam seruire, quam pugnare, mauult: sed tamen ait, in senatu se adesse uelle; cum de condicionibus agatur, si Caesar adductus sit, ut praesidia deducat. ita, quod maxime opus est, in Siciliam ire non curat: quod metuo ne obsit, in senatu esse uult. Postumius autem, de quo nominatim senatus decreuit, ut statim in Siciliam iret, Furfanoq. succederet, negat se iturum sine Catone, & suam in senatu operam, auctoritatemq. magni aestimat. ita res ad Fanniū peruenit. is cum imperio in Siciliam praemittitur. In disputationibus nostris summa uarietas est. plerique negant, Caesarem in condicione mansurum; postulataq. haec ab eo interposita esse, quo minus, quod opus esset ad bellum, a nobis pararetur. ego autem eum puto facturum, ut praesidia deducat. uicerit enim, si consul factus erit, & minori scelere uicerit, quam quo est ingressus: sed accipienda plaga est. sumus enim flagitiose imparati cum a militibus, tum a pecunia: quam quidem omnem non modo priuatam, quae in urbe est, sed etiam publicam, quae in aerario, illi relinquimus. Pompeius ad legiones Atianas est profectus; Labienum secum habet. ego tuas opiniones de his rebus exspecto. Formias me continuo recipere cogitabam. Vale.*

EXPLANATIO

LICERET } cum inferat, Nihil est iucundius; temporis rō postulat, Licet, non, Liceret. ABDVCTIS *praesidijs* } ex oppidis, quae occupauerat. QVAS *tulisset* } his uidelicet, ut Pompeius eat in Hispaniā: delectus qui sunt habiti, & praesidia nostra dimittantur, se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano traditurum: ad cōsulatus petitionem uenturum: absentis rationem haberi nolle, praesentem petiturum. fam. ep. 10. lib. 16. AVDITVS } in consilio. hic negantem particulam desiderari, declarat insequens membrum. IN *Siciliam* } illi assignatam, cum Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque tueretur. fam. ep. 10. lib. 16. FVRFANO } ep. 8. lib. 6. fam. POSTVLATAQ. *haec* } ita pendet hoc a uerbo, Negant, ut affirmetur potius, quam negetur. uerbum enim, Nego, saepe negat in primo membro, affirmat

affirmat in secundo: ut in oratione pro Roscio Comoedo, Aduersaria in iudicium protulit nemo, codicem protulit. pro, codicem aliquis protulit. Idem agnoscitur apud Horatium, in ijs uersibus, Qui fit, Maecenas, ut nemo. nam cum subiunxit, Laudet diuersa sequentes, satis constat non referri ad, Nemo, sed necesse esse, ut, aliquis, subaudiatur: huius generis exempla nō desideramus. uide ep. 30. lib. 12. fam. VICERIT } assecutus erit, quod uult. QVO *est ingressus* } arma enim nunc quidem infert reip. quo scelere scelus esse maius nullum potest. ACCIPIENDA *plaga* } nobis: qui de nostro iure decedimus, cum a Caesare latas condiciones accipimus. AERATIO } ex quo Caesar postea pecuniam sumpsit. ep. 4. & 7. lib. 10. Aerarium autem fuisse in Saturni templo, satis ex Festo, Plutarchoq. in Probl. cōstat: sed, aeraria tria cur nominentur, non omnes fortasse norunt; itaque totam hanc rationem paullo diligētius conabimur explicare. Aerarium primum illud fuit, quo effracto, cum per annos multos, ut Appianus, & Lucanus perhibent, clausum fuisset, C. Caesar pecuniam uniuersam belli ciuilis initio sumpsit. atque in hoc, tradit Appianus, conditum fuisse aurum, quod in usum Gallici belli erogandum asseruaretur, quod uidetur esse iam inde ab eo tempore institutum, cum urbem Romam Galli captam incenderunt. tunc enim ut aurum illud reponeretur, belli Gallici metu decretum est. atque ego, quidquid postea ex uictorijs, ut ab Africanis duobus ex secundo, & tertio Punico bello, a prioris fratre ex Asia, a Mummio ex Achaia, & Paullo ex Macedonia, Lucullo, & Pompeio ex Tigrane & Mithridate partum est, (ut alios paene innumerabiles omittam) eodem postea congestum existimo; primum, quia exiguam plane auri uim fuisse, quae priscis illis temporibus, paullo post urbem a Gallis liberatam, in magna omnium rerum inopia, nondum ualde prolatis imperij terminis, deposita est, uerisimile uidetur; cuius tantulae pecuniae caussa numquam certe fores aerarij sibi effringendas Caesar putasset; a quo ablata laterum aureorū XXVI. M. & in numerato pondo ꝯcc. Plinius l. 23. c. 3. affirmat: deinde, quod, aerarium illud, quo per uim ingressus est Caesar, id fuisse, quo aurum, atque argentum ex praeda Punica, & Macedonica congestum est, Lucanus. lib. 3. docet his uersibus.

-Tum conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis,
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem uicti praeda Philippi.

De hoc fortasse aerario sensit Valerius lib. 3. c. 7. Alterum fuit aerarium ex auro uicesimario: quod in sanctiore aerario seruatum ad ultimos casus, Liuius lib. 27. prodidit. collectum autem ex eorum, qui manumitterentur, uicesima, idem Liuius lib. 7. narrat. Tertium ex annua uectigalium pecunia constabat: ex quo, quidquid belli necessitas, aut quotidianus reip. usus requireret, decernente senatu, ut ait Polybius, uel etiam, quod postremis temporibus P. Clodius tribunus pl. contra leges instituit, populo iubente sumebatur. atque hoc tertium aerarium assiduis tum ordinarijs, tum extraordinarijs impensis exhaustum, & ad summas angustias redactum, in agraria II. & in oratione de prouincijs consularibus, & in extrema pro Balbo, etiam in C. Verrem Cicero, Pedianus in commentario Cornelianae, Marcellinusque l. 16. significant. Priora duo perquam raro aperiri, ideoque sanctiora uocari solita, Cicero, Caesar, & Liuius demonstrant. nam de praedae bellicae aerario, in quo ipse fuisse aurum, Gallici belli metu depositum, ep. 12. & 20. significatur. Caesar autem ipse l. 1. de bello ciuili sic: Lentulus consul, aperto sanctiore aerario, ex urbe profugit. Florus quoq. l. 4. sanctum aerarium uocat. Itidem sanctius aerariam dictū illud esse, quo uicesimarium aurum seruabatur, Liuius l. 27. ostendit. Consulibus, inquit, aurum uicesimarium, quod in sanctiore aerario ad ultimos casus seruabatur, promi placuit. Quod autem ait Lucanus, -Multis intactus ab annis, ita uerisimile uidetur, si ciuilia bella excipias. certe enim neque C. Mario, neque Cinnae, neque postremo Sullae, qui publicam libertatē armis oppresserunt, pecuniam capere ex aerario religio fuit. etiam ipsum Pompeium ante Caesarem, orta inter eos ciuili contentione, aerarij pecunia esse usum, quis dubitet? quamquam accepit multo minus, quam reliquit. quod hic Cicero queritur. Cum igitur aeraria tria memorantur, distinguuntur pecuniae potius, quam loca: cum in uno Saturni templo publicae omnes pecuniae asseruentur: sed in eo templo tres fuisse cellas, in quibus thesauri publici reponerentur, licet existimare: ut pecuniae publicae tria genera fuerint: (pecuniam uoco, siue aurum, argentumq. percussum esset, siue factum, ut uasa, & similia, siue infectum, ut latera) unum ex auro illo propter belli Gallici timorem deposito, & ex praeda bellica; alterum ex auro uicesimario; tertium ex annuis uectigalibus. RELINQVIMVS } Lentulus enim consul cum ad aperiendum aerarium uenisset, ad pecuniam Pompeio ex S. C. proferendam, audito Caesaris aduentu, protinus, aperto sanctiore aerario, ex urbe profugit. Caesar lib. 1. de bello ci.

Cicero S. D. Attico 16.

OMNES *arbitror mihi tuas litteras redditas esse, sed primas praepostere, reliquas ordine, quo sunt missae, per Terentiam. De mandatis Caesaris, ad quentuq. Labieni, & responsis consulum ad Pompeium, scripsi ad te litteris ijs, quas ad v. kal. Capua dedi: pluraq. praeterea in eandem epistolam conieci. nunc has exspectationes habemus duas; unam, quid Caesar acturus sit, cum acceperit ea, quae referenda ad illum data sunt L. Caesari; alteram, quid Pompeius agat: qui quidem ad me scribit, paucis diebus se firmum exercitū habiturum; spemq. affert, si in Picenum agrum ipse uenerit, nos Romam redituros esse. Labienum secum*

 habet,

habet, non dubitantem de imbecillitate Caesaris copiarum: cuius aduentu Cnaeus noster multo animi plus habet. nos a consulibus Capuam uenire iussi sumus ad non. Febr. Capua profectus sum Formias ad III. kal. eo die cum Calibus tuas litteras hora fere nona accepissem, has statim dedi. De Terentia, & Tullia tibi assentior: ad quas scripseram, ad te ut referrent. si non dum profectae sunt, nihil est, quod se moueant, quoad perspiciamus, quo loco sit res. Tuae litterae mihi gratae, iucundaeq. sunt. De pueris in Graeciam transportandis tum cogitabam, cum fuga ex Italia quaeri uidebatur. nos enim Hispaniam peteremus: illis hoc aeque commodum non erat. tu ipse cum Sextio etiam nunc mihi uideris Romae recte esse posse. etenim minime amici Pompeio nostro esse debetis. nemo enim umquam tantum de urbanis praesidijs detraxit. Vides ne me etiam iocari? scire iam te oportet, L. Caesar quae responsa referat a Pompeio, quas ab eodem ad Caesarem ferat litteras. scriptae enim, & datae ita sunt, ut proponerentur in publico. in quo accusaui mecu ipse Pompeium, qui, cum scriptor luculentus esset, tantas res, atque eas, quae in omnium manus uenturae essent, Sextio nostro scribendas dederit. itaque nihil umquam legi scriptum ἀνειωδίστερον. perspici tamen ex litteris Pompeij potest, nihil Caesari negari, omniaque, & cumulate, quae postulet, dari: quae ille, amentissimus fuerit, nisi acceperit, praesertim cum impudentissime postulauerit. quis enim tu es, qui dicas, si in Hispaniam profectus erit, si praesidia dimiserit? tamen conceditur, minus honeste nunc quidem, uiolata iam ab illo rep. illatoq. bello, quam si olim de ratione habenda impetrasset: tamen uereor, ut his ipsis contentus sit. nam cum ista mãdata dedisset L. Caesari, debuit esse paullo quietior, dum responsa referrentur: dicitur autem nunc esse acerrimus. Trebulano quidem scribit, se ab illo IX. kal. Febr. rogatum esse, ut scriberet ad me, ut essem ad urbem: nihil ei me gratius facere posse. haec uerbis plurimis. intellexi ex dierum ratione, ut primum de discessu nostro Caesar audisset, laborare eum coepisse, ne omnes abessemus: itaque non dubito, quin ad Pisonem, quin ad Seruium scripserit. illud admiror, non ipsum ad me scripsisse, non per Dolabellam, non per Coelium egisse. quamquam non aspernor Trebatij litteras, a quo me unice diligi scio. rescripsi ad Trebatium, (nam ad ipsum Caesarem, qui mihi nihil scripsisset, nolui) quam illud hoc tempore esset difficile: me tamen in praedijs meis esse, neque delectum ullum, neque negotium suscepisse. in quo quidem manebo, dum spes pacis erit. sin bellum geretur; non deero officio, nec dignitati meae, pueros ὑπεξθέμενος in Graeciam. totam enim Italiam flagraturam bello intelligo: tantum mali excitatum partim ex improbis, partim ex inuidis ciuibus. sed haec paucis diebus ex illius ad nostra responsa responsis intelligentur, quorsum euasura sint. tum ad te scribam plura, si erit bellum: sin autem etiam indutiae, te ipsum, ut spero, uidebo. Ego IV. non. Febr. quo die has litteras dedi, in Formiano, quo Capua redieram, mulieres exspectabam: quibus quidem scripseram, tuis litteris admonitus, ut Romae manerent: sed audio maiorem quendam in urbe timorem esse. Capuae nonis Febr. esse uolebam, quia consules iusserant. quidquid huc erit a Pompeio allatum, statim ad te scribam; tuasq. de istis rebus litteras exspectabo. Vale.

EXPLANATIO

RESPONSIS *consulum ad Pompeium* } confirmor in mea ueteri sententia, legendum esse, Responsis consulum, ac Pompeij. quod epistola plane demonstrat, quae ante proximam est superiorem, & quae post hanc proxima sequitur. NON *dubitantem &c.* } Labieni uerba sunt. l. 3. de bello ciu. Noli existimare, Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam, Germaniamq. deuicerit. omnibus interfui proelijs: neque temere incognitam rem pronuncio. perexigua pars illius exercitus superest. VENIRE } iterum. ep. 16. & 17. TIBI *assentior* } non esse, quod ab urbe discedant, quoad perspiciamus, quo loco sit res. epist. 16. PETEREMVS, } nos enim tum Hispaniam cogitabamus, ubi Pompeij maximae copiae, ducibus Afranio, & Petreio legatis. HOC } Hispaniam petere. SEXTO } Peducaeo. qui Pompeij caussa discedere ex urbe non debetis, ac ne illum quidem amare; qui uobis locupletibus, ac bene nummatis tam male consuluerit, urbe sine praesidio relicta. ETIAM *nunc* } dum agitur de condicionibus. tum autem discedendum uobis erit, cum, spe pacis exclusa, de hostili Caesaris aduentu timebitis. SI *in Hispaniam &c.* } eat Pompeius in Hispaniam: delectus, qui sunt habiti, & praesidia dimittantur: tum ego, tradita prouincia, ad consulatus petitionem ipse ueniam. hae fuerunt condiciones a Caesare latae. fam. ep. XI. lib. 16. AD *Pisonem* } socerum suum. SERVIVM } a ciuilibus contentionibus abhorrentem. fam. epist. 3. lib. 4. IMPROBIS } Caesarianis. INVIDIS } Pompeianis, qui extraordinarijs Caesaris honoribus inuiderent. epist. 14. lib. 9.

Cicero S. D. Attico. 17.

IV. non. Feb. mulieres nostrae Formias uenerunt, tuaq. erga se officia, plena tui suauissimi studij, attulerunt. eas ego, quoad sciremus utrum turpe pace nobis, an misere bello esset utendum, in Formiano esse uolui, & una Cicerones. ipse cum fratre Capuam ad consules (nonis enim adesse iussi sumus) III. non. profectus sum, cum has litteras dedi. Responsa Pompeij grata populo, & probata concioni esse dicuntur. ita putaram. quae quidem si ille repudiarit, iacebit: si acceperit. Vtrum igitur, inquies, mauis? responderem, si, quemadmodum parati essemus, scirem. Cassium, erat hic auditum, expulsum Ancone, eamq. urbem a nobis teneri. si bellum futurum est, negotium utile. Caesarem quidem, L. Caesare cum mandatis de pace misso, tamen aiunt acerrime delectum habere, loca occupare, uincire praesidijs. o perditum latronem,

nem, uix ullo otio compensandam hanc reip. turpitudinem. sed stomachari desinamus, tempori pareamus, cum Pompeio in Hispaniam eamus. haec opto in malis; quoniam illius alterum consulatum a rep. ne data quidem occasione repulimus. Sed haec hactenus. De Dionysio, fugit me ad te antea scribere: sed ita constitui, exspectare responsa Caesaris: ut, si ad urbem rediremus, ibi nos exspectaret; sin tardius id fieret, tum eum arcesseremus. omnino quid ille facere debuerit in nostra illa fuga, quid docto homine, & amico dignum fuerit, cum praesertim rogatus esset: sed haec non nimis exquiro a Graecis. tu tamen uidebis, si erit, quod nolim, arcessendus, ne molesti simus inuito. Quinctus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio soluat. nec Egnatio uoluntas deest: nec parum locuples est: sed, cum tale tempus sit, ut Q. Titinius (multum enim est nobiscum) uiaticum se neget habere; idemq. debitoribus suis denunciarit, ut eodem fenore uterentur; atque hoc idem etiam L. Ligus fecisse dicatur; nec hoc tempore aut domi nummos Quinctus habeat, aut exigere ab Egnatio, aut uersuram usquam facere possit miratur, te non habuisse rationem huius publicae difficultatis. ego autem, etsi illud ψευδησιόδειον (ita enim putatur) obseruo; μηδὲ δίκην, praesertim in te, a quo nihil umquam uidi temere fieri; tamen illius querella mouebar. hoc, quidquid est, te scire uolui. Vale.

EXPLANATIO

TVRPE *pace* } &, Turpi pace, &, Misero bello, placet: aut est Turpe pro turpi, sexto casu. RESPONSA *Pompeij* } ad Caesarem, Romam missa, ut in publico proponerentur. epistola 16. IACEBIT } suo malo repudiabit: populum enim alienauit, qui probat responsa Pompeij. SI *acceperit* } pax non honesta consequitur. *ἀναντασόδοτον. Tarati* } a militibus, & pecunia. CASSIVM } Quinctum. nam Caius Pompeianus. fam. lib. 15. NEGOTIVM *utile* } propter urbis portum. IN *Hispaniam* } si erit, ut consistere in Italia non possimus. QVONIAM *illius* } quando huc deducta res est nostra culpa; qui Caesaris alterum consulatum, quem, ne si occasio quidem esset, repellere a rep. debuimus, (cur enim, quod populus concesserat, ut absens consulatum peteret, eriperetur?) repulimus etiam sine occasione, cum & illi exercitus essent maximi, & nobis copiae nullae. tantum igitur abest, ut id iure, ut etiam alieno tempore fecerimus. epistola 13. ROGATVS *esset* } imperfectus sermo: deest enim, intelligo, scio, aut simile quid. uitium esset in oratione, sed corrigi fere semper animaduertimus insequenti particula, Sed, quae narrationem quodam modo excipit cadentem. epistola 21. & fam. epist. 3. lib. 4. A GRAECIS } officium non colentibus. AB *Egnatio soluat.* } sumptam ab Egnatio debitore suo pecuniam tibi numeret. *Vt eodem fenore uterentur* } concessit eis, ut idem, quod antea, fenus soluerent, cum uideret exactionem uniuersae pecuniae hoc tempore difficillimam esse.

Cicero S. D. Attico. 18.

NIHIL habeo, quod ad te scribam. quin etiam eam epistolam, quam eram elucubratus, ad te non dedi. erat enim plena spei bonae; quod & concionis uoluntatem audieram, & illum condicionibus usurum putabam, praesertim suis. ecce tibi IV. non. Febr. mane accepi litteras tuas, Philotimi, Furnij, Curionis ad Furnium, quibus irridet L. Caesaris legationem. plane oppressi uidemur: nec, quid consilij capiam, scio: nec mehercule de me laboro: de pueris quid agam, non habeo. Capuam tamen proficiscebar haec scribens, quo facilius de Pompeij rebus cognoscerem. Vale.

EXPLANATIO

CONCIONIS } probantis responsa Pompeij ad Caesarem. SVIS } ab ipso latis, epistola 15. IV. *non.* } II. nonas, cum alijs lego, ex epistola proxima superiore. FVRNII, *Curionis ad Furnium* } Curio, qui erat apud Caesarem, Romam scripsit ad Furnium, irridens L. Caesaris legationem. eas litteras Furnius cum suis litteris ad Ciceronem misit, ut ex Curionis litteris uideret spem pacis esse nullam. IRRIDENT } e sententia, & ex Bessarionis libro, Irridet, legimus. CAESARIS } qui tempus tereret mandatis de pace hincinde ferendis referendis. libro primo de bello ci.

Cicero S. D. Attico. 19.

BREVILOQVENTEM iam me tempus ipsum facit. pacem enim desperaui: bellum nostri nullum administrant. caue enim putes, quidquam esse minoris his consulibus: quorum ego spe audiendi aliquid, & cognoscendi nostri apparatus, maximo imbri Capuam ueni prid. non. ut eram iussus. illi autem

non

non dum uenerant, sed erant uenturi, inanes, imparati. Cnaeus autem Luceriae dicebatur esse, & adire cohortes legionum Atianarum non firmissimarum. at illum ruere nunciant, & iam iamq. adesse, non ut manum conserat, (quicum enim?) sed ut fugam intercludat. ego autem in Italia καὶ συναποθανεῖν: nec te id consulo. sin extra, quid ago? ad manendum hiems, lictores, improuidi, & negligentes duces, ad fugam hortatur amicitia Cnaei. caussa bonorum, turpitudo coniungendi cum tyranno: qui quidem, incertum est, Phalarim ne, an Pisistratum sit imitaturus. Haec uelim explices, & me iuues consilio: etsi te ipsum istic iam calere puto: sed tamen quantum poteris. ego si quid hic hodie noui cognoro, scies. iam enim aderũt consules ad suas nonas. Tuas quotidie litteras exspectabo. ad has autem, cum poteris, rescribes. Mulieres, & Ciccrones in Formiano reliqui. Vale.

EXPLANATIO

IN ITALIA] si cum Pompeio mors in Italia sit oppetenda, non recuso. nec tuum consilium exquiro, si maneat Pompeius in Italia, quid mihi agendum sit: deliberatum est enim, & fixum. LICTORES] impedimentum, & molestia fugienti. DVCES] Pompeium maxime designat: quo duce uictoriam non sperat. epistola 12. PHALARIM] tyrannum, caede gaudentem, PISISTRATVM,] mitiorem, & studiosum maxime litterarum. IAM *calere*] iam habere, quod de te ipso cogites, solicitum de statu rerum tuarum, quia uideas urbem, a Cnaeo nostro sine praesidio relictam Caesari patere. Calere dicuntur, quos molestissimis rebus perturbatos inexplicabilis agitat cogitatio. animus enim aeq. curis exercetur, ut labore corpus. &, quoniam animi sedes est in cerebro, quo pertinent fere omnes uenae; animo affecto, quasi repercussius commouetur sanguis. & sanguinis motum cõsequitur calor. SVAS *nonas*] ante constitutas. ep. 15.

Cicero S. D. Attico. 20.

DE malis nostris tu prius audis, quam nos: istinc enim emanant. boni autem hinc quod exspectes, nihil est. Veni Capuam ad non. Febr. ita ut iusserant consules. eo die Lentulus uenit sero. alter consul omnino non uenerat VII. *idus. eo enim die ego Capua discessi, & mansi Calibus. inde has litteras postridie ante lucem dedi. haec, Capuae dum fui, cognoui, nihil in consulibus, nullum usquam delectum. nec enim conquisitores φαινοπροσωπεῖν audent, cum ille adsit contra; cum noster dux nusquam sit; nihil agat: nec nomina dant: deficit enim non uoluntas, sed spes. Cnaeus autem noster (o rem miseram, & incredibilem) ut totus iacet. non animus est, non consilium, non copiae, non diligentia. mitto illam fugam ab urbe turpissimam, timidissimas in oppidis conciones, ignorationem non solum aduersarij, sed etiam suarum copiarum. hoc cuiusmodi est?* VII. *idus Febr. Capuam C. Cassius trib. pl. uenit, attulit mandata ad consules, ut Romam uenirent, pecuniam de sanctiore aerario auferrent, statim exirent urbe relicta. redeant, quo praesidio? deinde exeant, quis sinat? consul ei rescripsit, ut prius ipse in Picenum. at illud totum erat amissum. sciebat nemo, praeter me ex litteris Dolabellae. mihi dubium non erat, quin ille iam iamq. foret in Apulia, Cnaeus noster in naui. ego quid agam? σκέμμα magnum, neque mehercule mihi quidem ullum, nisi omnia essent acta turpissime: neque ego ullius consilij particeps. sed tamen, quod me deceat. ipse me Caesar ad pacem hortatur: sed antiquiores litterae, quam ruere coepit. Dolabella, Coelius, me illi ualde satisfacere. mira me ἀτοπία torquet. iuua me consilio, si potes: & tamen ista, quantum potes, prouide. nihil habeo, tanta rerum perturbatione, quod scribam, tuas litteras exspecto. Vale.*

EXPLANATIO

CONQVISITORES] delectui habendo praefecti. ILLE] Caesar. metu Caesaris iam praesentis non audet. NOMINA] nomina dabant ad bellum ituri. SPES] uictoriae. MANDATA] Pompeij. DE *sanctiore aerario*] in quo tum pecunia, belli Gallici metu deposita, tum praeda omnis, ex deuictis gentibus collecta, seruabatur. uide quae diximus epist. 15. CONSVL] Lentulus. nam Marcellus nondum uenerat. ILLE] Caesar. IN *naui*] Caesarem fugiens. NEQVE *mehercule.*] satis, inquit, scirem, quid mihi esset agendum, si, Pompeio duce, uictoriae spes esset. sequerer inquam eum quascumque terras peteret. nunc ancipiti cura distrahor. nam neque uideor eum sequi debere, a quo omnia sint acta turpissime; &, nisi sequor, & ciuis, & amici officium desero. NEQVE *ego*] quia dixerat, Turpissime, culpam a se amouet. Ego, inquit, particeps ullius consilij non fui: agam tamen, quod me deceat: amicum sequar bene de me meritum. SATISFACERE] quod nullum maius negotium susceperim. fam. epist. 11. lib. 16.

Cicero

Cicero S. D. Attico 21.

PEDEM in Italia uideo nullum esse, qui non in istius potestate sit. De Pompeio scio nihil; eumq., nisi in nauim se contulerit, exceptum iri puto. o celeritatem incredibilem, huius autem nostri: sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor, & crucior. Tu caedem non sine caussa times : non quo minus quidquam Caesari expediat ad diuturnitatem uictoriae, & dominationis: sed uideo, quorum arbitrio sit acturus. recte sit. censeo cedendum de opidis his. egeo consilij. quod optimum factu uidebitur, facies. cum Philotimo loquere: atque adeo Terentiam habebis idibus. Ego quid agam? qua aut terra, aut mari persequar eum, qui ubi sit, nescio? e.si terra quidem qui possum? mari, quo? tradam igitur isti me? fac posse tuto: multi enim hortantur: num etiam honeste? nullo modo quidem. a te petam consilium, ut soleo. explicari res non potest: sed tamen, si quid in mentem uenit, uelim scribas, & ipse quid sis acturus. Vale.*

EXPLANATIO

HVIVS *autem nostri.* } tarditatem, aut ignauiam, dicturus fuit: sed omisit, & caussam, cur omiserit, adscribit. ἀποσιώπησις. ep. 17. CAEDEM } Caesaris uictoris crudelitatem. QVI *possum?* } cum Caesar omnia occuparit. QVO } cum, ubi sit, nesciam. ISTI } Caesari.

Cicero S. D. Attico. 22.

V. Id. Febr. uesperi e Philotimo litteras accepi; Domitium exercitum firmum habere; cohortes ex Piceno, Lentulo, & Thermo ducentibus, cum Domitij exercitu coniunctas esse; Caesarem intercludi posse, eumq. id timere; bonorum animos recreatos Romae, improbos quasi perculsos. haec, metuo equidem, ne sint insomnia: sed tamen M'. Lepidum, L. Torquatum, C. Cassium trib. pl. (ij enim sunt nobiscum, id est, in Formiano) Philotimi litterae ad uitam reuocarunt. ego autem illa metuo ne ueriora sint, nos omnes paene iam captos esse, Pompeium Italia cedere. quem quidem (o rem acerbam) persequi Caesar dicitur. persequi Caesar Pompeium? quid? ut interficiat? o me miserum: & non omnes nostra corpora opponimus? in quo tu quoque ingemiscis. sed quid faciamus? uicti, oppressi, capti plane sumus. Ego tamen, Philotimi litteris lectis, mutaui consiliũ de mulieribus: quas, ut scripseram ad te, Romam remittebam: sed mihi uenit in mentem, multum fore sermonem, me iudicium iam de caussa publica fecisse; qua desperata, quasi hunc gradum mei reditus esse, quod mulieres reuertissent. De me autem ipso tibi assentior, ne me dem incertae, & periculosae fugae: cum reip. nihil prosim, nihil Pompeio; pro quo emori cum pie possum, tum libenter. manebo igitur: etsi uiuere. Quod quaeris, hic quid agatur: tota Capua, & omnis hic delectus iacet: desperata res est; in fuga omnes sunt; nisi quid eiusmodi fuerit, ut Pompeius istas Domitij copias cum suis coniungat. sed uidebamur omnia biduo, triduo ue sciturі. Caesaris litterarum exemplum tibi misi: rogaras enim. cui nos ualde satisfacere, multi ad me scripserunt. quod patior facile; dum, ut adhuc, nihil faciam turpiter. Vale.

EXPLANATIO

LENTVLO, *& Thermo* } P. Lentulo, Q. Minucio Thermo. ETSI *uiuere.* } subaudi, non uiuere est, cũ turpem uitam uiuas: qualis erat manentis in Italia. QVOD *patior facile*, } quod ita mihi non displicet, dum nihil committam mea persona minus dignum. SATISFACERE } quia neque delectum ullum, negotiumue suscepimus. ep. 16.

Cicero S. D. Attico. 23.

PHILOTIMI litterae me quidem non nimis, sed eos, qui in his locis erant, admodum delectarunt. ecce postridie Cassij litterae Capuam a Lucretio, familiari eius, Nigidum a Domitio Capuam uenisse; eum dicere, Vibullium cum paucis militibus e Piceno currere ad Cnaeum, confestim sequi Caesarem, Domitium non habere militum uim. idem scripsit, consules Capua discessisse. non dubito, quin Cnaeus in fuga sit. modo effugiat. a consilio fugiendi, ut tu censes, absum. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

ME *quidem non nimis,* } qui Philotimi litteris fidem non haberem. CASSII *litterae* } ad Cassium Capua missae a Lucretio. Cassius enim cum Cicerone erat in Formiano. ep. 22.

Cicero S. D. Attico. 24.

CVM dedissem ad te litteras tristes, & metuo ne ueras, de Lucretij ad Cassium litteris Capua missis: Cephalio uenit a uobis, attulit etiam a te litteras hilariores, nec tamen firmas, ut soles. Omnia facilius credere possum, quam quod scribitis, Pompeium exercitum habere. nemo huc ita affert; omniaque, quae nolim. rem miseram. malas caussas semper obtinuit, in optima concidit. quid dicam? nisi, illud eum scisse; neque enim erat difficile; hoc nescisse; erat enim ars difficilis, recte remp. regere. Sed iam iamq. omnia sciemus, & scribemus ad te statim. Vale.

EXPLANATIO

ILLVD *eum scisse;* } scisse eum malas caussas obtinere. neque enim, male agere, difficultatis est. sunt qui legant, Eum nescisse. ego & Bessarionis librum, & cum eo congruentem sententiam sequor.

Cicero S. D. Attico. 25.

NON uenit idem usu mihi, quod tu tibi scribis; Quoties exorior. *ego enim nunc paullum exorior, & maxime quidem his litteris, quae Roma afferuntur, de Domitio, de Picentium cohortibus. omnia erant facta hoc biduo laetiora: itaque fuga, quae parabatur, repressa est. Caesaris interdicta, Si te secundo lumine hic offendero, respuuntur. bona de Domitio, praeclara de Afranio fama est. Quod me amicissime admones, ut me integrum, quoad possim, seruem; gratum est. Quod addis, ne propensior ad turpem caussam uidear: certe uideri possum. ego me ducem in ciuili bello, quoad de pace ageretur, negaui esse: non quin rectum esset: sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. plane eum, cui Cnaeus noster alterum consulatum deferret, & triumphum, at quibus uerbis? pro suis gestis amplissimis, inimicum habere nolueram. ego scito, & quem metuam, & quam ob rem. sin erit bellum, ut uideo fore: partes meae non desiderabuntur. De HS x x Terentia tibi rescripsit. Dionysio, dum existimabam uagos nos fore, nolui molestus esse. tibi autem, crebro ad me scribenti de eius officio, nihil rescripsi; quod diem ex die exspectabam, ut statuerem, quid esset faciendum. nunc, ut uideo, pueri certe in Formiano uidentur hiematuri: num & ego, nescio. si enim erit bellum, cum Pompeio esse constitui. quod habebo certi, faciam, ut scias. ego bellum foedissimum futurum puto; nisi qui, tu scis, Parthicus casus exstiterit. Vale.*

EXPLANATIO

NON *uenit &c.* } non mihi accidit, quod tibi. scribis enim te saepe exoriri, idest a metu aduersae fortunae respirare. ego autem nunc paullum exorior: quod ante usu mihi non uenit. QVOTIES *exorior* } uerba sunt ex Attici epistola. PICENTIVM *cohortibus* } cum Domitio coniunctis. epistola 22. INTERDICTA, } & inuidiose, & falsc dictum: quasi Caesari iam putaret sibi, tamquam praetori, arrogandum esse ius in ciues, ac iam proponeret interdicta, animaduersurum se in eos, quos secundo lumine, paullo post, Romae offendisset: cum nunc de fuga nemo cogitet. SECVNDO *lumine* } cras. subauditur autem, Moriere. In oratione pro Rabirio Postumo, Regum, inquit, sunt haec imperia: Animaduerte, & dicto pare. &, Praeter rogitatum si querare. & illae minae, Si te secundo lumine hic offendero, morieris. Locus Euripidis in Medea, εἰ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ. RESPVVNTVR } timore sublato. AFRANIO } firmos exercitus habere in Hispania. INTEGRVM *seruem* } ut neque Caesari, neque Pompeio me dem. CERTE *uideri possem.* } εἰρωνικῶς dictum. subiungit enim: quod me ducem in ciuili bello esse negauerim, quoad de pace agebatur; non ideo feci, quia, quod rectum esset, id mihi non placeret; sed feci, meorum temporum memoria commotus. itaque, quod ad hanc rem attinet, optima ratione defendor. reliqua uero prorsus me ab hac suspicione uindicant. FRAVDEM *tulit* } memineram, inquit, quod olim eiusdem reip. caussa feci, cum Catilinae coniu-

coniurationem oppressi, id mihi summam perniciem attulisse, pro recte factis in exsilium pulso. Mvlto *rectius fuit* } quanto enim rectius facit, qui perniciosam reip. coniurationem exstinguit, quam is, qui ciuili bello copias ducit. Evm } Caesarem. Cnaevs *noster* } cum in tertio consulatu pugnauit, ut decem tribuni pl. legem ferrent, qua Caesari absenti consulatum petere liceret. Alterum } quia consul ante fuerat Caesar, Bibulo collega. Pro *suis gestis amplissimis* } malim, Suis rebus gestis. nam, Gesta, latinum non est, hoc quidem sensu. scripserat autem epistolam Pompeius ad Caesarem, in qua erat, Pro suis rebus gestis amplissimis. ep.8.l.8. Qvem *metuam* } Caesarem noui: cuius animũ ne offenderem, ideo me ducem ciuili bello futurum negaui, is enim solet iniurias acerbissime persequi, ut olim, cum, a me laesus in iudicio quodam, P. Clodium, inimicum meum, frustra iampridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die transduxit. Suetonius. Qvamobrem. } quia uereor, ne, cum ego pro Pompeio Caesaris inimicitias suscepero, ipsis in gratiam redeuntibus ego praesidio nudus Caesari poenas dem. Hic tacite notat in Pompeio ingrati animi uitium: cuius fautor dignitatis cum iam inde ab adolescentia, in praetura autem, & in consulatu adiutor etiam exstitisset; se tamen ab eo Clodianis temporibus destitutum recordabatur. Pveri } Cicerones, quorum magister Dionysius. Parthicvs *casus* } in nostras prouincias subita Parthorum irruptio: ut Pompeium, aut Caesarem aduersus eos proficisci res cogat. Vnde Coelius in epistola ad Ciceronem, Si alteruter eorũ, inquit, ad Parthicum bellum non eat, magnas uideo impendere discordias; quas ferrum, & uis iudicabit. Idem arbitrari Atticum, ostendit Cicero, cum ait: Vt tu scis. nulla enim ratione ciuile bellum, nisi externi belli metu, poterat auerti. externum autem bellum non nisi a Parthis impendere uidebatur. Ceteras enim gentes aut uicerant iam Romani, aut contemnebant. Casvs } proprie de Parthis, quorum subitae, & inopinatae irruptiones.






IN · EPISTOLARVM M · TVLLII · CICERONIS AD T · POMPONIVM · ATTICVM LIBRVM : IIX.

PAVLLI . MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



VM ad te litteras dediſſem, redditae mihi litterae ſunt a Pompeio. cetera de rebus in Piceno geſtis, quae ad ſe Vibullius ſcripſiſſet, de delectu Domitij; quae ſunt nobis nota, nec tam laeta erant in his litteris, quam ad me Philotimus ſcripſerat: (ipſam tibi epiſtolam miſiſſem; ſed ſubito fratris puer proficiſcebatur: cras igitur mittam) ſed in ea Pompeij epiſtola erat in extremo ipſius manu: Tu, cenſeo, Luceriam uenias: nuſquam eris tutius. Id ego in eam partem accepi, haec opida, atque oram maritimam illum pro derelicto habere: nec ſum miratus, eum, qui caput ipſum reliquiſſet, reliquis mēbris non parcere. ei ſtatim reſcripſi, hominemq. certum miſi de comitibus meis, non me quaerere, ubi tutiſſimo eſſem: ſi me uellet ſua, aut reip. cauſſa Luceriam uenire, ſtatim eſſe uenturum: hortatusq. ſum, ut oram maritimam retineret, ſi rem frumentariam ſibi ex prouincijs ſuppeditari uellet. Haec me fruſtra ſcribere uidebam: ſed uti in urbe retinenda tunc, ſic nunc in Italia non relinquenda teſtificabar ſententiam meam. ſic enim parari uideo, ut Luceriam omnes copiae contrahantur: & ne is quidem locus ſtabilis: ſed ex eo ipſo, ſi urgeamur, paretur fuga. quo minus mirere, ſi inuitus in eam cauſſam deſcendo, in qua neque pacis, neque uictoriae ratio quaeſita ſit umquam, ſemper flagitioſae, & calamitoſae fugae. eundum; ut, quemcumque ſors tulerit, caſum ſubeam potius cum ijs, qui dicuntur eſſe boni, quam uidear a bonis diſſentire. etſi propediem uideo bonorum, ideſt lautorum, & locupletum, urbem refertam fore, municipijs uero his relictis, refertiſſimam. quo ego in numero eſſem, ſi hos lictores moleſtiſſimos non haberem: nec M'. Lepidi, L. Volcatij, Ser. Sulpicij comitum paeniteret: quorum nemo nec ſtultior eſt, quam L. Domitius; nec inconſtantior, quam Ap. Claudius. unus Pompeius me mouet, beneficio, non auctoritate. quam enim ille habeat auctoritatem in hac cauſſa, qui, cum omnes Caeſarem metuebāmus, ipſe eum diligebat? poſtquam uero ipſe metuere coepit, putat omnes hoſtes illi oportere eſſe. ibimus tamen Luceriam: nec eum fortaſſe delectabit noſter aduentus. diſſimulare enim non potero, mihi, quae adhuc acta ſunt, diſplicere. Ego, ſi ſomnum capere poſſem, tam longis te epiſtolis non obtunderem. tu, ſi tibi eadem cauſſa eſt, me remunerere ſane uelim. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO



Ec *tamen laeta*, ‡ nam ex Lucretij litteris cognoueramus, Vibullium cum paucis militibus e Piceno currere ad Pompeium. epist. 23. SED *in ea* ‡ redit ad argumentum epistolae Pompeianae. pendet enim periodus ex illo, Cetera de rebus in Piceno gestis. CAPVT *ipsum* ‡ urbem. FVNDVM ‡ Luceriam. LAVTORVM, *& locupletum*, ‡ illud ad mollitiem, hoc ad opes refertur. uideo, inquit, futurum, ut neque lauti pro Pompeio incommoda subire, neque locupletes suas fortunas in discrimen uelint adducere. MVNICIPIIS *uero his relictis*, ‡ ora maritima, cui ego praesum, relicta. quod cum acciderit; omnes prorsus, qui exierant, desperatis Pompeij rebus in urbem redibunt. Hos *lictores* ‡ quia mihi cum lictoribus ad urbem accedenti triumphum deferet Caesar. quem non accipere, periculosum erit; accipere, inuidiosum ad bonos. ep. 3. COMITVM ‡ hos enim uideo in urbem redituros. ep. 12. l. 7. NEC *stultior est*, ‡ significat, malle se Lepidum, Volcatium, Sulpicium imitari, ad urbem redeuntes, quam Domitium, aut Appium, Pompeij comites fugientes: quorum alter stultitiae nomine male audiebat, alter inconstantiae. BENEFICIO ‡ cum mihi exsulanti reditum in patriā confecit. REMVNERARE ‡ non minus longis epistolis.

Cicero S. D. Attico. 2.

MIHI *uero omnia grata; & quod scripsisti ad me, quae audieras; & quod non credidisti, quae digna diligentia mea non essent; & quod monuisti, quod sentiebas. Ego ad Caesarem unas Capua litteras dedi, quibus ad ea rescripsi, quae mecum ille de gladiatoribus suis egerat, breues, sed beneuolentiam significantes, non modo sine contumelia, sed etiam cum maxima laude Pompeij. id enim illa sententia postulabat, quia illum ad concordiam hortabar. eas si quo ille misit, in publico proponat uelim. Alteras eodem die dedi, quo has ad te. non potui non dare, cum & ipse ad me scripsisset, & Balbus. earum exemplum ad te misi. nihil arbitror fore, quod reprehendas. si qua erunt, doce me. quo modo enim effugere possum? nihil, inquies, omnino scripseris. qui magis effugias eos, qui uolent fingere? uerumtamen ita faciam: quoad fieri poterit. Nam quod me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum: facis amice tu quidē, mihiq. gratissimum: sed mihi uideris aliud tu honestum, meq. dignum in hac caussa iudicare, atque ego existimem. mihi enim nihil illa in gente umquam ab ullo auctore reip. ac duce turpius factum esse uidetur, quam a nostro amico factum est. cuius ego uicem doleo. qui urbem reliquit, id est patriam; pro qua, & in qua mori praeclarum fuit. ignorare mihi uideris, haec quanta sit clades. es enim etiam nunc domi tuae: sed, inuitis perditissimis hominibus, esse diutius nō potes. hoc miserius, hoc turpius quidquam? uagamur egentes, cum coniugibus, & liberis. in unius hominis, quotannis periculose aegrotantis, anima positas omnes nostras spes habemus, non expulsi, sed euocati e patria, quam non seruādam ad reditum nostrum, sed diripiendam, inflammandamq. reliquimus. ita multi nobiscum sunt, non in suburbanis, non in hortis, non in ipsa. & si non sunt, non erunt. nos interea, ne Capuae quidem, sed Luceriae. & oram quidem maritimam iam relinquemus. Afranium exspectabimus, & Petreium. nam in Labieno parum est dignitatis. hic tu in me * illud desideras. nihil de me dico: alij uiderint. hic quidem quae est * domi uestrae estis, & eritis omnes boni. quis tum se mihi non ostendit? quis nunc adest hoc bello? sic enim iam appellandū est. Vibullij res gestae sunt adhuc maximae. id ex Pompeij litteris cognosces. in quibus animaduertito illum locum, ubi erit* σιγλῶ. *uidebis, de Cnaeo nostro ipse Vibullius quid existimet. Quo igitur haec spectat oratio? ego pro Pompeio libenter emori possum. facio pluris omnium hominum neminem. sed non ita non meo iudicio spem de salute reip. significas enim aliquanto secus, quam solebas: ut etiam, Italia si ille cedat, putes cedendum: quod ego nec reip. puto esse utile, nec liberis meis: praeterea neque rectum, neque honestum. sed cur? poteris ne uidere tyrannum? quasi intersit, audiam, an uideam, aut locupletior mihi sit quaerendus auctor, quam Socrates; qui, cum triginta tyranni essent, pedem porta non extulit. Est mihi praeterea praecipua caussa manendi: de qua utinam aliquando tecum loquar. Ego XIII. Kal. cum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam, Formijs ad Pompeium, si de pace ageretur, profecturus eram; si de bello, uidero. Vale.*

EXPLANATIO

GLADIATORIBVS *suis* ‡ quos Pompeius binos singulis patribus familias distribuerat. ep. 14. l. 7. POSTVLABAT, ‡ exigere uidebatur, ut Pompeium laudarem. ILLVM ‡ Caesarem. EFFVGERE ‡ qui fieri potest, ut nihil scribam, quod in aliquam reprehensionem non incurrat? QVI *magis effugias* ‡ idest, nihilo magis effugiam. ALIVD *tu honestum*, ‡ significas, debere me Pompeij caussam tueri; idq. & honestum, & me dignum uideris indicare: quod ego secus iudico. ducis. n. culpa uagamur,

egentes cum coniugibus,& liberis. hoc non modo non honestum, sed etiam turpissimum. PERDITISSIMIS } Caesarianis. EXPVLSI, } a Caesare. EVOCATI } a Pompeio. NON *erunt.* } propediem.n.uideo bonorum,id est lautorum,& locupletum, urbem referiam fore, municipijs uero his relictis,refertissimam.ep. I. NE *Capuae quidem* } urbe relicta si Capuae saltem consedisset Pompeius;minus turpiter fecisse,minus peccasse uideretur. PARVM *est dignitatis* } quia & dux sine exercitu,& transfuga: illi autē magnorum duces exercituum,& Hispaniae rectores,Pompeij proconsulis legati. IN *me * illud* } uerbum Graecum,& hic,& paullo post,ubi inane spatium est,desideratur : hic quidem fortasse; καθῆκον : quia supra dixerat,Me hortaris ad memoriam factorum,dictorum,scriptorum etiam meorum. TVM *se mihi* } ante quam urbem relinqueremus,omnes caussam reip.enixe adiuturi uidebantur. RES *gestae* } in Piceno. POMPEII *litteris* } ad Pompeium missis: ut ep.23.l.7.Cassij litterae,ad Cassium missae. VBI *erit διπλῆ* } quem ego nota,quae διπλῆ appellatur,in margine adscripta indicaui. διπλῆ autem duplici figura notabatur,aut hac > in extremo uersu,aut hac < ante primam dictionem collocata. διπλῆ, quia duplici linea formaretur.Isidorus lib.1.Etymologiarum,& Laertius in Platone. SED *non ita* } mendosus locus,& in mendo consentit uterque Caualcantis,& Bessarionis antiquus liber.' nihil igitur ausim immutare : subsidium a scriptis libris exspectemus . ego, nisi paullo longius, quam soleo, a uetere scriptura discederem,opinarer, & recte quidem, quod ad sententiam attinet, legendum sic: Sed positam non in eo iudico spem de salute reip.uel sic: Sed non sitam in eo iudico spem de salute reip. ALIQVANTO *secus,* } nunc ais te putare,si Pompeius Italia cedat,mihi una cedendum;antea monebas, ne me darem incertae,& periculosae fugae.ep.23.l.7. LOCVPLETIOR } grauior,sicuti Locuples testis, non leuis, sed is,cui fides habenda sit,quod eum ad mendacium impellere non potuerit inopia. TRIGINTA } nedum unus. ESSENT } Athenis,a Lacedaemonijs impositi. PEDEM *porta* } ut mihi liceat,eius exemplo,domi meae uiuere.Cur ego,inquit,unum tyrannum mihi ferendum non putem,cum Socrates,quo sapiētior nemo fuit,urbe a triginta tyrannis oppressa, numquam tamen discedere uoluerit? TECVM *loquar* } non enim litteris committenda. VIDERO } considerabo,quid mihi agendum, Pompeium sequar, an in urbem redeam,aut in aliquod opidum uacuum a bello secedam.

Cicero S. D. Attico. 3.

MAXIMIS, & miserrimis rebus perturbatus, cum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset,uti tamen tuo consilio uolui. deliberatio autē omnis haec est: si Pompeius Italia cedat,quod eum facturum esse suspicor,quid mihi agendum putes.& quo facilius consilium dare possis;quid in utramque partem mihi in mentem ueniat,explicabo breui. Cum merita Pompeij summa erga salutem meam, familiaritasq., quae mihi cum eo est,tum ipsa reip.caussa me adducit, ut mihi uel consilium meum cum illius consilio, uel fortuna coniungenda esse uideatur. Accedit illud : si maneo,& illum comitatum optimorum, & clarissimorum ciuium desero;cadendum est in unius potestatem, qui etsi multis rebus significat se nobis esse amicum; &, ut esset,a me est (tute scis) propter suspicionem huius impendentis tempestatis multo ante prouisum : tamen utrūque considerandum est, & quanta ei fides sit habenda;&,si maxime exploratum sit,eum nobis amicum fore,sit ne uiri fortis,& boni ciuis,esse in ea urbe, in qua cum summis honoribus,imperijsq.usus sit, res maximas gesserit,sacerdotio sit amplissimo praeditus, non futurus sit sui iuris,subeundumq. periculum sit cū aliquo forte dedecore,si quando Pompeius remp. recuperarit. In hac parte haec sunt : uide nunc, quae sint in altera. Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter,nihil fortiter;adde etiam, nihil nisi contra consilium,auctoritatemq.meam. Omitto illa uetera, quod istum in remp.ille aluit,auxit,armauit;ille legibus per uim, & contra auspicia ferendis auctor, ille Galliae ulterioris adiunctor;ille gener;ille in adoptando P.Clodio augur; ille restituendi mei,quam retinendi studiosior;ille prouinciae propagator ; ille absentis in omnibus adiutor: idem etiam tertio consulatu , postquam esse defensor reip.coepit,contendit,ut decem tribuni pl.ferrent,ut absentis ratio haberetur : quod idem ipse sanxit lege quadam sua; Marcoq.Marcello consuli, finienti prouincias Gallias Kalend. Mart. restitit : sed, ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu, siue potius turpissima fuga? quae condicio non accipienda fuit potius,quam relinquenda patria? malae condiciones erant,fateor : sed numquid hoc peius? at recuperabit remp. quando? aut quid ad eam spem est parati? non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis,& publica,& priuata aduersario tradita? denique nulla caussa, nullae uires,nulla sedes,quo concurrant, qui remp. defensam uelint. Apulia delecta est,inanissima pars Italiae, & ab impetu huius belli remotissima.fuga, & maritima opportunitas uisa quaeri desperatiōe.inuitus cepi Capuam;non quo munus illud defugerem,sed sine caussa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus priuatorū dolor,bonorum autem esset aliquis,sed hebes, ut solet; &,ut ipse sensissem,multitudo,& infimus quisque propensus in alteram partem;multi mutationis rerum cupidi. dixi ipsi,me nihil suscepturum sine praesidio, & sine pecunia : itaque habui nihil omnino negotij : quod ab initio uidi,nihil quaeri praeter fugam. Eum si nunc sequor,quonam? cum illo non. ad quem cum essem profectus,cognoui in ijs locis esse Caesarem,ut tuto Luceriam uenire non possem. infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima nauigandum est. Age iam,cum fratre, an sine? cum filio, an quo modo? in utraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos absentes, fortunasq. nostras? acrior, quam in ceterorum; quod putabit fortasse in nobis uiolandis aliquid se habere

dabere populare. Age iam has compedes, fasces inpuam hos laureatos efferre ex Italia, quam molestum est? Qui autem locus erit nobis tutus, (ut iam placatis utamur fluctibus) antequam ad illum uenerimus? qua autem, aut quo, nihil scimus. At si restitero, & fuerit nobis in hac parte locus; idem fecero, quod in Cinnae dominatione Philippus. quod L. Flaccus, quod Q. Mucius: quoquo modo ea res huic quidem cecidit; qui tamen ita dicere solebat, se id fore uidere, quod factum est; sed hoc malle, quam armatum ad patriae moenia accedere. aliter Thrasybulus, & fortasse melius. sed est certa quaedam illa Mucij ratio, atque sententia; est illa etiam Philippi; &, cum sit necesse, seruire tempori; & non amittere tempus, cum sit datum. sed in hoc ipso habent tamen ijdem fasces molestiam. sit enim nobis amicus, quod incertum est; sed sit; deferet triumphum. non accipere ne periculosum sit, an accipere inuidiosum ad bonos? o rem, inquis, difficilem, & inexplicabilem. atqui explicanda est. qui enim fieri potest? ac ne me existimaris ad manendum esse propensiorem, quod plura in ea parte uerba fecerim. potest fieri, quod fit in multis quaestionibus, ut res uerbosior haec fuerit, illa uerior. quamobrem, ut maxima de re aequo animo deliberanti, ita mihi des consilium uelim. nauis & in Caieta est parata nobis, & Brundisij. sed ecce nuncij, scribente me haec ipsa noctu in Caleno, ecce litterae, Caesarem ad Corfinium, Domitium Corfinij cum firmo exercitu, & pugnare cupiente. non puto etiam hoc Cnaeum nostrum commissurum, ut Domitium relinquat. etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus praemiserat, legionem a Fausto conscriptam, in Siciliam sibi placere a consule duci, scripserat ad consules. sed turpe Domitium erit deserere, implorantem eius auxilium. est quaedam spes mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pyrenaeo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus: summum autem, Afranium cum magnis copijs aduentare. id si est, in Italia fortasse manebitur. ego autem, cum esset incertum iter Caesaris, quod uel ad Capuam, uel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeium misi, & litteras; ipse, ne quo inciderem, reuerti Formias. Haec te scire nolui, scripsiq. sedatiore animo, quam proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum. Vale.

EXPLANATIO

SALVTEM *meam*, } cum ab exsulio sum eius ope restitutus. CONSILIO, *uel fortuna* } refero Consilium ad familiarem bene meritum, & Fortunam ad ducem reip. SACERDOTIO } auguratu. PERICVLVM } quod a Caesare impendet. PER *uim*, *& contra auspicia* } cum Caesar, lege agraria promulgata, obnunciantem collegam armis foro expulit. Suetonius, Plutarchus, alij. GALLIAE *ulterioris* } Suetonij uerba sunt: Initio Caesar Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accipit; mox per senatũ Comatam quoque, ueritis patribus, ne, si ipsi negassent, populus & hanc daret. ADOPTANDO } adoptione Clodius factus est plebeius, statimq. tribunus pl. rogationem tulit in Ciceronem, quia ciues Romanos contra leges occidisset. AVGVR } itaque fuit in auspicio. ep. 6. l. 1. QVAM *retinendi* } hinc illud in ep. M. Antonij: M. Cicero, te rogo, ut ibi omnia integra serues, eius fidem improbes, qui, tibi, ut beneficium daret, prius iniuriam fecit. ep. 7. l. 10. PROVINCIAE *propagator* } ut Caesari prouincia in alterum quinquennium propagaretur. quod tribunus pl. C. Trebonius tulit, iterum Pompeio & Crasso cos. ep. 3. l. 7. IN *omnibus* } intellige supplicationes maximas decretas, decem legatos, stipendium ex aerario, legionem de ipsius exercitu concessam. LEGE *quadam sua* } cum enim Pompeius tertium consul legem tulisset de iure magistratuum, acciderat, ut eo capite, quo absentes a petitione honorum summouebat, ne Caesarem quidem exciperet per obliuionem. deinde, lege iam in aes incisa, & in aerarium condita, correxit errorem, unumq. Caesarem excepit. Suetonius. FINIENTI } ante tempus lege Trebonia datum. Suetonius. RESTITIT. } non quod aperte dixerit, Caesari succedendum non esse; sed quia, ne senatus consultum de prouincijs ullum fieret, suasit. quod scripsit Coelius ep. 9. l. 8. fam. Sequentibus tamen diebus, mutato consilio, contra Caesarem sensit. ibidem ep. 8. CONDICIONES } a Caesare latae. ep. 16. l. 7. NVLLA *caussa*, } optimam enim caussam Pompeius ipse sua tarditate, & ignauia perdidit. INANISSIMA } cum ab hominum frequentia, tum a commeatibus. AB *impetu* } non enim eiusmodi regio, ut bellum aut in ea sustinere, aut ex ea inferre possimus. MARITIMA *opportunitas* } ut classe fugere possemus. CEPI *Capuam* } cum Italiae partes describerentur, quam quisque partem tueretur. fam. ep. 10. lib. 16. SINE *caussa* } ideo inuite, quia sine caussa. IN *alteram partem*: } in Caesaris partem. IPSI } Pompeio. QVOD *ab initio uidi* } refertur, non ad hoc proximum, Itaque habui, sed ad illud, Dixi ipsi: hac sententia: Cum uiderem, nihil quaeri praeter fugam; dixi ipsi, me nihil suscepturum sine praesidio, & sine pecunia. CVM *illo non* } simul cum illo discedere ex Italia non possum. ire enim Luceriam ad eum tuto mihi non licet. CVM *essem profectus* } sic Bessarionis liber, & recte. neque enim Proficisci est peruenire, sed discedere ut peruenias. alij, Profecturus. NAVIGANDVM } si Pompeium Italia cedentem sequi uolumus. ALIQVID *se habere populare* } quod populo placeat; quia multis ab eo beneficijs ornatus, contra tamen arma tulerim. ep. 18. lib. 4. & 3. libri 8. COMPEDES, } detinent enim me; ut neque exire ex Italia, neque ad urbem ire, neque obscuro, humiliq. loco latere possim. ep. 1. & fam. ep. 16. lib. 1. QVI *autem* } quincta & ultima ratio, cur Pompeium sequi non debeat. prima fuit illa, Infero mari: secunda, Age iam: tertia, Qui autem impetus: quarta, Age iam has compedes: quincta, Qui autem locus. AT SI } affert nunc rationes, cur Pompeium sequi debeat. RESTITERO, } remansero. IN *hac parte* } apud Caesarem. IDEM *fecero* } clarissimos uiros, & in rep. principes, Philippum, Flaccum, Scaeuolam imitabor, qui patriae bellum inferre noluerunt. QVOQVOMODO } quia, cum in urbe remansisset, mox interfectus

terfectus

terfectus est iussu consulis C. Marij iunioris. Florus. FORE *uidere* } ut occideretur in urbe, quam uideret in potestate crudelissimorum. THRASYBVLVS, } Atheniensis: qui armatus accessit ad patriae moenia, ut eam a triginta tyrannis liberaret. SERVIRE *tempori*, } seruitutem ferre, & in patria manere. NON *amittere tempus* } excutere seruitutis iugum, ubi possis. SCIPIONEM { socerum suum. DVABVS } infra scribit Pompeius XIV. cohortes misisse Brundisium. ep. 12. PRAEMISERAT } quod argumento est, Pompeium de ope Domitio ferenda non cogitare, sed habere in animo cum suis copijs mare transire. FAVSTO } duos gemellos Sulla dictator ex Metella suscepit, Faustum, quo de hic agitur, quem postea uictor Caesar sustulit, & Faustam, quae Miloni nupsit Plutarchus. A CONSVLE } antiqui libri, Consulibus: sed placet, Consule, ex ipsa Pompeij epistola. ep. 12. FABIVM *tuum transisse* } in castra Afranij. EXQVIRENS } ut scribas ad me, si Pompeius Italia cedit, quid mihi censeas agendum.

Cicero S. D. Attico. 4.

DIONYSIVS quidem tuus potius, quam noster, cuius ego cum satis cognossem mores, tuo tamen potius stabam iudicio, quam meo, ne tuam quidem testimonium, quod ei saepe apud me dederas, ueritus, superbum se praebuit in fortuna, quam putauit nostram fore: cuius fortunae nos, quantum humano consilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus. cui qui noster honos, quod obsequium, quae etiam ad ceteros contempti cuiusdam hominis commendatio defuit? ut meum iudicium reprehēdi a Quincto fratre, uulgoq. ab omnibus mallem, quam illum non efferre laudibus; Cicerone sq. nostros meo potius labore subdoceri, quam me alium ijs magistrum quaerere. ad quem ego quas litteras, dij immortales, miseram, quantum honoris significantes, quantum amoris. Dicaearchum mehercule, aut Aristoxenum diceres arcessi, non unum omnium loquacissimum, & minime aptum ad docendum. sed est memoria bona. me dicet esse meliore. Quibus litteris ita respondit, ut ego nemini, cuius caussam non reciperem. semper enim, si potero; si ante suscepta caussa non impediar. numquam reo cuiquam, tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam praecise negaui, quā hic mihi. plane sine ulla exceptione praecidit. nihil cognoui ingratius: in quo uitio nihil mali non inest. Sed de hoc nimis multa. Ego nauem paraui: tuas litteras tamen exspecto; ut sciam, quid respondeant consultationi meae. Sulmone C. Atium Pelignum aperuisse Antonio portas, cum essent cohortes quinque; Q. Lucretium inde effugisse scis, Cnaeum ire Brundisium desertum. confecta res est. Vale.

EXPLANATIO

QVAM *putauit* } non dixit Cicero, in fortuna nostra; ut malum omen uitaret, sed, In fortuna, quam Dionysius putauit nostram fore, dura scilicet, ac minime prospera. MEMORIA *bona.* } in litteris. MELIORE } memorem enim huius iniuriae sentiet. EFFVGISSE *scis*, } scire te oportet: ut illud in epistola Coelij: fam. ep. 14. lib. 8. Prope oblitus sum, quod fuerat scribendum. scis Appiū censorem ostenta facere? DESERTVM } amissa Italia. CONFECTA *res est* } de Italia actum est.

Cicero S. D. Attico 5.

CVM ante lucem VIII. kal. ad te litteras dedissem, uesperi ad nos eodem die uenit ipse Dionysius, auctoritate tua permotus, ut suspicor. quid enim putem aliquid? etsi solet, cum aliquid furiose fecit, paenitere. numquam autem certior fuit, quam in hoc negotio. nam quod ad te non scripseram, postea audiui, a tertio milliario tum eum isse πολλὰ μάταιν *KAE PECCINECHE* μαθυμῶν ὄντα. *multa, inquam, mala cum dixisset, suo capiti, ut aiunt. sed meam mansuetudinem. conieceram in fasciculum una cum tua uenientem ad illum epistolam: hanc ad me referri uolo; nec ullam ob aliam caussam Pollicem, seruum a pedibus meum, Romam misi. eo autem ad te scripsi, ut, si tibi forte reddita esset, mihi curares referendam; ne in illius manus perueniret. Noui si quid esset, scripsissem. pendeo animi exspectatione Corfiniensi; in qua de salute reip. decernitur. Tu fasciculum, qui est M'. Curio inscriptus, uelim cures ad eum perferendum; Tironemq. Curio commendes; ut ei, ut petijt, si quid opus erit, in sumptum eroget. Vale.*

EXPLANATIO

FVRIOSE } sine ratione. CERTIOR *fuit* } se furiose fecisse. EVM *isse* πολλὰ μάταιν *&c.* } hoc totum ijsdem fere litteris uidetur posse restitui, sic inquam: Euenisse: πολλὰ μάταιν χαίρουσιν ἐν ἱερᾷ θύνειν ὄντα: ut sit spondaicus ex uetere poeta. EVENISSE } ut mihi male diceret, cum aerem manibus temere feriret, iratorum more. SED *meam mansuetudinem* } seruabo: non pergam ei merenti male dicere. iam enim coeperat in Dionysium maledicta retorquere, cum dixit, Suo capiti. seruat autem suam mansuetudinem, quia non pergit male dicere; sed iram ostendit, quia non perficit orationem.

CORFI-

Corfiniensi, } uide epist. 3. lib. 8. M. Curio } opinor praenomen Curij fuisse Manius, non Marcus. de quo plura in scholijs nostris in epist. fam. lib. 16. epist. 14. Ad eum } Patras: ubi apud Curium Cicero aegrum Tironem reliquerat. epist. 22. lib. 9. & 4. lib. 10. fam. lib. 16. & 15. Vt petijt, } arbitror legendum, Petij. nam in antiquo libro est, Peti. idq. confirmant & sequens epistola, & ea, quae scripta sunt ad Tironem.

Cicero S. D. Attico 6.

Obsignata iam epistola, quam de nocte daturus eram, sicut dedi, (nam eam uesperi scripseram) C. Sosius praetor in Formianum uenit ad M'. Lepidum, uicinum nostrum, cuius quaestor fuit; Pompeij litterarum ad consulem exemplum attulit. Litterae mihi a L. Domitio ad VII. kal. Mart. allatae sunt, earum exemplum infra scripsi. nunc, ut ego non scribam, tua sponte te intelligere scio. quanti reip. intersit, omnes copias in unum locum primo quoque tempore conuenire, tu, si tibi uidebitur, dabis operam, quamprimum ad nos uenias. praesidij Capuae, quantum constitueris esse satis, relinquas. Vale. Deinde supposuit exemplum epistolae Domitij, quod ego ad te pridie miserã. Dij immortales, qui me horror perfudit. quam sum sollicitus, quidnam futurum sit. hoc tamen spero, magnum nomen imperatoris fore, magnum in aduentu terrorem. spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil mutasse, nec tegentia hoc, quod cum fortiter, & diligenter, tum etiam mehercule: modo enim audiui, quartanam a te discessisse. moriar, si magis gauderem, si id mihi accidisset. Piliae dic, non esse aequum, eam diutius habere, nec id esse nostrae concordiae. Tironem nostrum ab altera relictum audio. sed eam uideo in sumptum ab alijs mutuarum. ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram. malo Tironis uerecundiam in culpa esse, quam illiberalitatem Curij. Vale.

EXPLANATIO

Ad consulem } L. Lentulum. ep. XI. IIX. Kal. } aut hic XIII. aut infra IIX. legendum. epist. 11. Nunc, ut ego, &c. } placet eorum coniectura, qui ita legunt: Nunc, ut ego non scribam: quamquam ueteres libri omnes non, Scribam, sed, Sciebam, habent. quod iidem legunt, Tua sponte te intelligere: non probo: nam & antiqui libri, Sua sponte, habent: & ita, Sua sponte, pro tua sponte, dictum puto, ut epist. 7. lib. 10. In suo lectulo, pro in meo, dixit Cicero. Intersit, omnes } fortasse, Intersit, abundat: nam in Bessarionis libro non est, sed sic, In omnis. Primo quoque tempore } ut possimus quamprimum Domitio subuenire. In aduentu } fore, ut Pompeius Corfinium adueniens magnum inimicis terrorem inferat. Mutasse } Bessarionis liber, Mutuasset. locus deprauatus. Non esse aequum, } iocus est: quasi fuerit hoc in Piliae manu, ut quartanam ipsa posset abiicere. Habere } quartanam: in quam inciderat. ep. 5. l. 7. Vestrae concordiae } ut, cum tu ualeas, ipsa aegrotet. Altera } quartana. Malo } libentius credo: uolo enim Curium illiberalem putare.

Cicero S. D. Attico. 7.

Vnum etiam restat amico nostro ad omne dedecus, ut Domitio non subueniat. at nemo dubitat, quin subsidio uenturus sit: ego non puto. deseret igitur talem ciuem, & eos, quos una scis esse? cum habeat praesertim & ipse cohortes XXX? nisi me omnia fallent, deseret. incredibiliter pertimuit. nihil spectat, nisi fugam: cui tu (uideo enim, quid sentias) me comitem putas debere esse. ego uero, quem fugiam, habeo; quẽ sequar, non habeo. quod enim tu meum laudas, & memorandum dicis, malle quod dixerim me cum Pompeio uinci, quam cum istis uincere: ego uero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse uidebatur: cum hoc uero, qui ante fugit, quam scit, aut quem fugiat, aut quo, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit, si malui, contigit; uictus sum: quod superest, nec ista uidere possum, quae, numquam timui, ne uiderem; nec mehercule istum, propter quem mihi non modo meis, sed memet ipso carendum est. Ad Philotimum scripsi de uiatico; siue a Moneta, (nemo enim soluit) siue ab Oppijs, tuis contubernalibus. cetera apposita tibi mandabo. Vale.

EXPLANATIO

Amico nostro } Pompeio. Victus sum: } uictus enim Pompeius Italia cedit, uide igitur, qua in solicitudine uerser, cum neque Pompeium, tam multa peccantem, sequi debeam; &, manere in Italia, peracerbum sit, propterea quod neque ista, (epist. 15.) quae a Caesare fiunt, uidere possum, neque ipsum Caesarem. Quae numquam &c. } numquam putaui futura. non enim haec tam miserã, tam

calamitosa timui, quae uix uiderentur euenire posse: quae tamen nunc uideo euenisse. MEIS } urbe, propinquis, amicis. MEMET *ipso* } non modo meis careo, sed nec ipse colere possum eas artes, eamq. uitam, cui me diuturna consuetudo assuefecerat. VIATICO } quod erat ex Italia exeunti necessariũ. MONETA } locus erat, ubi moneta cudebatur. inde uult a Philotimo pecuniam sumi, tradito, quod etiam nunc solet, auro, argento ue infecto. NEMO } ex ijs, qui debent. OPPIIS } feneratoribus. TVIS *contubernalibus* } qui domi tuae ita frequentes sint, ut contubernales tui uideri possint. epist. 14. lib. 2. APPOSITA } de uiatico scripsi ad Philotimum: tibi cetera mandabo ad hoc meum discedendi consilium apposita.

Cicero S. D. Attico. 8.

O REM turpem & ea re miseram, sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserũ, quod turpe sit. aluerat Caesarem: eundem repente time re coeperat: condicionem pacis nullam probarat: nihil ad bellum pararat: urbem reliquerat: Picenum amise cat culpa: in Apuliam se compegerat: ibat in Graeciã: omnes nos ἀπροσφωνήτους, *expertes sui tanti, tam inusitati consilij, relinquebat. ecce subito litterae Domitij ad illum, ipsius ad consules. fulsisse mihi uidebatur* τὸ καλὸν *ad oculos eius, & exclamasse ille uir, qui esse debuit,*

Πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρὴ, καὶ παλαμάσθων,
Καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων.
Τὸ γὰρ εὖ, μετ' ἐμοῦ.

at ille tibi, πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ *dicens, pergit Brundisium. Domitium autem aiunt, re audita, & eos, qui una essent, se tradidisse. o rem lugubrem: itaque intercludor dolore, quo ad te plura scribam. tuas litteras exspecto. Vale.*

EXPLANATIO

AD CONSVLES. } legerem, Ad consulem; primum, quia, Domitij litteris acceptis, scripsisse Pompeium ad Lentulum consulem, supra manifestum est, ep. xi. deinde, quia, Consulem, potius, quã, Consules, Bessarionis liber significat. habet enim sic, Consul: & lineam illam, quae litteram intersecat, scimus, cum pro apice superinducitur, modo e, modo in ualere: ut hic fortasse pro utraque a festinante librario posita sit. FVLSISSE } quia uidebatur Pompeius in iis ad consulem litteris de ope Domitio ferenda cogitare. epist. xi. &, Fulsisse, quasi non uidisset antea τὸ καλὸν Pompeius. Sic de Caesare, O hominem amentem, & miserum, qui ne umbram quidem umquam τοῦ καλοῦ uiderit; epist. xi. lib. 7. Πρὸς ταῦθ' ὅτι χρὴ } locus Aristophanis e comoedia, quae inscribitur Ἀχαρνεῖς, hic est,

„ πρὸς ταῦτα πλέκων καὶ παλαμάσθω,
„ καὶ πᾶν ἐμοὶ τεκταινέσθω.
„ τὸ γὰρ δὴ μετ' ἐμοῦ.

Aut igitur hic Aristophanis uerba ipsa ponenda sunt: ut nomine Cleonis Caesar ἐν αἰνιγμοῖς intelligatur: aut, si illud, ὅτι χρὴ, ut est in impressis libris, retinetur, illud quoque retinendum est, quod in olim impressis libris habebatur, ποιήσω. ut sit, ποιήσω, ὅτι χρὴ. erit autem haec sententia. eaq. mihi ut uidetur, satis apta. Ego quidem, quod fieri oportet, efficiam: deinde,

„ -καὶ παλαμάσθων,
„ καὶ πάντ' γε π' ἐμοὶ τεκταινέσθων.
„ τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.

Quidlibet in me struant, & moliantur Caesariani: iustum enim a me stat. ut leuiter immutatos Aristophanis uersus Cicero ad id, quod agebat, accommodauerit. AT *ille tibi,* } hunc loquendi modum Latine scribentes apte usurpabunt subitis in rebus, & praeter exspectationem contingentibus. magistro Cicerone fiet, ep. 18. lib. 9. & 13. lib. 10. & famil. lib. 9. epist. 2. πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ *dicens* } abiecta honesti cura: ut illud in epistola, opinor, ad Volumnium: Multam salutem & foro dicam, & curiae. QVO *ad te plura scribam.* } quo possim ad te plura scribere. negantem enim particulam neque Caualcantis liber habet, neque Bessarionis.

Cicero S. D. Attico. 9.

EPISTOLAM meam quod peruulgatam scribis esse, non fero moleste: quin etiam ipse multis dedi describendam. ea enim & acciderunt iam, & impendent, ut testatum esse uelim, de pace quid censuerim. cũ autem ad eam hortarer, eum praesertim hominem, non uidebar ullo modo facilius moturus, quam si id, ad quod eum hortarer, conuenire eius sapientiae dicerẽ. eam si admirabilem dixi, cum eum ad salutem patriae hortabar, non sum ueritus, ne uiderer assentari; cui tali in re libenter me ad pedes abiecissem. Qua autem est, Aliquid impertias temporis; non est de pace, sed de me ipso, & de meo officio ut aliquid cogitet. Nam quod testificor, me expertem belli fuisse; etsi id re perspectũ est, tamen eo scripsi, quo in suadendo plus auctoritatis haberem,

haberem. Eodemq. pertinet, quod caussam eius probo. Sed, quid haec nunc? utinam aliquid profectum esset: nae ego istas litteras in concione recitari uelim. siquidem ille ipse ad eundem in publico proposuit epistolam illam, in qua est, Pro tuis rebus gestis amplissimis. *amplioribus ne, quam suis, quam Africani? ita tempus ferebat. siquidem etiam nos duo tales ad quinctum milliarium. quid, nunc ipsum, unde se recipienti, quid agenti, quid acturo? quanto autem ferocius ille caussae suae confidet, cum uos, cum uestri similes non modo frequentes, sed laeto uultu gratulantes uiderit? Num igitur peccamus? minime uos quidem: sed tamen signa conturbantur, quibus uoluntas a simulatione distingui posset. Quae uero S.C. uideo? sed apertius, quam proposueram. Ego Arpini uolo esse prid. kal. deinde circum uillulas nostras errare, quas uisurum me postea desperaui. Εὐγενῆ tua consilia, & tamen pro temporibus non incauta, mihi ualde probantur. Lepido quidem (nam fere συνδιημερεύομεν: quod gratissimum illi est) numquam placuit ex Italia exire, Tullo multo minus. crebro enim illius litterae ab alijs ad nos commeant. sed me illorum sententiae minus mouebant. minus multa dederant illi reip. pignora. tua mehercule auctoritas uehementer mouet. affert enim & reliqui temporis recuperandi rationem, & praesentis tuendi. sed, obsecro te, quid hoc miserius, quam alterum plausus in foedissima caussa quaerere, alterum offensiones in optima? alterum existimari conseruatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum? & mehercule, quamuis amemus Cnaeum nostrum; ut & facimus, & debemus: tamen hoc, quod talibus uiris non subuenit, laudare non possum. nam siue timuit; quid ignauius? siue, ut quidam putant, meliorem suam caussam illorum caede fore putauit; quid iniustius? Sed haec omittamus: augemus enim dolorem retractando. VI. kal. uesperi Balbus minor ad me uenit, occulta uia currens ad Lentulum cos. missu Caesaris, cum litteris, cum mandatis, cum promissione prouinciae, Romam ut redeat. cui persuaderi posse non arbitror, nisi erit conuentus. idem aiebat, nihil malle Caesarem, quam ut Pompeium assequeretur; id credo: ut rediret in gratiam, id non credo: & metuo; ne omnis haec clementia ad unam illam crudelitatem colligatur. Balbus quidem maior ad me scribit, nihil malle Caesarem, quam principe Pompeio sine metu uiuere. tu puto haec credis. sed, cum haec scribebam V. kal. Pompeius iam Brundisium poterat uenisse: expeditus enim antecesserat legiones Luceria. sed hoc τέρας horribili uigilantia, celeritate, diligentia est. plane, quid futurum sit, nescio. Vale.*

EXPLANATIO

EPISOLAM *meam* } ad Caesarem. ep. 2. lib. 8. & 14. lib. 9. PROBO } cum ad Caesarem scripsi, caussam eius a me probari; ideo scripsi, quo plus in suadendo auctoritatis haberem. ILLE *ipse* } Pompeius. ep. 24. lib. 7. ITA *tempus ferebat* } temporis caussa ita scripsi ad Caesarem. Vos *duo* } tu, & Sex. Peducaeus: qui Caesari Romam uenienti obuiam prodire ad quinctum milliarium cogitatis. NVNC *ipsum* } hoc ipso tempore. Nunc ipsum enim plus ualet ad indicandum, quam Nunc; ut & supra docuimus. RECIPIENTI } Caesari se, ad urbem recipienti obuiam prodibitis ad quinctum milliarium. unde autem se recipienti? a uictoria de ciuibus parta, pulsis Italia reip. partibus. MINIME *uos quidem*: } quia tempus ita fert: & uos non ex animo, sed simulate gratulaturos probe scio: uerumtamen, si obuiam proditis ad quinctum milliarium, & a bello ciuili redeuntem gratulatione excipitis, quis distinguet simulationem a uoluntate? uoluntas, inquam, haec uidebitur, non simulatio. uoluntatis enim haec signa sunt, non simulationis. CONTVRBANTVR } quae signa uoluntatem a simulatione distinguerent, ea ita conturbantur hoc officio gratulationis, ut internoscendi facultas non detur. QVAE *uero* } uideo fore, ut S.C. fiat, cuiusmodi Caesar uoluerit. TVLLO } in libro Bessarionis, Vllo: nos, Tullo, non dubitauimus quin legendum esset, cum hic Cicero significet L. Volcatium Tullum, qui consul fuit cum M'. Aemilio Lepido: de quo etiam epistola huius libri prima, Nec me, inquit, M'. Lepidi, L. Volcatij comitum paeniteret. & ep. 14. lib. 9. ILLIVS } Tulli. AB *alijs* } ad alios missae. MINVS *mouebat* } exissem ex Italia, quamuis illi non exirent. habet enim a me respub. innumerabiles actiones pro salute patriae quasi quaedam pignora, ut iam a me ipso uix uidear posse dissentire. quod illis aeque non accidit. minus enim multa dederunt reip. pignora: (ep. 15.) ut ab illis non eadem, quae a nobis, exspectentur, ideoque, si manent in Italia Pompeio discedente, leuior eos uituperatio sit consecutura, quam me, si idem consilij capiam. nunc autem auctoritas tua facit, ut manendum putem. RELIQVI *temporis* } scribis enim sic: posterius me profuturum reip. si mansero. PRAESENTIS *tuendi* } uis enim me in Italia manere. quod tuta mansio sit, discessus mihi periculosus, nec reip. utilis. ep. 14. lib. 9. ALTERVM } Caesarem. PLAVSVS *quaerere* } consequi, ut laudetur, cum remp. oppugnet: Pompeium autem, qui defensionem suscepit, uituperari: cur? quia Caesar Domitium, aliosq. ciues, sibi inimicos, Corfinij captos conseruauit, Pompeius deseruit. NISI *erit conuentus* } habet amicissimus meus in antiquo suo libro, Nisi non erit conuentus. quod cum aliquandiu cogitans examinassem, ut in librorum dissensione soleo, ueni in hanc opinionem, detrusum suo loco, Non, in alienum migrasse, uitiosumq. esse, Posse non arbitror, nisi erit conuentus; sincerum, Posse arbitror, nisi non erit conuentus. putabat enim Cicero, ante Lentulum esse cum Pompeio transmissurum, quam a Balbo conueniri posset. apertius ep. XI. l. 8. & 6. l. 9. & Paterculus lib. 2. OMNIS *haec* } qua Caesar utitur. VNAM *illam* } in extremo timendam: ut deinde uictor, abiecta clementiae simulatione, omnes tollat. BALBVS *maior* } is, quem Tartessium uocat ep. 3. l. 7. HAEC *credis* } εἰρωνικῶς. Hoc τέρας } Caesar,

Cicero S. D. Attico. 10.

DIONYSIVS *cum ad me praeter opinionem meã uenisset, locutus sum cum eo liberalissime: tempora exposui: rogaui, ut diceret, quid haberet in animo: me nihil ab ipso inuito contendere. respondit: se, quod in nummis haberet, nescire quo loci esset: alios non soluere, aliorum diem non dum esse. dixit etiam alia quaedã de seruulis suis, quare nobiscum esse non posset. morem gessi: dimisi a me, ut magistrum Ciceronum, non libenter: ut hominem ingratum, non inuitus. Volui te scire, quid ego de eius facto iudicarem. Vale.*

EXPLANATIO

IN NVMMIS *haberet,*] in nominibus haberet, est in amicissimi antiquo libro: quod magis placet. est enim hic, ut saepe, Nomen pro debitore. NESCIRE *quo loci esset*] elegans locutio, pro, non plane sibi nota esse: ea se uelle recognoscere.

Cicero S. D. Attico. 11.

QVOD *me magno animi motu perturbatum putas; sum equidem, sed non tam magno, quam tibi fortasse uideor. leuatur enim omnis cura, cum aut consistit consilium, aut cogitando nihil explicatur. lamentari autem licet: illud tamen totos dies: sed uereor, ne, nihil cum proficiam, etiam dedecori sim studijs, ac litteris nostris. consumo igitur omne tempus, cõsiderans, quanta uis sit illius uiri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem uidetur, expressimus. tenes ne igitur, moderatorem illum reip. quo referre uelimus omnia? nam sic quincto, ut opinor, in libro loquitur Scipio.* VT *enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori uictoria, sic huic moderatori reip. beata ciuium uita proposita est, ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, uirtute honesta sit. huius enim operis, maximi inter homines, atque optimi, illum esse effectorem uolo. Hoc Cnaeus noster cum antea numquam, tum in hac caussa minime cogitauit. dominatio quaesita ab utroque est, non id actum, beata, & honesta ciuitas ut esset. Nec uero ille urbem reliquit, quod eam tueri non posset; nec Italiam, quod ea pelleretur: sed hoc a primo cogitauit, omnes terras, omnia maria mouere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. genus illud Sullani regni iampridem appetitur, multis, qui una sunt, cupientibus an censes, nihil inter eos conuenire? nullam pactionem fieri potuisse? hodie potest. sed neutri σκοπὸς est ille, ut nos beati simus. uterque regnare uult. Haec, a te inuitatus, breuiter exposui. uoluisti enim me, quid de his malis sentirem, ostendere. προθεσπίζω igitur, noster Attice, non ariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens. Iamq. mari magno. non multo inquam secus possum uaticinari: an tanta malorum impendet ἰλιάς. atque hoc nostra grauior est caussa, qui domi sumus, quam illorum, qui una transierunt, quod illi quidem alterum metuunt, nos utrunque. cur igitur, inquis, remansimus? uel tibi paruimus; uel non occurrimus; uel hoc fuit rectius. conculcari, inquam, miseram Italiam uidebis proxima aestate ab utriusque mancipijs ex omni genere collectis. nec tam proscriptio pertimescenda, quae Luceriae multis sermonibus denunciata est, quam uniuersae interitus: tantas in confligendo utriusque uires uideo futuras. Habes coniecturam meam. tu autem consolationis fortasse aliquid exspectasti. nihil inuenio. nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil foedius. Quod quaeris, quid Caesar ad me scripserit: quod saepe: gratissimum sibi esse, quod quierim: oratque, in eo ut perseuerem. Balbus minor haec eadem mandata. iter autem eius erat ad Lentulum cos. cum litteris Caesaris, praemiorumq. promissis, si Romam reuertisset. uerum, cum habeo rationem dierum, ante puto transmissurum, quam potuerit conueniri. Epistolarum Pompeij duarum, quas ad me misit, negligentiam, meamq. in rescribendo diligentiam uolui tibi notam esse. earum exempla ad te misi. Caesaris hic per Apuliam ad Brundisium cursus quid efficiat, exspecto. utinam aliquid simile Parthicis rebus. simul aliquid audiero, scribam ad te. tu ad me uelim bonorum sermones. Romae frequentes esse dicuntur. scio equidem te in publicum non prodire. sed tamen, audire te multa, necesse est. Memini tibi librum afferri, a Demetrio Magnete ad te missum, περὶ ὁμονοίας. eum mihi uelim mittas. uides, quam caussam mediter. Vale.*

Cn. Pompeius procos. M. Ciceroni imp. S. Q. Fabius ad me uenit ad IV id. Febr. is nunciat L. Domitium cũ suis cohortib. XI, & cohortib. XIV, quas Vibullius adduxit, ad me iter habere; habuisse in animo proficisci Corfinio: & ad V. id. Febr. C. Hirrum cum V. cohortibus subsequi. censeo, ad nos Luceriam uenias. nam te hic tutissime puto fore. Vale.

Cicero imp. Cn. Pompeio procos. S.

Ad Kal. Mar. Formijs accepi tuas litteras: ex quib. ea, quae in agro Piceno gesta erant, cognoui commodiora esse multo, quam ut erat nobis nunciatum; Vibulliq. uirtutem, industriamq. libenter agnoui. Nos adhuc in ea ora, ubi praepositi sumus, ita fuimus, ut nauem paratam haberemus. ea enim audiebamus, & ea uerebamur, ut, quodcunque tu consilium praecepisses, id nobis persequendum putaremus. nunc, quoniam auctoritate, & consilio tuo in spe firmiore sumus; si teneri posse putas Tarracinam, & oram maritimam, in ea manebo. etsi praesidia in oppidis nulla sunt. nemo enim nostri ordinis in his locis est praeter M. Eppium, quem ego Minturnis esse uolui, uigilantem hominem, & industrium. L. Torquatum, uirum fortem, & cum

auctoritate

auctoritate, Formijs non habemus: ad te profectum arbitramur. ego omnino, ut proxime tibi placuerat, Capuam ueni eo ipso die, quo tu Theano Sidicino es profectus. uolueras enim me cum M. Considio propraet. illa negotia tueri. cum eo ueni ssem, uidi T. Ampium delectum habere diligentissime, ab eo accipere Libonem summa item diligentia, & in illa colonia auctoritate. fui Capuae, quoad consules. iterum, ut erat dictum ab consulibus, ueni Capuam ad non. Febr. cum fuissem triduum, recepi me Formias, nunc, quod tuum consilium, aut quae ratio belli sit, ignoro. si tenendam hanc oram putas, quae & opportunitatem, & dignitatem habet, & egregios ciues, &, ut arbitror, teneri potest: opus est esse, qui praesit. sin omnia in unum locum contrahenda sunt: non dubito, quin ad te statim ueniam: quo mihi nihil optatius est: idq. tecum, quo die ad urbe discessimus, locutus sum. ego, si cui adhuc uideor segnior fuisse, dum ne tibi uidear, non laboro. & tamen, si, ut uideo, bellum gerendum est, confido me omnibus facile satisfacturum. M. Tullium, meum necessarium, ad te misi, cui tu, si tibi uideretur, ad me litteras dares. Vale.

Cn. Pompeius procos. M. Ciceroni imp. S.
Tuas litteras libenter legi. recognoui enim tuam pristinam uirtutem etiam in salute communi. Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, uenerunt. Magnopere te hortor, pro tuo singulari, perpetuoq. studio in remp. ut te ad nos conferas; ut communi consilio reip. afflictae opem, atque auxilium feramus. censeo, uia Appia iter facias, & celeriter Brundisium uenias. Cura ut ualeas.

M. Cicero imp. Cn. Pompeio procos. S.
Cum ad te litteras misissem, quae tibi Canusij redditae sunt, suspicionem nullam habebam, te reip. caussa mare transiturum; eramq. in spe magna, fore, ut in Italia possemus aut concordiam constituere, qua mihi nihil utilius uidebatur, aut remp. summa cum dignitate defendere: interim, non dum meis litteris ad te perlatis, ex ijs mandatis, quae D. Laelio ad consules dederas, certior tui consilij factus, non exspectaui, dum mihi a te litterae redderentur; confestimq. cum Quincto fratre, & cum liberis nostris iter ad te in Apuliam facere coepi. cum Theanum Sidicinum uenissem, C. Messius, familiaris tuus, mihi dixit, alijque complures; Caesarem iter habere Capuã, & eo ipso die mansurum esse Aeserniae. sane sum commotus; quod si ita esset, non modo iter meum interclusum, sed me ipsum plane exceptum putabam. itaque tum Cales processi, ut ibi potissimum consisterẽ, dum certum nobis ab Aesernia de eo, quod audieram, referretur. at mihi, cum Calibus essem, affertur litterarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum cos. misisses. hae scriptae sic erant: litteras tibi a L. Domitio ad XIII. kal. Mart. allatas esse: earumq. exemplum subscripseras: magniq. intereße reip. scripseras, omnes copias primo quoque tempore in unum locum conuenire; & ut, praesidij quod satis esset, Capuae relinqueret. His ego litteris lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copijs ad Corfinium eße uenturum: quo mihi, cum Caesar ad opidum castra haberet, tutum iter esse non arbitrabar. cum res in summa exspectatione esset, utrumque simul audimus, & quae Corfinij acta essent, & te iter Brundisium facere coepisse. cumq. nec mihi, nec fratri meo dubium esset, quin Brundisium contenderemus, a multis, qui e Samnio, Apuliaq. ueniebant, admoniti sumus, ut caueremus, ne exciperemur a Caesare; quod is in eadem loca, quae nos petebamus, profectus, celerius etiam, quam nos possemus, eo, quo intenderat, uenturus esset. quod cum ita esset; nec mihi, nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, ut temeritas nostra nõ solum nobis, sed etiam reip. noceret; cum praesertim non dubitaremus, quin, si etiã tutum nobis iter fuisset, te tamen iam consequi non possemus. interim accepimus tuas litteras, Canusio ad X. kal. Mart. datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brundisium ueniamus. quas cum accepissemus ad III. kal. Mart. non dubitabamus, quin tu iam Brundisium peruenißes: nobisq. iter illud omnino interclusum uidebamus, neque minus nos eße captos, quam qui Corfinium uenissent. neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidißent, sed eos nihilo minus, qui regionibus exclusi intra praesidia, atque intra arma aliena uenissent. quod cum ita sit; maxime uellem primum tecum semper fuisse; quod quidem tibi ostenderam, cum a me Capuam reijciebam: quod feci non uitandi oneris caussa, sed quod uidebam, teneri illam urbem sine exercitu non posse: accidere autem mihi nolebam, quod doleo uiris fortissimis accidisse. quoniam autem, tecum ut essem, non cõtigit: utinam tui consilij certior factus essem. nam suspicione assequi non potui; quod omnia prius arbitratus sum fore, quam ut haec reip. caußa in Italia non posset duce te consistere. neque uero nunc consilium tuum reprehendo, sed fortunam reip. lugeo: nec, si, egeo, quid tu sis secutus, non perspicio, iccirco minus existimo, te nihil, nisi summa ratione, fecisse. mea quae semper fuerit sententia, primum de pace uel iniqua condicione retinenda, deinde de urbe, (nam de Italia quidem nihil mihi umquam ostenderas) meminisse te arbitror. sed mihi non sumo, ut meum consilium ualere debuerit: secutus sum tuum, neque id reip. caussa, de qua desperaui, quae & nunc afflicta est, nec excitari sine ciuili per niciosissimo bello potest: sed te quaerebam: tecum esse cupiebam: neque eius rei facultatem si qua erit, praetermittam. Ego me in hac omni caussa facile intellige bam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere. primum enim praeme tuli, me nihil malle, quam pacem: non quin eadem timerem, quae illi: sed ea bello ciuili leuiora ducebam. inde, suscepto bello, cum pacis condiciones ad te afferri, a teq. ad ea honorifice, & large responderi uiderem; duxi meam rationem; quam tibi facile me probaturum, pro tuo in me beneficio, arbitrabar. Memineram me esse unum, qui pro meis maximis in remp. meritis supplicia miserrima, & crudelissima pertulissem: me esse unum, qui, si offendissem eius animum, cui tum, cum iam in armis essemus, consulatus tamen alter, & triumphus amplißmus deferebatur, subijcerer eiusdem proelijs: ut mea persona semper ad improborum ciuium impetus aliquid uideretur habere populare. atque haec non ego prius sum suspicatus, quam mihi palam denunciata sunt: neque ea tam pertimui, si subeunda essent, quam declinanda putaui, si honeste uitare possem. Quoniam breuem illius temporis, dum in spe pax fuit, rationem nostras uides; reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus

non satisfacio. facile respondeo. neque enim ego amicior C. Caesari umquam fui, quam illi: neque illi amiciores reip. quam ego. hoc inter me, & illos interest, quod, cum & illi ciues optimi sint, & ego ab ista laude non absim, ego condicionibus, quod idem te intellexeram uelle, illi armis disceptari maluerunt. quae quoniam ratio uicit; perficiam profecto, ut neque resp. ciuis a me animum, neque tu amici desideres. Vale.

EXPLANATIO

CONSISTIT } tum consistit consilium, cum cogitando aliquid explicauimus. NIHIL *explicatur* } quod mihi nunc accidit: ideoque leuatur cura. ILLVD *tamen* } cum uerear, ne, nihil cum proficiam quotidiana lamentatione, dedecori sim studijs, ac litteris nostris: lamentationi tamen totos dies damus. ETIAM } praeter quam quod nihil proficio. LITTERIS } pro libris hic posuit, ab ipso scriptis, ut alibi. NOSTRIS *libris* } de rep. BEATA *& honesta* } primum ad copias, alterum ad uirtutes refertur. NON *ariolans* } non diuino furore commotus, ut olim Cassandra, cui uera praedicenti tamen creditit. IAMQ. *mari magno* } hemistichium ex uetere poeta: cuius integri sunt uersus, anapaestici dimetri ex persona Cassandrae uaticinantis, libro 1. de diuinatione.

,, Iamq. mari magno classis cita
,, Texitur: exitium, examen rapit,
,, Aduenit, & fera ueliuolantibus
,, Nauibus compleuit manus litora.

NON *multo secus* } ego de bello ciuili, atque Cassandra de Troiano. NON *occurrimus* } non licuit nobis Pompeium adire, cum discessurus esset. ep. 3. & XI. PROSCRIPTIO } quae nominatim est de certis. PERTIMESCENDA } utercumque uincet, aut Caesar, aut Pompeius. VNIVERSE } aduerbium omnes comprehendens, ut Generaliter. QVID *quierim:* } quod nullum maius negotium susceperim. &, Pompeio Italia exeunte, remanserim. BALBVS *minor* } hic est L. Cornelius Balbus. minor appellatur, ut a maiore Balbo, eius patruo, distingueretur, eo, pro quo exstat Ciceronis oratio. triũphauit ex Africa. Plinius lib. 5. cap. 5. Omnia, inquit, armis Romanis superata, & a Cornelio Balbo, inquit, opidum Garama, caput Garamantum. triumphata, unius omnium externo curru, & Quiritium iure donato: quippe Gadibus nato ciuitas Romana cum Balbo maiore, patruo, data est. Balbus uero maior non est is, qui nominatur ep. 12, lib. 2. (nam ille Atius est, qui Atiam, Augusti matrem, genuit) sed is, qui ep. 3. lib. 7. Tartessius uocatur, negotiorum C. Caesaris in urbe procurator. Tres igitur Balbi, unus Aricinus, Atiae gentis, maritus Iuliae, Caesaris sororis: duo Gaditani, ciuitate donati, Corneliae gentis facti: quorum alter Balbus maior, alter minor, ex maioris fratre genitus, dictus est. de minore uidenda Asinij epist. lib. 10. fam. Quartum quoque Balbum inuenio, gentis Ampiae, ad quem scribitur epist. 12. lib. 6. BRVNDISIVM } ut Pompeium fugientem assequeretur. PARTHICIS *rebus* } quarum exitus inanes. nam, etsi Parthi, subito cursu in prouincias irrumpentes, magnum inferunt terrorem: tamen haud magna calamitas consequitur, ijsdem continuo discedentibus. ADDVXIT } ex Piceno. Caesar lib. 1. de bel. ci. HIRRVM } gentis Lucceiae. VIRTVTEM, *industriamq.* } in colligendis, adducendisq. Corfinium militibus. IN *ea ora* } Campana. epist. XI. lib. 7. EPPIVM } Eppiorum familiam ex Andreae Lauretani, patricij Veneti, & Fuluij Vrsini argenteis nummis cognouimus, in quibus est, EPPIVS. LEG. F. C. & ex lapide, qui Materni est; in quo legitur, P. EPPIVS. P. F. FAB. RVFVS. MIL. COHOR. II. PRAET. T. F. I. ARBITR. HĒ ex alijs lapidibus, quorum inscriptiones collegit Aldus filius. & ex Hirtij lib. 5. de bello Africano. Accedit ipsius Ciceronis testimonium in oratione pro Flacco. nominat enim L. Eppium equitem R. Bessarionis liber, & alius amicissimi mei, Oppium: quod si uere scriptum est, ex utraque parte Oppios fuisse dicemus, Caesaris, & Pompeij; sicuti & Domitij fuere, Caluinus a Caesare, Ahenobarbus a Pompeio. CVM *auctoritate* } ut consularem. CONSIDIO } Considio Noniano; de quo fam. ep. 4. lib. 16. T. AMPIVM } ad quem exstant Ciceronis epistolae fam. lib. 6. & 10. cuius etiam mentionem facit Caesar lib. 3. bel. ci. DIALIO } placet, quod alijs; ut & hic, & sequenti epistola, legatur, D. Laelio, qui Pompeianus fuit. Bessarionis liber, Dicallio; alius, Duellio. MESSIVS } de quo ep. 1. lib. 4. CONFINII *acta* } Domitium, & eos, qui una essent, Caesari se tradidisse. PRIMVM } solet subiungi Deinde, hic omittitur, sed significatur eo, Vtinam tui consilij. Sic locutus l. 2. ep. 9. & 23. l. 7. fam. FORTISSIMIS *uiris* } Domitio, Lentulo, Vibullio, alijsque, qui in Caesaris potestatem uenerint. DE *urbe* } non relinquenda. DE *Italia* } timenda. EADEM *timerem* } Caesare consule. ep. 9. lib. 7. HONORIFICE } cum reip. tum dignitatis tuae caussa. LARGE } ne publica res, bello suscepto, in discrimen adduceretur. Large enim est, liberaliter, prolixe. DVXI *meam rationem* } hoc cogitaui; quid? non esse mihi faciendum, ut Caesaris animum offenderem: itaque pacis auctor fui, uel cum ijs condicionibus, quas ille ferret, qui bello ciuili nihil esse miserius intelligerem. feciq. id eo libentius, quia, cum ad pacis condiciones uiderem a te honorifice, largeq. responderi, meum consilium non arbitrabar a tua sententia discrepare. MERITIS } Catilinae coniuratione oppressa, lege agraria dissuasa, discordia inter equites & plebẽ sublata, senatus auctoritate in Rabirio defendendo confirmata, proscriptorum filiis administratione reip. remotis, ne illã, parentum memores, in magistratibus turbarent. SVPPLICIA } exsulium, publicatis bonis. SI *offendissem eius animum* } si Caesarem quamuis leuiter offendissem: nedum, si, bello suscepto, me illi aperte inimicũ offendissem. quasi dicat: si

quid

quid commisissem, quod ex illius uoluntate minus esset. Cvm *iam in armis essemus* } postquam tribuni pl. ex urbe fugerunt: quo facto in armis esse coeperunt. dicit idem in proxima epistola. Svbiicerer *eisdem proelijs* } uerebar scilicet, ne, uobis in gratiam redeuntibus, ego deinde, tuo praesidio nudatus, Caesari, quem offendissem, poenas darem. Notat autem latenter perfidiam Pompeij, cuius in amicitia iam ante Clodianis temporibus parum senserat esse praesidij. antiquus liber, Obijcerer, pro Subijcerer. Eisdem } ut olim pro rep. pugnandum, inquit, mihi cum Caesare fuisset, sicut olim cum P. Clodio. uide ep. 7. l. 10. Videretvr *habere populare.* } ut ego potissimum deligi uiderer, in quem improbi ciues impetum facerent: ut ego ad perniciem non minus appeterer, quam appetuntur ea, quae popularia sunt. Haec } haec incommoda, quae pertimui, si offendissem Caesaris animum. Denvnciata } ijs, qui Caesaris consilia nouerant, ut a M. Coelio. fam. ep. 16. l. 8. Honeste *uitare* } nulla suscepta belli parte. Rationem *nostram* } quod arma aduersus Caesarem non sumpserim. Reliqvi } desperata pace cur ad te non uenerim. non enim licuit: ut in hac ipsa epistola iam ostendit. Condicionibvs } ut ad concordiam res deduceretur.

Cicero S. D. Attico. 12.

Mihi molestior lippitudo erat etiam, quam ante fuerat: dictare tamen hanc epistolam malui, quam Gallo Fabio, amātissimo utriusque nostrum, nihil ad te litterarum dare. nam pridie quidem, quoquo modo potueram, scripseram ipse eas litteras, quarū uaticinationem falsam esse cupio. huius autem epistolae non solum ea caussa est, ut ne quis a me dies intermittatur, quin dem ad te litteras; sed etiam haec iustior, ut a te impetrarem, ut sumeres aliquid temporis; quo quia tibi perexiguo opus est, explicari mihi tuum consilium plane uolo, ut penitus intelligam. Omnia sunt integra nobis. nihil praetermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilem. nam certe neque tum peccaui, cum imparatam iam Capuam, non solum ignauiae delectus, sed etiam perfidiae suspicionem fugiens, accipere nolui: neque, cum post condiciones pacis per L. Caesarem, & Fabium allatas, caui, ne animum eius offenderem, cui Pompeius iam armatus armato consulatum, triumphumq. deferret. Nec uero haec extrema quisquam potest iure reprehendere, quod mare non transierim. id enim, etsi erat deliberationis, tamen obire non potui: neque enim suspicari debui; praesertim cum ex ipsius Pompeij litteris, idem quod uideo te existimasse, non dubitarim, quin is Domitio subuenturus esset. & plane, quid rectum, & quid faciendum mihi esset, diutius cogitare malui. Primum igitur, haec qualia tibi esse uideantur, etsi saepius significata sunt a te, tamen accuratius mihi perscribas, uelim: deinde aliquid etiam in posterum prospicias, fingasque, quem me esse deceat, & ubi me plurimum prodesse reip. sentias: ecquae pacifica persona desideretur, an in bellatore sint omnia. Atque ego, qui omnia officio metior, recordor tamen tuā consiliā: quibus si paruissem, tristitiam illorum temporum non subiissem. memini, quid mihi tum suaseris per Theophanem, per Culeonem: idq. saepe ingemiscens sum recordatus. quare nunc saltem ad illos calculos reuertamur, quos tum abiecimus, ut non solum gloriosis consilijs utamur, sed etiam paullo salubrioribus. sed nihil praescribo. accurate uelim perscribas tuam ad me sententiam. Volo etiam exquiras, quam diligentissime poteris, (habebis autem, per quos possis) quid Lentulus noster, quid Domitius agat, quid acturus sit, quemadmodum nunc se gerant, num quem accusent, num cui succenseant: quid dico, num cui? num Pompeio? omnino culpam omnem Pompeius in Domitium confert: quod ipsius litteris cognosci potest: quarum exemplum ad te mitto. Haec igitur uidebis: &, quod ad te ante scripsi, Demetrij Magnetis librum, quem ad te misit, de concordia, uelim mihi mittas. Vale.

Cn. Magnus procos. M. Marcello L. Lentulo cos. S.

Ego, quod existimabam, dispersos nos, neque reip. utiles, neque nobis praesidio esse posse, iccirco ad L. Domitium litteras misi, primum uti ipse cum omni copia ad nos ueniret: si de se dubitaret, ut cohortes XIX. *quae ex Piceno ad me iter habebant, ad nos mitteret. quod ueritus sum, factum est, ut Domitius implicaretur, neque ipse satis firmus esset ad castra facienda: quod meas* XIX. *& suas* XII. *cohortes tribus in opidis distributas haberet; (nam partim Albae, partim Sulmone collocauit) neque, si uellet, expedire posset. nunc scitote, me esse in summa solicitudine. nam & tot, & tales uiros periculo obsidionis liberare cupio: neque subsidio ire possum; quod his duabus legionibus non puto esse committendum, ut illuc ducantur. ex quibus tamen non amplius* XIV. *cohortes contrahere potui, quas Brundisium misi; neque Canusium sine praesidio, dum abessem, putaui esse dimittendum. D. Aelio mandarā, quod maiores copias sperabam nos habituros, ut, si uobis uideretur, alteruter uestrum ad me ueniret, alter in Ciliciam cum ea copia, quam Capuae, & circum Capuam comparastis, & cum ijs militibus, quos Faustus legit, proficisceretur; Domitius cum* XII. *suis cohortibus eodem adiungeretur; reliquae copiae omnes Brundisium cogerentur, & inde nauis Dyrrhachium transportarentur. nunc, cum hoc tempore nihilo magis ego, quam uos, subsidio Domitio ire possim, seu per montes explicare; non est nobis committendum, ut ad has* XIV. *cohortes, quas dubio animo habeo, hostis accedere, aut in itinere me consequi possit. Quamobrem placitum est mihi, (etiam uideo C. Marcello, & ceteris nostri ordinis, qui hic sunt) ut Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo. uos hortor, ut, quodcumque militum contrahere poteritis, contrahatis, & eodem ueniatis quamprimum. arma, quae ad me missuri eratis, ijs, censeo, armetis milites, quos uobiscum habetis, quae arma superabunt, ea si Brundisium iumentis deportaritis, uehementer reip. profueritis. de hac re uelim no-*

stros

stros certiores faciatis. ego ad P. Lupum, & C. Coponium praetores misi, ut se uobis coniungerent, & militum quod haberent, ad uos deducerent. Vale.

Cn. Pompeius procos. L. Domitio procos. S.

Miror, te ad me nihil scribere, & potius ab alijs, quam a te, de rep. certiorem me fieri. Nos, disiecta manu, pares aduersarijs esse non possumus. contractis nostris copijs, spero nos & reip. & communi saluti prodesse posse. quamobrem cum constituisses, ut Vibullius mihi scripserat, ad v. id. Febr. Corfinio proficisci cum exercitu, & ad me uenire: miror, quid caussae fuerit, quare consilium mutaris. nam illa caussa, quam mihi Vibullius scribit, leuis est, te propterea moratum esse, quod audieris, Caesarem Firmo progressum in Castrum Truentinum uenisse. quanto enim magis appropinquare aduersarius coepit, eo tibi celerius agendum erat, ut te mecum coniungeres, prius, quam Caesar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset. Quamobrem etiam te rogo, & hortor, id quod non destiti superioribus litteris a te petere, ut primo quoque die Luceriam aduenias antequam copiae, quas instituit Caesar contrahere, in unum locum coactae nos a nobis distrabant. sed si erunt, qui te impediant, ut illas suas seruent: aequum est me a te impetrare, ut cohortes, quae ex Piceno, & Camerino uenerunt, quae fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias. Vale.

Cn. Pompeius procos. L. Domitio procos. S.

Litteras abs te M. Calenius ad me attulit ad XIII. Kalend. Mart. in quibus litteris scribis, tibi in animo esse, obseruare Caesarem, &, si secundum mare ad me ire coepisset, confestim in Samnium ad me uenturum; sin autem ille circum istaec loca commoraretur, te ei, si propius accessisset, resistere uelle. te animo magno, & forti istam rem agere existimo: sed diligentius nobis est uidendū, ne distracti pares esse aduersario nō possimus; cum ille magnas copias habeat, & maiores breui habiturus sit. non enim pro tua prudentia debes illud solum animaduertere, quot in praesentia cohortes contra te habeat Caesar, sed quantas breui tempore equitum, & peditum copias contracturus sit. cui rei testimonio sunt litterae, quas Busenius ad me misit; in quibus scribit, id quod ab alijs quoque mihi scribitur, praesidia Curionem, quae in Vmbria, & Tuscis erant, contrahere, & ad Caesarem iter facere. quae si copiae in unum locum fuerint coactae, ut pars exercitus ad Albam mittatur; pars ad te accedat, ut non pugnet, sed locis suis repugnet: haerebis, neque solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris, ut frumentatum eas. Quamobrem te magnopere hortor, ut quamprimum cū cum omnia copia huc uenias. consules constituerunt idē facere. ego Metuscilio ad te mandata dedi, prouidendum esse, ne duae legiones sine Picentinis cohortibus in conspectum Caesaris committerentur. Quamobrem nolito commoueri, si audieris me regredi, si forte Caesar ad me ueniet. cauendum enim puto esse, ne implicatus haeream. nam neque castra, propter anni tempus, & militum animos, facere possum: neque ex omnibus opidis contrahere copias expedit; ne receptum amittā. itaque non amplius XIV. cohortes Luceriam coegi. consules praesidia omnia deducturi sunt, aut in Siciliam ituri. nam aut exercitum firmum habere oportet, quo confidamus perrumpere nos posse; aut regiones eiusmodi obtinere, e quibus repugnemus. id quod neutrum nobis hoc tempore contingit: quod & magnam partem Italiae Caesar occupauit; & nos non habemus exercitum tam amplum, neque tam magnum, quam ille. itaque nobis prouidendum est, ut summam reip. rationem habeamus. Etiam atque etiam te hortor, ut cum omni copia quamprimum ad me uenias. possumus etiam nunc remp. erigere si communi consilio negotium administrabimus: sin distrahemur, infirmi erimus. mihi hoc constitutum est. His litteris scriptis, Sica a te mihi litteras attulit, & mandata. Quod me hortare, ut istuc ueniam: id me facere non arbitror posse; quod non magnopere his legionibus confido. Vale.

Cn. Pompeius L. Domitio S. Litterae mihi a te redditae sunt ad XII. Kal. Mart. in quibus scribis, Caesarem apud Corfinium castra posuisse. quod putaui, & praemonui, fit, ut nec in praesentia committere tecū proelium uelit, &, omnibus copijs conductis, te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit, atque istas copias coniungere optimorum ciuium possis cum his legionibus, de quarum uoluntate dubitamus. quo etiam magis tuis litteris sum commotus. neque enim eorum militum, quos mecum habeo, uoluntati satis confido, ut de omnibus fortunis reip. dimicem: neque etiam, qui ex delectibus conscripti sunt a consulibus, conuenerunt. Quare da operam, si ulla ratione etiam nunc efficere potes, ut te explices, huc quamprimum uenias ante, quam omnes copiae aduersariorum conueniant. neque enim celeriter ex delectibus huc homines conuenire possunt: &, si conuenirent, quantum ijs committendum sit, quod inter se ne noti sunt, contra ueteranas legiones, non te praeterit. Vale.

EXPLANATIO

VATICINATIONEM } usurpauit enim illud Cassandrae, Iamq. mari magno. ep. xi. EXCVSATIONEM } apud bonos uiros. IMPARATAM } a militibus. ep. xi. IGNAVIAE *delectus* } nisi firmas copias collegissem tuendae Capuae caussa, ignauum fortasse me homines fuisse ducerent in habendo delectu. PERFIDIAE } fortasse enim, si tueri Capuam non possem, perfidiae meae potius, quam infirmitati copiarum, aliquis adscriberet. NOLVI } in epistola proxima superiore, Cum a me Capuam reijciebam: quod feci non uitandi oneris caussa. CONSVLATVM } alterum. ep. xi. ANIMVM *eius* } uide quae scripsit in proxima, ep. xii. NEQVE *enim suspicari debui* } quod supra dixit, Suspicione assequi non potui. ep. xi. ET *plane* } &, ut uere dicam, ideo non transiui, quod, quid rectum esset, quid reip. utilius, non plane uidebam, cogitare diligentius uolebam. SIGNIFICATA } mihi esse manendum in Italia: ut epist. 17. lib. 7. & xi. lib. 8. ECQVAE *pacifica* } utrum me deceat in Italia remanere; quod pacificam aliquam personam resp. uideatur desiderare, cuius auctoritate inter Caesarem, & Pompeium

peium discordiae sedentur; (quod effici non nisi ab eo potest, quem sibi uterque putet esse amicissimum : quem ego me duco esse; cum adhuc quidem neutram in partem peccauerim, ut proxime ostendit) an ad bellum proficisci; quod pacifica persona reip. nihil, bellator prodesse plurimum possit. Tva *consilia.* } Clodianis temporibus: cum mihi suadebas, ne omnia officio metirer, sed salutis simul rationem haberem, conseruanda Caesaris amicitia. quod quia non feci, in maximas aerumnas incidi. Theophanem, *Culeonem* : } utrumque Pompeij amicissimum. Ingemiscens } quia tuis consilijs non parui. Ad *illos calculos* } hoc dicit: quod tum non fecimus, nunc, nostris casibus moniti, faciamus. Lentvlvs, *Domitius,* } Lentulus Spinther, Domitius Ahenobarbus, quos Caesar, Corfinio potitus, dimiserat incolumes. epist. 1. lib. 9. M. Marcello, } Marcus cum Ser. Sulpicio consul fuerat altero ante anno. repone igitur C. pro M. ut est in historia. Cohortes xix, } xiv. a Vibullio, v. ab Hirro adductas. epist. xi. Svas xii. } supra xi. dixit epist. xi. Tribvs } Corfinij, Albae, Sulmone. Dvabvs *legionibus* } uide quae diximus epist. 13. lib. 7. Aelio } legendum puto, Laelio. uide epistola xi. Favstvs } Sulla, dictatore natus. epist. 3. Dvbio *animo* } uide epistola 13. libro 7. Etiam *uideo C. Marcello.* } Bessarionis liber, Altia uideo censori Marcello, ego sic, Acita uideo censeri Marcello. P. Lvpvm } Rutiliae gentis. is, qui tribunus pl. fuerat Marcellino & Philippo cos. Coponivm } quem tradit Velleius, cum Plancus, recens transfuga, multa ac nefanda in senatu obijceret absenti Antonio, dixisse : Multa mehercules fecit Antonius pridie quam tu illum relinqueres. Qvi *te impediant,* } Albani, Marsi, & Peligni duces, qui suas cohortes cum periculo ad Pompeium ire nollent. circiter enim xv. cohortes Domitius coegerat ex Alba, Marsis, Pelignis, & finitimis regionibus. Caesar de bello ci. lib. 1. Pyceno, *& Camerino* } adductae a Vibullio, & Hirro. ep. xi. Metvscilio } Bessarionis liber, Metustileo. Dvae *legiones* } quas dubio animo habeo. Picentinis } ex Piceno adductis a Vibullio, quae tum erant cum Domitio. Militvm *animos* } quibus non magnopere confido. ep. 13. lib. 7. & 12. lib. 8. Receptvm } ipsa oppida, quo receptum habemus, quib. amissis, quo nos reciperemus, non esset. Qvod *inter se ne noti* } malim, Qui inter se nec noti sunt: ut milites dicat non modo tirones, sed nec inter se notos. aut, Qui inter se noti quidem sunt. quod magis placet. scriptum enim est in antiquo libro amicissimi mei, Octauij Pantagathi; & erit haec sententia: Caesaris milites quia ueterani, ideo familiares inter se sunt, & amicissimi; quod plurimum prodest ad robur exercitus: nostri uero ne noti quidem inter se sunt: tantum abest, ut familiares, amiciq. sint. quo minus est illis contra ueteranas legiones committendum.

Cicero S. D. Attico. 13.

Lippitvdinis meae signum tibi sit librarij manus, & eadem caussa breuitatis. etsi nunc quidem, quod scriberem nihil erat. omnis exspectatio nostra erat in nuncijs Brundisinis. si nactus hic esset Cnaeum nostrum, spes dubia pacis: sin ille ante transmisisset, exitiosi belli metus. sed uides ne, in quem hominē inciderit resp.? quam acutum, quam uigilantem, quam paratum? si mehercule neminem occiderit, nec cuiquā quidquam ademerit; ab ijs, qui eum maxime timuerāt, maxime diligetur. multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani. nihil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi uillulas, nisi nummulos suos. & uide, quam conuersa res est, illum, quo antea confidebāt, metuunt; hunc amant, quem timebant. id quantis nostris peccatis, uitijsq. euenerit, non possum sine molestia cogitare. quae autem impendere putarem, scripseram ad te; & iam tuas litteras exspectabam. Vale.

EXPLANATIO

Nactvs } assecutus, antequam mare transierit. Spes *dubia* } quia in eo uictoria Caesaris uidetur futura, si Pompeius assequatur. Rvsticani } colonias intelligit. sic infra, epist. 17. lib. 9. Qvae *autem impendere* } uastationem Italiae: de qua scripsit epist. xi.

Cicero S. D. Attico 14.

Non dubito, quin tibi odiosae sint epistolae quotidianae, cum praesertim neque noua de re aliqua certiorem te faciam, neque nouam denique iam reperiam scribendi ullam sententiam. sed, si dedita opera, cum caussa nulla esset, tabellarios ad te cum inanib. epistolis mitterem; facerem inepte: euntibus uero, domesticis praesertim, ut nihil ad te dem litterarum, facere non possum. & simul (crede mihi) requiesco paullulum in his miserijs, cum quasi tecum loquor; cum uero tuas epistolas lego, multo etiam magis. omnino intelligo, nullum fuisse tempus post has fugas, & formidines, quod magis debuerit mutum esse a litteris: propterea quod neque Romae quidquam auditur noui, nec in his locis, quae a Brundisio absunt propius quam tu, biduum,

duum, aut triduum. Brundisij autem omne certamē uertitur huius primi temporis, qua quidem exspectatione torqueor. sed omnia ante nos sciemus. eodem enim die uideo Caesarem a Corfinio post meridiem profectum esse, quo Canusio mane Pompeium. eo modo autem ambulat Caesar, & ijs diarijs militum celeritatem incitat, ut timeam, ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit. Dices, Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis? Nihil equidem: sed, ut supra dixi, tecum perlibenter loquor. & simul scito, labare meum consilium, illud, quod satis iā fixum uidebatur. non mihi satis idonei sunt auctores ij, quia a te probantur. quod enim umquam eorum in rep. forte factum exstitit? aut quis ab ijs ullam rem laude dignam desiderat? nec mehercule laudandos existimo, qui trans mare belli parandi caussa profecti sunt. (quamquam haec ferenda non erant) uideo. n. quantū id bellum, & quam pestiferum futurum sit. sed me mouet unus uir; cuius fugientis comes, remp. recuperantis socius uideor esse debere. Toties ne igitur sententiā mutas? ego tecum, tamquam mecum, loquor. quis autē est, tanta quidem de re, quin uarie secum ipse disputet? simul & elicere cupio sententiam tuam; si manet, ut firmior sim; si mutata est, ut tibi assentiar. omnino ad id, de quo dubito, pertinet, me scire, quid Domitius acturus sit, quid noster Lentulus. de Domitio uaria audimus, modo esse in Tiburti, aut Lepidi: quo cum Lepidus accessisset ad urbem. quod item falsum uideo esse. ait. n. Lepidus eum nescio quo penetrasse itineribus; occultandi sui caussa, an maris apiscendi, ne id quidem scit. ignorat enim de filio. addit illud, sane molestum: pecuniam Domitio satis grandem, quam is Coreni habuerit, non esse redditam. de Lentulo autem nihil audimus. haec uelim exquiras, ad meq. perscribas. Vale.

EXPLANATIO

ABSVNT *propius*,] propinquiora sunt. sic & alibi locutus. HVIVS *primi temporis*] uter felicior sit, Caesar in assequendo Pompeio, an Pompeius in transmittendo. DIARIIS] Bessarionis liber, & alij duo ueteres, Dictis, sed frigide nimis, ut mihi uidetur. Diaria, si legis, pro uictu quotidiano accipe. Martialis, Horatius. Aut, si mauis, interpretare stipendia in singulos dies militibus proposita, si quam celerrime iter ad Pompeium conficerent: ut si singulis diebus menstruum stipendium, id est xxx. denarios, polliceretur. & sane usitatum hoc erat, ut duces pollicitationibus ad milites uterentur, ubi difficile aliquid consequi uellent, uictus uero quotidianus neque magnum praemium est, &, si liberalior sit, etiam impedit celeritatem. MEVM *consilium*] non excundi ex Italia. IDONEI *auctores*] auctores in Italia remanendi. intelligit enim Attici litteras, IIX. Kal. Martij datas. quibus ille ita scripserat: Si M'. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto. ep. 14. l. 4. QVAMQVAM *haec*] quae a Caesare fiunt. VNVS *uir*] Pompeius. SI *manet*,] si eadem est, quae antea. FIRMIOR] in consilio non exeundi ex Italia. AD *id, de quo dubito*] ad hanc meam liberationem. ep. 1. l. 4. AVT *Lepidi, &c.*] desperatis uetat Hippocrates adhibere medicinam: ego quoque in hoc loco, cuius emendandi sine ueteribus libris mihi quidem spes non est, τὴν τοῦ Ἱπποκράτους γραμμὴν tenere constitui. quamquam uideo, si, Aut, deleatur, sententiam patere: ut sit, in agro Tiburti Lepidi. CORENI] uidetur legendum, Corfinij: quo in opido magnam pecuniam Domitius habuerat. error inde fortasse natus, quod duarum litterarum, E, & F, magna similitudo est. quod alia quoque loca deprauauit. NON *redditam*] falsum. nam, redditam a se, Caesar scribit lib. I. de bello ci.

Cicero S. D. Attico. 15.

AD v. non. Mart. epistolas mihi tuas Aegypta reddidit, unam ueterem IV. Kal. quam te scribis dedisse Pinario, quem non uidimus; in qua exspectas, quidnam praemissus agat Vibullius: qui omnino non est uisus a Caesare. in altera epistola, uideo, te scire ita esse: & quemadmodum redeuntem excipiam Caesarem, quem omnino uitare cogito: & aut Hemonis fugam tendis, commutationemq. uitae tuae: quod tibi puto esse faciendum. & ignoras, Domitius cum fascibus ne sit. quod cum scies, facies, ut sciamus. Habes ad primam epistolam. secutae sunt duae, pridie Kal. ambae datae, quae me conuellerunt de pristino statu, iam tamen, ut ante ad te scripsi, labantem. Nec me mouet, quod scribis, Ioui ipsi iniquum. nam periculum in utriusque iracundia positum est: uictoria autem ita incerta, ut deterior caussa paratior mihi esse uideatur. nec me consules mouent, qui ipsi pluma, aut folio facilius mouentur: officij me deliberatio cruciat, cruciauitq. adhuc. cautior certe est mansio. honestior existimatur traiectio: malo interdum, multi me non caute, quam pauci non honeste, fecisse existiment. De Lepido, & Tullo quod quaeris: illi uero non dubitant, quin Caesari praesto futuri, in senatumq. uenturi sint. Recentissima tua est epistola Kal. data, in qua optas congressum, pacem non desperas: sed ego, cum haec scribebam, nec illos congressuros, nec, si congressi essent, Pompeium ad ullam condicionem accessurum putabam. Quod uideris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat: certe transeunt, uel, quomodo nunc est, transierunt, sed memēto, praeter Appium, neminem esse fere, qui non ius habeat transeundi. nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Sufenas, Fānius, Voconius, Sextius, ipsi consules; quibus more maiorum cōcessum est uel omnes adire prouincias: aut legati sunt eorum. sed nihil desero. quid placeat tibi, & quid propemodum rectum sit, intelligo. Plura scriberē, si ipse possem: sed,

ut

ut mihi uideor, potero biduo. Balbi Cornelij litterarum exemplum, quas eodem die accepi, quo tuas, misi ad te, ut meam uicem doleres, cum me derideri uideres. Vale. Balbus Ciceroni imp. S.

Obsecro te Cicero, suscipe curam, & cogitationem dignißimam tuae uirtutis, ut Caesarem, & Pompeium, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. crede mihi, Caesarem non solum in tua fore potestate, sed etiam maximum beneficium te sibi dedisse iudicaturum, si huc te reijcis. uelim, idem Pompeius faciat: qui ut adduci tali tempore ad ullam condicionem poßit, magis opto, quam spero. sed, cum cõstiterit, & timere desierit; tum incipiam non desperare, tuam auctoritatem plurimum ualituram. Quod Lentulum cos. meum uoluisti hic remanere; Caesari gratum, mihi uero gratißimum mediusfidius fecisti. nam illum tanti facio, qui non Caesare magis diligam. qui si passus esset, nos secum, ut consueueramus, loqui; & non se totum etiam & etiam ab sermone nostro auertisset: minus miser, quam sum, essem. nam caue putes, hoc tempore plus me quemquam cruciari; quod eum, quem ante me diligo, uideo in consulatu quiduis potius esse, quam consulem. quod si uoluerit tibi obtemperare, & nobis de Caesare credere, & consulatum reliquum Romae peragere: incipiam sperare, etiam, consilio senatus, auctore te, illo relatore, Pompeium, & Caesarem coniungi posse. quod si factum erit, me satis uixisse putabo. Factum Caesaris de Corfinio totum me probaturum scito, & quo modo in huiusmodi re commodius cadere nõ potuit, quam ut res sine sanguine consieret. Balbi mei, tuiq. aduentu delectatum te, ualde gaudeo. is quaecumque tibi de Caesare dixit, quaeq. Caesar scripsit; scio re tibi probabit, quaecumque fortuna eius fuerit, bellissime scripsisse. Vale.

EXPLANATIO

AEGYPTA } } liberti nomen, a regione, ut Cilix. PRAEMISSVS } captus a Caesare Corfinij, deinde ad Pompeium cum mandatis de pace missus. NON *est uisus* } Pompeius enim, alienus a pace, eum non remisit. ET *quemadmodum* } hoc ad uerbum, Exspectas, refertur. REDEVNTEM } Brundisio, Pompeio Italia pulso. ET *aut Hemonis* } de Attico dictum: quod proxima uerba ostendunt: sed locus deprauatus. FVGAM } transitionem in Epirum. ep. 1. lib. 9. CVM *fascibus* } erat enim proconsul. nam ei in sortitione consularium prouinciarum Gallia obuenerat. VT *sciamus* } fortasse enim illius exemplum secuti aut dimittemus, aut retinebimus lictores. CONVELLERVNT *&c.* } effecerunt enim, ut Pompeium, mare transeuntem, sequi cogitarem, cum antea labarem. ep. 10. & 14. IOVI *ipsi iniquum* } iratum dijs hominibusq. Pompeium in Italiam rediturum. fam. ep. 28. lib. 10. Venit paratus Seruilius, Ioui ipsi iniquus. CONSVLES } mare transeuntes. uide paullo infra. NON *caute* } si Pompeium sequar. NON *honeste* } si remansero in Italia. VIDERIS *non dubitare* } uide ep. 2. l. 9. TRANSIERVNT } consules enim primum, deinde paucis post diebus Pompeius transijt. Caesar l. 1. de bello ci. APPIVM, } Ap. Claudium Pulchrum, censorem, collega L. Pisone, Caesaris socero: qui transeundi ius non habebant. neque enim censores cum imperio sunt, ut proconsules. POMPEIVS } Hispaniarum proconsul. SCIPIO } Pompeij socer, Syriae proconsul. SETENAS } Bessarionis liber, Seteonas. nos hunc ignoramus. FANNIVS } Siciliae cum imperio praefectus. ep. 15. l. 7. & 6. l. xi. VOCONIVS } quid si, Coponius? qui praetor Pompeium secutus est. ep. 12. SEXTIVS } is est, de quo infra ep. 7. l. xi. quem Plutarchus in Bruto Siciliam sorte habuisse narrat. NIHIL *desero* } sic antiqui libri. Differo, cum insequentibus uerbis conueniret; & placet; quia, Distero, est in antiquo libro, ut parua omnino mutatione corrigatur. PROPEMODVM *rectum* } non dicit, plane rectum: dubitat enim, ut ep. 12. BIDVO } lippitudine liberatus. SI *huc te reijcis.* } si hanc suscipis curam. TALI *tempore* } suspicaretur enim, pacis mentionem astute fieri, ut, spatio interposito, Caesar eum assequi posset. CVM *timere desierit,* } cum trans mare profectus in tutum locum se receperit. tum enim nullam fraudem in pacis condicionibus timere poterit. MEVM } uel quod uterque ex Cornelia gente: uel quod ab eo Balbus maxima beneficia acceperat: ut ep. 7. lib. 9. VOLVISTI } optasti, ut & Balbus meus mansionem in Italia persuaderet. ep. 9. QVIDVIS *potius esse,* } cum summam reip. curam ad Pompeium detulerit, ipse, nomine tantum consul, alteri pareat. TIBI } mansionem probanti. NOBIS } de Caesaris animo promittentibus. RELATORE } ad consules enim pertinet relatio de repub. TOTVM } praeclara sententia, nec satis aperta. non enim hoc solum est aduertendum, Domitium proconsulem populi R. a Caesare obsessum; sed illud simul, nisi ita factum esset, magnam ciuium caedem fuisse futuram. si enim Caesar exspectasset, ut Domitius suas xxx cohortes ad Pompeij legiones adiungeret: Pompeius, aucto exercitu, in aciem descendisset. quod malum Caesaris uigilantia uitauit. Domitium enim, de profectione ad Pompeium cogitantem, oppressit: quo facto dimicationem sustulit. ep. xii. l. 8. PROBATVRVM } ostendam recte factum a Caesare. SCIO, & } Bessarionis liber, Sciet. ego aut, Scio. &: aut, Scis, &: idest, profecto intelligis. RES, } quae ad sanguinem spectabat. MEI } filij. ep. ult. DE *Caesare* } de Caesaris animo ad concordiam propenso. SCRIPSIT } ad te. PROBABIT } caussas exponet earum rerum, quas tibi & ipse dixit, & Caesar scripsit. QVAECVMQVE } siue pax erit, siue bellum. aut, siue secunda fortuna utetur, siue aduersa. BELLISSIME } legerem, Verissime. nã in Bessarionis libro, Velissum me: ut in antiquo libro scriptum primo existimem, Verissume, ad ueteris orthographiae rationem: unde imperitis librarijs occasio mendi.

Cicero S. D. Attico. 16.


* OMNIA *mihi prouisa sunt, praeter occultum, & tum iter ad mare superum. hoc enim mari uti non possumus hoc tempore anni. illuc autem, quo spectat animus, & quo res uocat, qua ueniam? cedendum enim est celeriter; ne forte qua re impediar, atque alliger. nec uero ille me ducit, qui uidetur: quem ego hominem* ἀπολιτικώτατον *omnium iam ante cognoram, nũc uero etiam* ἀστρατηγικώτατον. *non me igitur is ducit, sed sermo hominum, qui ad me a Philotimo scribitur. is enim me ab optimatibus ait conscindi. quibus optimatibus, dij boni? qui nunc quo modo occurrunt, quo modo autem se uenditant Caesari? municipia uero deum: nec simulant, ut cum de illo aegroto uota faciebant. sed plane, quidquid mali hic Pisistratus non fecerit, tam gratum est, quam si alium facere prohibuerit. hunc propitium sperant: illum iratum putant. quas fieri censes* ἀπαντήσεις *ex opidis? quos honores? metuunt, inquies. credo, sed hercule illum magis. huius insidiosa clementia delectantur: illius iracundiam formidant. iudices* DCCCL, *qui praecipue Cnaeo nostro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem uideo, nescio quas eius Lucerias horrent. itaque quaero, qui sint isti optimates, qui me exturbent, cum ipsi domi maneant. sed tamen, quicumque sunt,* αἰδέομαι Τρῶας. *etsi, qua spe proficiscar, uideo: coniũgoq. me cum homine magis ad uastandam Italiam, quam ad uincendum parato. domum quẽ exspecto. & quidem, cum haec scribebam* IV. *non. iam exspectabam aliquid a Brundisio. quid autem aliquid? quam inde turpiter fugisset, & uictor hic qua se referret, & quo. quod ubi audissem; si ille Appia ueniret, ego Arpinum cogitabam. Vale.*

EXPLANATIO


OCCVLTVM *& tum iter* } Bessarionis liber, Occultum metum iter. placet, Occultum & tutum iter. ut hoc unum se non prouidisse dicat, qui possit occulte & tuto ad mare Hadriaticum proficisci, cum tota Italia Caesaris armis praesidijsq. teneatur. epist. 3. l. 9. ILLVC *autem,* } ad mare superum. RES } necessitas; quoniam infero mari hoc tempore anni, idest hieme, uti non possumus. ep. 3. l. 9. QVA *ueniam?* } cum omnia Caesaris armis teneantur. CEDENDVM } discedendum. ILLE } Pompeius. CONSCINDI } ualde uituperari. OCCVRRVNT? } Caesari Pompeium Italia pellenti. ep. 11. DEVM } ut deum Caesarem colunt, diuinis honoribus prosequuntur. DE *illo* } de Pompeio in Campania aegrotante. ep. 5. l. 9. Plutarchus in Pompeio, & in Tusculana 1. his uerbis: Pompeio, cum grauiter aegrotaret Neapoli, melius est factum: coronati Neapolitani fuerunt. etiam Puteolani, uulgo ex opidis publice gratulabantur. HIC *Pisistratus* } Caesar, Pisistrato similis. uide ep. 19. l. 7. GRATVM *est* } quod ea non faciat, quae timebantur. QVOS *honores* } Caesari haberi. IVDICES DCCCL. } iudices omnes: qui DCCCL fuisse uidentur: ccc quidem senatorij ordinis fuerunt, ut ep. fam. ep. 7. l. 8. reliqui tum equites, tum tribuni aerarij. ex tribus enim ordinibus iudices legebantur, ut declarat Pedianus. CCCLX. quos Pompeius legerit, nominant Plutarchus, & Velleius. DELECTANTVR } ideo scripsit M. Coelius in quadam epistola: Video Pompeium senatum, quiq. res iudicant, secum habiturum. LVCERIAS } proscriptionem Luceriae denunciatam. ep. 11. QVICVMQVE *sunt* } quid ipsi faciant, non specto; ego, nisi faciam quod me dignum est, reprehensiones timeo, ut Hector apud Homerum. exeamus igitur Italia. DOMVM *quem exspecto* } sic & antiqui libri. Domitium, alij legunt. mihi, Demum, placeret: ut sit ἀποσιώπησις, & reticuerit, uel hominis caussa, uel doloris, pulsum, aut captum. Quod sequitur, IV. nonas, Martias significat. ep. 6. l. 9. QVO } an ad urbem: quo se, cum Pompeium Brundisio pepulisset, contulit. ARPINVM } ut illius congressum uitem. Timebat scilicet, ne, rogante Caesare ut ad urbem rediret, uel negaret cum periculo, uel assentiretur cum dedecore, Pompeio, & cum eo consulibus, multisq. consularibus ex urbe iam profectis.



IN · EPISTOLARVM
M · TVLLII · CICERONIS
A D
T · POMPONIVM · ATTICVM
LIBRVM. IX.
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



ETSI, *cum tu has litteras legeres, putabam fore, ut scirem iam, quid Brundisij actum esset; nam Canusio* VIII. *Kal. profectus erat Cnaeus; haec autem scribebam prid. non.* XIV. *die postquam ille Canusio mouerat: tamen angebar singularum horarum exspectatione; mirabarque, nihil allatum esse ne rumoris quidem: nam erat mirum silentium. sed haec fortasse* κενόσπουδα *sunt: quae tamen iam sciantur, necesse est. illud molestum, me adhuc inuestigare non posse, ubi Lentulus noster sit, ubi Domitius. quaero autem, quo facilius scire possim, quid acturi sint, ituri ne ad Pompeium, &, si sint, qua, quando ne ituri sint. urbem quidem iam refertam esse optimatiũ audio, Sosium, & Lupum, quos Cnaeus noster ante putabat Brundisium uenturos esse, quam se, ius dicere. hinc uero uulgo uadunt. etiam M'. Lepidus, quo cum diem conterere solebam, cras cogitabat. nos autem in Formiano morabamur, quo citius audiremus. deinde Arpinum uolebamus. inde, iter qua maxime* ἀνάπαντητον *esset, ad mare superum, remotis, siue omnino missis lictoribus. audio enim, bonis uiris, qui & nunc, & saepe antea magno praesidio reip. fuerunt, hanc cunctationem nostram non probari, multaque in me, & seuere in conuiuijs tempestiuis quidem disputari. cedumus igitur; &, ut boni ciues simus, bellum Italiae terra, mariq. inferamus; & odia improborum rursus in nos, quae iam exstincta erant, incendamus; & Lucceij consilia, ac Theophanis persequamur. nam Scipio uel in Syriam proficiscitur, sorte; uel cum genero, honeste; uel Caesarem fugit, iratum. Marcelli quidem, nisi gladium Caesaris timuissent, manerent. Appius & eodem timore, & inimicitiarum recentium. & tamen, praeter hunc, & C. Cassium, reliqui legati, Faustus pro quaes. ego unus, cui utrumuis licet. frater accederet; quem socium huius fortunae esse, non erat aequum; cui magis etiam Caesar irascetur: sed impetrare non possum, ut maneat. dabimus hoc Pompeio, quod debemus. nam me quidem alius nemo mouet; non sermo bonorum, qui nulli sunt; non caussa, quae acta timide est, agetur improbe. uni uni hoc damus, nec id quidem roganti, nec suam caussam, ut ait, agenti, sed publicam. Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sane uelim.*   *Vale.*

EXPLANATIO

XIIII. *die* ʒ legendum XIII. tot enim sunt dies ab IX. Kal. ad pridie non. Κενόσπουδα ʒ inanis studij fortasse curantur a me sine caussa. SOSIVM, *& Lupum* ʒ praetorem utrumque. epist. 6. & 12. lib. 8. VVLGO *uadunt*. ʒ Vulgo, frequentiam significat: ut Caesar quoque dixit lib. 3. bel. ci. Cùm paene quotidie a Pompeio ad Caesarem perfugerent, uulgo uero in Epiro, atque Aetolia conscripti milites, earumq. regionum, quae a Caesare tenebantur. Cic. pro Mur. Quid est uulgo? uniuersos. AVDIREMVS ʒ quid Brundisij actum esset. AD *mare superum* ʒ ut in Graeciam transmitteret. ep. 3. QVI, *& nunc*, ʒ quo modo nunc praesidio reip. cum domi maneant? aliud fortasse dicit, aliud intelligit, εἰρωνικῶς. ep. 16. l. 8. & 5. lib. 9. TEMPESTIVIS. ʒ accipitur in malam partem, ut alibi semper. epist. XI. pro Murena, de senectute, pro Archia, in Catone, apud Tacitum. lib. XI. & 18. IMPROBORVM ʒ Caesaris. PERSEQVAMVR. ʒ stomachose in Pompeium, qui, suadentibus L. Lucceio, & Theophane Mitylenaeo perniciosum reip. bellum suscepisset. *Persequamur:* faciamus, quod Lucceio, & Theophani uidetur. NAM *Scipio* ʒ connumerat eos, quos aliqua caussa uidetur adduxisse, ut contra Caesarem arma sumerent. SORTE ʒ quia ei forte obuenit. GENERO ʒ Pompeio. IRATVM ʒ quia sententiam dixerat, ut Caesar ante certam diem exercitum dimitteret: si non faceret, aduersus remp. facturum uideri. Caesar libro 1. de bello ci. MARCELLI ʒ Marcus, & duo Caij: qui omnes Caesaris dignitatem oppugnauerant. MANERENT ʒ in Italia. APPIVS ʒ tres numerat, qui imperium non habebant, Appium, Cassium, Faustum. INIMICITIARVM ʒ cum P. Cornelio Dolabella, & M. Coelio Rufo, qui Caesaris partem sequebantur. fam. lib. IIX. PRAETER *hunc* ʒ qui erat censor. epist. 15. lib. 8. CASSIVM ʒ qui erat tribunus pl. ep 22. lib. 7. PROQVAES ʒ Bessarionis liber, Prope. forte, Propr. id est propraetor, ex Caesaris lib. 1. de bello ci. sed, cum non nominetur ep. 2. inter eos, qui imperium habebant, uidetur rectius, Proquaestor. VTRVMVIS ʒ possem arbitratu meo in Italia manere. neque enim mihi est Caesar infensus: (cum utroque amicitia par. ep. 1. lib. 7.) neque magistratus persona cogit: cum imperium possim deponere, &, abiecto triumpho, in urbem introire. ACCESSERIT ʒ malim, Accedet; cum in antiquis libris, Accedent, scriptum sit. HVIVS *fortunae* ʒ quam subimus ad Pompeium proficiscentes. NON *erat aequum* ʒ quia Caesaris legatus fuit in Gallia, neque Pōpeio debet aeque atque ego. NEC *suam caussam* ʒ etsi neque me roget, ut eum sequar; nec suam, ut ait ipse, caussam agat: me tamen monet. VT *ait* ʒ ait se publicam caussam agere, non suam. quasi dicat: secus est. & quodam modo significat, Pompeium, non tam reip. quam sua caussa motum, arma cepisse. sic ep. 10. lib. 4. Vt loquebatur.

Cicero S. D. Attico. 2.

ETSI nonis Mart. die tuo, ut opinor, exspectabam a te epistolam longiorem: tamen ad eam ipsam breuem, quam III. non. ὑπὸ τὴν διάληψιν *dedisti, rescribendum putaui. Gaudere ais te, mansisse me: & scribis, in sententia te manere. mihi autem superioribus litteris uidebare non dubitare, quin cederem, ita, si & Cnaeus bene comitatus conscendisset, & consules transissent. utrum, hoc tu parum commeministi, an ego non satis intellexi, an mutasti sententiam? sed aut ex epistola, quam exspecto, perspiciam, quid sentias: aut alias abs te litteras eliciam. Brundisio nihil dum erat allatum. o rem difficilem, planeq. perditam. quam nihil praetermittis in consilio dando: quam nihil tamen, quod tibi ipsi placeat, explicas. Non esse me una cum Pompeio, gaudes: ac proponis, quam sit turpe me adesse, cum quid de illo detrahatur: nefas esse approbare. certe. cōtra igitur? dij, inquis, auerruncent. quid ergo fiet, si in altero scelus est, in altero supplicium? impetrabis, inquis, a Caesare, ut tibi abesse liceat, & esse otioso. supplicandum igitur? miserum: quid, si non impetraro? Et de triumpho erit, inquis, integrum. quid, si hoc ipso premar? accipiam? quid foedius? negem? repudiari se totum, magis etiam, quam olim in XX. uiratu; putabit, ac solet, cum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere uellem. quanto nunc hoc idem accipiet asperius? tanto scilicet, quanto & honor hic illo est amplior, & ipse robustior. Nam quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompeium hoc tempore: non uideo caussam, cur ita sit, hoc quidem tempore. qui enim, amisso Corfinio denique, certiorem me sui consilij fecit, is queretur Brundisium me non uenisse, cum inter me, & Brundisium Caesar esset? deinde, etiam scit,* ἀπαρρησίαστον *esse in ea caussa querellam suam. me putat de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de pace, de urbe, de pecunia, de Piceno occupando plus uidisse, quam se. sin, cum potuero, non uenero: tum erit inimicus. quod ego non eo uereor; ne mihi noceat: (quid enim faciet?* τίς δ' ἐστὶ δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν; *) sed quia ingrati animi crimen horreo. confido igitur aduentum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, ut scribis,* ἀσμενιστὸν *fore. Nam quod ais, si hic temperantius egerit, consideratius consilium te daturum: qui hic potest se gerere non perdite? uita, mores, ante facta, ratio suscepti negotij, socij, uires bonorum, aut etiam constantia. Vix dum epistolam tuam legeram, cum ad me, currens ad illum, Postumus Curtius uenit, nihil nisi classes loquens,*

quens, & exercitus. eripiebat Hispanias: tenebat Asiā, Siciliam, Africam, Sardiniam: confestim in Graeciam persequebatur. eundum igitur est, nec tam ut belli, quam ut fugae socij simus. nec enim ferre potero sermones istorum, quicumque sunt. non sunt enim certe, ut appellantur, boni. sed tamen id ipsum scire cupio, quid loquantur: idq. ut exquiras, meq. certiorem facias, te uehementer rogo. Nos adhuc, quid Brundisij actum esset, plane nesciebamus. cum sciemus, tum ex re, & ex tempore consilium capiemus, sed utemur tuo. Vale.

EXPLANATIO

QVIN *cederem* } satis constat, Italia, subaudiri. nam id, quod sequitur, Ita si & Cnaeus, ualet, ea tamen condicione, si & Cnaeus. DIE *tuo*, } die quartanae. ep. 8. lib. 7. & 4. lib. 9. ADESSE, } in senatu. epist. 5. lib. 9. CONTRA } contra detrahentes disputem? SCELVS } si approbo, quae dicuntur in Pompeium. SVPPLICIVM } si contra eos, qui de illo in senatu detrahant, disputem. DE *triumpho* } uide epistolam III. lib. 8. OLIM } Clodianis temporibus, cum in locum Cosconij mortui est inuitatus. ep. 10. lib. 2. HONOR } triumphus. Ἀπαρρησίαστον } impeditam, & reprehendendi licentia carentem. putat enim me plus uidisse, quam se, cum ei dicerem, in municipijs parum roboris nostrae caussae futurum: delectus inuitorum fore: quod utrumque docuit euentus: pacem uel iniustam utiliorem esse, quam iustissimum bellum: urbem non esse relinquendam: pecuniam ex aerario sumendam: Picenum occupandum, ut Caesari aditus ad urbem praecluderetur. quibus in rebus mihi ille si paruisset rectissime monenti, haud paullo melius & sibi, & reip. consuluisset. TVM *erit inimicus:* } tum non recuso, mihi ut sit inimicus: erit enim iure: nunc irasci non potest, quia Brundisium ad ipsum non iuerim: neque enim potui, cum inter me & Brundisium Caesar esset. τίς ἐστι δοῦλος } seruile, inquit, est mortem timere. qui autem non timet, seruus esse non potest. quae mihi igitur seruitus a Pompeio potest impendere? eripiam me ab omnibus malis, si opus sit, morte uoluntaria. ERIPIEBAT } ercepturum Caesarem aiebat. NON *sunt certe boni* } quia domi manent. ep. 16. l. 8.

Cicero S. D. Attico. 3.

DOMITII filius transijt Formias VII. id. currens ad matrem Neapolim; mihiq. nunciari iussit, patrem ad urbem esse; cum de eo curiose quaesisset seruus noster Dionysius. nos autem audieramus eum profectum siue ad Pompeium, siue in Hispaniam. id cuiusmodi sit, scire sane uelim. nam ad id, quod delibero, pertinet, si ille certe nusquam discessit, intelligere Cnaeum, non esse faciles nobis ex Italia exitus, cum ea tota armis, praesidijsq, teneatur, hieme praesertim. nā, si commodius anni tempus esset; uel infero mari liceret uti, nunc nihil potest, nisi supero, transmitti, quo iter interclusum est. quaeris igitur & de Domitio, & Lentulo. A Brundisio nulla adhuc fama uenerat: & erat hic dies VII. id. quo die, suspicabamur, aut pridie Brundisium uenisse Caesarem. nam kalendis Arpis manserat. sed si Postumum audire uelles, persecuturus erat Cnaeum: transijsse enim iam putabat, coniectura tempestatum, ac dierum. ego nautas eum non putabam habiturum: ille confidebat, & eo magis, quod audita nauicularijs hominis liberalitas esset. sed, tota res Brundisina iam quo modo habeat se, diutius nescire non possum. Vale.

EXPLANATIO

MATREM } Catonis sororem Porciam. Plutarchus. AD *urbem* } ad urbem esse proconsules dicebantur; & Domitius Galliae proconsul. proconsulibus autem urbem ingredi, nisi deposito imperio, per leges non licuisse, supra diximus. SERVVS } non igitur is, de quo ep. 15. lib. 4. quem constat libertate donatum. QVOD *delibero* } de transeundo in Graeciam. ITER *interclusum* } omnia enim Caesaris armis; praesidijsq. tenentur. TRANSIISSE } Cnaeum. EVM } Caesarem: ut persequi posset. DIVTIVS *nescire non possum.* } necesse est, ut iam sciamus.

Cicero S. D. Attico 4.

EGO etsi tam diu requiesco, quam diu aut ad te scribo, aut tuas litteras lego: tamen & ipse egeo argumento epistolarum i, & tibi idem accidere certo scio. quae enim soluto animo familiariter scribi solent, temporibus his excluduntur: quae autem sunt horum temporum, ea iam contriuimus. sed tamen, ne me totum aegritudini dedam, sumpsi mihi quasdam tamquam θέσεις, quae & politicae sunt, & temporum horum, ut & abducam animū ab querellis, & in eo ipso, de quo agit, exercear. eae sunt huiusmodi.

Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένης· τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πειρατέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν. εἰ δ' εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα μὴ αὐτὸς ἄρθηται. εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι εἰρήνῃ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ. εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι. εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην. εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις. εἰ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτό τε τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν, καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος: ἢ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε, καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας. *in his ego me consultationibus exercens, & disserens in utramque partem tum graece, tum latine, & abduco parumper animum a molestijs, &* τῶν προὔργου τι *delibero. Sed uereor, ne tibi* ἄκαιρος *sim. si enim recte ambulauit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit. Vale.*

EXPLANATIO

IN IPSVM *tuum diem* } in diem quartanae. Tuum, autem, tibi ex consuetudine familiarem. epist.7.lib.7.& sequenti.

Cicero S. D. Attico. 5.

NATALI die tuo scripsisti epistolam ad me plenam consilij, summaeq. tum beneuolentiae, tum etiam prudentiae. eam mihi Philotimus postridie, quam a te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quae disputas, difficillima, iter ad superum, nauigatio infero, discessus Arpinum, ne hunc fugisse; mansio Formijs, ne obtulisse nos gratulationi uideamur: sed miserius nihil, quam ea uidere, quae tamen iam, iam inquam uidenda erunt. Fuit apud me Postumus: scripsi ad te, quam grauis. uenit ad me etiam Q. Fusius, quo uultu, quo spiritu? properans Brundisium, scelus accusans Pompeij, leuitatem, & stultitiam senatus. haec qui in mea uilla non feram, cur tum in curia potero ferre? Age, finge me quamuis ἀστεμφῶς *haec ferentem: quid illa, dic M. Tulli, quem habebunt exitum? Et omitto caussam reip. quam ego amissam puto cum uulneribus suis, tum medicamentis his, quae parantur. de Pompeio quid agam? cui plane (quid enim negem?) succensui. semper enim caussae euentorum magis mouent, quam ipsa euenta. haec igitur mala, quibus maiora esse quae possunt? considerans, uel potius iudicans eius opera accidisse, & culpa, inimicior eram huic, quam ipsi Caesari. ut maiores nostri funestiorem diem esse uoluerunt Alliensis pugnae, quam urbis captae; quod hoc malum ex illo; ita que alter religiosus etiam nunc dies, alter in uulgus ignotus; sic ego, decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos, hoc desendente, ne dicam grauius, afflixerat; praesentisq. temporis cognoscens temeritatem, ignauiam, negligentiam, succensebam. sed ea iam mihi exciderunt. beneficia eiusdem cogito, cogito etiam dignitatem. intelligo serius equidem, quam uellem, propter epistolas, sermonesq. Balbi; sed uideo plane, nihil aliud agi, nihil actum ab initio, quam ut hunc occideret. ego igitur. si quis apud Homerum, cum ei & mater, & dea dixisset,*

Αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος,

matri ipse respondit,

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ

Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι. *quid, si non* ἑταίρῳ *solum, sed etiam* εὐεργέτῃ? *adde, tali uiro, talem caussam agenti. & ego uero haec officia mercanda uita puto. optimatibus uero tuis nihil confido, nihil iam ne inseruio quidem. uideo, ut se huic dent, ut daturi sint. quidquam tu illa putas fuisse de ualetudine decreta municipiorum prae his de uictoria gratulationibus? timent, inquies. at ipsi tum se timuisse dicunt. sed uideamus, quid actum sit Brundisij. ex eo fortasse mea consilia nascentur, aliaeq. litterae. Vale.*

EXPLANATIO

QVAM *grauis* } aut, Grauis, molestus mihi, qui de Caesare iactaret ea, quae minime uellem; aut, Grauis, qui nimium magne loqueretur, classes, exercitus, prouincias. FVSIVS, } Fusius Calenus, & ipse Caesarianus. SCELVS *Pompeij* } qui, nulla re offensus, contra ius ueteris amicitiae, atque affinitatis, omni ratione Caesaris dignitatem oppugnasset. SENATVS } qui ad Pompeij nimis infirmi uoluntatem iniquissima S.C. contra robustissimum Caesarem, contraq. tribunos pl. fecisset. VILLA } Formiana. CVR *tum in curia* } si ad urbem Caesar uocabit, & adesse in senatu uoluerit. DIC *M. Tulli* } cum sententiam rogabor in senatu, non tam de rep. quam de ipso Pompeio, quid dicam? quo modo me explicabo? ep.7.lib.7. ET *omitto* } usitatius, Sed omitto, atque omnino aptius. mendum fortasse inde fluit, quod Set pro Sed ueteres scribebant. MEDICAMENTIS } quam enim ab eo, qui fugit, sperare salutem potest? non conualescet igitur medico Pompeio. QVID *agam?* } sequar eum in Graeciam, an maneam in Italia? } CAVSSAE *euentorum* } significat, Pompeij culpa in eam calamitatem incidisse remp. qui per decem annos Caesaris potentiam auxerat: ut se quidem inimicum esse Caesari dicat

dicat ob euenta, sed inimiciorem Pompeio ob caussas euentorum. Religiosus } tristi omine infamis, ut explanat Gellius. Ille etiam annus } cum Clodia rogatione tristem exsulij calamitatem subij. Hoc defendente } accusat Pompeium tamquam praeuaricatorem, ac desertorem in patrocinio. ep. 13. l. 3. Ne dicam grauius } poterat enim dicere, non modo se desertum, sed armatum etiam a Pompeio inimicum suum. uide ep. 22. lib. 2. Temeritatem, ignauiam, negligentiam. } Pompeij peccata. Temeritatem, in suscipiendo bello, cum esset imparatissimus: Ignauiam, &, Negligentiam, in gerendo. Balbi } cui fidem habui, affirmati Caesarem optimo esse animo erga Pompeium, & concordiam cupere. ep. 9. & 15. lib. 8. Ego igitur } refert ad illud, Ego uero haec officia &c. Apud Homerum } Thetidi respondet Achilles, αὐτίκα τεθναίην, ἐπὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ κτεινομένῳ ἐπαμῦναι. Non ἑταίρῳ solum } uult Achilles apud Homerum ulcisci Patroclum, quia socius; ego ferre opem Pompeio, quia etiam de me bene meritus. Tali uiro } rerum gestarum gloria circumfluenti. Caussam } reip. Optimatibus uero tuis } noli putare, me ad Pompeium iturum, quod optimatum sermonibus mouear, aut quod ijs inseruire uelim, mansionem meam reprehendentibus, profectionem laudantibus. sed me mouet tum beneficinm, tum dignitas Pompeij, eo magis, quod agit caussam reip. Huic dent } Caesari. quamquam Caesar aberat: sed uultu laetitiam ob Caesaris uictoriam significabant. Daturi } cum Brundisio redierit. Decreta } a municipijs facta, ut omnes uota facerent pro salute Pompeij, in Campania aegrotantis. ep. ultima lib. IIX. Victoria } Caesaris, qui, uniuersa Italia occupata, Pompeium cedentem persequebatur. Tum } cum illa pro salute Pompeij decernebant.

Cicero S. D. Attico. 6.

Nos adhuc Brundisio nihil. Roma scripsit Balbus, putare iam Lentulum cos. transmisisse, nec eum a minore Balbo conuentum; quod is hoc iam Canusij audisset; inde ad se eum scripsisse: cohortesq. sex, quae Albae fuissent, ad Curtium Minucia transisse: id Caesarem ad se scripsisse, & breui tempore eum ad urbem futurum. ego utar tuo consilio: neque me in Arpinum hoc tempore abdam. etsi, Ciceroni meo togam puram cum dare Arpini uellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Caesarem. sed fortasse in eo ipso offendetur, cur non Romae potius. sed tamen, si est conueniendus, hic potissimum. tum reliqua uidebimus, idest & quo, & qua, & quando. Domitius, ut audio, in Cossano, & quidem, ut aiunt, paratus ad nauigandum: si in Hispaniam, non probo: si ad Cnaeum, laudo: quouis potius certe, quam ut Curtium uideat; quem ego patronus adspicere non possum. quid alios? sed, opinor, quiescamus; ne nostram culpam coarguamus; qui, dum urbem, idest patriam, amamus, dumq. rem conuenturem putamus, ita nos gessimus, ut plane interclusi, captiq. simus. Scripta iam epistola, Capuae litterae sunt allatae hoc exemplo. Pompeius mare transijt cum omnibus militibus, quos secum habuit. hic numerus est hominum millia XXX, & consules duo, & tribuni pl. & senatores, qui fuerant cum eo, omnes cum uxoribus, & liberis. Conscendisse dicitur ad IV. non. Mart. ex ea die fuere septemtriones uenti. naues, quibus usus non est, omnes aut praecidisse, aut incendisse dicunt. de hac re litterae L. Metello trib. pl. Capuam allatae sunt ab Clodia socru, quae ipsa transijt. ante solicitus eram, & angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, cum consilio explicare nihil possem: nunc autem, postquam Pompeius, & consules ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo dolore.

οὐδέ μοι ἦτορ

ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι.

non sum, inquam, mihi crede, mentis compos: tantum mihi dedecoris admisisse uideor. me non primum cum Pompeio, qualicumque consilio uso, deinde cum bonis esse, quamuis caussa temere instituta? praesertim cum ij ipsi, quorum ego caussa timidius me fortunae committebam, uxor, filia, Cicerones pueri, me illuc sequi mallent, hoc turpe, & me indignum putarent. nam Quinctus quidem frater, quidquid mihi placeret, id rectum se putare aiebat, id animo aequissimo sequebatur. tuas nunc epistolas a primo lego. hae me paullum recreant. primae monent, & rogant, ne me proijciam. proximae gaudere te ostendunt, me remansisse. eas cum lego, minus mihi turpis uideor, sed diu, dum lego: deinde emergit rursum dolor, & αἰσχροῦ φαντασία. Quamobrem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem, aut consolatione, aut consilio, aut quacumque re potes. quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? uix iam deus. equidem illud molior, quod tu mones, sperasq. fieri posse; ut mihi Caesar concedat, ut absim, cum aliquid in senatu contra Cnaeum agatur. sed timeo, ne non impetrem. uenit ab eo Furnius: (ut quidem scias, quos sequamur: Q. Titinij filium cũ Caesare esse nunciat) sed illum maiores mihi gratias agere, quam uellem. quid autem me roget, (paucis ille quidem uerbis, sed ἐν δυνάμει) cognosce ex ipsius epistola. me miserum, quod tu non ualuisti. una fuissemus: consilium non defuisset, σύν τε δύ' ἐρχομένω. sed acta ne agamus: reliqua paremus. me adhuc haec duo fefellerunt, initio spes compositionis; qua facta uolebam, ut populari, ut ea solicitudine senectutem nostram liberari: deinde bellum crudele, & exitiosum suscipi a Pompeio intelligebam. melioris medius filius ciuis, & uiri putabam, quouis supplicio affici, quam illi crudelitati non solum praeesse, uerum etiam interesse. uidetur uel mori satius fuisse, quam esse cum ijs. Ad haec igitur cogita, mi Attice, uel potius excogita. quemuis euentum fortius feram, quam hunc dolorem. Vale. *

Caesar imp. S. D. Ciceroni imp.

Cum Furnium nostrum tantum uidissem; neque loqui, neque audire me commodo potuisset; cum properarem, atque essem in itinere, praemissis iam legionibus,

praeterire

praeterire tamen non potui, quin & scriberem ad te, & illum mitterem, gratiasq. agerem. etsi hoc officium & feci saepe, & saepius mihi facturus uideor: ita de me mereris. in primis a te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem uenturum, ut te ibi uideam; ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum reuertar: festinationi meae, breuitatiq. litterarum ignosces. reliqua ex Furnio cognosces. Vale.

EXPLANATIO

A MINORE *Balbo* } Caesaris nomine rogaturo, ut in Italia maneret. ep.9. lib.8. QVOD *is* } quod Balbus minor Canusij audisset Lentulum consulem transmisisse: qui ad Balbum patrem Canusio id scripsit. ALBAE } ex Domitij cohortibus. ep.12. lib.8. CVRTIVM } Biuium Curium nominat Caesar lib.1. de bello ci. Curtum, Bessarionis liber. MINVCIA } alij, Numicia. placet, ex epistola Horatij 2. lib.1. ABDAM } ne uidear Caesarem Brundisio redeuntem fugisse. RELICTVRVS } ut Caesari meo nomine diceretur, me ideo Arpinum iuisse, quod ibi Ciceroni meo togam puram dare uellem. ep. 20. lib. 5. HIC } Formijs. ep.5. QVO } itionem ad Pompeium significat. QVA } quam maxime iter ἀνατάττεται, ep.1. CVRTIVM } ad quem suae cohortes transierunt. ADSPICERE } tam grauem. QVID *alios* } quasi dicat, multo minus alios Caesarianos. DVM *urbem amamus* } spe pacis ab hac ora Campana discedere nolui: quia sperabam fore, ut apud illum meae litterae, cohortationesq. ad pacem plus ualerent, si me bellicis negotijs non admiscerem. ita mox Brundisium ad Pompeium proficisci non licuit, cum iter illud Caesar interclusisset. ep.1. ET *consules duo, & tribuni pl.* } Duo, fortasse glossema fuit antecedentis uerbi. aut legendum, ut homo eruditus existimat, Et duo tribuni pl. nam cum Caesare multo plures tribuni pl. ut ep.7. l.7. DICITVR } non uere: nam conscendit idibus Martijs: infra ep. 19. SEPTEMTRIONES } non secundi Graeciam petentibus. PRAECIDISSE } ne Caesar consequi posset. L. METELLO } is est, de quo plura ep.4. l.10. QVALICVMQVE *consilio uso*, } etiam si non optimo consilio usus est neque in suscipiendo bello, neque in gerendo. Αἰσχροῦ φαντασία } animo enim species quaedam turpitudinis occursat. AVT *consolatione* } respexit ad Terentij uersiculum, Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero. Quem integrum Cicero posuit in ep.x. lib.7. fam. VT *quidem scias* } ut intelligas, quo loco sint Pompeij res: cum etiam Q. Titinij filius, amici nostri, qui bonum se ciuem esse praesefert, cum Caesare sit. ep.21. lib.5. & 24. l.9. Q. TITINII *filium* } Titinio quidem natum, sed adoptatum a Pontio, ut ep. ultima lib.IX. SED *illum* } quia, praeter propositum, interposuerat de Titinij filio, omissum reprehendit hac particula, Sed, ad connectendum apta, & usitata. *Illum*, autem, Caesarem. GRATIAS *agere*, } quod mare non transierim. QVAM *uellem* } paenitet enim, quod remanserim. NON *ualuisti* } non enim licuit tibi per quartanam Roma discedere. Σύν τε δύ' ἐρχομένω } utroque nostrum, quid optimum factu, cogitante. Homerus ιλ.κ. VT *populari, ut ea* } nullam opem fetentibus antiquis libris, non audeo mutare, quod deprauatum esse intelligo. BELLVM *crudele*, } ex utraque parte. ideoq. nolebam interesse: non enim, Crudele, de uno Pompeio dictum. SVSCIPI *a Pompeio* } qui pacem uel iniquissima condicione probare debuit. CVM *ijs* } qui crudele bellum, & exitiosum gererent. exponit, cur se bellicis negotijs, ut alij, commiscere noluerit. IMP. } ob res in Gallia gestas. COMMODO } pro commode, ut Arcano pro arcane, & quae grammatici alia notarunt. GRATIASQ. *agerem* } quod adhuc ab armis abstinueris.

Cicero S. D. Attico. 7.

SCRIPSERAM *ad te epistolam, quam darem IV. id. sed eo dies is, cui dare uolueram, non est profectus. uenit autem eo ipso die ille celeripes, quem Saluius dixerat: attulit uberrimas tuas litteras; quae mihi quiddam, quo starem, instillarunt. recreatum enim me non queo dicere. sed plane τὸ συνέχον effecisti. ego enim non iam id ago, mihi crede, ut prosperos exitus consequar. sic enim uideo, nec, duobus his uiuis, nec, hoc uno, nos umquam remp. habituros. ita neque de otio nostro spero iam, nec ullam acerbitatem recuso. unum illud extimescebam, ne quid turpiter facerem, uel, dicam, iam effecissem. sic ergo habeto, salutares te mihi litteras misisse, neque solum has longiores, quibus nihil potest esse explicatius, nihil perfectius, sed etiam illas breuiores, in quibus hoc mihi iucundissimum fuit, consilium, factumq. nostrum ab Sexto probari. pergratumq. mihi tu fecisti; a quo diligi me, &, quid rectum sit, intelligi, scio. Longior uero tua epistola non me solum, sed meos omnes aegritudine leuauit. itaque utar tuo consilio, & ero in Formiano: ne aut ad urbem ἀπάντησις mea animaduertatur; aut, si nec hic, nec illic eum uidero, deuitatum se a me putet. Quod autem suades, ut ab eo petam, ut mihi concedat, ut idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim, id me iam pridem agere intelliges ex litteris Balbi, & Oppij, quarum exempla tibi misi: misi etiam Caesaris ad eos sana mente scriptas: quo modo in tanta insania? sin mihi Caesar hoc non concedat; uideo tibi illud placere, me πολίτευμα de pace suscipere: in quo non extimesco periculum. cum enim tot impendeant, cur non honestissimo depacisci uelim? sed uereor, ne Pompeio quid oneris imponam;*

μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου

intorqueat. mirandum enim in modum Cnaeus noster

Sullani

Sullani regni similitudinem concupiuit. εἰδὼς σοι λέγω, nihil, inquam, ille minus obscure tulit. Cum hoc ne igitur, inquies, esse uis? Beneficium sequor, mihi crede, non caussam, ut in Milone, ut in. sed hactenus. Caussa igitur non bona est? immo optima: sed agetur (memento) foedissime. primum, consilium est, suffocare urbem, & Italiam fame: deinde, agros uastare, urere, pecuniis locupletum non abstinere. sed, cum eadem metuam ab hac parte; si illinc beneficium non sit, rectius putem quiduis domi perpeti: sed ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam. quamquam a te eius quoque rei iusta defensio est explicita. De triumpho tibi assentior. quem quidem totum facile, & libenter abiecero. egregie probo fore, ut, dum agamus, ὁ πλοῦς ὡραῖος obrepat: si modo, inquis, satis ille erit firmus. de isto licet bene speres. promitto tibi, si ualebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. te ne igitur socio? contra mehercule meum iudicium, & contra omnium antiquorum auctoritatem: nec tam ut illa adiuuem, quam ut haec ne uideam, cupio discedere. noli enim putare tolerabiles horum insanias, nec uniusmodi fore. etsi quid te horum fugit, legibus, iudiciis, senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum nec priuatas posse res, nec remp. sustinere? abeamus igitur qualibet nauigatione: etsi id quidem, ut tibi uidebitur: sed certe abeamus. sciemus enim, id quod exspectas, quid Brundisii actum sit. Bonis uiris quod ais probari, quae adhuc fecerimus, sciriq. ab iis non profectis: ualde gaudeo; si est nunc ullus gaudendi locus. De Lentulo inuestigabo diligentius: id mandaui Philotimo, homini forti, ac nimium optimati. Extremum est, ut tibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit. nec enim alia de re nunc ulla scribi potest: & de hac quid iam amplius inueniri potest? sed, quoniam & ingenium suppeditat, (dico mehercule, ut sentio) & amor, quo & meum ingenium incitatur: perge, ut facis, & scribe, quantum potes. In Epirum quod me non inuitas, comitem non molestum: subirascor: sed uale. nam, ut tibi ambulandum, ungendum, sic mihi dormiendum. etenim litterae tuae mihi somnum attulerunt. Cenantibus pridie idus nobis, ac noctu quidem, Statius a te epistolam breuem attulit. De L. Torquato quid modo quaeris? non modo Lucius, sed etiam Aulus profectus est, alii multi. De Reatinorum corona, quod scribis; moleste fero, in agro Sabino sementem fieri proscriptionis. Senatores multos esse Romae, nos quoque audieramus. ecquid potes dicere, cur exierint? In his locis opinio est, coniectura magis, quam nuncio, aut litteris, Caesarem Formiis ad XI. kal. Apr. fore. hic ego uellem habere Homeri illam Mineruam simulatam Mentori, cui dicerem:

Μέντορ πῶς τ' ἄρ ἴω, πῶς τ' ἄρ προσπτύξομαι αὐτόν;

nullam rem umquam difficiliorem cogitaui: sed cogito tamen; nec ero, ut in malis, imparatus. sed cura, ut ualeas. puto enim diem tuum heri fuisse. Caesar Oppio, Cornelio S. Gaudeo mehercule uos significare litteris, quam ualde probatis ea, quae apud Corfinium sunt gesta. consilio uestro utar libenter, & hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, ut quamlenissimum me praeberem; & Pompeium, darem operam, ut reconciliarem. tentemus, hoc modo si possimus omnium uoluntates recuperare, & diuturna uictoria uti: quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neque uictoriam diutius tenere, praeter unum L. Sullam, quem imitaturus non sum. haec noua sit ratio uincendi; ut misericordia, & liberalitate nos muniamus. id quemadmodum fieri possit, non nulla mihi in mentem ueniunt, & multa reperiri possunt. De his rebus, rogo uos, ut cogitationem suscipiatis. Cn. Magium, Pompeii praefectum, deprehendi: scilicet meo instituo usus sum, & eum statim missum feci. iam duo praefecti fabrum Pompeii in meã potestatem uenerunt, & a me missi sunt. si uolent grati esse, debebunt Pompeium hortari, ut malit mihi esse amicus, quam iis, qui & illi, & mihi semper fuerunt inimicissimi: quorum artificiis effectum est, ut resp. in hunc statum peruenerit. Uale.

Balbus Ciceroni imp. S. Subito, postea quam litteras communes cum Oppio ad te dedi, ab Caesare epistolam accepi, cuius exemplum tibi misi; ex quibus perspicere poteris, quam cupiat concordiam, & Pompeiũ reconciliare, & quam remotus sit ab omni crudelitate: quod eum sentire, ut debeo, ualde gaudeo. De te, & tua fide, & pietate idem mehercule, mi Cicero, sentio, quod tu, non posse tuam famam & officium sustinere, ut contra eum arma feras, a quo tantum beneficium te accepisse praedices. Caesarem hoc idem probaturum, exploratum, pro singulari eius humanitate, habeo: eiq. cumulatissime satisfacturum te certo scio, cum nullam partem belli contra eum suscipias, neque socius eius aduersariis fueris. atque hoc non solum in te, tali, & tanto uiro, satis habebit: sed etiam mihi ipse sua concessit bonitate, ne in iis castris essem, quae contra Lentulum, aut Pompeium futura essent; quorum beneficia maxima haberem: sibiq. satis esse dixit, si togatus urbana officia sibi praestitissem: quae etiam illi, si uellem, praestare possem. itaque nunc Romae omnia negotia Lentuli procuro, sustineo; meumq. officium, fidem, pietatem iis praesto. sed mehercule rursus tam abiectã compositionis spem non desperatissimam esse puto: quoniam Caesar est ea mente, qua optare debemus. hac re mihi placet, si tibi uidetur, te ad eum scribere, & ab eo praesidium petere, ut petisti a Pompeio, me quidem approbante, temporibus Milonianis. praestabo (si Caesarem bene noui) eum prius tuae dignitatis, quam suae utilitatis rationem habiturum. Haec quam prudenter tibi scribam, nescio: sed illud certe scio, me ab singulari amore, ac beneuolentia, quaecumque scribo, tibi scribere: quod te (ita, incolumi Caesare, moriar) tanti facio, ut paucos aeque ac te caros habeam. De hac re cum aliquid constitueris, uelim mihi scribas. nam non mediocriter laboro, ut utrique, ut uis, tuam beneuolentiam praestare possis: quam mehercule te praestaturum confido. Fac ualeas.

Balbus, & Oppius S. D. M. Ciceroni. Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum uirorum consilia ex euentu, non ex uoluntate, a plerisque probari solent: tamen freti tua humanitate, quod uerissimum nobis uidebitur, de eo, quod ad nos scripsisti, tibi consilium dabimus: quod si non fuerit prudens, at certe ab opti-

ma fide, & optimo animo proficiſcetur. Nos, niſi id, quod noſtro iudicio Caeſarem facere oportere exiſtimamus, ut, ſimul Romam uenerit, agat de reconciliatione gratiae ſuae, & Pompeij; id eum facturum, ex ipſo cognouiſſemus. te hortari deſineremus, ut uelles his rebus intereſſe, quo facilius, & maiore cum dignitate per te, qui utrique es coniunctus, res tota conficeretur: aut, ſi ex contrario putaremus, Caeſarem id non facturum; & eum uelle cum Pompeio bellum gerere, ſciremus; numquam tibi ſuaderemus, contra hominem optime de te meritum arma ferres; ſicuti te ſemper orauimus, ne contra Caeſarem pugnares. ſed cum etiamnum, quid facturus Caeſar ſit, magis opinari, quam ſcire, poſſimus: non poſſumus niſi hoc, non uideri eam tuam eſſe dignitatem, neque fidem omnibus cognitam, ut contra alterutrum, cum utrique ſis maxime neceſſarius, arma feras: & hoc, non dubitamus, quin Caeſar pro ſua humanitate maxime ſit probaturus. nos tamen (ſi tibi uidebitur) ad Caeſarem ſcribemus, ut nos certiores faciat, quid in hac re acturus ſit. a quo ſi erit nobis reſcriptum, ſtatim, quae ſentiemus, ad te ſcribemus, & tibi fidem faciemus, nos ea ſuadere, quae nobis uidentur tuae dignitati, non Caeſaris rationi, eſſe utiliſſima. & hoc Caeſarem, pro ſua indulgentia in ſuos, probaturum putamus. Vale.

EXPLANATIO

TO' εὐλογον } argumentum firmiſſimum ad meam manſionem defendendam: ſic alij explanant, ex Quinctiliano, cap. ultimo, lib. III. ſed potius uidetur ſic explanandum: Effeciſti quod proximum erat, cum non poſſes recreare. FACTVMQ. *noſtrum* } manſionem. SEXTO } Peducaeo. ANIMADVERTATVR } quaſi Caeſari ſponte occurram. NEC *hic, nec illic* } neque Formijs, neque ad urbem. quia ſcripſerat Cicero, ſe Arpinum cogitare, ne redeuntem Brundiſio Caeſarem uideret. VT *idem tribuam Pompeio*, } ne Pompeium ulla re laedam, neque adſim, cum in ſenatu contra illum agetur. ep. 6. QVID *oneris* } ne non ferat, uereor. bellum enim cupit. itaque mihi, de pace agenti, ſuccenſeret. Μὴ μοι γοργείην } ue acerbior in me fiat. uerba ſunt Vlyſſis apud Homerum ὀδυσ. λ, in extremo. VT *in Milone* } cuius cauſſam defendi, non quia iuſtam putarem, ſed feci adductus beneficio. VT *in* } fortaſſe dicturus fuit, Vt in Gabinio: quem cum odio proſequeretur, & nocentem putaret, rogatus tamē a Pompeio, de ſe optime merito, defendit. quo iudicio Gabinius condemnatus: quoniam cauſſa non iuſta, ut & Milonis. Dio lib. XXXIX. Idq. ſignificant illa in epiſtola ad Marium, fam. ep. 1. lib. 7. Cogor non numquam homines, de me non optime meritos, rogatu eorum, qui bene meriti ſunt, defendere. SI *illinc beneficium non ſit* } ſi Pompeio non debuero. EIVS *quoque rei* } ἀχαριστίας crimen me non poſſe ſubire, etiā ſi ad Pompeium non proficiſcar. ABIECERO } ut intelligas me de eo minimum laborare. agemus tamen de eo obtinendo. interea, ut tu ſcribis, obrepet anni tempus, quo liceat nobis ad Pompeium uel infero mari tuto nauigare. ep. 3. SATIS *ille erit firmus.* } nam alioqui, nauigandum ad eum ſine ſpe uictoriae, non cenſes. DE *iſto* } de hoc ipſo, de uiribus Pompeij. quod ad hanc partem attinet, uide, inquit, quid ſperare poſſis. promitto tibi, ſi firmus erit, regulam &c. ANTIQVORVM } Philippi, Flacci, Scaeuolae. ep. 3. l. 8. ABEAMVS *igitur inde* } uerbum, Inde, a libro Beſſarionis abeſt, &, opinor, recte abeſt. ID *quidem* } qua nauigatione abeamus. NON *profectis* } malim, Non profectos, hoc ſenſu. Sciunt te non profectum ad Pompeium, & tamen probant quae adhuc feciſti. NIMIVM *optimati* } Pompeij partium ſtudioſo, & ſaepe pro Pompeio mentienti. nec ſine ironia dictum de liberto. SVPPEDITAT } tibi. ET *meum* } quod tardius eſt, quam tuum. AMBVLANDVM, *ungendum* } quae laborantib. quartana praecipiuntur a medicis. SOMNVM *attulerunt* } curis ademptum. ep. 7. AVLVS } Torquatus. PROFECTVS } ad Pompeium. REATINORVM *corona* } dolet Sabinos in circulis ac coronis iacere ſermones de proſcriptione, quam forſitan non cogitet Caeſar, cum adhuc clementiam in uictos oſtenderit. EXIERINT, } obuiam Caeſari, Brundiſio redeunti. CVI *dicerem* } quam rogarem, quo modo redeuntem Brundiſio Caeſarem exciperem, & amplexarer: ſicuti rogat eam, facie Mentori ſimulatā, Telemachus Vlyſſis filius. DIEM *tuum* } quartanae. RELIQVI } Marius, & Cinna. VALE } ſcriberem, Valete, cum ad duos mittatur epiſtola. SVB *poſtea quam* } aut antiquus eſt loquendi modus, exēplo mihi parum cognitus: aut legendum, S.V.B. quod eſt: Si uales, bene. uide epiſt. 29. l. 7. fam. EX *quibus* } σολοικοφανὲς. nam, EA quibus, refertur ad epiſtolam. credo, cum & litteras, & epiſtolam Balbus nominaſſet, eadem diuerſorum nominum ſignificatione deceptum, illud, Ex quibus, ut de litteris, non ut de epiſtola, protuliſſe. PIETATE } uſurpatur erga eos, qui magnum beneficium dederunt, ut hic erga Pompeium. LENTVLVM } conſulem. ep. 15. lib. 8. HABEREM } Lentuli. cuius beneficio ciuitatis donauerat. a Pompeio quidem ciuitate donatus; a Cornelio autem, huius anni conſule, Corneliorum nomine: quod indicat Lucij commune praenomen. uide pro Balbo. MILONIANIS } cum reum Milonem in iudicio defendiſti. PRVDENTER } iudicio falli poſſum. uide ſequentem epiſtolam. PRAESTATVRVM } ſi contra neutrum arma tuleris. HVMILIVM } neuter enim eorum honores geſſerat: & balus Gadibus natus, Oppius obſcurae gentis. DIGNITATE } intercedente uiro conſulari, & optime de rep. merito. FIDEM } in tuendis amicitijs.

Cicero S. D. Attico 8.

TRES *epistolas tuas accepi postridie iduum; erant autem IV. III. prid. id. datae: igitur antiquissimae cuique primum respondebo. Assentio tibi, ut in Formiano potissimum commorer. & iam de supero mari plaboque, ut antea ad te scripsi, * & quonam modo possem uoluntate eius nullam reip. partem attingere. Quod laudas, quia obliuisci me scripsi ante facta, & dicta nostri amici: ego uero ita facio: quin ea ipsa, quae a te commemorantur, secus ab eo in me ipsum facta esse, non memini: tanto plus apud me ualere beneficij gratiam, quam iniuriae dolorem, uolo. faciamus igitur, ut censes, colligamusq. nos: festino enim simili urus decurro, * atque cursu. Θέσεις meas commentari non desino: sed sunt quaedam earum perdifficiles ad iudicandum. De optimatibus, sit sane ita, ut uis: sed nosti illud, Διόνυσος ἐν Κορίνθῳ. Titinij filius apud Caesarem est. Quod autem quasi uereri uideris, ut mihi tua consilia displiceant: me uero nihil delectat aliud, nisi consilium, & litterae tuae. quare fac, ut ostendis, ne destiteris ad me, quidquid tibi in mentem uenerit, scribere. mihi nihil potest esse gratius. Venio ad alteram nunc epistolam.*

Recte non credis de numero militum. ipso dimidio plus scripsit Clodia. falsum etiam de corruptis nauibus. Quod consules laudas; ego quoque animum laudo, consilium reprehendo. discessu enim illorum actio de pace sublata est: quam quidem ego meditabar: itaque postea Demetrij librum de concordia tibi remisi, & Philotimo dedi. nec uero dubito, quin exitiosum bellum impendeat, cuius initium ducetur a fame. & me tamen doleo non interesse huic bello; in quo tanta uis sceleris futura est, ut, cum parentes non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam, & sanctissimam parentem patriam fame necandam putent. atque hoc non opinione timeo, sed interfui sermonibus. omnis haec classis Alexandria, Colchis, Tyro, Sidone, Andro, Cypro, Pamphylia, Licia, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Smyrna, Mileto, Co, ad intercludendos commeatus Italiae, & ad occupandas frumentarias prouincias comparatur. at quam uenit iratus, & ijs quidem maxime, qui eam maxime saluam uolebant, quasi relictus ab ijs, quos reliquit. itaque mihi dubitanti, quid me facere par sit, permagnum pondus affert beneuolentia erga illum; qua dempta: perire melius esset in patria, quam patriam seruando euertere. De septemtrione, plane ita est. metuo, ne uexetur Epirus. sed quem tu locum Graeciae non direptum iri putas? praedicat enim palam, & militibus ostendit, se largitione ipsa superiorem, quam hunc, fore. Illud me praeclare admones, cum illum uidero, ne nimis indulgenter, & ut cum grauitate potius loquar. plane sic faciendum. Arpinum, cum eum conuenero, cogito; ne forte aut absim, cum ueniet, aut cursem huc illuc uia deterrima. Bibulum, ut scribis, audio uenisse, & redisse prid. id. Philotimum, ut ais epistola tertia, exspectabas: at ille idibus a me profectus est. eo serius ad tuam illam epistolam, cui ego statim rescripseram, redditae sunt meae litterae. De Domitio, ut scribis, ita opinor esse, ut & in Cossano sit, & consilium eius ignoretur. Iste omnium turpissimus, & sordidissimus, qui consularia comitia a praetore ait haberi posse, est idem, qui semper in rep. fuit. itaque nimirum hoc illud est, quod Caesar scribit in ea epistola, cuius exemplum ad te misi, se uelle uti consilio *meo: age, esto hoc commune:* gratia: *ineptum id quidem: sed puto, hoc simulat ad quasdam senatorum sententias:* dignitate, *fortasse sententia consularis: illud extremum est,* ope omnium rerum. *id, ego suspicari coepi tum ex tuis litteris, aut hoc ipsum esse, aut non multo secus. nam permagni eius interest, rem ad interregnum non uenire. id assequitur, si per praetorem consules creantur. nos autem in libris habemus, non modo consules a praetoribus, sed ne praetores quidem creari ius esse, idq. factum esse numquam: consules, eo non esse ius, quod maius imperium a minore rogari non sit ius: praetores autem, cum ita rogentur, ut collegae consulum sint, quorum est maius imperium. aberit non longe, quin hoc a me decerni uelit, neque sit contentus Galba, Scaeuola, Cassio, Antonio.*

τότε μοι χάνοι δ᾽ εὐρεῖα χθών.

*sed quanta tempestas impendeat, uides. Qui transierint senatores, scribam ad te, cum certum habebo. De re frumentaria recte intelligis; quae nullo modo administrari sine uectigalibus potest: nec sine caussa & eos, qui circum illum sunt, omnia postulantes, & bellum nefarium times. Trebatium nostrum, etsi, ut scribis, nihil bene sperat, tamen uidere sane uelim. quem fac horteris, ut properet. opportune enim ad me ante aduentum Caesaris uenerit. De Lanuino, statim, ut audiui Phameam mortuum, optaui, si modo esset futura resp. ut id aliquis emeret meorum: neque tamen ad te, qui maxime meus, cogitaui. sciebam enim, de quoto anno, & quantum in solo, solere quaerere: neque solum Romae, sed etiam Deli tuum digamma uideram. * uerumtamen ego illud, quamquam est bellum, minoris aestimo, quam aestimabatur Marcello consule; cum ego istos hortulos propter domum Antij, quam tum habebam, iucundiores mihi fore putabam, & minore impensa, quam si Tusculanum refecissem. uolui HS Q. egi per praedem, illi daret, Antij cum haberet uenale: noluit. sed nunc omnia ista tacere puto propter nummorum caritatem. mihi quidem erit aptissimum, uel nobis potius, si tu emeris. sed eius dementias caue contemnas. ualde est uenustum. quamquam mihi ista omnia iam addicta uastitati uidentur. Respondi epistolis tribus: sed exspecto tuas. nam me adhuc tuae litterae sustentarunt. Dat. Liberalibus.*

EXPLANATIO

PLABOQ.} sic & Bessarionis, & Caualcantis uetera exemplaria. manifestum mendum. sententia tamẽ haec uidetur; se iam supero mari transmissionem abijcere, & cogitare mansionem in Italia, dũ commodius anni tempus adueniat, quo liceat infero mari nauigare: modo interea possit concessu Caesaris nullam reip. partem attingere. ac uidetur totum hoc ita restitui posse: Assentio tibi, ut in Formiano potissimum commorer, etiam de supero mari. Balboque, ut antea ad te scripsi, ecquonam modo, &c. nam duabus superioribus epistolis nihil aliud agit Balbus, nisi ut ostendat Ciceroni quaerenti, quo modo possit Caesari satisfacere. FACTA *& dicta*} quae Pompeius olim in nos fecit, & dixit. Delicta, tamen ueteres libri. ME *ipsum*} ita de illo bene meritum. *SIMILI urus*} Caualcantis liber sic, sic & Bessarionis. incerta coniectura si coner corrigere, quis praestabit non magis deprauari? Antiquus liber Vrbinatis bibliothecae? Festino enim similimus decurro: at quo cursu? COMMENTARI} meditari. cogitatione exquirere. ep. 4. SIT *sane ita ut uis*} eos probare, quae adhuc fecerim: quod uereor ut ita sit. NOSTI *illud*} quod de summis uiris solet usurpari, cum post magnarum rerum actiones in otium se conferunt: usurpatur autem hoc: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ: idest, & Dionysius, Syracusarum regno pulsus, Corinthi ludum aperuit. hoc & de me usurpabitur; qui nullam belli partem suscipiens, quasi omissa reip. cura otiosus θέσεις commenter. APVD *Caesarem est*} cum indignatione hoc adscripsit. quod ex eo loco licet conijcere ep. 6. MILITVM} qui cum Pompeio transierunt. ep. 6. LAVDAS} quia mare transierunt. IRATVS} Pompeius. IIS *quidem maxime*} pacis auctoribus: qui pacẽ ideo sua debant, quia patriam maxime saluam uellent, cui exitiosum fore bellum uidebant. at Pompeius, qui mirandum in modum Sullani regni similitudinem concupiuit, belli cupidus, ijs, qui pacem suaserant, idest nobis, ueniet iratus. ep. 7. EAM *saluam*} patriam, antiquissimam & sanctissimam parentem. SERVANDO *euertere*} seruari enim, & uindicari a tyrannide non potest sine clade, interituq. ciuium. DE *septemtrione*} de regionibus, Septemtrioni subiectis: in quibus Pompeius bellum contra Caesarem parabit. EPIRVS} tua. quo transire cogitabat. ep. 1. LARGITIONE *ipsa*} ea ipsa, qua Caesar ad incitandos milites utitur. CVM *illum uidero*} Caesarem Brundisio redeuntem. ep. 7. NE *forte aut absim*} Arpinum, antequam eum conueniam, non cogito: ne aut absim illo redeunte; aut, ut redeunti occurram, huc illuc uia difficillima cursem. alterutrum enim necesse est. VENISSE} ad Pompeium, e Syria, in qua fuerat proconsul. CONSILIVM *eius*} utrum in Italia mansurus sit, an ad Pompeium iturus. ep. 1. ISTE} consules aberant Lentulus, & Marcellus. agebatur ergo, quis haberet comitia designandis in proximum aunum consulib. ISTE:} si exstaret Attici epistola, nomen haud ignoraremus. COMMVNE} hoc ne consideremus; quoniam potest esse dictum nõ proprie de consularibus comitijs, sed cõiter de omnibus reb. INEPTVM} Caesarem, cuius in potestate omnia sint, mea gratia uti uelle. SENTENTIA *consularis*} quod a me, uiro cõsulari, quae in senatu agentur, cupiat approbari. TVM *ex tuis litteris*} quibus respondebas ad meas, de uerbo, Ope, quaerentes. distingue a, Coepi, uerbo antecedenti: ut dicat, & ipsum per se suspicatum, & ex Attici literis. Hoc *ipsum esse*} in hoc ope mea uti uelle, ut decernam de comitijs consularib. a praetore habendis. NON *multo secus*} aut hoc ipsum esse; aut aliquid huiusmodi. REM *ad interregnum non uenire*} interregem non creari, qui comitia habeat nouis consulib. designandis, cum eius anni consules abessent, Lentulus, & Marcellus. de interrege autem dicemus in libro de Magistratibus. sed quoniam, interrege creato, pertinebat ad eum consulum designatio, consul uero Caesar fieri cupiebat, incertus de uoluntate interregis, rem ad interregnum uenire noluisset: haberi a praetore, quem sciret sui studiosum, consularia comitia malebat. quod cũ fieri non posse comperisset, alia rõne, quod uolebat, consecutus est. dictator. n. a M. Lepido praetore dictus, comitia ipse habuit consularia, & consul factus est cum P. Seruilio Isaurici filio. de bello ci. lib. 3. LIBRIS} nostris auguralib. ROGARI} creari: unde comitia consulib. rogandis lib. primo de diuinatione: & populum rogare magistratum dicebatur is qui comitia habebat, idest populum rogare, ut suis suffragijs eum magistratum crearet, cuius magistratus caussa comitia haberentur. & legimus in Liuio lib. 6. factum esse S. C. ut duos uiros aediles ex patribus dictator populum rogaret. VT *collegae consulum sint*} si enim creantur praetores, ut collegae consulum sint, creari a praetore non possunt. non enim collegae consulum dicerentur, creati ab eo, cuius imperium consulari imperio minus est, ideoq. a consule creantur. Gellius lib. 13. c. 14. Hoc *a me decerni*} ut ego in senatu mea sententia decernam, consularia comitia a praetore haberi licere. A ME} augure, & consulari: quod contentus non sit Galba, Scaeuola, Cassio, Antonio decernentibus; quamquam & hi augures sint. erant autem omnes XV. amplificato lege Sullae dictatoris collegio; cum antea IX. omnino essent. qua de re alio loco plenius agetur. *Τί τε μοι &c.*} subaudi, cum a me decernetur. Homerus ἰλ. θ. TRANSIERINT} cum Pompeio. OMNIA *postulantes*,} in uictoria non modo Caesarianorum bona, sed omnium, qui in Italia remanserunt: ut ibi non sine causa timeas. VIDERE *sane uelim*} etsi scribis, ex eius sermone spem pacis esse nullam. OPPORTVNE} quia fortasse me consilijs instruet ad Caesaris congressum opportunis, cum Caesari maxime sit amicus. ep. 20. & 21. LANVINO,} fundo. PHAMEAM} eius fundi dominum. ep. 17. SCIEBAM *enim &c.*} sciebam te uoluptuarias possessiones non emere, qui soleres quaerere, ager a te emptus quot annorum spatio tantum tibi redderet, quantum in solo, i. in eius emptione, posuisses. uidetur corrigendũ, & distinguendũ, hoc modo: Sciebam enim, te, quoto anno, & quantũ in solo, solere quaerere. DELICIVM

digamma}

digamma} fundum, qui tibi est in delicijs, ea figura, qua est Digamma, qualem Aegypti fuisse, traditur. digamma autem est F. Latinum, factum ex duobus Γ Graecis. ILLVD} Lanuinum. VOLVI *H.S.Q.*} uolui sestertiorum nummorum quingentis millibus emere. ILLI *daret* } ut Phamea Lanuinum daret non mihi, quem fortasse minus bonum nomen putaret ob recentes mearum fortunarum ruinas, (restitutus enim ab exsulio fuerat anno proximo ante Marcellini consulatum) sed praedi, qui HS. Q. M. se daturum sponderet. CVM *haberet* } cum Phamea Lanuinum Antij proscripsisset. IACERE } sic pro Q. Roscio Iacere dixit praetia praediorum. DEMENTIAS } insanos sumptus in Lanuino exornando a Phamea possessore factos. sic Insanas substructiones in oratione pro Milone in fundo P. Clodij. VASTITATI } quae impendet uniuersae Italiae. ep. 7. LIBERALIBVS } ex hac epistola, Pompeium profectum esse, constat. quo modo igitur dicit Plutarchus, eum profectum esse Liberalibus? nimirum errare potuit. homo enim fuit. nec alibi non errauit.

Cicero S. D. Attico. 9.

NIHIL habebam, quod scriberem: neque enim noui quidquam audieram: & ad tuas omnes rescripseram pridie: sed, cum me aegritudo non solum somno priuaret, uerum ne uigilare quidem sine summo dolore pateretur; tecum ut quasi loquerer, in quo uno acquiesco, hoc nescio quid, nullo argumento proposito, scribere institui. Amens mihi fuisse uideor a principio, & me una haec res torquet, quod non omnibus in rebus labentem, uel potius ruentem Pompeium tamquam unus manipularis secutus sim. uidi hominem XIV. *Kal. Febr. plenum formidinis. illo ipso die sensi, quid ageret. numquam mihi postea placuit: nec umquã aliud in alio peccare destitit. nihil interim ad me scribere, nihil nisi fugam cogitare. quid quaeris? sicut* ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς *alienantur immũdae, insulsae, indecorae: sic me illius fugae, negligentiaeq. deformitas auertit ab amore. nihil enim dignum faciebat, quare eius fugae comitem me adiungerem. nunc emergit amor: nunc desiderium ferre non possum: nunc mihi nihil libri, nihil litterae, nihil doctrina prodest. itaque dies & noctes, tamquam auis illa, mare prospecto, euolare cupio. do, do poenas temeritatis meae. etsi quae fuit illa temeritas? quid feci non consideratissime? si enim nihil praeter fugam quaereretur; fugissem libentissime: sed genus belli crudelissimi, & maximi, quod, non dum uident homines, quale futurum sit, perhorrui. quae minae municipijs? quae nominatim uiris bonis? quae denique omnibus, qui remansissent? quam crebro illud? Sulla potuit; ego non potero? mihi autem haeserunt illa. Male Tarquinius, qui Porsenam, qui Octauium Mamilium contra patriam: impie Coriolanus, qui auxilium petijt a Volscis: recte Themistocles, qui mori maluit: nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. At Sulla, at Marius, at Cinna recte. immo iure fortasse: sed quid eorum uictoria crudelius? quid funestius? huius belli genus fugi, & eo magis, quod crudeliora etiam cogitari, & parari uidebam. me, quem non nulli conseruatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt, Getarũ, & Armeniorum, & Colchorum copias ad eam adducere? me meis ciuibus famem, uastitatem inferre Itataliae? hunc primum mortalem esse, deinde etiam multis modis posse exstingui cogitabam: urbem autem, & populum nostrum seruandum ad immortalitatem, quantum in nobis esset, putabam. & tamen spes quaedam me obtinebat, fore, ut aliquid conueniret potius, quam aut hic tantum sceleris, aut ille tantum flagitij admitteret. alia res nunc tota est, alia mea. Sol, ut est in tua quadam epistola, excidisse mihi e mundo uidetur. ut aegroto, dum anima est, spes esse dicitur: sic ego, quo ad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti. haec me fefellerunt; &, ut uerum loquar, aetas iam a diuturnis laboribus deuexa ad otium, domesticarum me rerum delectatione molliuit: nunc siue periculo experiundum erit, experiar certe, ut hinc auolem. ante oportuit fortasse: sed ea, quae scripsisti, me tardarunt, & auctoritas maxime tua. nam cum ad hunc locum uenissem, euolui uolumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo, seruoq. diligentissime. erat igitur in ea, quam* X. *kal. Feb. dederas, hoc modo.* SED *uideamus, & Cnaeus quid agat, & illius rationes quorsum fluant. quod si iste Italiam relinquet; faciet omnino male, &, ut ego existimo,* ἀλογίστως*; sed tum demum consilia nostra commutanda erunt. Hoc scribis post diem quartum, quam ab urbe discessimus. deinde* VIII. *kal. Febr.* TANTVMMODO *Cnaeus noster ne, ut urbẽ* ἀλογίστως *reliquit, sic Italiam relinquat. Eodem die das alteras litteras, quibus mihi consulenti planissime respondes: est enim sic.* SED *uenio ad consultationem tuam. si Cnaeus Italia cedit, in urbem redeundum puto. qui enim finis peregrinationis? hoc mihi plane haesit: & nunc ita uideo, infinitum bellum iunctum miserrima fuga; quam tu peregrinationem* ὑποκορίζῃ. *Sequitur* χρησμὸς VI. *Kalen. Febr.* EGO, *si Pompeius manet in Italia, nec res ad pactionem uenit, longius bellum puto fore: sin Italiam relinquit, ad posterum bellum* ἄσπονδον *strui existimo. Huius igitur belli ego particeps, & socius, & adiutor esse cogor; quod &* ἄσπονδον, *& cum ciuibus. Deinde* VI. *id. Febr. cum iam plura audires de Pompeij consilio, concludis epistolam quandam hoc modo.* EGO *quidem tibi non sim auctor, si Pompeius Italiam relinquit, te quoque profugere. summo enim periculo facies, nec reip. proderis; cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris. Quem* φιλόπατριν *ac* πολιτικὸν *hominis prudentis, & amici tali admonitu nõ moueret auctoritas? Deinceps* III. *id. Febr. iterum mihi respondes consulenti, sic.* QVOD *quaeris a me, fugam ne fidam, an moram defendam utiliorem putem: ego uero in praesentia subitum discessum, & praecipitem profectionem cum tibi, tum ipsi Cnaeo inutilem, & periculosam puto: & satius esse existimo, uos dispertitos, & in speculis esse: sed mediusfidius turpe nobis puto esse de fuga cogitare. Hoc turpe Cnaeus noster biennio ante cogitauit: ita sullaturit animus eius, & proscripturit diu. Inde, ut*

opinor,

opinor, cum tu ad me quaedam γενικώτερον scripsisses, & ego mihi a te quaedam significari putassem, ut Italia cederem; detestaris hoc diligenter XI. *Kal. Mart.* EGO *uero nulla epistola significaui, si Cnaeus Italia cederet, ut tu una cederes: aut, si significaui, non dico fui inconstans, sed demens. In eadem epistola alio loco.* NIHIL *relinquitur, nisi fuga: cui te socium neutiquam puto esse oportere, nec umquam putaui. Totam autem hanc deliberationem euoluis accuratius in litteris* VII. *Kalen. Mart. datis.* SI *M'. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto, ita, ut, si saluus sit Pompeius, & constiterit alicubi, hanc νεκυίαν relinquas; & te in certamine uinci cum illo facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quae perspicitur futura, colluuie regnare. Multa disputas huic sententiae conuenientia. inde ad extremum.* QVID SI, *inquis, Lepidus, & Volcatius discedũt? plane ἀπορῶ. quod euenerit igitur, & quod egeris, id στερκτέον putabo. Si tum dubitares, nunc certe non dubitas, istis manentibus. Deinde in ipsa fuga* V. *Kal. Mart.* INTEREA *non dubito, quin in Formiano mansurus sis. commodissime enim τὸ μέλλον ibi καραδοκήσεις. Ad Kal. Mart. cum ille quinctum iam diem Brundisij esset.* TVM *poterimus deliberare, non scilicet integrare, sed certe minus infracta, quam si una proieceris te. Deinde* IV. *non. Mart. ὑπὸ τὴν λῆψιν cum breuiter scriberes, tamen ponis hoc.* CRAS *scribam plura, & ad omnia: hoc tamen dicam, non paenitere me consilij de tua mansione: &, quamquam magna solicitudine, tamen, quia minus mali puto esse, quam in illa profectione, maneo in sententia, & gaudeo te mansisse. Cum uero iam angerer, & timerem, ne quid a me dedecoris esset admissum;* III. *non. Mart.* TAMEN, *te non esse una cum Pompeio, non fero moleste. postea, si opus fuerit, non erit difficile: & illi, quoquo tempore fiet, erit ἀσμενιστόν. sed hoc ita dico: si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter; ualde uidero, & consideratius utilitatis nostrae consuluero.* VII. *id. Mart. scribis, Peducaeo quoque nostro probari, quod quierim: cuius auctoritas multum apud me ualet. His ego tuis scriptis me consolor, ut nihil a me adhuc delictum putem. tu modo auctoritatem tuem defendito aduersus me. nihil opus esse, conscius ego, alijs. ego, si nihil peccaui, reliqua tuebor. ad ea tute hortare, & me omnino tua cogitatione adiuua. Hic nihil dum de reditu Caesaris audiebatur. Ego his litteris hoc tamen profeci: perlegi omnes tuas, & in eo acquieui. Lentulum nostrum scis Puteolis esse? quod cum e uiatore quodam esset auditum, qui se diceret, eum in Appia, cum is paullum lecticam aperuisset, cognosse, & si uix ueri simile, misi tamen Puteolos pueros, qui peruestigarent, & ad eum litteras. inuentus est uix, in hortis suis se occultans: litterasq. mihi remisit, mirifice gratias agens Caesari: de suo autem consilio C. Caecio mandata ad me dedisse. eum ego hodie exspectabam, idest* XIV. *kalen. Apr. Venit etiam ad me Matius Quinquatribus, homo mehercule, ut mihi uisus est, temperatus, & prudens: existimatus quidem est semper auctor otij. quam ille haec non probare mihi quidem uisus est, quam illam νεκυίαν, ut tu appellas, timere. huic ego in multo sermone epistolam ad me Caesaris ostendi, eam, cuius exemplum ad te antea misi: rogauique, ut interpretaretur, quid esset, quod ille scriberet, consilio meo se uti uelle, gratia, dignitate, ope rerum omnium. respondit, se non dubitare, quin & opem, & gratiam meam ille ad pacificationem quaereret. utinam aliquod in hac miseria reip. πολιτικὸν opus efficere, & nauare mihi liceat. Matius quidem & illum in ea sententia esse cõfidebat, & se auctorem fore pollicebatur. Pridie autem apud me Craßipes fuerat, qui se pridie non. Mart. Brundisio profectum, atque ibi Pompeium reliquisse dicebat: quod etiam, qui* VIII. *id. illinc profecti erant, nunciabant: illa uero omnes, in quibus etiam Craßipes, qui prudentia potuit attendere, sermones minaces, inimicos optimatium, municipiorum hostes, meras proscriptiones, meros Sullas: quae Lucceium loqui, quae totam Graeciam, quae uero Theophanem. & tamen omnis spes salutis in illis est: & ego excubo animo, nec partem ullã capio quietis: &, ut has pestes effugiam, cum dissimillimis nostri eße cupio. quid enim tu illuc Scipionẽ, quid Faustum, quid Libonem praetermissurum sceleris putas? quorum creditores conuenire dicuntur. quid eos autem, cum uicerint, in ciues effecturos? quam uero putas μακροψυχίαν Cnaei nostri esse? nunciant, Aegyptum, & Arabiam εὐδαίμονα cogitare, Hispaniam abiecisse. monstra narrant: quae falsa esse possunt: sed certe & haec perdita sunt, & illa non salutaria. Tuas litteras iam desidero. post fugam nostram numquam tantũ earum interuallum fuit. Misi ad te exemplum litterarum mearum ad Caesarem; quibus me aliquid profecturum puto. Vale.* Cicero imp. S. D. Caesari imp. *Vt legi tuas litteras, quas ab Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem essem; te uelle uti consilio, & dignitate mea: minus sum admiratus: de gratia, & de ope quid significares, mecum ipse quaerebam: spe tamen deducebar ad eam cogitationẽ, ut te pro tua admirabili, ac singulari sapientia de otio, de pace, de concordia ciuium agi uelle arbitrarer: & ad eam rationẽ existimabam satis aptam esse & naturam, & personam meam. quod si ita est; & si qua de Pompeio nostro tuendo, & tibi, ac reip. reconciliando cura te attingit: magis idoneum, quam ego sum, ad eam caussam profecto reperies neminem: qui & illi semper, & senatui, cum primum potui, pacis auctor fui; nec, sumptis armis, belli ullam partem attigi; iudicauiq. te eo bello uiolari, contra cuius honorẽ, populi R. beneficio concessum, inimici, atque inuidi niterẽtur. sed ut eo tempore non modo ipse auctor dignitatis tuae fui, uerũ etiam ceteris auctor ad te adiuuandum: sic me nunc Põpeij dignitas uehemẽter mouet. aliquot. n. sunt anni, cum uos duos delegi, quos praecipue colerem, & quibus essem, sicut sum, amicißimus. Quamobrẽ a te peto, uel potius precibus omnibus oro, & obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus uir, gratus, pius denique esse in maximi beneficij memoria poßim. quae si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me a te tamen impetraturum: sed, ut arbitror, & ad tuam fidẽ, & ad remp. pertinet, me & pacis, & utriusque uestrũ, & ad ciuium concordiam, per te, quam accommodatissimum, conseruari. Ego, cum antea tibi de Lentulo gratias egißem, cum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses; tamen, eius litteris lectis, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate, beneficioq. misit, eandem me salutem a te accepisse putaui, quam ille. in quem si me intelligis esse gratum; cura, obsecro, ut etiam in Pompeium esse poßim. Vale.*

EXPLA-

EXPLANATIO

AEGRITVDO } aegrotatio corporis, aegritudo animi. sic Cicero utramque definit Tusc. 3. AD *me scribere,* } locum correxi ex antiquo lib. Alberti Ferri, cum antea, Scire, mendose legeretur. ep.2. ALIENANTVR } homines. IMMVNDAE } mulieri. sic, Alienum caussae, dixit in oratione pro Caecina. AVIS *illa,* } de qua scis a Platone scribi in epistola ad Dionis propinquos, cum se a Dionysij tyranni custodibus obseruatum, ne horto regiae domui coniuncto egredi posset, extra spectare, tamquam auem e cauea, dicit. MARE } ut ad Pompeium nauigem. HAESERVNT *illa.* } Pompeius saepe illud usurpabat, Sulla regnum armis peperit, ego non potero? mihi autem potius illud in animo fixum haeret, male fecisse Tarquinium, ultimum Romanorum regem, impie Coriolanum, qui contra patriam arma tulerit. Liuius. THEMISTOCLES } ab ingratis ciuibus patria pulsus. MALVIT } quam patriae suae bellum inferre. de claris oratoribus. PATRIAM } Athenas. Iustinus lib.11. IVRE, } cum caussa, non tamen recte. nemo enim recte contra patriam arma ferr. iure autem quo modo? ut patriam manibus perditorum ciuium eriperent: quam tamen ereptam ipsi oppresserunt. ita nec recte, ex euetu. HVNC } Pompeium, quem adductus beneficio sequerer. ALIQVID *conueniret* } aliqua ratione res componeretur. HVNC } Caesarem, de quo saepe, ut propinquo, (nam Pompeius longe aberat) hoc pronomen usurpat. cur, inquit, Caesarem ita perdere cupiamus, ut simul cum eo urbem, & populum nostrum exstinguamus? SCELERIS } sceleratus Caesar, flagitiosus Pompeius, qui suis ciuibus famem, ac uastitatem inferre cogitet. qui patriae seruitutem moliatur. SPERARE } ut aliquid conueniret, uel, de caussa nostra. RES *nunc tota* } neque enim uideo, quod tum sperabam, posse eos ad concordiam reduci. ALIA *mea* } pace enim desperata, nouum consilium intelligo mihi esse capiendum. EXCIDISSE *e mundo* } miratus sum, Pompeio Italiam relinquente, non secus, ac si sol e caelo excidisset. MOLLIVIT } ideoq. otium amans, labores, & incommoda fugiens, nullam adhuc belli partem suscepi. DEVEXA } declinis. usitata uox. SIVE *periculo* } Bessarionis liber, Sine periculo. placeret, Si uel periculo, uel contra, Si sine periculo. χρησμὸς } oraculum, quia, tamquam Apollo, futura praedixisti. AD *posterum* } in futurum, in posterum. DE *Pompeij consilio* } Pompeium de relinquenda Italia cogitare. DESERENDAM } Bessarionis, & Caualcantis scripti libri, Defendam. quid si hoc ita corrigatur? Fugam ne foedam, an mora desidem. TVRPE *nobis* } rectius duco, Vobis. DETECTARIS *hoc* } discessum ex Italia. INCONSTANS } cum ante scripserim, ut Italia non cederes. MANENDVM *puto* } dum audias Pompeium alicubi constitisse. HANC νέκυιαν } flagitiosum Caesaris comitatum: quem appellat νέκυιαν. quod ad Caesarem egentissimus, & perditissimus quisque ita confluxerat, ut ad Vlyssem, cum ad inferos descendisset. νέκυιαν, idest mortuorum turbam, confluxisse, scribit Homerus. ep.14. & 23. ἀπορῶ } dubius sum, quid te facere oportet. DVBITARES } Attice. NON *dubitas* } mihi esse manendum in Italia istis manentibus. IN *ipsa fuga* } cum Pompeius Brundisium fugeret. TVM *poterimus deliberare* } cum sciemus, quid Brundisij actum sit. NON *scilicet integra re* } animum enim Pompeij suboffendit haec mora. sed hoc tamen consilio rectius tibi consulis, quam si una proijcias te. VALDE *uidero* } nescio, utrum tibi suasurus sim, discessum ex Italia, an mansionem. uide epist. 2. quo loco hanc partem Attici litterarum Cicero respondet. ADVERSVS *me, &c.* } sic & antiqui libri. potest hic esse sensus: Para defensionem Attice tantummodo aduersus me, si haec mansio, tua auctoritate suscepta, infeliciter cadat. nam, si in fraudem incidero, te auctore dicar incidisse. quod ad alios attinet, in quibus sunt Lepidus, & Tullus; satis scio non opus esse; quibus ego conscius sum, eiusdem esse sententiae, uidelicet manendum esse. PECCAVI } adhuc. RELIQVA *tuebor* } posthac dabo operam, ne pecem. REDITV } a Brundisio. LENTVLVM } hoc non eodem die scriptum esse, quo superiora, liquet ex eo, quia scriptum est XIV. Kalen. Apr. ut infra patet, superiora uero pridie Liberalia, qui dies XV. Kal. Apr. uide principium huius epistolae. HIS *litteris* } ad te scribendis. SCIS } pro Scito, ut supra, ep.4. l.8. CAESARI } a quo Corfinij captus, incolumis esset dimissus, ep.10. LITTERIS } quibus rogaui, ut scriberet ad me de consilio suo, utrum mansurus esset in Italia, an ad Pompeius profecturus. ep.1. QVINQVATRIBVS } aut hoc delendum, ut glossema ad diem XIV. Kal. Apr. qui dies est Quinquatruum primus: (qui enim dicat, uenit ad me Matius Quinquatribus cum ipse Quinquatribus scribat?) aut, quod ita esse existimo, haec epistolae pars non eodem, quo proxima, die scripta est. quod ex eo quoque facile possum conijcere, quia proxime, Pridie apud me Crassipedes fuerat, subiunxit, cum loquatur de die, qui Quinquatrus antecedit. quod si haec scripsisset Quinquatribus, nō dixisset de die ante Quinquatrus proximo, Pridie sed, Heri: sicuti, cum proximam partem scripsit, non dixit, Eum exspectabam XIV. Kal. Apr. sed, Eum exspectabam hodie, idest XIV. Kal. Apr. Praeterea, temporis fuisse interuallum inter haec de Matio scripta, & illa superiora, declarat epistolae principium. quod cum nocte scriptum sit, (id enim ipsa uerba demonstrant) uenisse Matium ad Ciceronem ante lucem oporteret, si continuata scriptione confectam esse epistolam uelimus, quod existimare, ineptiarum est. nos, quod sentimus, pronunciamus. alij diligentius animaduertant. HAEC } Caesaris facta. TIMERE } ne crudelis esset in uictoria, & nefaria quaeque committeret. Caesaris enim comitatum significat, quem & paullo ante νέκυιαν uocauit. πολιτικὸν } ciue dignum, utile ciuitati. IN *ea sententia* } de

pace

pace. PRVDENTIA *potuit*} antiqui libri Caualcantis, & Bessarionis, Prudentia potius: & proxime, ubi est in impressis, in quibus etiam Crassipes, in libro scripto Bessarionis, In quibus Crassipes erat. de mendo constat. de correctione, nihil assequor ingenio, quod probem. INIMICOS } Pompeianos. OPTIMATIVM } eorum, qui non sunt Pompeium secuti, neque ullam belli partem attigerunt. unde illud in epistola ad Varronem, Crudeliter otiosis minabantur. MVNICIPIORVM } quia se ultro Caesari fere omnia dediderant. ep. 9. & de bello ci. lib. I. LVCCEIVM } cuius, Theophanisq. consilio Pompeius maxime utebatur. ep. I. TOTAM *Graeciam* } omnes Graecos, qui cum Pompeio erant, eius libertos, & amicos; qui apud eum gratiosiores erant, quam ut e tanti uiri dignitate uideretur. HAS *pestes* } Caesarianos: quorum pessima facta ne uideam, ad dissimillimos nostri proficiscar. ILLVC } cum se Pompeio coniunxerint. nam Scipio quidem, Pompeij socer, in Syriam erat profectus. epistola I. & Plutarchus in Pompeio. FAVSTVM } Sullae dictatoris filium, qui erat in Pompeianis praesidijs. epistola I. libro IX. Bessarionis tamen liber, Emastrum. de Libone autem epistola 12. lib. VII. CONVENIRE } in urbe: ut eorum bona uendant. Scipionis alienum aes memorat etiam ipse Caesar de bello ci. lib. I. μακροψυχίαν } animum longinquas regiones spectantem, Aegyptum scilicet, atque Arabiam. μακροψυχίαν malebat Magnulus meus: recte fortasse: ut pusillum in Pompeio animum notet, qui consistere non audeat in Italia, Aegyptum & Arabiam ἀδαίμονα cogitet. HISPANIAM } prouinciam suam, in quam iturus antea putabatur comparandi belli caussa. FVGAM *nostram* } ex urbe. INTERVALLVM } postremum enim scripserat Atticus pridie idus. ep. 7. PROFECTVRVM } de pace, & concordia Caesaris, & Pompeij. PERSONAM } ob auctoritatem ex honoribus partam recte administratis. CVM *primum potui*, } statim e prouincia reuersus. CONTRA *cuius honorem* } ne posses consulatum absens petere: quod tibi populus concesserat, Pompeio tertium consule. ep. I. l. 7. NON *modo ipse auctor dignitatis tuae fui*. } ne idem uerbum iteretur, Fautor, non Auctor, legendum uiri docti existimant. Auctor tamen uidetur defendi posse, praesertim consentientibus antiquis libris: quorum si uel unus haberet, Fautor, ualde placeret. AD *te adiuuandum* } ut de habenda absentis ratione M. Coelius tribunus pl. una cum ceteris collegis legem ferret. ep. I. l. 7. BENEFICII } a Pompeio accepti. POSSIM } ut mihi abesse per te liceat. ingratus enim mihi uidear, si adsim, cum in senatu contra Pompeium de me bene meritum agetur. ep. 6. ET *pacis, & utriusque* } sic antiqui libri. mihi tamen uidetur subesse mendum. nam, Pacis concordia, haud scio quam recte dicatur. Paci, recte esset. CONSERVARI } ne cogas me iniuriam facere Pompeio, sed conseruer, ut adhuc fui, amicum utriusque uestrum. DE *Lentulo* } quem, capto Corfinio, incolumen dimisisti. QVI *mihi fuerat* } cum me consul ab exsulio restituit. IN *Pompeium* } quem socium, & adiutorem Lentulus habuit in me restituendo.

Cicero S. D. Attico 10.

LEGERAM *tuas litteras* XIII. *Kalen. cum mihi epistola affertur a Lepta, circumuallatum esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri. non mediusfidius prae lacrymis possum reliqua nec cogitare, nec scribere. misi ad te exemplum. miseros nos, cur non omnes fatum illius una exsecuti sumus? ecce eadem a Matio, & Trebatio: quibus Minturnis obuij Caesaris tabellarij. torqueor infelix, ut iam illum Mucianum exitum exoptem. at quam honesta, at quam expedita tua consilia, quam euigilata tuis cogitationibus qua itineris, qua nauigationis, qua congressus, sermonisq. cum Caesare? omnia tum honesta, tum cauta. in Epirū uero inuitatio quam suauis, quam liberalis, quā fraterna? De Dionysio, sum admiratus: qui apud me honoratior fuit, quam apud Scipionem Panaetius: a quo impurissime haec, haec nostra fortuna despecta est. odi hominem, & odero: utinam ulcisci possem: sed illum ulciscentur mores sui. Tu, quaeso, nunc uel maxime, quid agendum nobis sit, cogita. Populi R. exercitus Cn. Pompeium circumsidet, fossa & uallo saeptum tenet, fuga prohibet: nos uiuimus, & stat urbs ista? praetores ius dicunt? aediles ludos parant? uiri boni usuras perscribunt? ego ipse sedeo? coner illuc ire, ut insanus? implorare fidem municipiorum? boni non sequentur; leues irridebunt; rerum nouarum cupidi, uictores praesertim, & armati, uim, & manus afferent. Quid censes igitur? ecquidnam est tui consilij? adsinis huius miserrimae uitae? nunc doleo, nunc torqueor, cum quibusdam aut sapiens uideor, quod una non ierim, aut felix fuisse. mihi contra. numquam enim illius uictoriae socius esse uolui; calamitatis mallem fuisse. quid ego nunc tuas litteras, quid tuam prudentiam, aut beneuolentiam implorem? actum est. nulla re iam possum iuuari, qui ne quid optem quidem iam habeo, nisi ut aliqua inimici misericordia liberetur. οὐχ ὡς ἔτυμος λόγος, ut opinor, ille de ratibus. quid enim est, quod Dolabella ijs litteris, quas* III. *id. Mart. a Brundisio dedit, hanc εὐημερίαν quasi Caesaris scriberet, Pompeium in fuga esse? eumq. primo uento nauigaturum? quod ualde discrepat ab ijs epistolis, quarum exempla antea ad te misi. hic quidem mera scelera loquuntur: sed non erat nec recentior auctor, nec huius rei quidem melior Dolabella. Vale.* *

EXPLA-

EXPLANATIO

MVCIANVM } Q. Mucij Scaeuolae, qui a Damasippo est interfectus. in epitome Liuiana. ITINERIS } ad mare superum. NAVIGATIONIS } ad Pompeium. CONGRESSVS, *sermonisq.* } ut & grauitatem in congressu tenerem; & ita loquerer, ut neque ad urbem uocanti concederem, neque tamen alienam ab illo uoluntatem ostenderem. ep. 17. h. l. & 1. l. 10. SVM *admiratus* } quod nobiscum esse noluerit. IVS *dicunt?* } non iudicant praetores, sed ius dicunt, hoc est, iudicij formulam dant: iudicant autem dati a praetore iudices. Diximus hac de re plenius in libro de legibus Romanis. VIRI *boni* } sic & l. 2. de officijs, in extremo, Optimos uiros dixit εἰρωνικῶς feneratores. PERSCRIBVNT } nomina debitorum in codicem referentes. SEDEO } Sedere dicuntur, qui turpi otio languent. ADFINIS } sic in antiquo Bessarionis libro. pateret sententia si sic: Quid censes igitur, & quidnam est tui consilij? (ut haec sint Attici uerba, Ciceronis autem quae sequuntur plena desperationis) quid? finis huius miserrimae uitae. In libro Vrbinati est: Ecquis finis, pro. Adfinis. nec displicet: ut haec tota ad Ciceronem interrogatio referatur, consilio indigentem. VNA } cum Pompeio. CALAMITATIS } nimis enim graui scelere uideor Pompeium in calamitate deserere. DE *ratibus* } ratibus teneri exitus Brundisini portus, ne Pompeius possit effugere. quod si ita esset, non scripsisset eum Dolabella primo uento nauigaturum. constat autem, hoc de ratibus, aliquo temporis interiecto spatio, postquam primam epistolae partem scripserat, esse adiunctum. quod Ciceroni est in his epistolis usitatum. Aut initium est alterius epistolae in eo, Tu quaeso nunc. quod ipsum certe disiunctum a superioribus uidetur. ἀνημερίαν } Pompeij fugam putat Caesaris ἀνημερίαν. AB *ijs epistolis* } Leptae, Matij, Trebatij: qui scribunt circumuallatum esse Pompeium ratibus exitus portus teneri. MERA *scelera* } de consilio Caesaris intercludendae Pompeio fugae.

Cicero S. D. Attico. 11.

TVAS XI. kal. accepi litteras, quibus omnia consilia differs in id tempus, cum scierimus, quid actum sit. & certe ita est: nec interim potest quidquam statui, ne cogitari quidem. quamquam hae mihi litterae Dolabellae iubent ad pristinas cogitationes reuerti. fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua ego illum usum puto. συναγωγὴ *consiliorum tuorum non est a me collecta ad querellam, sed magis ad consolationem meam. nec enim me tam haec mala angebant, quam suspicio culpae, ac temeritatis meae. eam nullam puto esse; quoniam cum consilijs tuis mea & facta, & consilia consentiunt. Quod mea praedicatione factum esse scribis magis, quam illius merito, ut tantum ei debere uiderer: est ita. ego illa extuli semper, & eo quidem magis, ne quid illi superiorum meminisse me putaret. quae si maxime meminissem, tamen illius temporis similitudinem iam sequi deberem. nihil me adiuuit, cum posset: & postea fuit amicus, &, tam ualde: & quam ob caussam, plane scio. ergo ego quoque illi. quin etiam illud par in utroque nostrum, quod ab eisdem illecti sumus. sed utinam tantum ego ei prodesse potuissem, quantum ille mihi potuit. mihi tamen, quod fecit, est gratissimum. nec ego, cum nunc iuuare qua re possim, scio: nec, si possem, cum tam pestiferum bellum pararet, adiuuandum putarem. tantum offendere animum eius hic manens nolo. nec mehercule ista uidere, quae tu potes iam animo prouidere, nec interesse istis malis possem: sed eo tardior ad discedendum fui, quod difficile est de discessu uoluntario sine ulla spe reditus cogitare. nam ego hunc ita paratum uideo peditatu, equitatu, classibus, auxilijs Gallorum, quos Matius* ἐπάλπιζεν, *ut puto, sed certe dicebat, peditum, equitum se polliceri sumptu suo annos decem. sed sit hoc* λάχισμα. *magnas habet certe copias, & habebit non ille uectigal, sed ciuium bona. adde confidentiam hominis. adde imbecillitatem bonorum uirorum; qui quidem, quod illum sibi merito iratum putant, oderunt. ut tu scribis ludum. ac uellem, scribis, quisnam hic significasset. sed & iste, quia plus ostenderat, quam fecit, & uulgo illum, qui amarunt, non amant. municipia uero, & rustici Romani illum metuunt, hunc adhuc diligunt. quare ita paratus est, ut, etiam si uincere non possit, quo modo tamen ipse uinci possit, non uideam. ego autem non tam* γοητείαν *huius timeo, quam* τὴν ἀνάγκην. αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, *inquit* Πλάτον, οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. *Illa* ἁλίμα, *uideo tibi non probari, quae ne mihi quidem placebant: sed habebam in illis & occultationem, &* ὑπηρεσίαν *fidelem. quae si mihi Brundisij suppetant, mallem: sed ibi occultatio nulla est. uerum, ut scribis, cum sciemus. Viris bonis me non nimis excuso. quas enim eos cenas & facere, & obire scripsit ad me Sextus? quam lautas, quam tempestiuas? sed sint quamuis boni; non sunt meliores, quam nos: mouerent me, si essent fortiores. De Lanuino Thameae errraui: Troianum somniaueram. id ego uolui Q. sed pluris est. istuc tamen cuperem emeres, si ullam spem fruendi uiderem. Nos quae monstra quotidie intelligamus, ex illo libello, qui in epistolam coniectus est. Lentulus noster Puteolis est,* ἀδημονῶν, *ut Caecius narrat. quid agat?* διατροπὴν *Corfiniensem reformidat: Pompeio nunc putat satisfactum: beneficio Caesaris mouetur, sed tamen mouetur magis prospecta re.*

Men' haec posse ferre? omnia misera: sed hoc nihil miserius. Pompeius Cn. Magium de pace misit, &

tamen oppugnatur: quod ego non credebam: sed habeo a Balbo litteras, quarum ad te exemplum misi. lege, quaeso, & illud infimum caput ipsius Balbi, optimi, cui Cnaeus noster locum, ubi hortos aedificaret, dedit: quem cui nostrum non saepe praetulit? itaque misere torquetur. sed, ne bis eadem legas, ad ipsam te epistolam reijcio. spem autem pacis habeo nullam. Dolabella suis litteris, id. Mart. datis, merum bellum loquitur. maneamus ergo in illa eadem sententia misera, & desperata: quando hoc miserius esse nihil potest. Balbus Ciceroni imp. S. Caesar nobis litteras perbreues misit, quarum exemplum subscripsi. breuitate epistolae scire poteris eum ualde esse districtum, qui tanta de re tam breuiter scripserit. si quid praeterea noui fuerit, statim tibi scribam. Caesar Oppio, Cornelio S. Ad VII. id. Mart. Brundisium ueni: ad murum castra posui. Pompeius est Brundisij: misit ad me Cn. Magium de pace. quae uisa sunt, respondi. hoc uos statim scire uolui. cum in spem uenero, de compositione aliquid me conficere; statim uos certiores faciam. Valete. Quo modo me nunc putas, mi Cicero, torqueri, postquam rursus in spem pacis ueni, ne qua res compositionem eorum impediat? namque, quod absens facere possum, opto. quod si una essem, aliquid fortasse proficere possem. nunc expectatione crucior. Vale.

EXPLANATIO

ACTVM } Brundisij. HAE *litterae* } non dubito, quin litteras intelligat III. id. Martij datas. haec igitur epistola cum superiore coniungenda; ut una sit. nam, duae si essent, non diceret, Hae litterae. aut certe scripta est haec pars aliquanto post superiora. PRISTINAS *cogitationes* } de profectione mea ad Pompeium: quem cum scripserit Dolabella primo uento nauigaturum, nauigasse puto; quoniam pridie Quinquatrus tempestas fuit ad nauigandum maxime idonea. At quo modo hoc iubent litterae Dolabellae, qui Caesaris in praesidijs erat? iubent, dixit, pro, efficiunt: cum nauigasse Pompeium significent. COLLECTA } cum loca ex epistolis tuis descripsi, quibus mihi mansionem in Italia suadebas. ep. 9. CONSOLATIONEM *meam* } quod una cum Pompeio non ierim. CVLPAE, *ac temeritatis meae* } uidebar enim mihi peccasse, temereq. fecisse, quia profectus cum Pompeio non essem: nunc non uideor; quoniam in eo tua consilia sum secutus. ILLIVS } Pompeij. ILLA } studium, operamq. in me restituendo. SVPERIORVM } superioris iniuriae, cum me, suum praesidium contra meos inimicos implorantem, deseruit. ep. 4. TAMEN *illius &c.* } tamen eum adiuuare deberem. SIMILITVDINEM } primo me deseruit, cum patria pulsus sum: deinde adiuuit, ut restituerer: item ego, quod ante omisi, nunc facere debeo, ut eum adiuuem. QVAM *ob caussam* } non tam ut mihi beneficium daret, quam ut inimico meo, grauiter offensus, iniuriam redderet. ILLI } nunc amicus ero: quem si offendi, quod ante ad eum non sim profectus; nunc proficiscens resarciam. ita sequar illius temporis similitudinem. ILLECTI } sic liber Caualcantis. aliter Bessarionis. habet enim, Dilecti? ut fortasse non absurde legi possit, Eiecti. nam a Caesare quidem eiectus Cicero uidebatur, quoniam is consul Clodium ad plebem transduxit. Suetonius. NAM *ego hunc* } Caesarem. ἐνάλτιζεν } mallem, ἐνδάτιζεν, i. ostentabat, supra ueritatem narrabat: quoniam subiunxit, Sit hoc λάτισμα. & est intercisa comprehensio. nam, cum, Ita, dixisset, nihil reddidit. nisi si ad illud spectes, quod infra positum est, Quare ita paratus est. SE *polliceri* } mendum ex eo patet, quod & peditum, equitumq. numerus desideratur; qui uidetur adscribendus omnino fuisse: &, Se, quo referatur, non est. VECTIGAL } quod in stipendia militum conferri solet, sed omnia omnium bona, quibus ad sustentandos exercitus utetur. ILLVM } Pompeium, quem secuti non sunt: ideoq merito iratum putant. QVISNAM *hic* } & hoc, & quod sequitur, Sed & iste, ita mendosum est, ut corrigi sine ueiustis libris a me quidem minime possit. RVSTICI *Romani* } coloniae maxime ciuium Romanorum. EGO *autem, &c.* } uereor, ut exire ex Italia mihi liceat; non tam quia Caesar omni utetur artificio, omnibusq. blanditijs, ac precibus aget, ut remaneam; quam quod eius preces uideo esse pro imperio. γοητείαν } malitiosas blanditias. ILLA ἀλίμενα, } importuosa loca: quae scripsi me cogitare, primum ut laterem, deinde ut comitatu meo uti possem: (celebri enim loco laureatorum comitatus sermonem hominibus dabit: episto. 4. lib. 10. quod utrumque si Brundisij suppetat, ibi malim esse. VERVM } uerum hac de re deliberabimus, cum sciemus, quid Brundisij actum sit, num Pompeius classe abierit. SCIMVS } mallem, Sciemus. NON *nimis excuso*: } iam non laboro, ut me excusem, quia non iuerim ad Pompeium; cum ipsos uideam cenas in urbe, quasi reip. recte sit, & facere, & obire. SEXTVS } Peducaeus. TEMPESTIVAS? } cum luxu, & hilaritate nimis. uide epist. 1. huius libri. FORTIORES } si eos id fecisse uiderem, quod me facere oportuisse dicunt: hoc est, si ad Pompeium ipsi profecti essent, armaq. contra Caesarem sumpsissent. TROIANVM *somniaueram.* } falso credideram. Troia dictus locus is, in quem primum egressus est Aeneas, uicinus agro Laurenti, Ardeati, Antiati, Lanuino. VOLVI *Q.* } quingentis millibus emere. uide ep. 8. MONSTRA } de Brundisio. LENTVLVS *noster* } caput adscriptum ex interuallo. QVID *agat?* } cur non se occultet, ut facit? cur prodeat in publicum? cur ad Pompeium eat? διατροπὴν } mutationem, rerum: quia mutari tunc Pompej fortuna uisa est. terret eum memoria Corfiniensis euentus. REFORMIDAT } ueretur, ne in eandē calamitatē incidat, si ad Pompeiū transeat, SATISFACTVM } quod, suscepto bello, arma

pro

pro eo sumpsit. putat se praestitisse, quod debuit: nunc pugnare contra Caesarem, a quo est incolumis, capto Corfinio, dimissus, non uidetur sine scelere posse. PROSPECTA re} quia prospicit, quae sit utriusque partis futura fortuna. uidet scilicet futurum, ut Pompeius uincatur. MEN' HAEC} pars haec epistolae ex interuallo adscripta post acceptas a Balbo, & a Dolabella litteras. cum enim, oppugnari Pompeium, cognouisset, dolore percitus, Men', inquit, haec ferre posse? aut est initium epistolae. Hoc} mansione. NON *credebam*} ut, nunciis de pace missis, oppugnaretur. MISER *torquetur*} εἰρωνικῶς. ut & illud, Balbi optimi, proxime dictum. IDIBUS *Mart. datis*} cum dedisset illas superiores III. id. Mar. de quibus ep. 10. SENTENTIA} discedendi ex Italia. Hoc} mansione.

Cicero S. D. Attico. I.

MISERAM *ad te* VIII. *Kalend. exemplum epistolae Balbi ad me, & Caesaris ad eum. ecce tibi eodem die Capua litteras accepi ab Q. Pedio, Caesarem ad se prid. idus Mart. misisse litteras hoc exemplo. Pompeius se oppido tenet: nos ad portas castra habemus: conamur opus magnum, & multorum dierum, propter altitudinem maris: sed tamen nihil est, quod potius faciamus. ab utroque portus cornu moles iacimus, ut aut illum quamprimum traijcere quod habet Brundisij copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus. Vbi illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se? ecquid acerbius? ecquid crudelius? atque eum loqui quidam αὐθεντικῶς narrant: Cn. Carbonis, M. Bruti se poenas persequi, omniumq. eorum, in quos Sulla crudelis hoc socio fuisset; nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce fecisset: ad ambitionem, quibus exsulij poena superioribus legibus non fuisset, ab illo patriae proditores de exsulio reductos esse: queri de Milone per uim expulso: neminem tamen se uiolaturum, nisi qui arma haec contra. Baebius quidam a Curione III. id. profectus, homo non infans, sed quis, ulli non dicat: plane nescio, quid agam. illinc quidem Cnaeum profectum puto. quidquid est, biduo sciemus.*

EXPLANATIO

AD *te* IIX. *kal.*} Bessarionis liber, IX. kalend. & recte: nam, cum proxima sequens epistola scripta sit VII. Kalendas, hanc ante datam esse constat. QVAMPRIMVM *transijcere*} antequam exitus portus, iactis utrimque molibus, praecludantur. CN. *Carbonis, M. Bruti*} quos Pompeius, Sullae socius, occiderat. Appianus. Plutarchus, alij. AD *ambitionem.*} in locis corruptis aliud est sententiam uidere, aliud uerba restituere. ego hic, quid Cicero dicat, intelligo: sic enim opinor: quibus uerbis dicat, diuinare non possum. Duae sunt comparationes, una Curionis & Caesaris cum Pompeio & Sulla; altera Pompeij cum Sulla. in priore non, Curionem crudeliter improbeq. se duce facere, uti fecerit Pompeius duce Sulla, significat; sed, ut sibi Curio rebus in omnibus obsequatur, itidem Pompeium, quascumque res Sulla imperauerit, aut uoluerit, in ijs rebus dedisse operam ut illi plane satisfaceret. non igitur facta Curioni cum Pompej factis comparat; ne & se Sullae, & Curionem Pompeio similes in crudelitate faciat, sed uoluntatem confert cum uolunta te, obsequium cum obsequio. Posterior comparatio Pompeium & Sullam aeque indicat inique fecisse: cum Sulla uictor proditores patriae reduxerit, Pompeius consul III. lege de ambitu lata in exsulium eiecerit eos, quibus ueteres leges damnatis de ambitu exsulium non irrogabant. itaque Sullae primum uiuentis imperio, deinde mortui exemplo fecit improbe Pompeius. Constat, opinor, satis de sententia: uerba consideremus. Ad ambitionem, mendose dictum. Ab illo, non est quo referatur: nec dubito, quin desit, Ab hoc, ut sit; Ab hoc, a Pompeio: Ab illo, a Sulla. Reductos, postulat alterum participium, huiusmodi scilicet, Eiectos, aut, Expulsos: ut hoc totum aut his fortasse, aut similibus certe uerbis Cicero scripserit: Ab hoc lege de ambitu noua, quibus exsulij poena superioribus legibus non fuisset, eiectos; ab illo patriae proditores de exsulio reductos esse. De ambitu quidem legem Pompeiam significat; de qua Pedianus, & Caesar ipse lib. III. de bello ci. nam Pompeiam de ui, quam & ipsam tulit in tertio consulatu, non est ut possit intelligere. non enim in eam conuenirent illa uerba, Quibus exsulij poena superioribus legibus non fuisset. nam caussae de ui, etiam ante legem Pompeiam, capitales erant, damnatiq. solum uertebant: quod ostendimus in libro de legibus. Caesar tamen, cum ante uictoriam de lege tantum de ambitu quereretur; quod atrociorem, quam superiores leges, poenam, exsulium perpetuum, irrogaret; postea tamen uictor omnes, non modo de ambitu, uerum etiam de ui Pompeij legibus damnatos, Milone excepto, restituit. itaque Cassius per iocum illud in epistolam coniecit, fam. ep. 21. l. 15. Nec tamen Caesar eum diutius desiderare patietur: nã habet dãnatos, quos pro illo nobis restituat. PER *uim*} quasi iudices eũ Pompeij consulis metu condẽnassent: quia, cum iudiciũ Milonis ageretur, exercitum in foro, & omnibus in templis, quae circa forum sunt, collocauerat. quod Caesar l. 3. de bello ci. reprehẽdit. Haec autẽ Caesaris criminatio ideo suscepta, ut inuidiosam Põpeij potentiã redderet. nã nec ipse, qui Milonem queritur per uim expulsum, postea

cum restituit, cum ceteros restitueret lege Pompeia damnatos. ARMA *haec contra* } tulisset. Pompeius autem omnibus minabatur, qui ipsius in praesidijs non fuissent. SED *quis ulli non dicat* ? } distingue sic: Sed quis, ulli non dicat, hoc sensu; non infans ille quidem est, sed ita obscurus, ut, quis sit, nemini possit dicere. PROFECTVS. } subaudi, narrabat. ILLINC } Brundisio.

Cicero S. D. Attico. 13.

A TE *nihil: ne ante prorsus quidem quid litterarum. nec mirum: quid enim est, quod scribamus? ego tamen nullum diem praetermitto. Scripta epistola, littera mihi ante lucem a Lepta Capua redditae sunt, id. Mart. Pompeium Brundisio conscendisse, at Caesarem ad* VII. *Kal. Apr. Capuae fore. Vale.*

EXPLANATIO

A TE *nihil &c.* } distingue sic, A te nihil, ne ante prorsus quidem quid litterarum.

Cicero S. D. Attico. 14.

CVM *dedissem ad te litteras, ut scires Caesarem Capuae* VII. *kalen. fore; allatae mihi sunt litterae, eum in Albano apud Curionem* V. *Kalen. fore. eum cum uidero, Arpinum pergam. si mihi ueniam, quam peto, dederit, utar condicione: sin minus, impetrabo aliquid a me ipso. ille, ut ad me scripsit, legiones singulas posuit Brundisij, Tarenti, Siponti. claudere mihi uidetur maritimos exitus, & tamen ipse Graeciam spectare potius, quam Hispanias. sed haec longius absunt. Me nunc & congressus huius stimulat; (is uero adest) & primas eius actiones horreo. uolet enim, credo, senatusconsultum facere: uolet augurum decretum: rapiemur, aut absentes uexabimur. uel ut consules roget praetor, uel dictatorem dicat: quorum neutrum ius est. at si Sulla potuit efficere, ab interrege ut dictator, diceretur, & magister equitum: cur hic non possit? nihil expedio, nisi ut ab hoc, tamquam Q. Mucius, aut ab illo, tamquam L. Scipio. Cum tu haec leges, ego illum fortasse conuenero τὶ πάλαι: χαῖ τερον. ne illud quidem nostrum proprium. erat enim spes propinqui reditus, erat hominum querella. nunc exire cupimus; qua spe reditus, mihi quidem numquam in mentem uenit. non modo autem nulla quaerela est municipalium hominum, ac rusticorum, sed contra metuunt ut crudelem, iratum: nec tamen mihi quidquam est miserius, quam remansisse; nec optatius, quam euolare, non tam ad belli: quam ad fugae societatem. sed tu omnia consilia differebas in id tempus, cum sciremus, quae Brundisij acta essent. scimus nempe, haeremus nihilo minus. uix enim spero mihi hunc ueniam daturum: etsi multa affero iusta ad impetrandum. sed tibi omnem illius, meumq. sermonem, omnibus uerbis expressum statim mittam. Tu nunc omni amore enitere, ut nos cura tua, & prudentia iuues. ita subito accurrit, ut ne Trebatium quidem ut constitueram, possim uidere. omnia nobis imparatis agenda: sed tamen.*

- ἀλλὰ μὲν αὐτὸς, ut ait ille,

Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

quidquid egero, continuo scies. Mandata Caesaris ad consules, & ad Pompeium, quae rogas, nulla habeo. quae descripta attulit illa e uia misi ad te: e quibus mandata puto intelligi posse. Philippus Neapoli est, Lentulus Puteolis. de Domitio, ut facis, sciscitare, ubi sit, quid cogitet. Quod scribis, asperius me, quam mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse: uide, quam sim antiquorum hominum: te medius fidius hanc rem grauius putaui laturum esse, quam me. nam, praeterquam quod te moueri arbitror oportere iniuria, quae mihi a quoquam facta sit; praeterea te ipsum quodam modo hic uiolauit, cum in me tam improbus fuit? sed tu id quanti aestimes, tuum iudicium est: nec tamen in hoc tibi quidquam oneris impono: ego autem illum male sanum semper putaui, nunc etiam impurum, & sceleratum puto, nec tamen mihi inimiciorem, quam sibi. Philargyro bene: caussam certe habuisti & ueram, & bonam: relictum esse me potius, quam reliquisse. Cum dedissem iam litteras ad VIII. *Kalen. quos cum Matio pueros, & Trebatio miseram, epistolam mihi attulerunt hoc exemplo. Matius & Trebatius Ciceroni imp. S. Cum Capua exissemus, in itinere audiuimus Pompeium Brundisio ad* XVI. *Kal. Apr. cum omnibus copijs, quas habuerat, profectum esse: Caesarem postero die in opidum introisse, concionatum esse, inde Romam contendisse: uelle ante kalen. esse ad urbem, & paucos dies ibi commorari, deinde in Hispanias proficisci. Nobis non alienum uisum est, quoniam de aduentu Caesaris pro certo habebamus, pueros tuos ad te remittere, ut id tu quam primum scires. Mandata tua nobis curae sunt, eaque, ut tempus postularit, agemus. Trebatius Scaeuola facit ut antecedat. Epistola conscripta, nunciatum est nobis, Caesarem ad* VIII. *Kalen. Capuae, ad* VII. *Sinuessae: hoc pro certo putamus. Vale.*

EXPLA-

EXPLANATIO

VENIAM } ut concedat, ut absim, cum aliquid in senatu contra Pompeium agetur. ep. 6. A ME *ipso* } ad Pompeium proficiscar: quod adhuc a me nō impetraui. ILLE } Caesar. GRAECIAM } ut ipsum Pompeium continuo persequatur. quod cum ita sit; quorsum haec loca legionibus muniuit? nam, si in Hispanias contra Pompeij legatos proficisci cogitaret, ideo maritimos exitus uideretur clausisse, ne Pompeius, ipso absente, Italiam classe peteret. LONGIUS *absunt* } non igitur nunc consideranda? agamus de congressu, qui nunc instat. STIMULAT } nunc haec me uexat solicitudo, quod cum Caesar congressurus sim. AUGURUM *decretum* } ut augures decernant, licere praetori comitia consularia habere, aut dictatorem dicere. ep. 8. RAPIEMUR } Romam, ut augur, & senator id decernam: aut, si recusabimus ire, uexabimur. DICTATOREM } quod factum est. nam postea Caesarem M. Lepidus praetor dictatorem dixit. NIHIL *expedio* } cogitatione nihil explico, nihil assequor nisi hoc, exitum mihi impendere aut Q. Mucij, qui est a Mario iuniore occisus; aut L. Scipionis, quem Sulla proscripsit. epitome Liuiana lib. 85. Orosius, oratio pro Sextio, lib. 3. de Orat. consul cum Norbano fuit. ΤΛΗΘΙ : κύντερον } perfer: grauius tulisti: cum scilicet lege Clodia pulsus indignissime exsulasti. Tibi, inquit, illud nostrum Attice grauius uidetur: mihi contra. proprium enim non erat, hoc est non eiusmodi, ut idem semper futurum esset, ut mutari non posset. id enim ualet Proprium. Ad locum Homeri de Vlysse respexit: de quo & Plato in Politicis, & Maximus Tyrius mentionem fecere. Homerus autem sic, τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης: Quae uerba Horatius, Vlyssem cum Tiresia loquentem inducens, ita uertit Sat. 5. lib. 2.

,, Fortem hoc animum tolerare iubebo:
,, Et quondam maiora tuli.

EXIRE } ex Italia. NULLA *querella* } quod Pompeius Italia pulsus sit. RUSTICORUM } rusticae plebis, bene de rep. sentientis. nam urbana plebs nominari cum ignominia solet. ep. l. 7. Vide librum nostrum de Ciuitate Romana. maxime autem colonias intelligit ciuium Romanorum: quae ipsae quoque plebis rusticae partes sunt. METUUNT } Pompeium. IRATUM } quia eos, qui remanserunt in Italia, male odit. fam. l. 9. ep. 6. VENIAM *daturum:* } concessurum, ut absim, cum in senatu contra Pompeium agetur. ep. 6. POSSIM *uidere* } ut ex eius sermone comparem me ad Caesaris congressum. αὐτὸς } ipse o Cicero excogitabis. UT *ait ille* } ut alloquitur Telemachum Minerua Mentori simulata, ὀδ γ. QUAE *descripta attulit* } mirum, cur, quis attulerit, non dicat. QUAM *sim antiquorum hominum* } quam sim antiquis hominibus similis, qui ex sua natura ceteros fingebant, ut est in oratione pro Sex. Roscio. item ego, cum te finxerim ex natura mea, meumq. sensum secutus, grauius putarim Dionysij iniuriam laturum esse, quam me; nunc ex tuis litteris meas opinionis erratum agnosco. PHILARGYRO *bene* } respondisti. RELICTUM } a Dionysio. HISPANIAS } contra Pompeij legatos. CAESAREM } subaudi mansurum.

Cicero S. D. Attico. 15.

CUM, quid scriberem ad te, nihil haberem, tamen, ne quem diem intermitterem, has dedi litteras. Ad VII. kal. Caesarem Sinuessae mansurum nunciabant. ab eo mihi litterae redditae sunt ad VII. kal. quibus iam opes meas, non, ut in superioribus litteris, opem, exspectat. cum eius clementiam Corfiniensem illam per litteras collaudauissem, rescripsit hoc exemplo. Caesar imp. Ciceroni imp. S. Recte auguraris de me, (bene enim tibi cognitus sum) nihil a me abesse longius crudelitate. atque ego cum ex ipsa re magnam capio uoluptatem: tum, meum factum probari abs te, triumpho: & gaudeo. neque illud me mouet, quod ij, qui a me dimissi sunt, discessisse dicuntur; ut mihi rursus bellum inferrent. nihil enim malo, quam & me mei similem esse, & illos sui. Tu uelim mihi ad urbem praesto sis, ut tuis consilijs, atque opibus, ut consueui, in omnibus rebus utar. Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius. hanc adeo habebo gratiam illi. neque enim aliter facere poterit: tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est beneuolentia. Vale.

EXPLANATIO

HABEBO *gratiam illi:* } quia tecum aget, ut ad urbem uenias. IS *sensus* } ita est affectus erga me.

Cicero S. D. Attico. 16.

TREBATIUM VI. Kal. quo die has litteras dedi, exspectabam. ex eius nuncio, Matijq. litteris meditabor, quo modo cum illo loquar. o tempus miserum. nec dubito, quin a me contendat, ad urbem ueniam.

niam. senatum enim kal. uelle se frequentem adesse, etiam Formijs proscribi iussit. ergo ei negandum est? sed quid praeripi? statim ad te perscribam omnia. ex illius sermone statuam, Arpinum ne mihi eundum sit, an quo alio. volo Ciceroni meo togam puram dare, istic puto. tu quaeso cogita, quid deinde: nam me hebetem molestiae reddiderunt. A Curio, uelim scire, ecquid ad te scriptum sit de Tirone. ad me enim ipse Tiro ita scripsit, ut uerear, quid agat. qui autem ueniunt inde, id modo nunciant. sane in magnis curis etiam haec me solicitant. in hac enim fortuna perutilis eius & opera, & fidelitas esset.

EXPLANATIO

QVID *praeripi*?] quid attinet anticipare de Caesaris congressu? epist. 1. l. 10. TIRONE] Patris aegrotante. INDE, &c.] Bessarionis liber, In id modo nuncians. non dubito, quin deprauatus sit locus, nec facilis emendatio.

Cicero S. D. Attico. 16.

VTRVMQVE *ex tuo consilio. nam & oratio fuit ea nostra, ut bene potius ille de nobis existimaret, quam gratias ageret: & in eo mansimus, ne ad urbem. illa fefellerunt, facilem quod putaramus. nihil uidi minus. damnari se nostro iudicio, tardiores fore reliquos, si in his non ueniremus, dicere. ego, dissimilem illorum esse caussam. cum multa: ueni igitur, & age de pace. meo ne, inquam, arbitratu? an tibi, inquit, ego praescribam? sic, inquam, agam. senatui non placere in Hispanias iri, nec exercitus in Graeciam transportari: multaq. inquam de Cnaeo deplorabo. tum ille, ego uero ista dici nolo. ita putabam, inquam: sed ego eo nolo adesse, quod aut sic mihi dicendum est, multaque, quae nullo modo possem silere, si adessem; aut non ueniendum. summa fuit, ut ille quasi exitum quaerens, ut deliberarem. non fuit negandum. ita discessimus. credo igitur hunc me non amare. at ego me amaui; quod mihi iam pridem usu non uenit. reliqua, o dij, qui comitatus, quae, ut tu soles dicere, νεκυία: in qua erat Eros Celeri. o rem perditam, o copias desperatas. quid? Seruij filius. quot in his castris fuerunt, quibus Pompeius circumsideretur? sex legiones. multum uigilat, audet, nullum uideo finem mali. nunc certe premenda tibi sunt consilia. Hoc fuerat extremum. illa tamen κατάκλεισις illius est odiosa, quam paene praeterij: si sibi consilijs nostris uti non liceret, usurum, quorum posset, ad omniaq. esse descensurum. uedisti igitur uirum, ut scripseras? ingemuisti? certe. cedo reliqua, quid? continuo ipse in Puteolanum, ego Arpinum. inde exspecto quidem* AAATECAN *illum tuam. tu (malum) inquies, actum ne agas. etiam illum ipsum, quem sequimur, multa fefellerunt. sed ego tuas litteras exspecto. nihil est enim iam, ut antea,* Videamus hoc quorsum euadat. *Extremum fuit de congressu nostro, quo quidem non dubito quin istum offenderim. eo maturius agendum est. amabo te epistolam, & πολιτικόν. ualde tuas litteras nunc exspecto. Vale.*

EXPLANATIO

ORATIO] cum Caesare. BENE *existimaret*] quia me gratum uideret in Pompeium. GRATIAS *ageret*] non enim hoc fecit: quoniam in eo perseueraui, ne ad urbem irem. epist. 18. NOSTRO *iudicio*] ideo me ad urbem non ire, quia de eo non recte existimarem. CVM *multa*] cum multis uerbis ostenderem, dissimilem aliorum esse caussam: me enim beneficio deuinctum non posse sine maxima culpa interesse, cum in senatu contra illum agetur: ueni igitur, inquit Caesar, & caussam age non meam magis, quam Pompeij: de pace, inquam, age. IRI] a te. EXITVM] sermonis. VT *deliberarem*] subaudi, diceret. NON *fuit negandum*] dixi me deliberaturum. etsi iam deliberaueram. mihi enim fixum est, aut in senatum non uenire, aut ea dicere de rep. quae sentio. sed petenti, ut deliberarem, non fuit negandum. EGO *me amaui*] feci, quod magis ex animo meo fuit: quod iampridem non feceram: quia potentibus in rep. post exsulij tempora inseruiui. Amabo, liber Bessarionis: eadem sententia. COMITATVS] Caesaris: νεκύαν quam tu appellasti in epistola tua. ep. 9. EROS *Celeri*] flagitiosus libertus Q. Metelli Celeris, qui perierat Marcellino & Philippo cos. Celeri, autem pro, Celeris: qua ratione & Virgilius dixit, Relliquias Danaum, atque immitis Achilli: &, Acris Oronti. SERVII *filius*] Ser. Sulpicij filius erat in comitatu Caesaris. epist. 18. REM *perditam*] & perdita Caesaris caussa, & copiae eiusmodi, ut sperare nihil possis. actum igitur de salute reip. FVERVNT] quia Brundisio redibant. & cum admiratione protulit. quasi uix credibile uideatur, tot homines conuenisse ad Cn. Pompeium circumsidendum. EXTREMVM] ut tuum consilium exquirerem. κατάρισις] quasi condemnatio, aduersus me dicta sententia. VIRVM] non dixit, hominem, sed uirum: ut Atticus id uerbum usurpet, quo Cicero in epistola quadam usus erat, cum scriberet fortasse sic? Ego cum uirum uidero; ἐμφατικῶς de Caesare. AAA *tecan*] corruptae litterae. antiquus liber, VVV *teucun.* non placet in obscuris diuinare. ILLVM *ipsum*] Pompeium. ep. 2. VT *antea*] cum scribebas, Videamus, & Cnaeus

quid


quid agat, & ilius rationes quorsum fluant. ep. 9. EXTREMVM *fuit de congressu nostro.* } primum differebas tua consilia, dum sciremus, Pompeij rationes quorsum fluerent. nempe scimus: Italia pulsus mare transiuit. differebas etiam, quod, cum scires me cum Caesare ad urbem redeunte congressurum, scire uolebas, in eo congressu quid is aut a me petijsset, aut petenti mihi concessisset. extremum igitur fuit, quod exspectaras, de congressu nostro. AGENDVM *est* } deliberandum, quid me agere oporteat. πολιτικὰ } de rep. ut scribas ad me quae Caesar egerit in aduentu suo.

Cicero S. D. Attico 18.

EGo meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi: idq. municipibus nostris fuit gratum. etsi omnes, & illos, & qua iter feci, maestos, afflictosq. uidi: tam tristis, & tam atrox est ἀναθεώρησις *huius ingentis mali. delectus habetur. in hiberna deducuntur ea, quae, etiam cum a bonis uiris, cum iusto in bello, cum modeste fiunt, tamen ipsa per se molesta sunt, quam censes acerba nunc esse, cum a perditis, in ciuili nefario bello, petulantissime fiant? caue autem putes, quemquam hominem in Italia turpem esse, qui hinc absit. uidi ipse Formijs uniuersos. neque mehercule umquam homines putaui; & noram omnes, sed numquam uno loco uideram. Pergamus igitur, quo placet; & nostra omnia relinquamus. proficiscamur ad eum, cui gratior noster aduentus erit, quam si una fuissemus. tum enim eramus in maxima spe; nunc, ego quidem, in nulla. nec, praeter me, quisquam Italia cessit, nisi qui hunc inimicum sibi putaret. nec mehercule hoc facio reip. caussa, quam funditus deletam puto, sed ne quis me putet ingratum in eum, qui me leuauit ijs incommodis, quibus idem affecerat: & simul, quod ea, quae fiunt, aut quae certe futura sunt, uidere non potero. etiam quidem S.C. facta quaedam iam puto, utinam in Volcatij sententiam. sed quid refert? est enim una sententia omnium. sed erit iniustissimus Seruius, qui filium misit ad affligendum Cn. Pompeium, aut certe capiendum, cum Pontio Titiniano. etsi hic quidem timoris caussa, ille uero? sed stomachari desinamus, & aliquando sententiam, ut nihil noui, nisi id; quod minimum uellem spiritum reliquum esse. Nos, quoniam superum mare obsidetur, infero nauigabimus: &, si Puteolis erit difficile, Crotonem petemus, aut Thurios; & boni ciues, amantes patriae, mare infestum habebimus. aliam rationem huius belli gerendi nullam uideo. in Aegyptum nos abdimus. exercitu pares esse non possumus. pacis fides nulla est. sed haec satis deplorata sunt. Tu uelim litteras Cephalioni des de omnibus rebus actis, denique etiam sermonibus hominum; nisi plane obmutuerunt. Ego tuis consilijs usus sum, maxime quod & grauitatem in congressu nostro tenui, quam debui; & , ad urbem ut non accederem, perseueraui. Quod superest, scribe, quaeso, quam accuratissime, (iam enim extrema sunt) quod placeat, quid censeas. etsi iam nulla dubitatio est. tamen, si quid, uel potius quidquid ueniet in mentem, scribas uelim. Vale.*

EXPLANATIO

QVI *hinc absit.* } qui cum Caesare non sit. VMQVAM *homines putaui* } recordatus paullo ante, Hominem, dixisse, correctionem subiecit: monstra quaedam semper putaui, non homines. QVO *placet* } quo iam constituimus. NEC *praeter me* } quo gratior Pompeio aduentus noster esse debebit. nam alij non tam ipsius amore, quam Caesaris metu, Italia cesserunt. INCOMMODIS } exsulio. epist. 3. lib. 8. INIVSTISSIMVS } totus a ratione auersus, minime iustam in partem propensus. Tale illud in epistola ad Lentulum: Bibulum habuimus multo iustiorem, paene etiam amicum. Immitissimus, alij legunt. ego neminem reprehendo, sequor antiquum Bessarionis librum, sequor ipsam sententiam, exemplo confirmatam. pacem, inquit, in senatu Ser. Sulpicius dissuadebit, quia scit Pompeium amicum sibi numquam fore, quoniam filium Brundisium misit ad eum affligendum. epistola 3. & XI. lib. 10. HIC *quidem* } Pontius quidem Titinianus cum Caesare contra Pompeium arma tulit, quia, cum inclinatam uideret Pompeij fortunam, rerum suarum ruinam Caesare uictore pertimuit. Seruius uero indigne fecit, qui filium miserit. neque enim quidquam cogitare magis debuit, quam quid eum ciuem, qui summos honores in rep. gessisset, & agere, & sentire par esset. quae a Pontio non exspectantur: ideoq. minus turpis, quam Seruius, epistola 6. SENTENTIAM } subintellige, dicamus. VT *nihil noui* } dicamus. QVOD *minimum* } hoc est uelle me minimum mihi spiritum reliquum esse. nam, ne quis, Quod, inusitate dictum hoc modo putet; exempla aliquot afferam eiusdem Ciceronis, ut dubitatio tollatur. Epistola 4. lib. 10. Cum scripsisset, inquit, quod me cuperet ad urbem uenire. Et epistola 40. libri 13. fam. Si ulla umquam apud te mea commendatio ualuit; quod scio multas ualuisse plurimum; haec ut ualeat, rogo. Et lib. II. de off. Videndum illud item, quod, si opulentum, fortunatumq. defenderis, in illo uno, aut forte in liberis eius, maneat gratia. Et lib. I. de Leg. Illud extremum est, quod recte uiuendi ratio meliores efficit. Reliqua uide in Commentario nostro epistola 28. lib. 7. Fam. SVPERVM *mare* } Hadriaticum. INFERO } Etrusco. OBSIDETVR } Caesaris praesidijs. epist. 3. INFESTVM *habebimus* } infestum reddemus. sic, Solicitum habere, pro solicitum reddere, alibi dixit, &, Dymaeos mare infestum habere, epistola 1. libri XVI. Est autem sententia, Pompeium classem parare ad intercludendos Italiae commeatus, idest ad patriam fame necandam: ad hunc se iturum (epist. 8.) & cum iracunda ironia, Boni ciues, amantes patriae, dixit. IN *Aegyptum* } quoniam quidem neque de Aegypto, & Arabia cogitare debemus, (cur enim eo nos abdamus? epistola 9.) & exercitu pares esse Caesari non possumus. classe igitur bellum geremus. CONGRESSV } Caesaris. ep. 15. CENSEAS } mihi agendũ etsi nulla iam dubitatio est, quin mihi sit eundum ad Pompeium.



IN·EPISTOLARVM M·TVLLII·CICERONIS AD T·POMPONIVM·ATTICVM LIBRVM. X.

PAVLLI.MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.




ERTIO *non. cum in Laterium fratris uenissem, accepi litteras, & paullum respirani: quod post has riuinas mihi non acciderat. per enim magni aestimo, tibi firmitudinem animi nostri & factum nostrum probari. Sexto. n. nostro quod scribis probari, ita laetor, ut me quasi patris eius, cui semper uni tribui plurimum, iudicio comprobari putem: qui mihi, quod saepe soleo recordari, dixit olim, nonis illis Decembribus, cum ego, Sexte, quidnam ergo?*

Μὴ μὰν, *inquit ille,* ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

eius igitur mihi uiuit auctoritas; & simillimus eius filius eodem est apud me pondere, quo fuit ille: quem salvere uelim iubeas plurimum. Tu tuum consilium etsi non in longum tempus differs, (iam enim illum emptũ pacificatorem perorasse puto, iam actum aliquid esse in consessu senatorum) tamen suspensum me detines, sed eo minus, quod non dubito, quid nobis agendum putes. quid enim Flauio legionem, & Siciliam dari scribis, & id iam fieri? quae tu scelera partim parari, et iam cogitari, partim ex tempore futura censes? ego uero Solonis, popularis tui, &, ut puto, etiam mei, legem negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterutrius partis fuißet: nisi tu aliter censes. & hinc abero, & filij. sed alterum mihi est certius: nec praeripiam tamen; exspectabo tuum consilium, & eas litteras, nisi alias iam dedisti, quas, scripsi, ut Cephalioni dares. Quod scribis, non quo alicunde audieris, sed te ipsum putare, me attractum iri, si de pace agatur: mihi omnino non uenit in mentem, quae poßit actio esse de pace, cum illi certißimum sit, si poßit, exspoliare exercitu, & prouincia Pompeium. nisi forte iste summarius ei pot est persuadere, ut, dum oratores eant, & redeant, quiescat. nihil uideo, quod sperem, aut quod iam putem fieri posse. sed tamen hominis hoc ipsum probi est, & magnom τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, ueniendum ne sit in cõsilium tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit. quare, si quid eiusmodi euenerit, ut accersamur: (quod equidem non curo: quid enim eßem de pace dicturus, dixi: ipse ualde repudiauit) sed tamen, si quid acciderit, quid censeas mihi faciẽdum, utique scribito. nihil enim mihi adhuc accidit, quod maioris consilij esset. Trebatij, boni uiri, & ciuis, uerbis te gaudeo delectatũ: tuaq. ista crebra ἐκφώνησις, ΥΠΕΡΕΙ me sola adhuc delectauit. Litteras tuas uehementer exspecto, quas quidem credo iam datas esse. Tu cum Sexto seruasti grauitatem eandem, quam mihi praecipis. Celer tuus disertus magis est, quam sapiens. De iuuenibus, quae ex Tullia audisti, uera sunt. M. Antonij istud, quod scribis, non mihi uidetur tam re esse triste, quam uerbo. haec est ἄλη, in qua nunc sumus, mortis instar. aut enim mihi libere inter malos πολιτεύεσθαι fuit, aut uel periculose cum bonis: aut nos temeritatem bonorum sequamur; aut audaciam improborum insectemur. utrumque periculosum

riculo sum est. at hoc, quod agimus, & turpe, nec tamen tutum. Istum, qui filium Brundisium de pace misit, (de pace idem sentio, quod tu; simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrime) legatum iri non arbitror; cuius adhuc, ut optaui, mentio facta nulla sit, eo minus habeo necesse scribere, aut etiam cogitare, quid sim facturus, si acciderit, ut legarer. Vale.

EXPLANATO



LATERIVM } fundum in Arpinati. ep. 7. lib. 4. FIRMITVDINEM *animi nostri* } quod ab honesto non diuellar: idest, quod in Caesaris congressu neque indulgenter sim locutus; & in eo manserim, ne ad urbem accederem. ep. 16. & 18. l. 9. SEXTO } Peducaeo. NONIS *Dec.* } quo die in coniuratos animaduerti. QVIDNAM *ergo?* } senatus mandauit, ut de coniuratis supplicium sumerem. mandata si exsequar, uideo mihi ab improbis ciuibus magnam inuidiam, magnaq. pericula impendere; quod a me contra leges actum obijcient, quae ciues Romanos occidi uetant. quid ergo faciam o Sexte? tum ille me ad praeclarum facinus Homericis uersibus incitauit. Iliadis χ. SIMILLIMVS *eius filius* } ergo doctrina, probitate, iustitia praeditus. haec enim patri Peducaeo tribuit Cicero lib. 2. de Fin. his uerbis: Sex. Peducaeus, is, qui hunc nostrum reliquit, effigiem & humanitatis, & probitatis suae filium, tum doctus, tum omnium uir optimus, & iustissimus. NON *in longum tempus.* } tantum ut expectemus, quid de pace decernatur in consessu senatorum. nam, in senatu, non libet dicere. Bessarionis liber habet, Longum cum tempus: ut fortasse Cicero scripserit, Longinquum tempus. EMPTVM } pretio a Caesare inductum, ut de pace ageret in senatu: cuius nomen fuit in Attici epistola. QVID *nobis agendum putes* } putas enim discedendum ex Italia. DARI } a Caesare, quasi a rege. POPVLARIS *tui* } quia tu quoque Atticus. MEI } quia migrare Athenas cogito. HINC ABERO } cum filijs abibo ex Italia. ALTERVM } me absuturum hinc: de filijs minus certum. CEPHALIONI } & hic, & supra ueteres libri habent, Cephaloni. mihi tamen nihil placuit mutare: primum, quia Bessarionis liber & hic & supra habet, Cephaloni, infra tamen Cephalionem semper: deinde, quia in Plauti uersu, quem recitat Priscianus, ita Cephalionis mentio fit, ut Cephalonem metri ratio non ferat. est enim sic:

,, O ante mulos, asini [illegible] Cephalio. [illegible]

SI *de pace* } sic Bessarionis liber antiquus: & sententia non obscura: itaque nihil muto. PROVINCIA } Hispania, ep. 2. lib. 9. ISTE *summarius.* } emptus pacificator. mallem enim, Nummarius, ut Nummarij iudices, pretio corrupti, ep. 14. lib. 1. & placet [illegible] dictum esse, Nisi forte: quia scit Caesari persuaderi non posse, ut quiescat. DIXI } ipsi Caesari. ep. 1. lib. 9. [illegible] } pronunciatio perquam optime. Hoc uno delectatus adhuc sum, quod tu de publicis rebus egregie pronuncias. Quamquam, cum alij libri ueteres habeant, ὑπέρη, alij τέρπει, quorum unus est apud me, in quo τέρπει non obscuris litteris legitur: suspicor interdum, cum Cicero τέρπει scripsisset, glossema in margine libri additum fuisse, Delectat: quod postea cum in ordinem uerborum receptum esset, mutatum esse τέρπει, cum duobus uerbis idem significantibus locus non esse uideretur, in aliud Graecum uerbum, ut coniectura tulit. Delectauit autem fortasse magis placuit, quam Delectat, propter aduerbium Adhuc: quasi praeterito potius tempori seruiret, quam praesenti: cum tamen pariter utrique seruiat. GRAVITATEM } in congressu Caesaris. DE *iuuenibus* } de Ciceronibus. AVDISTI } forte, nolle me eos erudiri a Dionysio. epist. 2. HAEC *est* ἄλη, } haec animi mei solicitudo, & mentis error, in quo nunc sum, mortis instar est. angor enim, quod neq. ad urbem uenerim, ut inter Caesarianos de rep. libere agerem; neque bonos uel cum periculo sim secutus. alterutrum certe oportuit. aut enim bonos sequi debemus; quorum de Italia relinquenda temerarium consilium fuit: aut, si Italiam relinquere non placet, neque temeritatem bonorum imitari; agamus hic libere, quae sentimus, & pro rep. & contra improborum audaciam. HOC, *quod agimus* } mansio haec nostra in Italia, neque honesta, neque tuta. ISTVM, *&c.* } forte L. Cornelium Balbum, qui filium Brundisium miserat. ME } non me, sed istum legatum iri arbitror. SI *acciderit, ut legarer* } & consuetudo Latini sermonis postulat, Vt leger; & ego eo procliuius in hanc opinionem descendo, quod antiqui libri, Vt legerer, habent.

Cicero S. D. Attico. 2.

EGO *cum accepissem tuas litteras nonis Apr. quas Cephalio attulerat, essemq. Minturnis postridie mansurus, & inde protinus; sustinui me in Arcano fratris, ut, dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus, agerenturq. nihilo minus, quae sine nobis agi possent.* ΜΜΤΕΥΧΑ *iam adest, & animus ardet: nec est quidquam, quo, & qua. sed haec nostra erit cura, & peritorum. tu tamen, quod poteris, ut adhuc fecisti, nos consilijs iuuabis. res sunt inexplicabiles. fortunae sunt committenda omnia. sine spe conamur ulla. melius si quid acciderit, mirabimur. Dionysium nolim ad me profectum: de quo ad me Tullia mea scripsit: sed & tempus alienum est; & homini non amico nostra incommoda, tanta praesertim, spectaculo esse nollem: cui te meo nomine inimicum esse nolo. Vale.*

EXPLANATIO

AGERENTVRQVE } pararentur a meis ad nauigationem. MMTEYCA}corrupta dictio,sed,ut opinamur,ad nauigationem pertinens,uidetur enim dicere:nauigandi appropinquat occasio. ARDET}abeundi cupiditate. NEC *est quidquam*}nec uidemus,aut quae loca petamus,aut qua uia. TVLLIA *mea scripsit*} opinor eum mihi commendans,& superiora excusans.aut,Scripsit,ad me profecturum.sed ego nolim ad me profectum,quia neque hoc tempore eo mihi comite opus est, & homini non amico nostra incommoda spectaculo esse nollem.ep.5.& 10.lib.8.& 10.& 14.lib.9.& 2.lib.10. INIMICVM *esse* } quod scribis te facturum, si ego uelim.

Cicero S. D. Attico. 3.

CVM, quid scriberem,plane nihil haberem; haec autem reliqua essent,quae scire cuperem, profectus ne esset,quo in statu urbem reliquisset, in ipsa Italia quem cuique regioni,aut negotio,praefecißet,et qui essent ad Pompeium,& ad consules ex S.C.de pace legati:ut igitur haec scirem,dedita opera has ad te litteras misi. feceris igitur commode,mihiq.gratum, si me de his rebus,& si quid erit aliud, quod scire opus sit, feceris certiorem.ego in Arcano opperior,dum ista cognosco. Ad VII.id.alteram tibi eodem die hanc epistolam dictaui,& pridie dederam mea manu longiorem. Visum te aiunt in Regia:nec reprehendo: quippe cum ipse istam reprehensionem non fugerim. sed exspecto tuas litteras.neque iam sane uideo, quod exspectem: sed tamen,etiam si nihil erit, id ipsum ad me uelim scribas.Caesar mihi ignoscit per litteras, quod non uenerim;seseq.in optimam partem id accipere dicit. facile patior,quod scribit,secum Tullum,et Seruium questos esse,quia non idem sibi,quod mihi,remisisset. homines ridiculos,qui,cum filios misissent ad Cn.Pompeium circumsidendum,ipsi in senatum uenire dubitarent.sed tamen exemplum misi ad te Caesaris litterarum. Vale.

EXPLANATIO

PROFECTVS } Caesar,ut in Hispanias iret contra Pompeij legatos, Afranium,& Petreium, & Varronem. LONGIOREM } quae est huius libri prima. VISVM *te* } puto esse epistolae initium. IN *Regia* } publicum aedificium,in quo sacra fiebant ex antiquo Numae regis instituto. Festus 216.280. 286.Sex.Rufus,P.Victor,pro Milone. NON *uenerim* } in senatum. TVLLVM } Volcatium Tullum. SERVIVM } Sulpicium. QVIA *non idem* } quia non ijs concessisset,quod mihi,ut in senatum non uenirent. ep.lib.4.fam. CVM *filios misissent* } Seruium designat,non utrumque.non enim Volcatius contra Pompeium filium miserat.ep.17.& 18.lib.9.

Cicero S. D. Attico. 4.

MVLTAS a te accepi epistolas eodem die, omnes diligenter scriptas,eam uero, quae uoluminis instar erat,saepe legendam,sicuti facio:in qua non frustra laborem suscepisti:mihi quidem pergratum fecisti. quare,ut id,quoad licebit,id est,quoad scies ubi sumus, quam saepissime facias,te uehementer rogo.at deplorandi quidem,quod quotidie facimus,sit iam nobis aut finis omnino,si potest,aut moderatio quaedam, quod profecto potest. non enim,quam dignitatem, quos honores, quem uitae statum amiserim,cogito, sed quid consecutus sim,quid praestiterim,qua in laude uixerim, his denique in malis quid intersit inter me, & istos, quos propter omnia amisimus. hi sunt,qui, nisi me ciuitate expulissent,obtinere se non posse putarunt licentiam cupiditatum suarum:quorum societas,& sceleratae consensionis fides quo eruperit,uides. alter ardet furore, & scelere,nec remittit aliquid,sed in dies ingrauescit: modo Italia expulit:nunc alia ex parte persequi, ex alia prouincia spoliare conatur:nec iam recusat, sed quodam modo postulat,ut,quemadmodum est,sic etiam appelletur tyrannus.alter,is,qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne subleuabat quidem,qui se nihil contra huius uoluntatem aiebat facere posse,elapsus e soceri manibus,ac ferro,bellum terra,& mari comparat, non iniustum ille quidem,sed tum pium, tum etiam necessarium suis tamen ciuibus exitiabile;nisi uicerit, calamitosum etiam,si uicerit.horum ego summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam,qua illi florentissima,nos duriore conflictati uidemur.quis enim potest,aut deserta per se patria,aut oppressa beatus esse? & ,si,ut nos a te admonemur,recte in illis libris diximus nihil esse bonū, nisi quod honestum;nihil malum,nisi quod turpe sit: certe uterque istorum est miserrimus;quorum utrique semper patriae salus,& dignitas posterior sua dominatione,& domesticis commodis fuit. Praeclara igitur conscientia sustentor,cum cogito me de rep.aut meruisse optime,cum potuerim,aut certe numquam,nisi diuine,cogitasse, eaq. ipsa tempestate euersam esse remp. quam ego XIV.annis ante prospexerim. hac igitur conscientia

tia comite proficiscar, magno equidem cum dolore, nec tam id propter me, aut propter fratrem meum, quorum iam acta aetas, quam propter pueros, quibus interdũ uidemur praestare etiam remp. debuisse: quorum quidem alter, non tam, quia maiore pietate est, me mirabiliter excruciat; alter, (o rem miseram; nihil enim mihi accidit in omni uita acerbius) indulgentia uidelicet nostra deprauatus, eo progressus est, quo non audeo dicere: & exspecto tuas litteras. scripsisti enim, te scripturum esse plurima, cum ipsum uidisses. omne meum obsequium in illum fuit cum multa seueritate: neque unum eius, nec paruum, sed multa magna delicta compressi. patris autem lenitas amanda potius ab illo, quã tam crudeliter negligenda. nam litteras eius ad Caesarem missas ita grauiter tulimus, ut te quidem celaremus; sed ipsius uidemus uitam insuauem reddidisse: hoc uero eius iter, simulatioq. pietatis qualis fuerit, non audeo dicere. tantum scio, post Hirtium conuentum, accersitum ab Caesare: cum eo de meo animo ab suis rationibus alienissimo, & consilio relinquendi Italiam: & haec ipsa timide. sed nulla nostra culpa est: natura metuenda est. haec Curionem, haec Hortensij filium, non patrum culpa, corrupit. iacet in maerore meus frater, neque tam de sua uita, quam de mea metuit. huic tu, huic tu malo affer consolationes, si ullas potes: maxime quidem illam uelim, ea, quae ad nos delata sint, aut falsa esse, aut minora. quae si uera sint, quid futurum sit in hac fuga, nescio. nam si haberemus remp. consilium mihi non deesset nec ad seueritatem, nec ad indulgentiam. Haec, siue iracũdia, siue dolore, siue metu permotus, grauius scripsi, quam aut tuus in illum amor, aut meus postulabat. si uera sunt ignosces: si falsa, me libente eripies mihi hunc errorem. quoquo modo uero se res habeat, nihil assignabis nec patruo, nec patri. Cum haec scripsissem, a Curione mihi nunciatum est eum ad me uenire. uenerat enim is in Cumanum uesperi pridie, id est idibus. si quid eius igitur sermo eiusmodi attulerit, quod ad te scribendum sit; id in litteris adiungam. Praeterijt uillam meam Curio, iussitq. mihi nunciari, mox se uenturum: cucurritq. Puteolos, ut ibi concionaretur. concionatus est: rediijt: fuit ad me sane diu. o rem foedam! nosti hominem: nihil occultauit, in primis nihil esse certius, quam ut omnes, qui lege Pompeia condemnati essent, restituerentur; itaque se in Sicilia eorum opera usurum. de Hispanijs, non dubitabat, quin Caesaris essent: inde ipsum cum exercitu, ubicumque Pompeius esset: eius interitu finem fore: propius factum esse nihil; eum plane, iracundia elatum, uoluisse occidi Metellum tribunũ pl. quod si esset factum, caedem magnam futuram esse: permultos hortatores esse caedis; ipsum autem non uoluntate, aut natura non esse crudelem, sed quod putaret, popularem esse clementiam: quod si populi studium amisisset, crudelem fore: eumq. perturbatum, quod intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de aerario: itaque ei cum certissimũ fuisset, ante, quam proficisceretur, concionem habere ausum non esse, uehementerq. animo perturbato profectum. Cum autem ex eo quaererem, quid uideret, quod exemplum, quam remp. plane fatebatur nullam spem reliquam: Pompeij classem timebat: quae si esset, se de Sicilia abiturum. Quid isti, inquam, sex tui fasces? si ab senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupiui, inquit, ex S.C. surrepto: nam aliter non poterat. at ille impendio nunc magis odit senatum: a me, inquit, omnia proficiscentur. sex autem, quia duodecim nolui: nam licebat. Tum ego, quam uellem, inquam, petijsse ab eo, quod audio Philippum impetrasse: sed ueritus sum, quia ille a me nihil impetrabat. Libenter, inquit, tibi concessisset: uerum puta te impetrasse. ego enim ad eum scribam, ut tu ipse uoles, de ea re nos inter nos locutos. quid aũt illius interest, quoniam in senatum nõ uenis, ubi sis? quin nunc ipsum minime offendisses, eius caussa si in Italia non fuisses. Atque ego, me recessum, & solitudinem quaerere, maxime quod lictores haberem. laudabat consilium. Quid ergo inquam? nam mihi cursus in Graeciam per tuam prouinciam est; quoniam ad mare superum milites sunt. Quid mihi, inquit, optatius? hoc loco multa perliberaliter. ergo hoc quidem est uerum profecto, ut non modo tuto, uerum etiam palam nauigaremus. Reliqua in posterũ diem distulit: ex quibus scribã ad te, si quid erit epistola dignum. Sunt alia, quae praeterij, interregnum ne esset exspectaturus, an, quo modo dixerim? Ad se ille quidem deferri consulatum, sed se nolle, in proximum annum. Et alia sunt, quae exquirã; iurabat ad summam, quod nullo negotio faceret, amicissimum mihi Caesarem esse debet. quid enim, inquã, scripsit ad me Dolabella? dico, quid? affirmabat, cum scripsisset, quod me cuperet ad urbem uenire, illũ quidem gratias agere maximas, & non modo probare, sed etiam gaudere. quid quaeris? atque iubebat. est enim suspicio illa domestici mali, & sermonis Hirtiani. quã cupio illũ dignum esse nobis, & quã ipse me inuito, quae pro illo sit suspicandum. sed opus fuit Hirtio conuento: est profecto nescio quid. sed uelim quamminimo. & tamen eũ non dum redisse miramur. sed haec uidebimus. Tu Oppios Terentiae dabis. iam enim urbis unum periculum est. Me tamen consilio iuua, pedibus ne Rhegiũ, an hinc statim in nauem. ceterum, quoniam commoror, ego ad te statim habebo, quod scribam, simul ut uidero Curionem. De Tirone cura, quaeso, quod facis, ut sciã, quid is agat.

EXPLANATIO

ISTOS } Pompeium, & Caesarem. ALTER *ardet* } Caesar. EXPULIT } Pompeium. ALIA *ex parte* } conatur & in Graeciam persequi, & ei prouinciam Hispaniam eripere. AD *pedes stratos* } suppliciter rogantes, ut nos contra sceleratam tribuni pl. rogationem defenderet. HUIUS } Caesaris: cui dicebat se iniuriam esse facturum, si contra Clodium ageret. lib. 3. ep. 15. minus liberale uocauit responsum Pompeij. ELAPSUS } quia classe fugit. DESERTA *per se patria, aut oppressa* } deseruit Pompeius, oppressit Caesar. ADMONEMUR, } laudabat igitur Atticus profectionem Ciceronis ad Pompeium, cum diceret, ei praestanda esse illa, quae scripserat in libris de rep. nimirum haec, nihil est bonum, nisi quod honestum; nihil omnino malum, nisi quod turpe. ILLIS *libris* } de rep. ep. 15. lib. 4. ep. 1. & 2. lib. 6. epist. 3. lib. 7. epist. 11. lib. 8. epist. 3. lib. 10. XIV, *annis ante* } cum ipse consul esset. uidit enim coniuratis

iuratis fauere multos nobiles, & in ijs Caesarem ipsum. PROFICISCAR, } ad Pompeium. ALTER } filius. MAIORE *pietate* } nam Quinctus filius & patri, & patruo inimicus; ut paullo post. EIVS } Quincti filij. IPSIVS } ipsum Quinctum uidemus nunc earum litterarum paenitere, quas ad Caesarem scripsit. ITER } ad Caesarem. SIMVLATIOQ. *pietatis.* } quia simulauit ideo se ire, ut Caesari ostenderet, nos optimo in illum esse animo: quod contra fecit. TANTVM *scio,* } reliqua, ad me delata de Quincto filio, explorata non sunt: hoc plane scio. SVIS } Caesaris. HAEC *ipsa timide.* } ad te scribo: quia scio tibi dolorem allatura: reliqua non audeo. supra: Eo progressus est, quo non audeo dicere. Et proxime: Hoc uero eius iter, simulatioq. pietatis qualis fuerit, non audeo dicere. NVLLA *nostra culpa* } non in educatione uitium fuit, sed in natura. HORTENSII *filium,* } qui erat cum Curione in Caesaris partibus. de hoc Valerius. METVIT. } quia nostrum consilium de relinquenda Italia patefactum Caesari sit. QVAE *ad nos delata,* } quae de Quincto filio audiuimus, ab eo ad Caesarem. QVID *futurum sit* } uereor enim, ne Caesar, cum nostrum consilium cognouerit, nos obseruari, & fugientes retrahi iubeat. NAM *si haberemus &c.* } iacente rep. nihil audeo contra prauam huius naturam; ne uidear aduersari, non quia deprauatus pessime de nobis mereatur, sed quia pro Caesare faciat. quod si esset aliqua resp. consolationem abs te nullam quaererem; consilium ipse caperem aut ad seueritatem, aut ad indulgentiam. aut enim illum seueritate reprimerem: aut, abiecta de illo prorsus omni cura, permitterem, ut ageret & suo arbitratu, & suo periculo quod uellet. IRACVNDIA } magis placeret, Ira, ut est in antiquo libro: quia uidetur iracundia non iram, sed naturae ad iram procliuitatem ostendere: ut, si diceret, Haec scripsi iratus, rectius uideretur, quam, Haec scripsi iracundus. uideo tamen in hac ipsa pagina Iracundiam pro ira iterum usurpatam, item alibi. IGNOSCES } quia scripsi, quae tibi scio fore acerbissima. EVM } ipsum Curionem. LEGE *Pompeia* } legem appellat, cum tamen duas significet, de ambitu unam, alteram de ui, quas Pompeius tertium consul tulerat. Pedianus. IN *Sicilia* } qua Catonem expulit. Caesar lib. 1. de bello ci. PROPIVS *factum esse nihil.* } quam ut L. Metellus tribunus pl. cum aerarij fores complexus uetaret Caesarem ingredi, occideretur. Haec tamen quattuor uerba nō opinor suo loco posita, sed collocanda post, Tribunum pl. EVM } Caesarem. VOLVISSE } minatum esse Metello, si pergeret obstare, quo minus ex aerario pecuniam posset sumere. DE *aerario:* } quia, cum aerarij claues non inuenirentur, refractis foribus publicas pecunias abstulisset. Plutarchus, & infra ep. 7. SEX *tui fasces?* } Caesar Curioni Siciliam prouinciam assignauerat, quam propraetor administraret; ideoq. & fasces ut imperium habenti dederat. CVR *laureati?* } neque enim laureatis utebantur, nisi post uictoriam de hostibus partam. at Curio neque adhuc uictoriam ullam erat assecutus, & bellum cum ciuibus gerebat. IPSO } Caesare. CVR *sex?* } nam duodecim extra ordinem, & Paullus Aemilius praetor ad bellum Ibericum proficiscens usus est: quod in urbe consulibus tantum, extra urbem proconsulibus licebat. CVPIVI *&c.* } egi cum Caesare de S.C. ab amicis & familiaribus occulte faciendo; quo mihi Siciliam prouinciam cum imperio, fascibusq. datam constaret: at ille, qui nunc senatui maxime est infensus, ita respondit: Senatum contemne; a me omnia proficiscentur. SVRREPTO } nam, si palam ageretur, Pompeianus aliquis tribunus pl. S.C. intercessisset, ut L. Metellus, qui omnia, quaecumque Caesar agere instituit, intercessione impediuit. itaque fam. l. 8. epist. 16. His, inquit, intercessione plane incitatus est Caesar. & libro 1. de bello ci. DVODECIM *nolui* } quibus proconsules utebantur. LICEBAT } per Caesarem, qui mihi omnia concessisset. PETIISSE *ab eo* } ut ubinis esse possem: PHILIPPVM } qui Atiam, Iulia Caesaris sorore natam, habebat in matrimonio, post Octauij prioris uiri obitum. uitricus igitur Octauij, qui post Augustus. NIHIL *impetrabat.* } petens, ut in senatum uenirem: quod si refugerem, ne adessem, cum de Pompeio detraheretur; uenirem tamen. & agerem de pace. ep. 17. lib. 9. NVNC *ipsum* } uide epist. 9. lib. 8. EIVS *caussa,* } eius quidem caussa, quod ad eum attinet, minime offendisses, si ex Italia discessisses. TVAM *prouinciam* } Siciliam; qua nauigandum mihi erit, ad Pompeium in Graeciam proficiscenti. licebit ne hoc mihi per te, & tua praesidia? PERLIBERALITER } amantissimis uerbis usus est, cum omnia polliceretur. EST *uerum profecto* } mallem, Est profectum, hoc quidem sermone, quem cum Curione habui. primum enim, ex Profectum factum suspicor, Profecto, deinde ad Profecto additum ex ingenio Verum. EXSPECTATVRVS } Caesar, ut interrex comitia consularia haberet: quod fieri solebat, cum, anno finito, nulli dum designati consules essent. Exspectaturus: dum Lentulus & Marcellus annuum consulatus tempus perfecissent. AN } an potius, ante quam ab urbe discedat, decretum ab auguribus fieri uelit, quo uel consules creare praetor possit, uel dictatorem dicere, qui deinde consules creet. epist. 8. & 14. lib. 9. QVO *modo dixerim* } quasi turpe quiddam, nec dicendum, occultat, quod contra morem maiorum sit, aut consules creari a praetore, aut dictatorem dici. uel est incerti animi significatio; cum ignoret, quid acturus Caesar sit de comitijs consularibus, si haberi ab interrege nolit, ut sit, Quo modo dixerim Caesarē hoc explicaturum? AD *se* } ad ipsum Caesarem. DEFERRI } a populo: aut, a legibus, cum is esset annus, quo ei per leges consulem fieri liceret. decem enim anni post gestum cum Bibulo consulatum abierant. NOLLE } uoluit. nam, ipso dictatore comitia habente, consul factus cum Seruilio Isaurici filio, lib. 3. de bello ciu. NVLLO *negotio* } iurabat in re graui, sed, etiam si nulla grauis esset caussa, iuraret tamen pro Caesare. uel: quod ego illum facile, hoc est prompto animo, iurare intelligerem. ex quo simulationis tollebatur suspicio. uidebatur enim id ex animo facere. ESSE *debet* } existimo ita esse. AFFIRMABAT, } Dolabella potius, quā Curio, si consideretur illud, Dico quid? affirmabat igitur in suis litteris.

QVOD

QVOD *me cuperet* } pro, se cupere. Eodem modo, Quod, Plautus usurpauit: Equidem scio iam, filius quod amet meus. & Ouidius de Tristibus:

„ Delicias si quis, lasciuaq. carmina quaerit;
„ Praemoneo, numquam scripta quod ista legat.

Vide Commentarium nostrum epist. 28. lib. 7. Fam. ILLVM } Caesarem. GRATIAS *agere* } quod ab ipso non rogatus, ultro scripsisset ad me, ut ad urbem uenirem. IVBEBAT } Bessarionis liber, Videbat. utrocumque modo, mendum tamen remanet. deesse enim aliquid uidetur, quippe cum a sermone Curionis ad mentionem Quincti filij nullo uerborum adminiculo transeatur. DOMESTICI *mali* } a Quincto filio: qui sermonem habuit cum Hirtio, mox cum Caesare. epist. 4. ILLVM } Quinctum filium. ME *inuito* } profectus est ad Hirtium. QVAE *pro illo sit suspicandum* } & hoc, non dubito, quin mendum contineat. Supplicandum, est in Bessarionis libro. CONVENTO } a te Attice; ut ex eo certum sciremus de Quincto filio. NESCIO *quid* } nescio quid mali ex hac Quincti filij profectione creatum. sed uelim quam minimo defungamur. & uidentur hae uel commistae epistolae, uel praeposterae. nam supra narrauit sermonem Hirtianum. TV *Oppios Terentiae dabis* } tu Oppios (de quibus epistola 7. lib. 8.) Terentiae conciliabis; ut illi praesto sint, si quid ei opus erit. nam cauendum est illi tantum ab urbis periculo: quod unum iam uidetur incommodum superesse. nam illud de turpitudine, quod me antea mouebat, si eo loco feminae Romae manerent reliquis abeuntibus, iam facessit, cum nobiliores feminae in urbem omnes iam redierint. quoniam igitur mansura est Terentia, Oppios illi da. ME *tamen* } quia uidebatur epistolam in eo terminasse, Periculum est; subiunxit, Hoc tamen addam. VT uidero } rursus eum aliquo profectum exspectabat. ep. 4. TIRONE } Patris aegrotante. epist. 5. lib. 8. & 16. lib. 9. & fam. lib. 16.

Cicero S. D. Attico. 5.

DE *tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, ut mihi uisus sum, diligenter: de die nihil sane potest scribi certi, praeter hoc, non ante Lunam nouam. Curionis sermo postridie eandem habuit fere summam, nisi quod apertius significauit, se harum rerum exitum non uidere. Quod mihi mandas de quodam regendo, ἀρχαδίαν. tamen nihil praetermittam. atque utinam tu. sed modestior non ero. Epistolam ad Vestorium statim de Tullia. ac ualde requirere solebat. Commodius tecum Vectenus est locutus, quam ad me scripserat: sed mirari satis hominis negligentiam non queo. cum enim mihi Philotimus dixisset,* HS L *emere de Canuleio diuersorium illud posse, minoris etiam empturum; si Vectenum rogassem; rogaui, ut, si quid posset, ex ea summa detraheret: promisit: ad me nuper,* HS XXX *emisse: ut scriberem, cui uellem addici: diem pecuniae id. Nou. esse. rescripsi ei stomachosius, cum ioco tamen familiari. nunc, quonam agit liberaliter, nihil accuso hominem, scripsiq. ad eum, me a te certiorem esse factum. Tu, de tuo itinere quid, & quando cogites, uelim me certiorem facias. ad* XV. *kal. Mai. Vale.*

EXPLANATIO

TOTA *mea cogitatione* } consilio abeundi. DIE } nauigationis meae. LVNAM *nouam* } tum enim plerumque turbulenti sunt dies: ut id tempus maxime sit nauigantibus uitandum. HARVM *rerum exitum non uidere.* } idest, actum esse de rep. spem reliquam esse nullam. ep. 4. DE *quodam,* } de Quincto filio: cuius nomen occultat; itaque & proximis uerbis paene sententiam breuitate obscurat, ueritus ne in alienas manus epistola perueniret. ἀρχαδίαν } difficilem prouinciam. Adagium. VTINAM *tu* } suscepisses iuuenem regendum. epist. 6. MODESTIOR *non ero* } in eo regendo: utar seuera disciplina. itaque epist. 6. Quinctum puerum, inquit, accepi uehementer, & epist. 7. Quinctum filium seuerius adhibebo. utinam proficere possem. EPISTOLAM } misi. REQVIRERE } ut sibi commendarem aliquem meorum. COMMODIVS } liberalius de die pecuniae pro diuersorio soluendae. NEGLIGENTIAM } qui tam negligenter cum Canuleio de die solutionis egisset. longiorem enim fuit impetraturus, si contendisset. DE *Canuleio* } noua locutio, pro, A Canuleio: ut De Crasso domum emissem, in epistola ad Sextium. ROGASSEM } ut ageret cum Canuleio, amico suo. EMISSE } meo nomine. ADDICI } diuersorium. PECVNIAE } Canuleio soluendae. STOMACHOSIVS } subiracunde, qui tam angustum diem solutioni praefiniret. ep. 9. IOCO *familiari* } quia sic epistolam inscripsi, Vecteno Monetali. uide ep. 9. AGIT *liberaliter* } quia diem pecuniae longiorem fore pollicetur. CERTIOREM *esse factum* } de eo, quod tecum locutus est, se curaturum, ut solutionis tempus ultra idus Nou. produceretur. TVO *itinere* } in Epirum. ep. 7. l. 9.

Cicero S. D. Attico. 6.

ME adhuc nihil, praeter tempestatem, moratur. astute nihil sum acturus. fiat in Hispania quid libet: & tamen retice. meas cogitationes omnes explicaui tibi superiorib. litteris. quocirca haec sunt breues: & tamen, quia festinabam, eramq. occupatior de Quincto fratre: ita me quidem sedulo; sed nosti reliqua. Quod deinde mones, & amice, & prudenter mones: sed erunt omnia facilia. si ab uno illo cauero, magnum opus est. mirabilia multa. nihil simplex, nihil sincerum. uellem, suscepisses iuuenem regendum. pater enim nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat, si sine illo possem, regerē; quod tu potes: sed ignosco. magnum, inquam, opus est. Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam. ego nunc, qua, & quo, uidebo. Ego uero Apuliam, & Sipontum, & tergiuersationem istam probo: nec tuam rationem eandem esse duco, quam meam: nō quin in rep. rectum idem sit utrique nostrum: sed ea nō agitur: regnandi contentio est; in qua pulsus est modestior rex, & probior, & integrior, & is, qui nisi uincit, nomen populi R. deleatur necesse est: sin autem uincit, Sullano more, exemploq. uincet. ergo hac in contentione neutrum tibi palam sentiendum, & tempori seruiendum est. Mea caussa autem alia est, quod beneficio uinctus, ingratus esse non possum: nec tamen in acie, sed Melitae, aut alio in loco, siue in opidulo futurum puto. Nihil, inquies, iuuas eum, in quem ingratus esse non uis? Immo minus fortasse uoluisset. sed de hoc uidebimus. exeamus modo: quod ut meliore tempore possimus, facit Hadriatico mari Dolabella, freto Siciliē si Curio. Iniecta autem mihi spes quaedam est, uelle me cum Ser. Sulpicium colloqui. ad eum misi Philotimum cum litteris. si uir esse uolet; praeclara συνόδια. sin autem; erimus nos, qui solemus. Curio mecum uixit, iacere Caesarem putans offensione populari, Siciliaeq. diffidens, si Pompeius nauigare coepisset, Quinctium puerum accepi uehementer. auaritiam uideo fuisse, & spē magni congiarij. magnum hoc malum est: sed scelus illud, quod timueramus, spero nullum fuisse. hoc autem uitium, puto te existimare non nostra indulgentia, sed a natura profectum. quem tamen nos disciplina regimus. De Oppijs Veliensibus quid placeat, cum Philotimo uidebis. Epirum nostram putabimus: sed alios cursus uidebamur habituri. Vale.

EXPLANATIO

MORATVR } quia tempestas non est ad nauigandum idonea. ASTVTE } astute agerem, si profectionem meam ad Pompeium differrem, dum scirem, quid in Hispanijs ageretur. epist. sequēti. RETICE } suspicor mendum subesse: suspicor autem non solum ex sententia satis absurda, sed etiam ex uarietate exemplarium. nam in Bessarionis, & Alberti Tertij libris, Recitet &c. ET *tamen* } & tamen etiam ob hanc caussam breues sunt. DE *Quincto fratre* } Quincti fratris caussa. Alij, de Quincto filio: ut subaudiatur, regendo. SEDVLO } hoc uidetur significare: Ita mihi saepe corrigendus. MONES } ut caueam, ne quis profectionem meam ad Pompeium odoretur. AB *uno illo* } a Quincto filio: a quo cauere difficilius est, quam a ceteris; quia coniuncte nobiscum uiuit. MAGNVM *opus* } duram prouinciam cepi. MIRABILIA *multa* } de eius minime simplici ingenio. SI *sine illo possem* } si pater abesset: qui relaxat, quidquid ego adstrinxi. QVOD *tu potes* } neque enim Quinctus pater tecum est. IGNOSCO } paterno amori: a quo est in filium indulgentia. QVA, *& quo*, } qua utar uia, quo iter intendam. epist. 2. EGO *uero*, } puto initium alterius epistolae. quid enim infra iterct de Quincto filio? TERGIVERSATIONEM } scripserat Atticus, se quoque exiturum ex Italia, sed lente; & quasi tergiuersantem, ne uideatur Caesaris imperium refugere, & praesentem reip. statum improbare; ideoq. in Apulia, maxime Siponti, aliquandiu mansurum. NEVTRVM } neque pro Caesare, neque pro Pompeio: quorum neuter pro rep. pugnat. IN *acie* } in castris, ubi erunt copiae, ubi pugnandum erit. MELITAE, } quae est insula Siciliae proxima. ep. 7. FVTVRVM } me. NIHIL, *inquies* } nihil enim iuuas, si in acie esse non uis. MINVS *fortasse uoluisset.* } non enim fortasse uoluisset me ad illum ire: quia, cum eo peruenero, dicam quae inuitus audiet: improbabo rationem belli, copias, de ducibus multos. fam. ep. 5. l. 7. MELIORE *tempore* } licet mihi tempestatem idoneam exspectare. quoniam dubitandum mihi non est, ut aut mari Hadriatico Dolabella, aut freto Siciliensi Curio meam umquam nauigationem impediant. HADRIATICO } cuius est commissa cura Dolabellae, genero meo. Florus l. 4. Fauces, ait, Hadriatici maris iussi occupare Dolabella, & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyraeo litore castra posuerunt. PRAECLARA *συνόδια* } praeclarum erit colloquium: statuemus enim de officio utriusque nostrum. VIXIT, } iucundissime fuit. IACERE } odiosum esse plebi, quia pecuniam aerarij abstulisset. ep. 4. NAVIGARE } Pompeij classem Curio timebat: quae si fuisset, aiebat se de Sicilia abiturum. ep. 5. VEHEMENTER. } seuere. AVARITIAM. } uideo eum ad Caesaris partes transijsse, quia magnum ex eo congiarium a Caesare speraret. QVOD *timueramus* } ne cum Caesare locutus esset de nostro consilio Italiae relinquendae. ep. 4. DE *Oppijs Veliensibus,* } de quibus uide ep. 13. l. 7. & 4. l. 10. EPIRVM } tuam. NOSTRAM *putabimus* } utar ut mea, si acciderit, ut inde transeam, cum ad Pompeium proficiscar.

Cicero S. D. Attico. 7.

ET res ipsa monebat, & tu ostenderas, & ego uidebã de ijs rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse: sed, cum ad me saepe mea Tullia scribat, orans, ut, quid in Hispania geratur, & exspectem, & semper adscribat idem uideri tibi, idq. ipse etiam ex tuis litteris intellexerim; non puto esse alienum, me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. Consilium istud tunc esset prudens, ut mihi uidetur, si nostras rationes ad Hispaniẽsem casum accommodaturi essemus: quod fieri dicitis oportere. necesse est enim, aut, id quod maxime uelim, pelli istum ab Hispania; aut trahi id bellum; aut istum, ut confidere uidetur, apprehendere Hispanias. si pelletur: quam gratus, aut quam honestus tum erit ad Pompeium noster aduentus; cum ipsum Curionem ad eum transiturum putem? si trahitur bellum: quid exspectem, aut quam diu? relinquitur, ut, si uincimur in Hispania, quiescamus. id ego contra puto. istum enim uictorem magis relinquendum puto, quam uictum, & dubitantem magis, quam fidentem suis rebus. nam caedem uideo, si uicerit, & impetum in priuatorum pecunias, & exsulũ reditum, & tabulas nouas, & turpissimorum honores, & regnum non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cuiquã tolerabile. tacita esse poterit in id dignitas nostra? pati poterunt oculi, me cum Gabinio sententiam dicere? & quidem illum rogari prius? praesto esse clientem tuum Cloelium, Catuli Plaguleium, ceteros? sed cur inimicos colligo? qui meos necessarios, a me defensos, nec uidere in curia sine dolore, nec uersari inter eos sine dedecore potero. quod si ne id quidem est exploratum, fore, ut mihi liceat: (scribunt. n. ad me amici eius, me illi nullo modo satisfecisse, quod in senatum non uenerim) tamen ne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo uenditemus, qui eum coniuncti ne cum praemio quidem noluimus esse? deinde hoc uide, non esse iudicium de tota contẽtione in Hispanijs: nisi forte, his amissis, arma Pompeium abiecturum putas: cuius omne consilium Themistocleum est. existimat enim, qui mare teneat, cum necesse rerum potiri. itaque, qui numquam egit, ut Hispaniae per se tenerentur, naualis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. nauigabit igitur, cum erit tempus, maximis classibus, & ad Italiam accedet: in qua nos sedentes quid erimus? nam medios esse iam non licebit. classi-

* *bus aduersabimur igitur? quod malum maius scilicet*

* *tãtum? denique quid turpius? Hãnibal hic in absentis solus tuli scelus: eiusdem cum Pompeio, & cum reliquis principibus non feram? quod si iam, misso officio, periculi ratio habenda est: ab illis est periculum, si peccaro, ab hoc, si recte fecero: nec ullum in his malis consilium periculo uacuum inueniri potest: ut non sit dubium, quin cum periculo fugiamus, quod fugeremus etiam cum salute. Non simul cum Pompeio mare transiermus. Omnino non potuimus: exstat ratio dierum: sed tamen (fateamur enim, quod est: ne condamus quidem, ut possumus) fefellit ea res, quae fortasse non debuit, sed fefellit: pacem putaui fore: quae si esset, iratum mihi Caesarem esse, cum idem amicus esset Pompeio, nolui. senseram enim, quam ijdem essent. hoc ueritus in hanc tarditatem incidi. sed assequar omnia, si propero; si cunctor, amitto. & tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, non haec collegij nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrannis. nullo enim modo posse uideo stare istum diutius, quin ipse per se, etiam languentib. nobis, cõcidat, quippe qui florẽtis, ac nouos, ut uti diebus ipsi illi egenti, ac perditae multitudini in odium acerbissimum uenerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, diuitiarum in aerario. Iam, quibus utatur uel socijs, uel ministris, si ij prouincias, si remp. regent, quarum nemo duo menses potuit patrimonium suum gubernare? Non sunt omnia colligenda: quae tu acutissime perspicis. sed tamen ea pone ante oculos: iam intelliges id regnum uix semestre esse posse. quod si me fefellerit, feram, sicut multi praeclarissimi homines, in rep. excellentes, tulerunt. nisi forte me Sardanapali uice in suo lectulo mori malle censueris, quam exsulio Themistocleo: qui cum fuisset, ut ait Thucydides, τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής, tamen incidit in eos casus, quos uitasset, si eum nihil fefellisset. etsi is erat (ut ait idem) qui τό, τε ἄμεινον, ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα: tamen non uidit, nec quo modo Lacedaemoniorum, nec quo modo suorum ciuium inuidiam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. non fuisset & illa nox tam acerba Africano, sapientissimo uiro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo uiro C. Mario, si nihil utrumque eorum fefellisset. nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus: nec nos fallit, nec aliter accidet. corruat iste, necesse est, aut per aduersarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est aduersarius unus acerrimus. id spero uiuis nobis fore. quamquam tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac exigua uita cogitare. sin quid acciderit maturius; haud sane mea multum interfuerit, utrum factum uideam, an futurum esse multo ante uiderim. quae cum ita sint, non est committendum, ut ijs pareant, quos contra me senatus, ne quid resp. detrimenti acciperet, armauit. Tibi sunt omnia commendata; quae commendationis meae pro tuo in nos amore non indigent. ne hercule quidem reperio, quid scribam: sedeo enim πλουδοκῶν: etsi nihil umquam tam fuit scribẽdum, quam nihil mihi umquam ex plurimis tuis iucũditatibus gratius accidisse, quam quod meam Tulliam suauissime, diligentissimeq. coluisti. ualde eo ipsa delectata est, ego autem non minus. cuius quidem uirtus mirifica. quo modo illa fert publicam cladem? quo modo domesticas tricas? quantus autem animus in discessu nostro? στοργὴ sit summa, σύνεσις: tamen nos recte facere, & bene audire uult. Sed hac super re nimis; ne meam ipse συμπάθειαν euocem. Tu, si quid de Hispanijs certius, & si quid aliud, dum adsumus, scribes: & ego fortasse discedẽs dabo ad te aliquid, eo etiam magis, quod Tullia te non putabat ex Italia hoc tempore. Cum Antonio item est agendum, ut cum Curione, Melitae me uelit esse: huic bello nolle interesse. eo uelim tam facili uti possem, & tam bono in me, quam Curione. is ad Misenum VI. non. uenturus dicebatur, idest hodie: sed praemisit mihi odiosas literas, hoc exemplo.*

Anto-

Antonius trib. pro praet. Ciceroni imp. S.
Nisi te ualde amarem, & multo quidem plus, quam pu tas, nō extimuissem rumorē, qui de te prolatus est, cum praesertim falsum esse existimarem: sed, quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare, mihi famam quoque, quamuis sit falsa, magni esse. Te iturum trans mare, credere non possum, cum tanti facias Dolabellam, & Tulliam tuam, feminam lectissimam, tantiq. ab omnibus nobis fias; quibus mehercule dignitas, amplitudoq. tua paene carior est, quam tibi ipsi. sed tamen non sum arbitratus esse amici, non commoueri etiam improborum sermone. eo feci studiosius, quod iudicabam duriores partes mihi impositas esse ob offensione nostra, quae magis a ζηλοτυπίᾳ mea, quam ab iniuria tua nata est. sic enim uolo te tibi persuadere, mihi neminem esse cariorem te, excepto Caesare; meq. illud una iudicare, Caesarem maxime in suis M. Ciceronem reponere. Quare, mi Cicero, te rogo, ut tibi omnia integra serues, eius fidem improbes, qui tibi, ut beneficium daret, prius iniuriam fecit: contra, eum ne profugias, qui te, et si non amabit, (quod accidere non potest) tamen saluum, amplissimumq. esse cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium familiarissimum meum misi; ut mihi magnae curae tuam uitam, ac dignitatem esse scires. Eodem die a Caesare Philotimus litteras attulit, hoc exemplo.

Caesar imp. M. Ciceroni imp. S. Et si te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicaram: tamē, permotus hominum fama, scribendum ad te existimaui, & pro nostra beneuolentia petendum, ne quo progredereris inclinata iam re, quo integra etiam progrediēdum tibi non existimasses. namque & amicitiae grauiorem iniuriam feceris; & tibi minus commode consulueris, si non fortunae obsecutus uidebere; omnia.n. secūdissima nobis, aduersissima illis accidisse uidentur; nec caussam secutus; eadem enim tum fuit, cum ab eorum consiliis abesse iudicasti: sed meum aliquod factum condemnauisse: quo mihi grauius abs te nil accidere potest. quod ne facias, pro iure nostrae amicitiae a te peto. Postremo, quid uiro bono, & quieto, & bono ciui magis conuenit, quam abesse a ciuilibus controuersiis? quod nonnulli cum probarent, periculi caussa sequi non potuerunt. tu, explorato & uitae meae testimonio, et amicitiae iudicio, neque tutius, neque honestius reperies quidquam, quam ab omni contentione abesse. XV. kal. Mai. ex itinere. Vale. Aduentus Philotimi (at cuius hominis, quam insulsi, & quam saepe pro Pompeio mentientis) exanimauit omnes, qui mecum erant: nam ipse obdurui. Dubitauit nostrum nemo, quin Caesar itinera repressisset: uolare dicitur. Petreius cum Afranio se cōiunxisset: nihil affert eiusmodi. Quid quaeris? etiam illud erat persuasum, Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniam per Illyricum fecisse. id enim αὐθεντικῶς nunciabatur. Melitam igitur, opinor, capessemus, dum, quod in Hispania: quod quidem propemodum uideor ex Caesaris litteris ipsius uoluntate facere posse; qui negat neque honestius, neque tutius mihi quidquam esse, quam ab omni contentione abesse. dices. ubi ille, ergo tuus animus, quem proximis litteris? adest, & idem est: sed utinam meo solum capite decernerem: lacrumae meorum me interdum molliunt, precantium, ut de Hispaniis exspectemus. M. Coelii quidem epistolam, scriptam miserabiliter, quae hoc idem obsecraret, ut exspectarem, ne fortunas meas, ne unicam filiam, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri. etsi meus quidem est fortior, eoq. ipso uehementius commouet, nec quidquam, nisi de dignatione, laborat. Melitam igitur; deinde, quod uidebitur. tu tamen etiam nunc mihi aliquid litterarum, & maxime, si quid ab Afranio. Ego, si cum Antonio locutus ero, scribam ad te, quid actum sit: ero tamen in credendo, ut mones, cautus. nam occultandi ratio tum difficilis, tum etiam periculosa est. Seruium exspecto ad nonas, & adiicit a Postumia, & Seruii filii. Quartanam leuiorem esse gaudeo. Misi ad te Coelii etiam litterarum exemplum. *Coelius M. Ciceroni imp. S. Exanimatus tuis litteris, quibus te nihil, nisi triste, cogitare ostēdisti; neque, id quod esset, perscripsisti; neque non tamen, quale esset, quid cogitares, aperuisti; has ad te illico litteras scripsi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro, & obsecro, ne quid grauius de salute, & incolumitate tua consulas. nā deos, hōiesq., amicitiamq. nostrā testificor, me neq. timere tibi praedixisse, neq; temere monuisse. sed, postquam Caesarē conuenerim, sententiamq. eius, qualis futura esset parta uictoria, cognorim, te certiorem fecisse. Si existimas eandem rationem fore Caesaris in dimittendis aduersariis, & condicionibus ferendis, erras. nihil, nisi atrox, & saeuum, cogitat, atque etiam loquitur: iratus senatui exiit: his intercessionib. plane incitatus est. non mehercule erit deprecationi locus. Quare, si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuae reliquae tibi carae sunt; si aliquid apud te nos, si, uir optimus, gener tuus ualet: eorum fortunam non debes uelle conturbare; ut eam caussam, in cuius uictoria salus nostra est, odisse, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. Denique illud cogita, quod offensae fuerit, in ista cunctatione te subiisse. nunc te contra uictorem facere, quem dubiis rebus laedere noluisti, & ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summae stultitiae est. uide, ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter, quid optimum sit, eligas. quod si totū tibi persuadere non possum; saltem, dum, quid de Hispaniis agemus, scitur, exspecta; quas tibi nuncio aduentu Caesaris fore nostras. quam isti spem habeant amissis Hispaniis, nescio. quod porro tuum consilium sit ad desperatos accedere, non medius fidius reperio. Hoc, quod tu non dicendo mihi significasti, Caesar audierat: ac simul atq., haue, mihi dixit, statim, quid de te audisset, exposuit. negaui me scire: tamen ab eo petiui, ut ad te litteras mitteret, quibus maxime ad remanendum commoueri posses. me secum in Hispaniam ducit. nam, nisi ita faceret, ego potius, quam ad urbem accederem, ubicumque esses, ad te percurrissem, & hoc a te praesens contendissem, atque omni ui te retinuissem. Etiam atque etiam, Cicero, cogita, ne te, tuosq. omnes funditus euertas, nec te sciens, prudensq. eo demittas, unde exitum uides nullum esse. quod si te aut uoces optimatium commouent; aut non nullorum hominum insolentiam, & iactationem ferre non potes: eligas, censeo, aliquod opidum uacuum a bello; dum haec decernuntur, quae iam erunt confecta. id si feceris, & ego te sapienter fecisse iudicabo, & Caesarem non offendes. Vale.*

EXPLA-

EXPLANATIO

EXPECTEM, } ut differam profectionem meam ad Pompeium, dum Hispaniensis belli exitū audiemus. ISTVM } Caesarem. TRAHI } duci. IPSVM *Curionem* } quo nunc magis Caesarianus nemo est. QVIESCAMVS } consilium eundi ad Pompeium omittamus. ISTVM } Caesarem. QVAM *uictum* } quam cum uictus sit, magisq. dubitet, quam fidat suis rebus. GABINIO } Caesaris amico: qui ab exsulio restitutus sententiam dicet in senatu, & quidem ante me rogatus. Dio lib. 39. CLOELIVM, } Bessarionis, & Alberti Tertij libri, Clodium, &, Cateli, pro, Catuli. utrum rectius, diuinare non licet. facimus tamē, quod nostri muneris est, ut antiquam scripturam ostendamus. CATVLI. } clientem. Sic alibi: In qua erat Eros Celeris. A ME *defensos* } non modo inimicos, sed nec meos necessarios, qui me defendente condemnati in exsulium abierunt, restitutos a Caesare, uidere in senatu sine dolore potero. DOLORE } quia, legibus condemnatos, armis restitutos uidebo. D. DECORE } quia uersabor inter homines iudicio notatos. VT *mihi liceat* } Romae uiuere, & in senatum uenire Caesare uictore. TAMEN *ne dubitemus* } idest, diutius ne dubitans, animoq. suspensus cogitem, an Caesari me uenditem, & in Italia maneam? est uero abijcienda dubitatio, potiusq. de discessu maxime cogitandum. nam, etiam si ei me nunc uenditem, tamen non uideor expers periculi futurus, quoniam ab eo rogatus in senatum non uenerim. initio dissensionis, eius partes sequi si uoluissem, praemium aliquod tulissem. nolui: nunc ei me uenditem etiam cum periculo? NON *esse iudicium* } casum Hispaniensem non esse mihi exspectandum; propterea quod in eo bellum non terminabitur. THEMISTOCLEVM *est* } cogitat, quod olim Themistocles contra Persas, classe bellum gerere. ideoq. in Hispanis haud multum ponit. PER *se* } ut ipse praesens eas teneret; sed, quasi de ijs non laborans, legatis, Afranio, Petreio, Varroni, negotium commisit. SEDENTES } otiosi, neutram partem addiuuantes. CLASSIBVS *aduersabimur* } Pompeij classibus. Sed otiosum uidetur esse uerbum. quorsum. n. iteretur? itaque malim sic legi, Aduersabimur igitur? QVOD *malum &c.* } totus hic est perturbatus locus, ideoq. stellula e regione apposita notatus. Bessarionis antiquis liber dictionem, Malum, non habet, & habet, An niualde pro, Hannibal. QVOD *si iam &c.* } officium postulat, ut Pompeium sequar. at periculosum erit; quoniam Caesar, cuius uenti secundiores uidentur, offendetur. ita sane res habet. sed & mansio periculosa; si forte Pompeij caussa, nunc afflicta, conualuerit. cū igitur utrimque periculum impendeat, satius est Pompeium sequi. ideo recte facere, cum periculo, quā in Italia manere, id est peccare, eiusdem periculi metu. AB *illis* } a Pompeianis. SI *peccaro* } si in Italia mansero. AB *hoc* } a Caesare. SI *recte fecero* } si ad Pompeium iuero. VT *non sit dubium &c.* } ut sine ulla dubitatione turpitudinem, quae est in mansione posita, fugere debeamus, eo magis, quod ne mansio quidem periculo uacat: quae uel si salutaris esset, ob turpitudinem tamen consilium caperem discedendi. NON *simul* } obiectio. OMNINO } responsio. FEFELLIT *ea res* } decepit, induxit. id caussae, inquit, fuit, ne simul cum Pompeio mare transierim, quod pacem existimans fore, ueritus sum, ne deinde Caesar ob transitionem mihi esset inimicus. ep. XI. I.S. FORTASSE *non debuit* } fortasse non tanti apud me istaec suspicio esse debuit, ut propterea Pompeium, de me optime meritum, desererem. CVM *idem* } cū eodem tempore. uidebam enim, si pax esset, Caesarem, & mihi fore iratum, & eundem Pompeio amicum. SENSERAM } Clodianis temporibus: cum Pompeius ideo me noluit defendere, ne Caesarem offenderet. cuius temporis similitudinem pertimui. ep. 4. IIDEM } coniuncti, eiusdem uoluntatis. AVGVRIA *quoque me incitant* } ad discessum. auguror enim spe non dubia, nullo modo stare posse Caesarem diutius, etiam nobis languentibus. AB *Appio* } Bessarionis, & Tertij scripti libri, Ab Athico. & quoniam hi libri saepe pro Atticus habent Athicus, ut in hoc ipso ambitu, Et tamen mi Athice: putaui minore mutatione legi posse, Attio, quam, Appio: ut de Attio Nauio intelligatur, qui, Tarquinio Prisco Romae regnante, auguralem scientiam summum in honorem adduxit, de quo l. 1. de Diuinatione his uerbis: Quis ueterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Nauio regionum facta descriptio? qui cum propter &c. Liuius quoque lib. 1. Explano igitur, Non haec collegij nostri ab Attio, non haec auguralis collegij ab Attio deriuata, sed illa a Platone sumpta, qui scripsit non diuturnam esse posse tyrannorum dominationem. FLORENTIS, *ac nouos, ut uti diebus* } quoniam ab impressis libris scripti ne littera quidem dissentiunt, tentemus num elicere correctionem e coniectura possimus, ita ut ab antiqua scriptura quam minimum discedatur. sic igitur fortasse corrigendum: Florentiss. ac nouus VI. VII. diebus: id est, Florentissimus ac nouus sex septem diebus. ut, sex septem, dictum sit, pro, sex septemne: quemadmodum dixit Horatius, Si quadringentis sex septem millia desunt. Plebs eris. cum paucos omnino dies Caesar in urbe moratus in Hispaniam contra Pompeij legatos contenderit. quod ex ipsius Commentarijs de bello ciuili planum fit. IPSI *illi* } quae antea eum spe licentiae, rerumq. nouarum dilexerat. ep. 3. lib. 7. IN *Metello* } cui mortem cum sit minatus, ostendit superiorem mansuetudinem non naturalem fuisse, sed simulatam. IN *aerario* } cum ex aerario pecunias abstulit, indicauit falsum esse id, quod antea simulauerat, affluere se diuitiis. quare, cum ab eo & caedes, & rapinae timeantur; ex metu odium creabitur, ex odio autem ea, quae ceteris tyrannis euenerunt. epistola 4. PATRIMONIVM *suum* } nam & Antonius, & Curio, & Dolabella, Caesaris socij, magno omnes aere alieno op-

pressi. Fefellerit, } haec opinio de Caesaris non diuturno regno. Tulerunt } ibo, inquit, ad Pompeium eo libentius, quod Caesarem puto, etiam languentibus nobis, diutius stare non posse. quod me si fallet, aliterq., atque ego auguror, acciderit; feram, ut multi excellentes in rep. uiri; quos fefellerūt ea, quae putarant: ideoque & Themistocles, & Africanus, & C. Marius in eos casus inciderunt, quos uitassent, si nihil illos fefellisset. Nisi *forte* } nisi tu id censes, quod censere nequaquam debes, non esse mihi de discessu cogitandum; ut potius, Sardanapali exemplo, in patria, & in meo lectulo iners, ingloriusq. moriar, quam, ut Themistocles, in exsulio. Sardanapali *uice* } ut Sardanapalum, instar Sardanapali. Tacitus lib. 4. Qui omnia facta dictaq. eius uice legis obseruent. Suetonius in Nerone: Vice mundi circumagi cenationem. In *suo lectulo* } pro, in meo. Graecum loquendi genus. nam ἑαυτοῦ ualet, sui ipsius. non igitur legendum, Meo, quod uideo placuisse uiris doctis: sed accipiendum, Suo, pro meo, more Graeco, ut dixi. Sic & Pompeius in epistola ad consules locutus est, lib. 8. ep. 6. Nunc, ut ego non sciebam, sua sponte intelligere scio, quanti reip. intersit, omnes copias in unum locum primo quoque tempore conuenire. Sua sponte, pro ipsa re, tua sponte, me non monente, dixit. quamquam & hic sine caussa mutatum erat, Sua, in Tua. Accedit consensus ueterum librorum, in quibus uideo scriptum esse, Sua sponte. Exsulio *Themistocleo* } pulsus inuidia ciuiū, ad Artaxerxem, Persarum regē, exsul Themistocles confugit. Plutarchus. Qui } res interdum Cicero attendit potius, quam uerba, ut hic: nam, Qui, coniungi non potest cum, Exsulio Themistocleo: cum sint diuersa genera: sed quia, Themistocleo, nihil aliud quam, Themistoclis, significat, propterea, ut dixi, rem spectans Cicero, non uerbum, intulit, Qui. Ait } lib. 1. historiae. Lacedaemoniorum } quos publico Graeciae consilio cum offendisset, post ab iis accusatus est apud Athenienses, quod societatem cum rege Persiae occulto coiuisset. Plutarchus, Iustinus. Suorum *ciuium* } a quibus in exsulium actus est. Artaxerxi } cui de subigenda Graecia pollicitus, postea cum uideret praestare non posse, uoluntaria morte, ueneno sumpto; uitam finiuit. Plutarchus. Illa *nox*. } Africanus minor, mane in cubiculo suo mortuus repertus, putatur suorum scelere sublatus, maxime Semproniae uxoris, cuius fratrem Ti. Gracchum, in concione interrogatus, dixerat, iure sibi caesum uideri. quod profecto numquam dixisset, si talem exitum prouidisset. ergo & eum, sapientissimum uirum, aliquid fefellit, fefellit & C. Marium; qui cum L. Sulla numquam profecto contentionem suscepisset, si diem illum, quo urbe pulsus est, mentis acie prouidisset. Perpetua } πλείων χρόνος ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε ἐκεῖ γὰρ αἰεὶ κείσομαι: inquit apud Sophoclem Antigone. Maturius } si acciderit, ut ante, quam iste corruat, ego peream; mea non multum interierit utrum, &c. Iidem uiri docti hoc referunt ad Caesaris necem: quod miror: cum sententia pateat ex eo: Mea non multum interierit, &c. Vt *iis pareum*, } ut Caesaris imperio me summittam, cum imperium mihi contra eum senatus dederit. fam. epistola 10. libr. 16. & in oratione pro Deiotaro, & Caesar de bello ci. lib. 1. Domesticas *tricas* } propter rem familiarem a uiro suo Dolabella male gubernatam. fam. epistola 16. libro 2. στοργῆς. *&c.* } quamuis eximia sit eius in nos pietas, & amor, ideoq. metu periculorum, quae mihi ad Pompeium eunti uideor impendere, uehementer moueatur; ire tamen uult, &, quid rectum sit magis, quam quid utile, considerat. Ex *Italia* } exiturum. Antonio } quem Caesar, in Hispaniam contra Pompeij legatos proficiscens, Italiae praeesse uoluerat. Plutarchus. Nolle } me. hoc est Antonio dicendum. Quam *putas*, } quia Clodio intimus fuerat Antonius in tribunatu. Philipp. 2. Rumorem } quod de tua ad Pompeium profectione audiuimus. Dolabellam } generum tuum, qui nobiscum est. A ζηλοτυπία *mea* } quia moleste tuli te augurem creatum, cum me eiusdem honoris cupiditas atque amor teneret. Phil. 2. Iniuria *tua* } non. n. ea caussa petisti auguratum, ut iniuria me afficeres. itaque, cum ob eam rē quaedā consecuta sit offensio, nata non ab iniuria tua, quae nulla fuit, sed a ζηλοτυπία mea, qui eundem honorem concupieram, danda mihi opera est, ut omnia tibi studia officiaq. praestem; ne uidear ex illius temporis memoria tibi esse infensus; cum intelligam, & fatear, nullam mihi a te iniuriam esse factam. non enim appellare possum iniuriam, quia tu petieris id, quod ego cupiebam. Tibi *omnia integra ser ues*, } sustineas te, &, ut adhuc fecisti, neutram in partem inclines. Eius *fidem improbes*. } Pompeio ne te credas. Inivriam *fecit*. } cum inimicum tuum Clodium contra ius amicitiae aduersus te armauit: ut eius opera pulsus in exsulium uideatis. noli igitur spectare tam beneficium, cum te restituit, quam iniuriam, cum eiecit. Etsi *non amabit*, } tacitae Ciceronis obiectioni respondet, uerentis, ne se Caesar, eius partes non sequentem, non amaret: nam Antonius id tantum petebat, ne Cicero iret ad Pompeium, non ut Caesarem sequeretur. Non *potest* } fieri non potest, ut te non amet. Hominum *fama* } de tua profectione ad Pompeium. Periculi *caussa* } alijs bellis ciuilibus cum nonnulli nihil melius putarent, quam ab omni contentione abesse; tamen, quia ducem alterutrius partis sibi scirent esse inimicum, uictorem timentes contrariam partem adiuuent. quod tibi faciendum non est: qui ex superioris meae uitae testimonio scis me crudelitatem non amare, praetereaq. tibi esse amicum. Adventus } non est epistolae principium, sed pars, ut fit, addita. dixit enim iam, aduenisse Philotimum, initium autem huius satis longae epistolae illud est, Et res ipsa me monebat. Exanimavit: } quia, cum pro certo haberemus, Caesarem in Hispaniam proficiscentem itinera tardius facere coepisse, Petreium cum Afranio copias coiunxisse, ipse nihil attulit eiusmodi. quod eo credendum magis est, quia scimus eum solere saepe pro Pompeio mentiri. Volare *dicitur* } ut nunc audimus, contra quā nobis erat persuasum. Coniunxisset: } & hoc ad illud refertur; Dubitauit nostrū nemo,

mo,quin.quod igitur utrumque certum putabamus, id aliter esse,e Philotimi sermone cognouimus. IN *Germaniam* } inde Galliam petiturum,ut Caesarem auerteret ab Hispania.epist.6.quod Philotimi sermone non confirmatur, MELITAM } uide ep.6. DVM, *quod in Hispania* } dum sciamus, quod in Hispania actum sit. VNICAM *filiam* } Vnicum filium, uidetur legendum ex epistola Coelij. PVERI *nostri* } meus,& fratris filius. DE *dignatione* } de dignitate, de honesto. Bessationis tamen liber,De dignitate,habet aperte, & potest sane suspecta uox esse Dignatio;cum alibi nusquam,quod meminerim,in Cicerone reperiatur.etsi,quod ad sententiam attinet,Dignatio magis placet,quam Dignitas,quae non conuenit,in puerum. SI *quid ab Afranio.* } si quid ex Hispania: quam Afranius,Pompeij legatus,cum duobus collegis administrabat. CREDENDO } si permittit,ut ex Italia discedam; caute tamen credam. OCCVLTANDI } consilij mei de discessu. SERVIVM } Sulpicium. epist. 6. POSTVMIA, *& Seruij filij.* } fateor,qui sit uerborum ordo,me non uidere:& ob hanc caussam,& quia Bessarionis liber pro,& Seruij,habet,Scim.suspicor de mendo. QVARTANAM } qua diu grauiter laborasti. EXANIMATVS } affectus incredili dolore,qualem ferunt,qui exanimantur. epist. 15. libro 9. TVIS *litteris* } quae non exstant. multas enim perijsse constat. Tiro libertus,quas reperit, in uolumina retulit: quae ad aetatem nostrã peruenerunt. APERVISSE }non perscripsisti, quid esset, quod cogitares;significatione tamẽ quadã ostẽdisti. PER *fortunas tuas* }usurpatur hic loquẽdi modus cũ dolore, aut certe cũ summa cupiditate obsecrãtis.ut fam.ep.1.l.14.Per fortunas miseras nostras,uide ne puerũ perditũ perdamus.Et ep.11.& 13.l.5.NE *quid grauius de salute tua consulas* }ne quid statuas,quod saluti tuae non expediat.QVALIS *futura esset.* }explanatur hoc eo,quod sequitur,Nihil nisi atrox,& saeuum cogitat. Huic sententiae respondit ipse Cicero his uerbis ep.16.lib.2.fam. Nec me ista terrent, quae mihi ad te ad timorẽ fidissime,atque amantissime proponuntur. EANDEM *rationem fore Caesari* } ita lenem fore Caesarem in salute aduersarijs tribuenda,ut fuit in condicionibus de pace. tulerat enim illam condicionem, ut ipse, & Pompeius exercitus traderent.epist.14. IRATVS *senatui* } quia non obtinuisset, ut legati ad Pompeium de pace mitterentur,& quod,quascumque res agere instituerat,L.Metellus tribunus pl.intercedens impedierat. de quo scripsit Caesar l.1.de bel.ci.& Plutarchus in eius uita. EXIIT } urbe,iturus in Hispaniam contra Pompeij legatos, ipso iam Italia pulso. INTERCESSIONIBVS } L. Metelli tribuni pl.de quo sic l.1.de bel.ci.Subijcitur L.Metellus tribunus pl.ab inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat,reliquasq. res,quascumque agere instituerat, impediat.cuius cognito consilio,Caesar,frustra diebus aliquot consumptis,ne reliquum tempus omittat,infectis ijs, quae agere destinauerat,ab urbe proficiscitur.Intercessionis caussam,quam referre Caesar in suos Commentarios noluit,exponit Dio l.41.quod, cum ferretur lex, ut promere pecuniam ex aerario Caesari liceret, intercessit L. Metellus,tribunus pl.qui,cum intercessionem uideret,aerarij ianuam custodire coepit: sed milites,effracta sera,aditum ad pecunias Caesari dederunt.Plutarchus Caesarem, obsistenti Metello ne pecunias ex aerario sumeret,mortem minatum esse,tradit.subscribit Appianus.nec aliter ipse Cicero ep. 4. Iracundia elatum,inquit,uoluisse occidi Metellum. SI *tibi tu,si filius unicus.* } hanc partem, miserabiliter scriptam,non sine magno fletu lectam esse a duobus pueris Ciceronibus, Attico significauit his uerbis lib.10.Lacrumae meorum me interdum molliunt,precantium,ut de Hispanijs exspectetur. M.Coelij quidem epistolam,scriptam miserabiliter,quae hoc idem obsecraret,ut exspectarem,ne fortunas meas, ne unicum filium,ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri. DOMVM } Domũ posuit pro domesticis,ut ep.14.l.6.Domus te tota salutat. SI *aliquid apud te nos,* } rogo te pro eo,quanti apud te sum. GENER *tuus* } Dolabella,qui apud Caesarem erat. SEQVERE *eam caussam* } adiunge te ad Caesaris caussam. SALVA *nostra* } mea,& Dolabellae. NE *aut odisse* } subaudi:eam caussam,cuius ex uictoria salus nostra pendet. Totum hunc locum emendaui ex antiquis libris, Bessarionis,& Tertij. IMPIAM *cupiditatem* } nam si cupimus eam uictoriam, in qua salus nostra posita est;simul perniciem cupimus eorum, qui Pompeium sequuntur. quo tu in numero si fueris,cogemur impie cupere contra salutem tuam. QVOD *offensae fuerit* } si uereris,ne,in Italia si remanseris,Pompeium offendas:cogita, te,cum nondum ad eum transieris,hac cum cunctatione iam offendisse. quidquid esse potuit apud eum offensae,id subijsti,quia cunctatus es, nec ad eum statim accessisti. VICTOREM } Caesarem. DVBIIS *rebus* } cum adhuc Pompeius in Italia consisteret. FVGATOS } iam in Graeciam Pompeius fugerat. PARVM *optimatem esse* } parum officio fungi boni ciuis. QVID *optimum sit* } quid tuae,tuorumq. saluti plurimum conducat. TOTVM } ne omnino ad Pompeium transeas. DE *Hispanijs* } eiecto Italia Pompeio,statim ad urbem,deinde in Hispanias contra eius legatos profectus est Caesar. HOC } uelle te ad Pompeium nauigare. OPTIMATIVM } Ciceronem reprehendentium,quod Pompeium,& consules,id est ipsam remp.deseruisset.ep.16.l.8.& 2.l.9. INSOLENTIAM } quorundam Caesarianorum, qui,quasi iam parta uictoria,ita se insolenter efferant, ut ferre uix possis.Cicero respondit: Nosti non modo stomachi mei,sed etiam oculorum in hominum insolentium indignitate fastidium.ep.16.lib.2.fam. IACTATIONEM } qui se insolenter iactant,quasi deuictis Pompeij partibus. VACVVM *a bello* } idem suasit gener eius.Dolabella.fam.ep.9.lib.9. DVM *haec decernuntur* } dum haec armis diiudicantur,ad exitum perducuntur.Sic Virg.

„ Decernere bello.

Cicero S. D. Attico 8.

ME caecum qui haec ante non uiderim. misi ad te epistolam Antonij. & cum ego saepissime scripsissem, nihil me contra Caesaris rationes cogitare; meminisse me generi mei, meminisse amicitiae; potuisse, si aliter sentirem, esse cum Pompeio; me autẽ, quia cum lictoribus inuitus cursarem, abesse uelle, nec id ipsum certum etiam nunc habere: uide, quam ad haec τυραννικῶς.

Tuum consilium quam uerum est, nam qui se medium esse uult, in patria manet: qui proficiscitur, aliquid de alterutra parte iudicare uidetur. sed ego is non sum, qui statuere debeam, iure quis proficiscatur, nec ne partes mihi Caesar has imposuit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. quare parui refert me probare cogitationem tuam, si nihil tamen tibi remittere possum. ad Caesarem mittas, censeo, & ab eo hoc petas. non dubito, quin impetraturus sis, cum praesertim te amicitiae nostrae rationem habiturum esse pollicearis.

Habes σκυτάλην λακωνικήν. *omnino excipiam hominem. erat autem V. non. uenturus uesperi, id est hodie. cras igitur ad me fortasse ueniet. tentabo audeam, nihil properare. missurum ad Caesarem clamabam. tũ paucissimis alicubi occultabor. certe hinc istis inuitissimis euolabo, atque utinã ad Curionẽ.* σὺν θεῷ τοι λέγω. *magnus dolor accessit. efficietur aliquid dignum nobis.* δυσουρία *tua mihi ualde molesta. medere amabo dum est* ἀρχή. *De Massiliensibus gratae tuae mihi litterae. quaeso, ut sciam, quidquid audieris, Siciliam cuperem si possem palam: quod a Curione effeceram. Hic ego Seruium exspecto: rogor enim ab eius uxore, & filio: & puto opus esse. Hic tamen Cyteridem secum lectica aperta portat, altera uxorem. septẽ praeterea coniunctae lecticae amicarum. hae sunt amicorum. uide, quam turpi leto pereamus. & dubita, si potes, quin ille seu uictus, seu uictor redierit, caedem facturus sit. ego uero uel lintriculo, si nauis non erit, eripiam me ex istorum paricidio. Sed plura scribam, cum illum conuenero. Iuuenem nostrum non possum non amare: sed ab eo nos non amari, plane intelligo. nihil ego uidi tam* ἀνηθοποίητον, *tam auersum a suis, tam nescio quid cogitans. uim incredibilem molestiarum. sed erit curae, & est, ut regatur. mirum est enim ingenium:* ἤθους ἐν μαντείῳ.

EXPLANATIO

ME *caecum,* } qui ante non uiderim ea, quae nunc uideo, istos non daturos, ut ex Italia arbitratu meo exire possem. stulte igitur cunctatus sum. σκυτάλην } epistolam; quae occulte significet, profectionem ex Italia mihi ab eo non dari. GENERI *mei,* } Dolabellae, qui erat in partibus Caesaris. AMICITIAE } quae illi cum ipso Caesare summa erat. SI *aliter sentirem* } si Caesaris amicus non essem. ESSE *cum Pompeio,* } cum in Graeciam transiit. CUM *lictoribus* } quos ut proconsul retinebat. nondum enim urbem introierat: quia forte sperabat, ut ob res in Cilicia gestas triumphãs ingrederetur. quod ei propter bellum ciuile non contigit: interea, ductus ea spe, lictores laureatos cum imperio retinebat. INUITUS } ob sermones maleuolorum, hominis ambitionem, stultamq. cupiditatem notantium, qui, rep. ciuilibus armis perturbata, de triumpho cogitaret. itaque epistola 16. lib. 2. fam. Incurrit, inquit, haec nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam in uoculas maleuolorum. CURSAREM, } cursare non cursum, sed crebrum motum hic significat. quis enim, uirum consularem, & adhuc proconsulem, imperio & laureatis lictoribus ornatum, cucurrisse credat? est igitur, Cursare, huc illuc ire: quod etiam dicitur de ijs, qui lectica gestantur: quos certe currere nemo dixerit. epistola 1. lib. 7. fam. Ut mecum nostra simul lecticula concursare possis. Simile illud epistola 1. lib. 1. ad Lentulum: Libonis, & Hypsaei non obscura concursatio, & contentio. Quoniam igitur in ijs, qui crebro mouentur, & loci mutatione delectantur, est quaedam currentium similitudo; propterea uerbum, Cursare, ad eos etiam, qui properant in agenda re, translatum est. ABESSE *uelle* } non dicit aperte, ex Italia se uelle discedere: ne laedat animum Antonij: sed, abesse uelle: quasi latebram aliquam, in qua cum lictoribus occultari possit, uel in Italia, uel extra Italiam quaerat. ita, sermone dubio, relata in lictores caussa, facilius impetrare se posse cogitabat. sed eius consilium Antonius nõ ignorans, expressit in suis litteris, quod Cicero occultauerat. rescripsit enim: Partes mihi Caesar has imposuit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. Eodem modo ad Coelium, uoluntate dissimulata, scripsit Cicero epistola 16. lib. 2. fam. Eo si onere carerem, quamuis paruis Italiae latebris contentus essem. NEC *idipsum certum etiam nunc habere;* } dissimulat properationem suam; ne uideatur itionem in Graeciam cogitare. Τυραννικῶς. } primum, quia rescripsit libere, quid sentiret de Ciceronis uoluntate: deinde, quia, se non esse permissurum, ut ex Italia discederet, ostendit. TUUM *consilium quam uerum est* } cum ironia dictum: in quo quaedam uidetur esse contemptio: & huc etiam spectat uerbum, Τυραννικῶς. Quis credat, inquit, eum esse tuum sensum, quem significas? idest, nihil te contra Caesaris rationes cogitare &c. NE *quem omnino* } excepto nemine. Omnino, otiosum non est, sed comprehendit omnes, ut Ciceroni spem adimat impetrandi. PARUI *refert, me probare cogitationem tuam,* } quam tamen se non probare, primis epistolae uerbis declarauit. NON *dubito, quin impetraturus sis.* } abesse non uidetur ironia. AMICITIAE *nostrae* } quae tibi & cum Caesare, & mecum, est. Cicero de Caesaris

ſaris tantum amicitia,ut opinor,locutus erat;Antonius accipit,quaſi de ſua quoque dictum ſit. ep. 23. lib.16.fam. Σκυτάλαν λακωνικὴν. } breuem epiſtolam,quales occultis, grauibuſq. de rebus Lacedaemonij ad imperatores ſuos, in loro ſcriptas,unde σκυτάλαι dictae,mittebant.uide Gellium lib. 17. c. 9. & Saidam. OMNINO } hoc uerbo utitur,ut ſibi deliberatum oſtendat, eum exſpectare,cuius tamen congreſſum libenter uitaret. EXCIPIAM } non dicit,Occurram,ſed,hic eum exſpectabo, non diſcedam. VENTVRVS } in Miſenum. AD *me* } dignitas proconſulis Ciceronis,ut ad eum iret Antonius, poſtulabat. TENTABO *audeam &c.* } utinam,quam facile mendum uidemus, itidem corrigere liceret: conandum tamen,ſi nihil aliud,ut aliorum excitentur ingenia.Hic fortaſſe legendum,& diſtinguendum hoc modo.Tentabo:aut dicam,nihil properare,miſſurum ad Caeſarem.clam ibo.cum pauciſſimis alicubi occultabor.Vel tentabo,inquit,ut praeſens impetrem ab Antonio; quod per litteras impetrare non potui;uel,ſi reſponſum idem feram,dicam me nihil properare,miſſurum ad Caeſarem, quod ille ſuadet. deinde clam ibo,& pauciſſimis alicubi occultabor,eo conſilio, ut hinc omnino, uel iſtis inuictiſſimis,euolem. VTINAM *ad Curionem*, } in Siciliam.is enim Ciceronem admodum diligebat. Σὺν θεῷ. } fauente deo.hoc non ſeparatim lego,ſed cum ſuperioribus coniungo, & a ſequentibus disiungo.ſic enim ſe euolaturum confirmat, ſi modo adiuuet deus. τοὶ λέγω. } τοὶ pro σοὶ, Dorice. Tibi,inquit,dico:euolabo hinc certe,iſtis inuictiſſimis. MAGNVS *dolor* } ex litteris Antonij, negantibus id, quod petebam,ſcriptiſq. τυραννικῶς. ACCESSIT. } quaſi non exſpectatus.uel,Acceſſit,ad eum, quem ex malis reip.capio. Δυσουρία } urinae difficultas.quem ſibi moleſtum eſſe morbum aiebat Epicurus: ep.26.l.7.fam. Ἀρχῇ. } principium.inueteratum enim morbum non facile medicina tollit,naſcentem paruo negotio curat.Hinc Ouidius:

Principijs obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras,

DE *Maſſilienſibus* } qui portas Caeſari clauſerant. EFFECERAM } obtinueram a Curione,ut palam nauigare poſſem ep.4. SERVIVM } Sulpicium. ep. 6. & 7. OPVS *eſſe* } ut eius conſilia cognoſcam. forte enim & ipſe mecum exire uolet ex Italia.ep.6. HIC } M.Antonius. CYTHERIDEM } mimam, quam amabat.haec eſt,de qua Virgilius,

-tua Galle Lycoris.
Perq.niues alium,perq.horrida caſtra ſecuta eſt.

quo loco uide Seruium & Philip.2.VXOREM } Fuluiam,quae fuerat uxor P.Clodij. HAE *ſunt amicorum* } ad ſatiandam amicorum libidinem. REDIERIT } Caeſar ex Hiſpania. ILLVM } Antonium. IVVENEM *noſtrum* } Quinctum filium. MOLESTIARVM } publicis enim domeſticae iunguntur.

Cicero S. D. Attico. 9.

OBSIGNATA iam epiſtola ſuperiore, non placuit ei dare,cui conſtitueram, quod erat alienus: itaque eo die data non eſt. interim uenit Philotimus, & mihi a te litteras reddidit: quibus quae de fratre meo ſcribis, ſunt ea quidem parum firma, ſed habent nihil ὕπουλον, *nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil, quod non, quo uelis, uno ſermone poſſis perducere. ne multa, omnes ſuos, etiam quibus iraſcitur crebrius,tamen caros habet,me quidem ſe ipſo cariorem. Quod de puero aliter ad te ſcripſit, & ad matrem de filio,non reprehendo.De itinere, & de ſorore,quae ſcribis, moleſta ſunt, eoq. magis, quod ea tempora noſtra ſunt, ut ego his mederi non poſſim: nam certe mederer. ſed quibus in malis, & qua in deſperatione rerum ſimus, uides. Illa de ratione nummaria non ſunt eiuſmodi, (ſaepe enim audio ex ipſo) ut non cupiat tibi praeſtare,& in eo laboret.ſed ſi mihi Q. Axius in hac mea fuga* HS XIII. *non reddit, quae dedi eius filio mutua,& utitur excuſatione temporis; ſi Lepta, ſi ceteri: ſoleo mirari, de neſcio queis* HS XX. *cum audio ex illo ſe urgeri. uides enim profecto anguſtias. curari tamen ea tibi utique iubet. an exiſtimas illum in iſto genere lentulum, aut reſtrictum? nemo eſt minus. De fratre ſatis.de eius filio indulſit illi quidem ſuus pater ſemper; ſed non facit indulgentia mendacem, aut auarum, aut non amantem ſuorum ferocem fortaſſe,& arrogantem,& infeſtum facit. itaque habet haec quoque,quae naſcuntur ex indulgentia:ſed ea ſunt tolerabilia:(quid enim dicam,hac iuuentute?) ea uero, quae mihi quidem,qui illum amo,ſunt his ipſis malis, in queis ſumus,miſeriora,non ſunt ab obſequio noſtro,non:ſuas radices habent:quas tamen euellerem profecto,ſi liceret. ſed ea omnia mihi ſunt patienda. ego meũ facile teneo. nihil eſt enim eo tractabilius. cuius quidem miſericordia languidiora adhuc conſilia cepi: & quo ille me fortiorem uult eſſe, eo magis timeo, ne in eum exiſtã crudelior. Sed Antonius uenit heri ueſperi. iã fortaſſe ad me ueniet,aut ne id quidem,quoniam ſcripſit,quid fieri uellet. ſed ſcies continuo, qui actum ſit. Nos iam nihil, niſi occulte. De pueris quid agam? paruo ne nauigio committam? quid mihi animi in nauigando cenſes fore? recordor enim, aeſtate cum illo Rhodiorum* ἀφράκτῳ *nauigans, quam fuerim ſollicitus. quid, duro tempore anni,actuariolo fore cenſes? o rem undique miſeram. Trebatius erat mecum,uir plane, & ciuis bonus. quae ille monſtra,dij immortales. etiam ne Balbus in ſenatum uenire cogitet? ſed ei ipſi cras ad te litteras dabo.Vectenum mihi amicum, ut ſcribis, ita puto eſſe cum eo,quod* ἀποτόμως *ad me ſcripſerat de nummis curandis,* θυμικώτερον *erat. id tu, ſi ille aliter acceperit, ac debuit, lenies. Monetali autem adſcripſi, quod ille ad me,Proconſuli: ſed quoniam eſt homo,& nos diligit, ipſe quoque a nobis diligatur. Vale.*

EXPLA-

EXPLANATIO

ALTERVM *ad te* } de Quincto filio non idem ad te scripsit, quod ad matrem, sororem tuam: & recte: dolorem enim illi dedisset commemorandis filij uitijs. Obseruandum Latine dici Aliter &, Aliter ut, Aliter ac, Aliter atque. DE *itinere, & de sorore* } de itinere Quincti filij, & de sorore tua a uiro suo, fratre meo, dissentiente. neque sane umquam inter eos conuenit. epist. XI. lib. 4. PRAESTARE } soluere. epist. 17. lib. 7. HAEC *quoque* } ferociam, & arrogantiam. NESCIO *queis* } pro, nescio quibus. quo modo & Virgilius lib. 1. Aeneid. dixit, Queis ante ora patrum. & Varro lib. 1. de re rustica: In queis quae non inerunt. Et Cato cap. 68. Queis usus erit. Et c. 11. 26. EA *uero* } quod sit mendax, quod auarus, quod suorum non amans. NON *sunt ab obsequio nostro, non; suas radices habent.* } sunt enim uitia a natura profecta. epist. 6. Alij Nam suas radices habent. ego, secutus Bessarionis librum, reposui, Non. & sane ἔμφασις haud paullo maior est, si legatur sic; Non sunt ab obsequio nostro, non; habent suas radices. Qua figura & in oratione de haruspicum responsis usus est, cum in Clodium inuehens, Non ignouit, inquit; mihi crede, non: nisi forte tibi ignotum putas, quod te iudices dimiserunt excussum, & exhaustum, suo iudicio absolutum, omnium condemnatum. Et in epistola Bruti: Vtiam ista, quae facit, non dominationem, non, sed dominum Antonium timentis sint. Item Varro rerum rusticarum lib. 3. cap. 2. Non tibi decoquet, non, ornithon. Quem locum qui se corrigere crediderunt, deprauarunt, ignoratione sermonis non modo Latini, uerum etiam Graeci. ait enim Sophocles in Aiace: δεινὰ τέθνηκεν οὗτος οὐ κείνοισιν, οὔ. Vis eadē sentitur in dictione, Nihil: ut in Agraria. 2. Nihil sibi appetit praecipue Pōpeius, nihil. LANGVIDIORA *consilia* } arma cum Pompeio non sumpsi, ne filij fortunas in discrimen adducerem. FORTIOREM *uult esse* } uult me ad Pompeium nauigare, quia nihil, nisi de dignatione, laborat. epist. 7. CRVDELIOR } illius rationibus male consulens. Pompeianorum enim filij, si Caesar uincit, parentum poenas luent. VENIT } ad Misenum. epist. 7. SCRIPSIT } se non passurum ex Italia quemquam exire. epist. 8. AESTATE } cum pueris in Italiam ex Cilicia reuertens. MONSTRA } ut de Balbo in senatum uenire cogitante. ET *ipsi* } Trebatio. Ἀποτόμως } quia diem soluendae pecuniae nimis stricte definierat. ep. 13. *θυμικώτερον erat* } stomachosius ad eum scripseram. MONETALI } quod monetam nimis amaret. in quo tum familiariter iocatus, quia & ipse ad me scribens, adscripserat, Proconsuli, non, ut debuit, Imperatori. EST *homo* } ut humanis errauit.

Cicero S. D. Attico. 10.

QVIDNAM mihi futurum est? aut quis me non solum infelicior, sed iam etiam turpior? nominatim de me sibi imperatum dicit Antonius: nec me tamen ipse adhuc uiderat, sed hoc Trebatio narrauit. Quid agam nunc, cui nihil procedit, caduntq. ea, quae diligentissime sunt cogitata, taeterrime? ego enim Curionem nactus, omnia me consecutum putaui. is de me ad Hortensium scripserat. Reginus erat totus noster. huic nihil suspicabamur cum hoc mare negotij fore. quo me nunc uertam? undique custodior. sed satis lacrumis. παρακλευτέον igitur, & occulte in aliquam onerariam corrependum: non committendum, ut etiam eō pacto probibiti uideamur. Sicilia petenda: quam si erimus nacti, maiora quaedam consequemur. sit modo recte in Hispanijs. quamquam de ipsa Sicilia utinam sit uerum: sed adhuc nihil secundi. concursus Siculorum ad Catonem dicitur factus; orasse, ut resisteret; omnia pollicitos: commotum illum, delectum habere coepisse. non credo, ut est luculentus auctor. potuisse certe tenere illam prouinciā scio. ab Hispanijs autem iam audietur. Hic nos C. Marcellum habemus, eadem de re cogitātem, aut bene simulantem. quamquam ipsum non uideram, sed ex familiarissimo eius audiebam. tu, quaeso, si quid habebis noui. ego, si quid moliti erimus, ad te statim scribam. Quinctum filium seuerius adhibebo. utinam proficere possem. tu tamen eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito, ne quando quid emanet: ego item tuas. Seruium exspecto, nec ab eo quidquam ὑγιές. scies, quid erit. Sine dubio errasse nos, cōfitendum est. at semel? at una in re? immo omnia, quo diligentius cogitata, eo facta sunt imprudentius. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ: in reliquis modo ne ruamus. iubes enim profectionem meam prouidere. quid prouideam? ita patent omnia, quae accidere possunt, ut, ea si uitem, sedeudum sit cum dedecore, & dolore; si negligam, periculum est, ne in manus incidam perditorum. sed uide, quantis in miserijs simus. optandum interdum uidetur, ut aliquam accipiamus ab istis quamuis acerbam iniuriam, ut tyranno in odio fuisse uideamur. quod si nobis is cursus, quem sperarā, pateret; effecissem aliquid profecto, ut tu optas, & hortaris, dignum nostra mora: sed mirificae sunt custodiae: & quidem ille ipse Curio suspectus. ui, aut clam agendum est: &, si ui, forte ne cum tempestate: clam autem, istis. in quo si quod σφάλμα, uides quam turpe est. trabimur: nec fugiendum, si quid uiolentius. De Caelio, saepe mecum agito; nec, si quid habuero tale, dimittam. Hispanias spero firmas esse. Massiliensium factum cum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est, recte esse in Hispanijs. minus enim auderent, si aliter esset. & scirent. nam & iuncti, & diligentes sunt. Odiū autem recte animaduertis significatum theatro. Legiones autem bas, quas in Italia assumpsit, alienissimas esse uideo: sed tamen nihil inimicius, quam sibi ipse. illud recte times, ne ruat, si desperarit. certe ruet. quo magis efficiendum aliquid est, fortuna uelim meliore,

animo Coeliano. sed primum quidque: quod, qualecunq. erit, continuo scies. Nos iuueni, ut rogas, suppeditabimus, & Peloponnesum ipsam sustinebimus. est enim indoles: modo aliquid hoc sit ἦθος AKIMOΔON: quod si adhuc nullum est, esse tamen potest: aut ἀρετὴ non est διδακτὸν: quod mihi persuaderi non potest. Vale.

EXPLANATIO

IMPERATVM } ne me patiatur exire ex Italia. CVRIONEM *nactus* } quia, Curionem nactus, effeceram ut per eius prouinciam palam nauigare possem; omnia me consecutum putabam: nunc uideo me nihil egisse, quoniam custodior undique, ne discedam. epist. 4. AD *Hortensium* } ut, quoniam inferi maris pars ei commissa esset, meam nauigationem ne impediret. REGINVS } & hic infero mari praeerat. liberam igitur Cicero suam nauigationem putarat fore, cum neque Curio, neque Hortēsius, neque Reginus impedimento futuri essent. id contra cecidit. nam Antonius & ipse eius maris curam postea suscepit, qui exitus ex Italia non dabat. HVIC } nullam, inquit, apud Antonium huius maris curam suspicabar futuram. COMPACTO } in omnibus libris, Cum pacto. ego coniectura, sum adductus, ut emendarem, Compacto, hoc sensu, Occulto hinc cogito discedere, ne meam profectionem Caesariani rescissant. nam id si accideret, suspicari Pompeius posset, accidisse me uolente, qui palam profectus essem, ut impedirer. non committendum igitur est, ut uidear compacto prohibitus. Compacto, dixit, idest consulto, & dedita opera. qua uoce Plautus saepe in hūc sensum usus est. MAIORA *quaedam* } inde enim tuta erit in Graeciam nauigatio. epist. 4. QVAMQVAM } quamquam fortasse Curio Siciliam amiserit. quod utinam ita sit. ADHVC *nihil secundi* } adhuc aduersa nobis omnia fuerūt, ut uix uidear posse credere, quod de Siculis audiui. RESISTERET } Curioni aduenienti. non restitit tamen, & prouincia cessit, ut est lib. 1. de bello ci. LVCVLENTVS *auctor* } is, qui haec dixit. ἀξιόπιστος. AVDIETVR } quid in eis actum sit. EADEM *de re* } de profectione ad Pompeium. Bessarionis liber, Eadem fere. SEVERIVS *adhibebo* } seuero uultu, ut mones, eum accipiam. QVIDQVAM ὑγιὲς } exspecto Ser. Sulpicium, nec tamen exspecto quidquam sani; idest, non puto eum, quod uiro dignum sit, esse facturum, neque mecum ex Italia exiturum. ERRASSE } qui cunctatus sim, qui non ante discesserim. PROVIDERE } non ruere, non temere discedere, sed omnibus rebus ante circumspectis. QVAE *accidere possunt*, } mihi, si discedam. possunt autem accidere mors, & fortunarum ruina. SEDENDVM } manendum in Italia. ISTIS } Caesarianis. EFFECISSEM } quod est a nobis hac nostra mora contractum culpae, id profectione ad Pompeium correxissem. SVSPECTVS } mihi: ut iter non audeam per eius prouinciam facere. epist. 4. VI. } statim, sine ulla mora, uel cum periculo. sed, aduersa tempestate, nollem. TRAHIMVR } honestum nos trahit ad Pompeium, nec, si quid nobis ob hanc caussam accidere possit acerbius, recusandum. MASSILIENSIVM *factum* } quod Caesari portas clauserunt. de bello ci. lib. 1. LVCVLENTVM } insigne, praeclatum. IVNCTI } quo modo, cum inter Massiliam & Hispaniam intersit magna pars Galliae Narbonensis? malim, Vicini. cum & liber Bessarionis habeat, Victi. ODIVM } in Caesarem. SIGNIFICATVM } a populo. ASSVMPSIT } Caesar. RVAT } in fortunas, uitamq. ciuium. epist. 8. DESPERARIT: } se posse Pompeium uincere. EFFICIENDVM } mihi. PRIMVM *quidque* } explicemus. fam. epist. 1. lib. 12. IVVENI, } Quincto filio. SVPPEDITABIMVS } praecepta ad uirtutem. PELOPONNESVM *ipsam* } qui difficilem prouinciam ceperunt, eos, ut sustineant quod susceperunt, hortamur his uerbis: Spartam nactus es, hanc orna. quod ij, quibus, ut Spartae nascerentur, contigisset, eniti uehementer deberent, ne tam nobili patria minus digni uiderentur. sed Cicero, qui regendum Quinctum filium, susceperat, non contentus, si Spartam diceret, Peloponnesum dixit, ut plus significaret; quoniam pars est Sparta Peloponnesi. Sustinebimus, inquit, quam suscepimus, non Spartam, sed Peloponnesum ipsam. INDOLES } in Quincto, quae spem afferat futurae uirtutis. ἦθος AKIMOΔON } quid, si, ἦθος ἄχιμον? ut hoc dicat: mores curari & sanari quamuis corrupti possunt. quod quamquam non est factum, fieri tamen potest: cum mihi persuasum sit, uirtutem disciplina tradi posse.

Cicero S. D. Attico. II.

EPISTOLA *tua gratissima fuit meae Tulliae, & mehercule mihi. semper secum aliquid afferunt tuae litterae. scribes igitur: ac, si quid ad spem poteris, ne dimiseris. Tu Antonij leones pertimescas caue. nihil est illo homine iucundius. attende πρᾶξιν πολιτικοῦ. Euocauit litteris e municipijs denos: & IV. uiri uenerunt ad uillam eius mane. primum dormijt ad horam tertiam: deinde, cum esset nunciatum, uenisse Neapolitanos, & Cumanos, (his enim est Caesar iratus) postridie redire iussit: lauari se uelle, & περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι. hoc heri effecit. hodie autem in Aenariam transire constituit. exsulibus reditum pollicetur. Sed haec omittamus. de nobis aliquid agamus. Ab Axio accepi litteras. De Tirone gratum. Vettienum diligo. Vestio reddidi. Seruius pridie non. Mai. Minturnis mansisse dicitur, hodie in Liternino mansurus apud C. Marcellum. cras igitur nos mature uidebit, mihiq. dabit argumentum ad te epistolae. iam*

enim

enim non reperio, quid tibi scribam. Illud admiror, quod Antonius ad me ne nuncium quidem, cum praesertim me ualde obseruarit. uidelicet (aut aliquid atrocius de me imperatum est) coram negare mihi non uult. quod ego nec rogaturus eram, nec, si impetrassem, crediturus. nos tamen aliquid excogitabimus. Tu, quaeso, si quid in Hispanijs, iam enim poterit audiri: & omnes ita exspectant, ut, si recte fuerit, nihil negotij futurum putent. ego autem nec, retentis his, confectam rem puto; neque, amissis, desperatam. Silium, & Ocellam, & ceteros credo retardatos. te quoque a Curtio impediri uideo. etsi, ut opinor, habes Scytha ὄνον. uitam miseram, maiusq. malum, tam diu timere, quam est illud ipsum, quod timetur.

EXPLANATIO

AD SPEM } cur bene sperandum sit de rep. ANTONII *leones* } de leonibus curru iunctis ab Antonio, sunt qui intelligendum putent. ac nos quidem his assentientes aliquandiu idem putauimus: sed postea quam, collatis temporibus, ueritatem historiae tamquam in trutina coepi perpendere, assensum sustinui. iunxit enim certe leones curru Antonius, ut Plutarchus, & Plinius docent, sed, ut ijdem tradunt, postquam in Pharsalicis campis dimicatum est, at uero hanc epistolam nondum confecto Hispaniensi bello scriptam esse, idest multis mensibus ante Pharsalicum proelium, tum ex ipsa, tum ex alijs epistolis supra infraq. scriptis dilucidum est. Leones igitur explano, quibus Antonius delectaretur: quod animi feritatem indicaret. IVCVNDIVS } potius enim mollem, iucundamq. uitam, quam mali quidquam, uidetur cogitare. πράξιν πολιτικοῦ } factum ciue dignum remp. administrante. εἰρωνικῶς. EVOCAVIT *ex municipijs denos: & IV. uiri uenerunt* } in municipijs decuriones erant senatus, quattuor uiri magistratus, ut Romae consules. quare scriptum olim existimo, x: quod erat, decuriones: sed imperitum librarium fecisse, denos. Quod attinet ad sententiam; absurdum uidetur, uocari decuriones, & quattuoruiros uenire. cur enim decuriones non ipsi potius, quam quattuoruiri, ueniant? aut cur non simul cum decurionibus quattuoruiri uocentur? his ego caussis, ut de mendo suspicarer, sum adductus. Et ut dicam, quod sentio: placeret hoc modo: Euocauit ex municipijs decuriones, & quattuoruiros. uenerunt ad uillam eius mane. Quod autem uiri docti mirantur, populi mentionem hic esse praetermissam: ualde mihi contra mirum accidit, eos iudicare, cum senatus, & qui summum gerunt magistratum, euocentur a Caesare, populum simul euocari necesse esse. At in municipijs populus fuit. Quasi uero hoc aliquis in dubium uocat, aut, quod iam uel pueris notum est, lapidum testimonia requirat: non enim sequitur, ut, quia populus est in municipijs, ideo cum decurionibus, & quattuoruiris euocari debeat. satis erat Antonio, cum senatu, & cum ipso senatum regente magistratu agere: de populo, & de minoribus magistratibus, laborandum non fuit. alioqui mirabimur similiter, cur Cicero lib. 13. Fam. cum Q. Hippium Fregellanis quattuoruiris, & decurionibus commendaret, non addiderit, Et populo. HORAM *tertiam* } ab exortu solis. semper enim & Nox duodecim erat horarum, & Dies: horae autem nocturnae per hiemem longiores, diurnae breuiores; aestate uero, contra. Atque hanc, quae ad horas pertinet, rationem uniuersam nemo tractauit patre meo peritius. exstat hac de re Commentariolus ab eo conscriptus, ad ueteres de re rustica libros apprime necessarius. IRATVS } quod hi praeter ceteros beneuolentiam in Pompeium ostendissent, uotis olim pro aegrotantis salute factis. epist. ulti. lib. 8. Tuscul. 1. & Plutarchus. EXSVLIBVS } lege Pompeia damnatis. epist. 4. GRATVM } quod eum Curio commendaueris. epist. 5. lib. 8. & 16. lib. 9. VECTENVM *diligo* } quoniam mihi amicum esse scribit. epist. 9. REDDIDI } litteras a te missas. SERVIVS } Sulpicius. OBSERVARIT } antea coluerit. IMPERATVM } ei a Caesare. NEGARE } quod ab eo petij, ut liceat mihi exire ex Italia. EXCOGITABIMVS } de occulto discessu. epist. 7. & 10. OCELLAM, } Seruium Ocellam; quem Coelius in quadam epistola bis deprehensum scribit in adulterio. RETARDATOS } impeditos Caesarianis custodijs, ne discedere possint ex Italia. A CVRTIO } opinor, quia debitam Attico pecuniam non solueret. cogitabat autem Atticus in Epirum: ut supra. SCYTHA ὄνον } unam puto fuisse Graecam dictionem, cuius etiam uestigia in Paulli Magnuli libro uideo notata, EYITEONOYN. inde eliciet, qui poterit, ueritatem. nos, quasi ulceri desperato, manum admouere noluimus. monemus illud unum, ex uetere scriptura quiduis potius reponi posse, quam quod legitur in libris impressis, Scytha ὄνον. VITAM *miseram, maiusq. malum, tam diu timere, quod timetur, quam est illud ipsum, quod timetur.* } sic ad Torquatum, epist. 4. lib. 6. Cum plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso, quod timetur.

Cicero S. D. Attico 12.

SERVIVS, *ut antea scripsi, cum uenisset nonis Mai. postridie ad me uenit, ne diutius te teneam, nullius cōsilij exitum inuenimus. numquam uidi hominem perturbatiorem metu. neque hercule quidquam timebat, quod non esset timendum: illum sibi iratum, hunc non amicum: horribilem utriusque uictoriam, cum*

propter

propter alterius crudelitatem, alterius audaciam, tum propter utriusque difficultatem pecuniarum, qua frui nusquam, nisi ex priuatorum bonis posset. atque haec ita multus cum lacrimis loquebatur, ut ego mirarer eas tam diuturna miseria non exaruisse. mihi quidem etiam lippitudo haec, propter quam non ipse ad te scribo, sine ulla lacruma est, sed saepius odiosa est propter uigilias. quamobrem quidquid habes ad consolandum, collige, & illa scribe, non ex doctrina, neque ex libris: nam id quidem domi est; sed nescio quo modo imbecillior est medicina, quam morbus: haec potius conquire, de Hispaniis, de Massilia; quae quidem satis bella Seruius affert; qui etiam de duabus legionibus luculentos auctores esse dicebat. haec igitur si habebis, & talia: & quidem paucis diebus aliquid audiri necesse est. sed redeo ad Seruium. Distulimus omnino sermonem in posterum, sed tardus ad exeundum: multo se in suo lectulo malle, quidquid foret. odiosus scrupulus de filij militia Brundisina. unum illud fortissime asseuerabat, si damnati restituerentur, in exsulium se iturum. nos autem ad haec, & ipsum certo fore, &, quae iam fiebant, non esse leuiora: multaq. colligebamus. uerum ea non animum ei us augebant, sed timorem, ut iam celandus magis de nostro consilio, quam ad idem uideretur. quare in hoc non multum est. Nos a te admoniti de Coelio cogitabimus. Vale.

EXPLANATIO

SERVIVS } initium fecimus alterius epistolae. quod ex proxima superiore satis constat. NVLLIVS *consilij* } nihil enim constitui poterat, quod non incurreret in magnam aliquam difficultatem. fam. lib. 4. epist. 3. ILLVM } Pompeium, iratum omnibus, qui remanserant in Italia, Sulpicio magis, qui filium cum Caesare Brundisium miserat. epist. 18. lib. 9. HVNC } Caesarem Seruio non amicum; quia dixerat in senatu, non placere sibi eum in Hispanias ire contra Pompeij legatos. fam. lib. 4. epist. 1. ALTERIVS *crudelitatem*, } Pompeij: de quo sic in epistola ad Marcellum: An tu non uidebas mecum simul, quam illa crudelis futura uictoria? & alibi: ETIAM *lippitudo* } quae, cum sit humor a capite fluens, non solet esse sine lacruma. VIGILIAS } quibus lippitudo curatur. SATIS *bella* } eiusmodi uolumus, non secunda Caesari. DE *duabus legionibus* } dici a certis hominibus, alienissimas esse a Caesare. epist. 10. EXEVNDVM: } ex Italia; cum diceret, multo se, &c. DE *filij* } de filio Brundisium misso ad affligendum Pompeium. epist. 18. lib. 9. & 3. lib. 10. ANIMVM } cum ob ea incitari ad discessum deberet. NOSTRO *consilio* } discedendi. AD *idem* } cohortatione uocandus. NON *multum est* } quod praeuiderat, tum dixit, Seruium exspecto, nec ab eo quidquam.

Cicero S. D. Attico. 13.

SERVIVS cum esset apud me, Cephalio cum tuis litteris VI. id. uenit; quae nobis magnam spem attulerunt meliorem rerum de octo cohortibus. etenim hae quoque, quae in his locis sunt, labare dicuntur. Eodem die Funisulanus a te attulit litteras, in quibus erat confirmatius idem illud. ei de suo negotio responde cumulate, tum omni tua gratia. adhuc non satisfaciebat: debet autem mihi multos nummos, nec habetur locuples. nunc ait se daturum: cui expensum tulerit, morari. tabellarijs, si apud te esset, qua satisfecisses, dares. quantum sit, Eros Philotimi tibi dicet. sed ad maiora redeamus. Quod optas, Coelianum illud maturescit. itaque torqueor, utrum uentum exspectem. uexillo opus est: conuolabunt. Quod suades, ut palam: prorsus assentior. itaque me profecturum puto. tuas tamen interim litteras exspecto. Seruij consilio nihil expeditur. omnes captiones in omni sententia occurrunt. unum C. Marcello cognoui timidiorem; quem consulem fuisse paenitet. ὦ πολλῆς ἀγεννείας: qui etiam Antonium confirmasse dicitur, ut me impediret; quo ipse, credo, honestius. Antonius autem VI. id. Capuam profectus est. ad me misit, se, pudore deterritum, ad me non uenisse, quod me sibi succensere putaret. ibitur igitur, & ita quidem, ut censes; nisi cuius grauioris personae suscipiendae spes erit ante oblata. sed uix erit tam cito. Allienus autem praetor putabat aliquem, si ego non, ex collegis suis. quiuis licet, dummodo aliquis. De sorore, laudo. De Quincto puero, datur opera. spero esse meliora. De Quincto fratre, scito eum non mediocriter laborare de usura: sed adhuc nihil a L. Egnatio expressit. Axius de XII. millibus pudens: saepe enim adscripsit, ut Gallio, quantum is uellet, darem. quod si non scripsisset, possem ne aliter? & quidem saepe sum pollicitus. sed tantum uoluit cito. me uero adiuuarent his in angustijs. sed tu istos. uerum alias. Te a quartana liberatum gaudeo, itemque Piliam. Ego, dum panes, & cetera in naue parantur, excurro in Pompeianum. Vectteno uelim gratias, quod studiosus. si quemquam nactus fueris, qui perferat; litteras des ante, quam discedimus. Vale.

EXPLANATIO

OCTO *cohortibus:* } quae uidentur defectionem a Caesare cogitare. ERAT *confirmatius* } magis affirmabas de octo cohortibus. EXPENSVM *tulerit* } ita excusat, debitorẽ suũ sibi non soluere. COELIANVM *illud maturescit* } prope adest, cum Coelium imitaturus sim. VT *palam* } discedam, nec differrẽ. differebat. n. Cicero, quia uellet occultius discedere. PROFECTVRVM } statim. OMNES *captiones* } ubi q̃d deliberatũ est, Seruio statim aliquid, atq. adeo multa contra occurrũt. &, Captiones, proprie dixit, cũ

loqueretur de iurisconsulto. nam, a captionibus cauere, iurisconsultorum est. PAENITET } quia scit in consulatu se iniuriam Caesari fecisse, ultionem timet. ἐν πολλῆς ἀγωνίας } abiectum, humilemq. animum, propter timorem paenitere summae dignitatis, qua gloriari etiam deberet. IMPEDIRET } ne discedere possem ex Italia. HONESTIVS } remanerent. SVCCENSERE } quod mihi, petenti ut exire ex Italia liceret, non concessisset. epist 8. IBITVR } ad Pompeium. ITA *quidem, ut censes* } palam, ut suades. NISI *cuius &c.* } nisi spes de pace agendi erit ante oblata: quod uix tam cito esse potest: ut ego non ante discesserim. ALIQVEM } personam grauiorem suscepturum, ut res componatur. COLLEGIS } praetoribus. QVIVIS *licet* } de pace agat. DATVR *opera:* } ut sit, qualem uolumus. ep. 10. DE *usura* } ut usuram tibi soluat. epist. 9. EGNATIO } debitore suo. PVDENS: } unde pudorem Axij, tantum abest, ut soluat mihi XII. millia, quae dedi eius filio mutua; ut insuper et petat. mirã impudentiam. ep. 9. ADSCRIPSIT } sic antiqui libri: Scripsit, tñ mallem. GALLIO } aut. Filio legere: aut: Galliũ Axij filium puta: &, quoniam Gallius & Axius diuersae familiae sunt, Axio natum intellige; adoptatum a Gallio, ut esset Gallius Axianus, ut supra Pontius Titinianus, Q. Titinij filius. epist. 6. & 18. lib. 9. POLLICITVS } Gallio pecuniam. TANTVM } quantum pollicitus sum. ME *uero* } scilicet. cum ironia. ADIVVARENT } qui quam impudentes sint, uides. SED *tu istos* } interrupta oratio. figura usitata. uel, Sed dij istos. nam in Bessarionis libro, Seductos, est. STVDIOSVS } est nostri. ep. 9.

Cicero S. D. Attico. 14.

COMMODVM ad te dederam litteras de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionysius fuit. cui quidem ego non modo placabilem me praebuissem, sed totum remisissem, si uenisset qua mente tu ad me scripseras. erat enim sic in tuis litteris; quas Arpini acceperam: eum uenturum, facturumque, quod ego uellem. ego uolebam autem, uel cupiebam potius, esse eum nobiscum. quod quia plane, cum in Formianum uenisset praeciderat, asperius ad te de eo scribere solebam. at ille perpauca locutus, hanc summam habuit orationis; ut sibi ignoscerem; se rebus suis impeditum nobiscum ire non posse. pauca respondi. magnum accepi dolorem: intellexi fortunam ab eo nostram despectam esse. quid quaeris? fortasse miraberis: in maximis horum temporum doloribus hunc mihi scito esse. uelim, ut tibi amicus sit. hoc cum tibi opto, opto ut beatus sis. erit enim tam diu. Consilium nostrum spero uacuum periculo fore. nam & dissimulabimus, &, ut opinor, acerrime obseruabimus. nauigatio modo sit; qualem opto. cetera, quae quidem consilio prouideri poterunt, cauebuntur. tu, dum adsumus, non modo quae scieris, audieris ue, sed etiam quae futura prouidebis, scribas uelim. Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, &, si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Syracusis profectus est ante diem VIII. Kal. Mai. ut ad me Curio scripsit. utinam, quod aiunt, Cotta Sardiniã teneat. est enim rumor. o, si id fuerit, turpem Catonem. Ego, ut minuerem suspicionem profectionis, aut cogitationis meae, profectus sum in Pompeianum ad IV. id. ut ibi essem, dum, quae ad nauigandum opus essent, pararentur. cum ad uillam uenissem, uentum est ad me: centuriones trium cohortium, quae Pompeys sunt, me uelle postridie, (haec mecum Ninnius noster) uelle eos mihi se, & opidum tradere. at ego tibi postridie a uilla ante lucem, ut me omnino illi ne uiderent. quid enim erat in tribus cohortibus? quid, si plures, quo apparatu? cogitaui eadem illa Coeliana, quae legi epistola tua; quam accepi, simul in Cumanum ueni, eodem die. & simul fieri poterat, ut tentaremur. omnem igitur suspicionem sustuli. sed cum redeo, Hortensius uenerat, ad Terentiam salutatum deuerterat, sermone erat usus honorifico erga me. tamen eum, ut puto, uidebo: misit enim puerum, se ad me uenire. hoc quidem melius, quam collega noster Antonius: cuius inter lictores lectica mima portatur. Tu, quoniam quartana cares, & non modo morbum remouisti, sed etiam grauedinem, te uegetum nobis in Graecia siste; & litterarum aliquid interea.

EXPLANATIO

PRAECIDERAT, } hoc supra epist. 4. lib. 8. CONSILIVM *nostrum* } de discessu. OBSERVABIMVS } ne quis rescisceat, aut impedire possit. CVRIO } a Caesare missus, ut Siciliam Pompeianis eriperet. epist. 4. VENTVM *est ad me:* } uenit ad me Ninnius noster, dixitque, centuriones, &c. POSTRIDIE } conuenire. AT *ego tibi* } ad ornatum, Tibi, dixit: & est familiaris antiquis scriptoribus locutio in re subita. epist. 7. lib. 8. & 12. lib. 9. & fam. lib. 9. epist. 2. VT *tentaremur* } ut commentum hoc esset Caesarianorum, centurionibus astute missis ad tentandum animum meum. SVSPICIONEM } quae potuit esse, si centuriones exspectassem, & allocutus essem. REDEO } in Cumanum. HORTENSIVS } de quo ep. 18. COLLEGA *noster Antonius* } qui ad me uenire noluit. collega autem in auguratu. ep 12. MIMA } Cytheris. epist. 8. ET *nouum morbum remouisti,* } sic ueteres libri. si cui placet mutatio, legat potius, Et non modo, quam, Et nedum; quod iam ante repositum est ex coniectura. nam, Nedum, semper negat, quod probauimus exemplis in Commentario epist. fam. SISTE } unde Statores, qui homines sistunt. cogitabat autem Atticus Epirum suam, ut supra.

Cicero S. D. Attico 15.

PR*ID. id. Hortensius ad me uenit: scripta epistola. uellem cetera eius. quam in me incredibilem* ἐκτένειαν*, qua quidem cogito uti. deinde Serapion cum epistola tua. quam prius quam aperuissem, dixi ei, te ad me de eo scripsisse antea, ut feceras deinde, epistola lecta, cumulatissime cetera. & hercule hominem probo. nam & doctum, & probum existimo. quinetiam naui eius me, & ipso conuectore usurum puto. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quae impediat scriptionem meam. Valetudinem tuam iam confirmatam esse & a uetere morbo, & a nouis tentationibus, gaudeo. Ocellam uellem haberemus. uidentur enim esse haec paullo faciliora. nunc quidem aequinoctium nos moratur, quod ualde perturbatum erat. id s. cras erit. utinam idem maneat Hortensius: siquidem adhuc erat. liberalius esse nihil potest. De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitij insimularem. negas enim te reperire, qui mihi id in mentem uenerit. ego autem, quia scripseras te proficisci cogitare, (etenim audieram, nemini aliter licere) eo te habere censebam, & quia pueris diploma sumpseras. habes caussam opinionis meae. & tamen uelem scire, quid cogites, in primisq. si quid etiam nunc noui est.* XVII. *kal. Ian.*

EXPLANATIO


CETERA *eius.* } essent, qualis fuit ἐκτένεια. uellem re tantum praestaret, quantum cupere uisus est. ἐκτένειαν } uoluntatis declarationem. VTI } omnia enim sua officia studiaq. detulit: quibus uti cogito. CETERA } ei sum pollicitus. HABEREMVS: } ut nobiscum posset discedere. epist. II. quandoquidem ratio exeundi ex Italia paullo facilior uidetur, quam antea putaui. AEQVINOCTIVM } quo tempestas non solet esse ad nauigandum idonea. epist.27.lib.12. PERTVRBATVM } Macrobius lib.1.Sat. Ante aequinoctium, inquit, uernum triste caelum, & nubibus obductum, mare nauigantibus clausum. De autumnali autem Caesar lib. IV. bel. Gal. Propinqua, inquit, aequinoctii die, infirmis nauibus hiemis nauigationem subeundam, non existimabat. Inepte nonnulli pro aequinoctio M. Antonium interpretantur. IDEM *maneat* } ne nostrum discessum impediat; quoniam inferi maris partem curat. epist.16. DIPLOMATE } cuius mentionem fecerat Cicero in epistola sua, cum diceret, se putare Atticum a praefecto urbis sumpsisse diploma, quo ei exire liceret ex Italia. IN *mentem uenerit.* } cum non debeas suspectus esse, ut Pompeianus. PROFICISCI } in Graeciam. LICERE } sine diplomate proficisci. PVERIS } uel seruis, Attici, quos identidem in Epirum mitteret. uel, Pueris, Ciceronibus. COGITES } de transeundo in Epirum. ETIAM *nunc* } etsi iam discedo, scribe tamen, si quid noui. XVII. *kal. Iun.* } hoc aperte mendosum est. cum enim aequinoctij mentionem fecerit; satis constat, siue de uerno, siue de autumnali accipias aequinoctio, (de uerno tamen potius intelligendum) Maio mensi locum esse non posse. Ego puto initium esse sequentis epistolae, & legendũ fortasse, XIIII. Kal. quod sine caussa repetitum est post uerbum, Peperit. idq. credendũ eo magis, quod pleraeque huius libri epistolae adscriptam diem non habent, & est mutatio minima, si v. diuidas in II. qua ipsa in nota peccatum saepe a librarijs animaduerti.

Cicero S. D. Attico. 16.

TVLLIA *mea peperit* XIV. *kal. Iun. puerum* ἑπταμηνιαῖον. *quod* εὐτόκησεν, *gaudebam. quod quidem est natum, perimbecillum est. Me mirificae tranquillitates adhuc tenuerunt, atque maiore impedimento fuerunt, quam custodiae, quibus asseruor. nam illa Hortensiana omnia fuere infantia. ita fiet homo nequissimus. a Salúio liberto deprauatus est. itaque posthac non scribam ad te, quid facturus sim, sed quid fecerim. omnes enim* Κωρυκαῖοι *uidentur subauscultare, quae loquor. Tu tamen, si quid de Hispanijs, siue quid aliud, perge, quaeso, scribere: nec meas litteras exspectaris, nisi cum, quo opto, peruenerimus, aut si quis ex cursu. Sed hoc quoque timide scribo. ita omnia adhuc tarda, & spissa. ut male posuimus initia, sic cetera sequuntur. furias nunc sequimur: eaedem nos fortasse furiae persequentur. ex Balbi autem sermone, quem tecum habuit, non probamus de Melita. dubitas igitur, quia nos in hostium numero habeat? scripsi equidem Balbo, te ad me de beneuolentia scripsisse, & de suspicione. de altero egi gratias? de altero ei me purgaui. ecquem tu hominem infeliciorem? non loquor plura, ne te quoque excruciem. ipse conficior, uenisse tempus, cum iam nec fortiter, nec prudenter quidquam facere possim. Vale.*

EXPLANATIO

TENVERVNT } nam ad nauigandum non tranquillitate, ſed uento opus eſt. INFANTIA } nam, cum omnia promiſiſſet Hortenſius, nihil praeſtat, more infantium. aſſeruor enim acerrime, ne diſcedam. HOMO } cum adhuc ſit adoleſcens, proprie igitur, Infantia. κωρυκαῖοι } notum adagium de Corycaeis occulto auſcultantibus. QVO *opto* } in Graeciam. Hoc *quoque* } de diſceſſu meo. TIMIDE } ne quis Corycaeus ſubauſcultet, ad Caeſarianos delaturus. ITA *omnia* } ita noſtra culpa accidit, ut & tarde, & magna difficultate ex Italia exeamus. initio enim ad Pompeium ire, ſimulq. cum eo proficiſci debuimus. ergo ut male poſuimus &c. SI *quis ex curſu* } ſi quis mihi in Graeciam nauiganti occurrerit, qui in Italiam nauiget. Ex *Balbi autem ſermone* } Balbus Attico in ſermone, opinor, hoc dixerat, Caeſarem offenſum, quia Cicero uenire in ſenatum recuſaſſet. NON *probamus* } abijcimus conſilium illud de manſione Melitenſi, (*epiſt. 6. & 7.*) ſi quidem, cum Caeſarem iam offenderimus, dubitare non debes, quin nos in hoſtium numero habeat. ego autem Melitam cogitabam, ne eum offenderem, cum opidum a bello uacuum delegiſſem. eamus igitur recta ad Pompeium; quando non licuit, quod quaerebam, Caeſaris offenſionem effugere. BENEVOLENTIA } ipſius Balbi. SVSPICIONE } quod ſuſpicaretur me ad Pompeium nauigaturum. INFELICIOREM } me. NEC *fortiter, nec prudenter* } ſiue maneo in Italia, ſiue diſcedo; cum in manſione ſit ignauia, temeritas in diſceſſu, inclinata Pompeij fortuna. Tranſijt ad Pompeium Cicero non ante idus Quinct. ut ex epiſtola ad Terentiam conſtat.




IN EPISTOLARVM M. TVLLII CICERONIS AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBRVM XI.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.



Ccepi a te signatum libellum, quem Anteros attulerat; ex quo scire nihil potui de nostris domesticis rebus: de quibus acerbissime afflictor, quod, qui eas dispensauit, neque adest istic, neque, ubi terrarum sit, scio. omnem autem spem habeo existimationis, priuatarumq. rerum in tua erga me mihi perspectissima beneuolentia; quam si his temporibus miseris, & extremis praestiteris; haec pericula, quae mihi communia sunt cum ceteris; fortius feram. idq. ut facias, te obtestor, atque obsecro. ego in cistophoro in Asia habeo ad HS bis uicies. huius pecuniae permutatione fidem nostram facile tuebere. quam quidem ego nisi expeditam relinquere putassem, credens ei, cui tu scis iam pridem minime credere; commoratus essem paullisper, nec domesticas res impeditas reliquissem. ob eamq. caussam serius ad te scribo, quod sero intellexi, quid timendum esset. Te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum suspicias; ut, si ij salui erunt, quibuscum sum, una cum ijs possim incolumis esse, salutemq. meam beneuolētiae tuae acceptam referre. Vale.

EXPLANATIO



Ccepi } hanc epistolam scripsit, cum, ex Italia profectus, ad Pompeium iam peruenisset. scripsit autem Roma. Libellvm } libelli neq. complicantur, ut epistolae, neq. scribuntur: siquidem in his inscriptio illa, qua amicis salutem dicimus, omittitur. Libellum explano, scriptum, non epistolam, eo sensu, quo in fam. in ep. D. Bruti: Vt ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt. Alibi Libellus aliud significat: sed, quoniam haec ex peruulgatis eorum libris, qui dictionum significationes collegerunt, cuiuis licet petere; quae huius loci non sunt, consulto praetermittam. Qvi *eas dispensauit* } Philotimus libertus: cui rerum suarum curam cum Cicero commisisset: deinde eum id fecisse paenituit; ut etiam paullo post his uerbis significat, Credens ei, cui tu scis iampridē minime credere. Existimationis } ut ijs satisfiat, quibus debeo. nam ob hanc caussam de existimatione Ciceronis agebatur. Caesar initio lib. III. de bello ci. Ad debitorum tuendam existimationem, dixit. Pericvla } partim quae iam sunt, ut in bello, partim quae dubio rerum exitu impendent. Ci-

STOPHORO }

stophoro } nummi genus Asiatici. hanc pecuniam Cicero, ex administratione Ciliciae collectam, apud publicanos reliquit: deinde, quod ibi minus tuto fore uidebatur, dimidiam fere partem exegit, & ad Egnatium argentarium transtulit. HS *bis & uicies* } si ad nostratis pecuniae rationem redigatur, scutati erunt sexaginta sex millia. &, ut dicam quod sentio, de hac pecunia mentionem facit, ut opinor, epistolarum, quae familiares uocantur l. 5. quo in loco non HS XXII, sed HS bis, & uicies, legendum puto. Quod autem ibi, eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse, ait, id uidelicet puto eum scripsisse, ut Rufum de HS centum millibus amissis consolaretur, non quod re uera ita factum esset. nam ex duabus sequentibus epistolis apparet, eius pecuniae dimidiam fere partem a Cicerone exactam, & apud Egnatium trapezitam esse depositam: ut tantummodo, quod reliquum in Asia fuit, id Pompeius habere potuerit, nihil amplius. quod uidetur esse uerisimile, cum paullo post de Pompeio dicat, Cui magnam dedimus pecuniam mutuam. necesse est enim, ut haec pecunia sit ex ea, quam in Asia habebat in cistophoro. nam Romae non erat unde sumeret; siquidem, cum e Cilicia rediit, nihilo meliores offendit res domesticas, quam publicas; ut ad Plancium scribit ep. fam. l. IV. At uero, dicet aliquis, eam quoque pecuniam, quae apud Egnatium deposita erat, fieri potest, ut Cicero mutuam deinde Pompeio dederit, non modo eam, quae in Asia remanserat: atque ita, quod ad Rufum scribit, confirmabitur; ut omnem Pompeius habuerit. Credibile non est. nam, quo tempore apud Egnatium pecunia erat, Cicero egebat rebus omnibus, quemadmodum epistola, quae post sequentem legitur, ostendit: ut, oppressum rerum omnium inopia mutuam pecuniam dedisse, uerisimile non sit. quod si quispiam roget, cur ea pecunia non uteretur, cum egeret: respondebo, Ciceronem, cum de dimittenda Terentia cogitaret, eam pecuniam hoc consilio uoluisse seruari, ut pro dote numerare posset. Hac de re suo loco. Pecuniae *permutatione* } si curabis, ut, quod in Asia pecuniae apud publicanos habeo, id tibi Romae per eosdem publicanos numeretur. Fidem *nostram* } praestando quod promisi. Expeditam } fidem. Fides autem uerbum est proprium debitorum, & saepe cum uerbis translatis apte coniungitur. ut apud Caesarem initio libri III. de bello ci. Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur. Credens *ei* } Philotimo; cui rerum priuatarum curam Cicero crediderat. Scis } non est hic, Scis, pro non ignoras, neque ad scientiam refertur, sed ad cautionem. sensus est. Ego Philotimo credidi. tu cautior, iampridem et scis non credere. ut illud apud Terentium, Scisti uti foro. Sero *intellexi, quid timendum esset* } de fidei & existimationis meae periculo, deq. rerum domesticarum iactura: quod antea non intellexeram, Philotimo credens. ob eamq. caussam ad te scribo, ut earum curam tu suscipias, tuaq. administratione & diligentia prouideas, ne quid de mea fide & existimatione detrahatur. Incolumis *esse, salutemq.* } haec non ad uitam pertinet, sed ad facultates: quae Philotimi negligentia male affectae cum essent, orat, ut eas Atticus diligenter curet. nam, quod ad uitam attinet, Attici opera qui egebat, praesertim Pompeianis saluis? at uero in facultatibus ualde egebat: quarum conseruationem, quo magis Atticum ad eas tuendas excitet, Incolumitatem appellat, & salutem suam.

Cicero S. D. Attico. 2.

Litteras *tuas accepi prid. non. Febr. eoq. ipso die ex testamento creui hereditatem. ex multis meis, & miserrimis curis est una enata, si, ut scribis, ista hereditas fidem, & famam meam tueri potest: quã quidem te intelligo, etiam sine hereditate, tuis opibus defensurum fuisse. De dote quod scribis, per omnes deos te obtestor, ut totam rem suscipias, & illam miseram mea culpa, & negligentia, tueare meis opibus, si quae sunt, tuis, quibus tibi molestum non erit, facultatibus. cui quidem deesse omnia, quod scribis, obsecro te noli pati. in quos enim sumptus abeunt fructus praediorum? Iam illa HS LX, quae scribis, nemo mihi umquam dixit ex dote esse detracta: numquam enim essem passus. sed haec minima est ex iis iniuriis, quam accepi; de quibus ad te dolore, & lacrymis scribere prohibeor. Ex ea pecunia, quae fuit in Asia, partem dimidiam fere exegi. tutius uidebatur fore ibi, ubi est, quam apud publicanos. Quod me hortaris, ut firmo sim animo: uellem posses aliquid afferre, quamobrem id facere possem. sed si ad ceteras miserias accessit etiam id, quod mihi Chrysippus dixit parari, (tu nihil significasti) de domo; quis me miserior uno iam fuit? oro, obsecro, ignosce: non possum plura scribere. quanto maerore urgear, profecto uides. quod si mihi commune cum ceteris esset, qui uidentur in eadem caussa esse; minor mea culpa uideretur, & eo tolerabilior esset: nunc nihil est, quod consoletur; nisi quid tu efficis, si modo etiam nũc effici potest, ut ne qua singulari afficiar calamitate, & iniuria. Tardius ad te remisi tabellariũ, quod potestas mittendi nõ fuit. A tuis & nummorum accepi HS LXX, & uestimentorum quod opus fuit. Quibus tibi uidebitur, uelim des litteras nomine meo. nosti meos familiares. signum requirent, aut manum: dices iis, me propter custodias ea uitasse. Vale.*

EXPLANATIO

Eoq. *ipso die* } qui fieri potest, ut eo ipso die hereditatem adeat, quo litteras ab Attico accipit, cũ ex iis litteris de hereditate cognoscat? dicit enim, Si, ut scribis, hereditas fidem, & famam meam tueri

n ieri potest. hoc quidem certe quam ueritati repugnet, nemo non uidet. necesse igitur est, ut scripserit Atticus, non, se creuisse hereditatem illam Ciceronis nomine, sed futurum ut cerneret pridie non. Feb. quo die casu accidit, ut eae Attici litterae Ciceroni redderentur. Cernere autem hereditatem quid sit, non necessarium est exponere: siquidem id alij ante nos ex ueterum scriptis ostenderunt. CREVI } creuerat scilicet Atticus Ciceronis nomine, non Cicero, qui cum Pompeio erat. dicit igitur, Creui, ad Atticum respiciens, qui id a se factum esse significat. ENATA } exijt, mihi grauis iam non est. metaphora sumpta ab infantibus utero exeuntibus. id enim proprie est Enasci. DE *dote* } scripserat Atticus, Terentiam, cum in sumptus necessarios non haberet, sumere de dote, cuius etiam nomine accepisset HS .xx. turpe hoc Ciceroni, contraq. eius existimationem uidebatur esse: qui uel uniuersam dotem uxori reddere debebat; uel, si minus id uellet, suis eam sumptibus alere; non committere, ut propter indigentiam detrahere quotidie aliquid de dote cogeretur. Suscipe igitur, inquit, totam rem, & illam meis opibus, tuis facultatibus tuere; ne posthac ipsa suam dotem quasi corrodere ac deminuere cogatur. Nam, de Tulliae dote a Dolabella exigenda, non uideo, qui possit intelligi: cum diuortium hoc tempore nondum factum esset: nec Cicero abducere a Dolabella Tulliam ausus esset, florente Caesare, pulso iam in Graeciam Pompeio: cum Dolabella apud Caesarem gratia ualeret. Praeterea cur de diuortio credam, cum aliquanto post hoc tempus, amissis iam Hispanijs, Tulliam apud Dolabellam esse, ipsius Dolabellae ad Ciceronem litterae declarent? sunt enim hoc initio: Si uales, gaudeo: & ipse ualeo: & Tullia nostra recte ualet. Terentia minus belle habuit. Post pugnam uero Pharsalicam, dimissam esse Tulliam a Dolabella, facile probatur. MISERA *mea culpa, & negligentia* } qui ante discessum meum curare debui, ut illi consultum esset, rebus domesticis expeditis. in quo meam culpam, & negligentiam agnosco. OPIBVS } uerbum, Opes, totum, quamtumcumque possumus, significat; & plus est, quam Facultates. nam opibus facultates includuntur, facultatibus opes non item. QVAS *accepi*, } a Philotimo, in domesticis rebus, quas ille, sibi a me commendatas, neglexit. Hoc apertius in epistola superiore. Ex *ea pecunia, quae fuit in Asia* } meminit superiore epistola. IBI, *ubi est* } apud Egnatium. apparet ex epistola sequenti. QVAM *apud publicanos* } in Asia scilicet; in qua L. Scipio, Pompeij socer, cum imperio erat, pecuniasq. ab omnibus quo iure, qua ue iniuria cogebat: ut Ciceroni tutius omnino uideretur, pecuniam apud Egnatium argentarium Romae habere, quam apud publicanos in Asia, quae Scipionis libidini & auaritiae esset exposita. Lege Caesarem l. 3. de bello ci. DE *domo*, } id parari dixerat Chrysippus, ut domo sua Cicero, quam habebat in Palatio, priuaretur, propterea quod esset cum Pompeio. QVOD *si mihi commune cum ceteris esset* } hoc, inquit, per se mihi dolendum est, quod domo priuer, sed multo magis, quod ex omnibus Pompeianis hoc incommodo unus afficiar, quodq. singularis sit mea calamitas. nam, si commune mihi hoc esset cum ceteris, qui in eadem caussa sunt, minor mea culpa uideretur, & eo tolerabilior esset. MEA *culpa* } quod ad Pompeium profectus sim. NISI *quod tu efficis* } aptius, Nisi quid tu efficis. placet enim dubitanter poni. nam Atticum in ea re quidquam efficere, qui poterat certum esse Ciceroni, cum supra dicat, Tu nihil significasti? praeterea: sed haec argumentis probare putidum est. POTESTAS *mittendi non fuit* } ut in exercitu. non enim facile tabellarios, cum uelis, mittere conceditur. TVIS } qui res tuas in Epiro curant. nam ea transierat, ad Pompeium in Graeciam proficiscens. CVSTODIAS } eos, qui in exercitu obseruare solent, ne litterae, aut nuncij imperatoris iniussu quoquam mittantur.

Cicero S. D. Attico. 3.

QVID hic agatur, scire poteris ex eo, qui litteras attulit: quem diutius tenui, quia quotidie aliquid noui exspectabamus. neq. nunc mittendi tamen ulla caussa fuit, praeter eam, de qua tibi rescribi uoluisti. Quod ad kal. Quinct. pertinet, quid uellem: utrumq. graue est, & tam graui tempore, periculum tantae pecuniae, & dubio rerum exitu, ista, quam scribis, abruptio. quare, ut alia, sic hoc uel maxime tuae fidei, beneuolentiaeq. permitto, & illius consilio, & uoluntati: cui miseriae consuluissem melius, si tecum olim coram potius, quam per litteras, de salute nostra, fortunisq. deliberauissem. Quod negas praecipuum mihi ullum incommodum impendere: etsi ista res nihil habet consolationis; tamen etiam praecipua multa sunt, quae tu profecto uides grauissima esse, & me facillime uitare potuisse. ea tamen erunt minora, si, ut adhuc factum est, administratione, diligentiaq. tua leuabuntur. Pecunia apud Egnatium est. sit a me, ut est: neque enim hoc, quod agitur, uidetur diuturnum esse posse, ut scire iã possim, quid maxime opus sit. etsi egeo rebus omnibus; quod is quoque in angustijs est, quicum sumus; cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes, nobis, constitutis rebus, eã rem etiam honori fore. Tu, ut antea fecisti, uelim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum a me existimes, ipse cõficias. Tuis salutem dic. Cura, ut ualeas. in primis id, quod scribis, omnibus rebus cura, & prouide, ne quid ei desit, de qua scis me miserrimum esse. Idibus Iun. ex castris.

EXPLA-

EXPLANATIO

EAm, *de qua tibi rescribi uoluisti* } eam scilicet, quae sequitur. Qvod *ad Kal. Quinct.* } omnino Ciceroni erat in animo Terentiam dimittere: sed, hoc differre, duabus de caussis commodum uidebatur: & quod ipsam minus offensum iri putabat, si matrimonium non propere abrumperet, sed lente quasi dissueret: & quod spoliari pecunia, quae pro dote numeranda esset, dubio praesertim rerum exitu, nolebat. nam, si ei de Pompeij uictoria certum fuisset; de pecunia cur laboraret, non erat; quae salua rep. uiris bonis numquam esset defutura, Ciceroni praesertim, qui magnā Pōpeio mutuam dedisset. cum uero dubius adhuc rerum esset exitus; pecuniam ipse habere in omnem euentum, quam Terentiae pro dote reddere, malebat. scripserat igitur Atticus, se scire cupere ad Kal. Quinct. quid uellet Cicero, diuortiū proferre, & pecuniam interea sibi habere, an diuortium statim facere, & pecuniam pro dote numerare. utrumque, respondet, graue est. nam & tam graui tempore tantam pecuniam, quanta scilicet apud Egnatium a me est, Romae habere, periculosum uidetur, uel quod nocturnae domorum expugnationes fieri possunt: uel quod timendum est, ne Caesar, qui urbem tenet, eorum, qui cum Pompeio sunt, bona proscribat: & Terentiae dare facto diuortio, non adducor, ut in rem meam esse credam, dubio rerum exitu, cum incertum sit uter uincat, Caesar, an Pompeius. nam Caesare uictore, nos, qui Pompeium secuti sumus, in angustijs, atque in magna rei pecuniariae difficultate essemus; tumq. diuortij facti, & pecuniae Terētiae datae, frustra paeniteret. Dicit autem, Illa, quam scribis, abruptio, propterea quod Atticus scripserat, sibi quidem uideri Terentiam quam primum esse repudiandam; auctorq. Ciceroni erat, ne differret, sed abrumperet. quod ex Attici consilio non fecisse, Ciceronem deinde paenituit. significat hoc in epistola huius libri decimaquarta, cùm dicit, Memini omnino tuas litteras. Illivs *consilio, & uoluntati* } *Illius*, Terentiae. *consilio, & uoluntati*, quia, si iudicabit hoc tempore diuortium esse faciendum, consiliū illius, & uoluntatem sequar. Terentiae autem Ciceronem de diuortio permisisse, plane cognoscitur ex epistola, quam ad eam scripsit his uerbis: Quod scripsi ad te proximis litteris de nuncio remittendo: quae sit istius uis hoc tempore, & quae concitatio multitudinis, ignoro. totum iudicabis quale sit; &, quod in miserrimis rebus minime miserum putabis, id facies. De *salute nostra, fortunisq.* } cum. n. per litteras tecum agebam, ad Pompeium proficiscerer, nec ne; ad salutem, & ad fortunas nostras illa deliberatio pertinebat. Nihil *habet consolationis* } nam incommoda, quae mihi impendent, etiam si cum multis communia sint futura, non ideo tamen leuiora fient. itaque quod negas praecipuum mihi ullum incommodum impendere: ut assentiar ita esse; tamen ista res nihil habet consolationis: sed non ita est. nā etiam praecipua sunt multa: ex te uidelicet familiari; quam impeditam reliquerat, ad Pompeium ex Italia profectus. hoc infra declarat his uerbis: Ea tamen erunt minora, si administratione, diligentiaq. tua leuabuntur. Facillime *uitare potuisse* } si paullisper commoratus essem. nam prouidissem, ut & esset unde satisfieret ijs, quibus debeo: & Terētiae pro uictu, ne detrahere de dote cogeretur. Haec sunt, quae appellat grauissima incommoda. Sit *a me, ut est* } quamquam Attico & Terentiae de diuortio permittat, ostendit tamen eam pecuniam se nolle ad Terentiam dotis nomine transferri, quam apud Egnatium trapezitam deposuerat. & hoc dicit, ueritus, ne Terentia, si statuisset diuortium esse faciendum, Attico concedente, eam pecuniam auferret: qua priuari tam duris temporibus Cicero nolebat. Hoc, *quod agitur* } uter uincat, Caesar, an Pompeius. non uidetur, inquit, diu bellum posse duci. Vt *scire iā possim, quid maxime opus sit* } Vt, hic accipio pro etiam. sensus est. Licet scire iam possim, quid mihi faciendum sit, dimittenda Terentia, nec ne: uolo tamen, quia belli exitus non longe abest, interea pecuniam a me esse. deinde addit alteram caussam, & ait, Etsi egeo rebus omnibus: quamquam etiam haec caussa est; cur eam pecuniam a me esse uelim, quod egeo rebus omnibus: ut oppressum rerum omnium inopia, priuari ea pecunia non oporteat. Ad intelligentiam autem huius loci maxime pertinet, si hoc teneatur, Ciceronis consilium fuisse, ut, ante quam dotem redderet, exitum rerum exspectaret; ne, si quid durius in bello accidisset, pecunia priuatus egeret. Ne *quid ei desit* } Terentiae.

Cicero S. D. Attico. 4.

ACcepi ab Isidoro litteras, & postea datas binas. ex proximis cognoui praedia nō uenisse. uidebis ergo, ut sustētetur p te. de Frusinati, si modo futuri sumus, erit mihi res opportuna. Meas litteras quod requiris, impedior inopia rerum, quas nullas habeo litteris dignas, quippe cui nec, quae accidunt, nec, quae agūtur, ullo modo probentur. utinam coram tecum olim potius, quam per epistolas. Hic tua, ut possum, tueor apud hos. cetera Celer. ipse fugi adhuc omne munus, eo magis, quod ita nihil poterat agi, ut mihi, & meis rebus aptū esset. Quid sit gestum noui, quaeris: ex Isidoro scire poteris: reliqua non uidētur esse difficiliora. Tu id uelim, quod scis me maxime uelle, cures, ut scribis, ut facis. Me conficit solicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis: qua leuata, ero una cum eo, qui negotium gerit, estq. in spe magna. Brutus amicus in caussa uersatur acriter. Hactenus fuit, quod caute a me scribi posset. De pensione altera, oro te, omni cura considera, quid sit faciendum, ut scripsi ijs litteris, quas Pollex tulit. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

ACCEPI } hanc scripsit Dyrrhachij,&,ut ex ipsa licet conijcere, post eam pugnam, qua Pompeius imperator appellatus est. PRAEDIA *non uenisse* } scripserat Attico, ut praedia uenirent pro sustentanda Terentia. id quando, inquit, factum non est, sustentetur per te. DE *Frusinati* } fundum Frusinatem Cicero uendiderat, hac lege, ut redimere posset. de ea redemptione, quaesierat Atticus, quid cogitaret, utrum eam aliquando fieri uellet, an prorsus abiecisset. respondet, redemptionem se probare, quoniam ille fundus sibi futurus esset opportunus. redemptio tamen hoc tempore facta non est, ut patet ex epistola XIV. NEC *quae accidunt, nec quae aguntur*, } accidunt casu; aguntur ex consilio & uoluntate Pompeij. VTINAM *&c.* } fortasse enim ad Pompeium profectus non essem, si tecum de ea profectione coram potius, quam per epistolas, egissem. & hoc dicit, quia, profectum esse ad Pompeium, paenitebat; quippe qui nec, quae accidebant, nec quae agebantur, probaret. HIC *tua, ut possum, tueor apud hos* } tua, quae ad te pertinent. apud hos, inquit, te defendo. omnibus enim, qui Romae remanserant, infensi erant Pompeiani. itaque dicit epistola, quae post sequentem legitur: Numquam de te ipso, nisi crudelissime, cogitatum est. & infra eadem epistola: De Fannio consoler te? perniciosa loquebatur de mansione tua. eodemq. loco: Omnes, qui in Italia remanserant, hostium numero habebantur. & ad Varronem, epistola 6. lib. 9. fam. Ego uictoriam etiam illorum timebam, ad quos ueneramus. crudeliter enim otiosis minabantur. & Caesar libro 1. de bello ciu. Pompeius discedens ab urbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romae remansissent, & qui in castris Caesaris fuissent. Dicit autem Cicero: Vt possum: ut ostendat difficultatem defendendi. nam Atticum purgare, quod Romae remansisset, aegre apud iratos poterat. CETERA *Celer* } subintellige, narrabit. nam Isidoro, quem nunc cum litteris remittebat, committenda non uidebantur. Celerem autem fortasse non ita multo post ad Atticum missurus erat. Malim tamen legere, Cetera celo, ut est in antiquo Speciani libro. quem si sequamur, sensus erit hic: Nos te, ut possumus, apud Pompeianos defendimus: cetera celamus; quae scilicet ab illis in te & dicuntur, & cogitantur. QVID *sit gestum noui*, } haec, & quae sequuntur, non eodem die scripta sunt, quo superiora: ut fit, cum epistolae propter tabellariorum commorationem per plures dies in manibus habentur, cum interea multa in eas, aliud alio tempore, conijcere solemus. Prior epistolae pars non optimam spem significat, unde illud, Si modo futuri sumus: & illud, Nec quae accidunt, nec quae aguntur, ullo modo probantur. addo etiam illud, Nihil poterat agri, quod mihi & meis rebus esset aptum. haec, inquam, Ciceronem ostendunt Pompeianorum rebus paene diffidere: at uero ea, quae sequuntur, non item. quid enim illud? Reliqua non uidentur esse difficiliora. aperte declarat, in reliquo bello conficiendo negotij non multum fore. cur autem hoc? quia scilicet factum erat proelium illud ad Dyrrhachium, quo Pompeij fortuna superior fuit. quo ex proelio tantum fiduciae ac spiritus Pompeianis accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed uicisse iam sibi uiderentur. Caesar de bello ciuili libro III. CVRES, *ut scribis*, } ut expliceniur res domesticae. SOLICITVDO, } unde haec solicitudo, prospera Pompeij fortuna? dixit enim, Reliqua non uidentur esse difficiliora. Solicitudinis, ut opinor, caussa haec erat, quod omnino, siue Caesar, siue Pompeius uicisset, de libertate actum esse putabat: quod cum multis locis significat, tum epistola 6. lib. IX. ad Varronem, dicens, Ego uictoriam etiam illorum timebam, ad quos ueneramus. & ad Marcellum, epistola, cuius initium est, Etsi perpaucis. ESTQ. *in spe magna* } quippe qui ex Dyrrhachina pugna confidere suis militibus coepisset. fam. epistola 3. libri 7. INFIRMITAS *corporis* } cuius caussa Pharsalico proelio non interfuit. Plutarchus in uita. HACTENVS *fuit, quod caute a me scribi posset.* } ultra enim in scribendo progredi si uelim, minus caute faciam. scripsi, quatenus licuit; ultra caute non potui. IIS *litteris, quas Pollex tulit* } opinor, proximis superioribus: in quibus de pecunia, quae Terentiae pro dote numeranda esset, mentio fit. illud miror, quod in hoc diuortio nullam umquam primae pensionis mentionem inueniam: ut adducar, mundum & ornatum muliebrem pro pensione prima fuisse; unde Cicero, siue Terentiam dimitteret, siue retineret, neque damni quidquam, neque lucri posset accipere. itaque in epistola ultima huius libri dicit se caecum fuisse in pensione secunda, non in prima. ex quo apparet, in epistola antecedenti secundam pensionem significari. POLLEX: } seruus Ciceronis a pedibus. epistola 5. lib. 8. & in epistola ad Terentiam, Pollicem fac extrudas, idest cum litteris remittas. nam cum ijs eum miserat, quas hic intelligit.

Cicero S. D. Attico. 5.

QVAE me caussae mouerint, quam acerbae, quã graues, quam nouae, coegerintq. impetu magis quodã animi uti, quã cogitatione, nõ possum ad te sine maximo dolore scribere: fuerunt quidem tantae, ut id, quod uides, effecerint. itaque nec quid ad te scribam de meis rebus, nec quid a te petam, reperio. rẽ, & summam negotij uides. equidẽ ex tuis litteris intellexi, & iis, quas communiter cum aliis scripsisti, & iis, quas tuo nomine, quod etiam mea sponte uidebam, te subdebilitatum nouas rationes tuendi mei quaerere. Quod scribis placere, ut propius accedam, iterq. per oppida noctu faciam: non sane uideo, quemadmodum id fieri possit. neque enim ita apta habeo diuersoria, ut tota tempora diurna in his possim consumere: neque ad

id, quod quaeris, multum interest, utrum me homines in opido uideant, an in uia. sed tamen hoc ipsum, sicut alia, considerabo quemadmodum commodissime fieri posse uideatur. ego propter incredibilem & animi, & corporis molestiam conficere plures litteras non potui: iis tātum rescripsi, a quibus acceperam. tu uelim & Basilio, & quibus praeterea uidebitur, etiam Seruilio conscribas, ut tibi uidebitur, meo nomine. Quod tanto interuallo nihil omnino ad uos: profecto intelligis, rem mihi deesse, de qua scribam, non uoluntatem. Quod de Vatinio quaeris: neque illius, neque cuiusquam mihi praeterea officium deest, si reperire possent, qua in re me iuuarēt. Quinctus auersissimo a me animo Patris fuit. eodē Corcyra filius uenit: inde profectos eos una cum ceteris arbitror. Vale.

EXPLANATIO

QVAE *me caussae*] hanc scripsit Brundisij, post Pompeium acie Pharsalica profligatum. Dolet autem se in Italiam uenisse. idq. dum excusare aliqua ex parte uult, caussis admodum acerbis, grauibus, & nouis coactum se dicit, ut impetu magis animi, quam cogitatione, uteretur. doloris autem caussa erat illa, quod sibi, qui cum Pompeio fuisset, esse in Italia, neque tutum satis putabat, neque honorificum. nam neque certum habebat, se esse a Caesare ueniam impetraturum; & sermones bonorum uerebatur, qui calumniari poterant, quod, cum antea semper acerrimum libertatis propugnatorem professus esset, nunc uno proelio uictus, non modo reip. fortunam experiri iterum noluisset, uerum etiam in Italiam ad uictores se contulisset: ut ex Pompeianis nemo non sapientior uideretur fuisse. qui enim bellum renouaturi in Africam fuerant, consilium secuti erant, si non tutum, saltem honorificum: qui in opido aliquo resederant, ut M. Marcellus, ij rationem si minus honorificam, tutam tamen elegerant: at uero Ciceronis factum neque tutum erat, neque honorificum quin & minus tutum, quam Africanorum, & minus honorificum quam Marcelli. Haec autem pluribus uerbis; ut appareat, cur Ciceronis dolor tantus esset, qui peccatum suum agnosceret; quod, cum posset aut saluti, aut honori consulere, neutrum fecisset. VT *id, quod uides, effecerint*] ut me in Italiam uenire coegerint. REM, *& summam negotij uides.*] non reperio, inquit, nec quid ad te scribam, nec quid a te petam: rem ipse uides, & negotij summam: uides per te, cuiusmodi res sit, & quid facere te oporteat. quid autē oportebat? hoc uidelicet; agere apud Caesarē per eos, qui gratia ualerent, ut Ciceroni in Italia tuto liceret esse. hoc erat, quod ab Attico fieri uolebat: sed prae dolore non explicat. tantū dicit, Rem, & summam negotij uides, quid a te uelim, & qua in re tuo studio, tuaq. ope indigeam. TVENDI *mei*] excusandi, & purgandi apud Caesaris amicos, a quibus Ciceroni timendum erat: utpote qui in eorum potestate esset, contra quos antea in bello fuisset. PLACERE] tibi, ut de rebus meis & commodius, & cautius, quam per litteras, colloquamur. unde illud epist. 13. Vtinam uel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, itineribus te accessissem. nunc, nec ubi, nec, quando te sim uisurus, possum suspicari. PER *opida*] ut in opidis diem consumam, noctu autem, ne uidear, iter faciam. id, inquit, difficile est. non enim ita possum noctu iter facere, ut mane semper opida reperiam, & diuersoria. & dicit, Apta diuersoria, hoc sensu: Non ita disposita sunt diuersoria, ut mihi, noctu iter facienti, semper ante lucem quasi ad praescriptum adsint, ut deinde totum diem in ijs possim consumere: ex quo necesse erit, ut opida non semper reperiētes aliquam diei partem quandoque in itinere ponamus: itaque fiet, quod tu me nocturnis itineribus uelles effugere, ut ab hominibus uidear in uia. sed fac posse, ut aptissima semper habeam diuersoria. quid refert? homines, inquis, te non uidebunt in uia. at uidebunt in opidis: & omnino accidet, quod tu nolles, ut me Brundisio discessisse, & ad urbem propius accedere, Caesariani rescifcant. quod sine permissu Caesaris facere tutum non est. Ac uidere licet Ciceronis angustias, & difficultatem, cui neque propius accedere Caesaris iniussu liceret, neque ex Italia discedere, Brundisij uero manere, in oculis uictorum, in summa indignitate, molestissimum esset. AD *id, quod quaeris*] ne de accessu meo ad Caesarianos deferatur. hoc est enim, cur me uelis noctu iter facere. ET *animi, & corporis molestiam*] animum. n. curae distrahebant; corpus, praeter maerorem, caeli etiam grauitas debilitabat. unde illud ep. 22. Corpore uix sustineo grauitatem huius caeli, qui mihi laborem affert in dolore. DE *Vatinio*] scire uis, quo animo Vatinius in me sit. hoc autem quaesierat Atticus, fortasse, quod uereretur, ne Vatinius, qui Ciceronem ante diligere uisus esset, Caesare uictore non eundem se praestaret, sed iniuriae potius, quam beneficij a Cicerone accepti, memor esse uellet. nam primum cum Cicero oppugnarat, deinde defenderat. QVINCTVS *auersissimo animo a me Patris fuit*] quoniam in sequentibus epistolis de Quincti maledictis in Marcum fratrem legetur, eius rei caussam non ab re est hoc loco pluribus explicare. Cum Cn. Pompeius, Brundisio profectus, in Graeciam nauigasset, ut classe, quāta maxima fieri posset, comparata, Italiae commeatus intercluderet, & Caesarem fame affligeret: incertus M. Cicero quid ageret, in Italia resideret, an Pompeium sequeretur; suadentibus nonnullis, & maxime Quincto fratre, ut ad Pompeium iret, paruit, & profectus est, ut ostendit epistola huius libri 9. cum dicit, Cessimus, uel potius parui. ex quibus unus qua mente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te, & ad alios misit. loquitur enim de Quincto fratre. Profligato deinde Pompeio, cum in Italiam M. Cicero rediisset, ueritus est Quinctus, ne frater, quo facilius a Caesare ueniam impetraret,

suae

suae ad Pompeium profectionis caussam in ipsum conferret. itaq. turpi & scelerato mendacio confinxit, sibi Marcum fratrem auctorem fuisse, ut ad Pompeium proficisceretur, & ubicumque fuit, maledicta in fratrem conferre non destitit, idq. fecit Patris, ut patet ex epistola huius libri 10. ideoq. dicit, Quinctus auersissimo a me animo Patris fuit. EODEM } Patras, ut sit potius, ad eundem locum, quam, eodem animo. PROFECTOS } ad Caesarem in Asiam, ut deprecarentur. apparet ex epistola sequenti. CUM *ceteris* } qui ad Caesarem eunt, ueniam petituri, cum Pompeio quod fuerint.

Cicero S. D. Attico. 6.

SOLICITUM *esse te cum de tuis, communibusq. fortunis, tū maxime de me, ac de dolore meo, sentio. qui quidem dolor meus nō modo nō minuitur, cū socium sibi adiungit dolorem tuum, sed etiam augetur. omnino pro tua prudentia sentis, qua consolatione leuari maxime possim. probas enim meum consilium, negasq. mihi quidquam tali tempore potius faciendū fuisse. addis etiam, (quod etsi mihi leuius est, quam tuū iudicium, tamen non est leue) ceteris quoque, idest qui pondus habeant, factum nostrum probari. id si ita putarem, leuius dolerem. credo, inquis, mihi. credo equidem: sed scio, quam cupias minui dolorem meum. Me discessisse ab armis, numquam paenituit. tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata; ut iam omnium iudicio constitutum esset, omnium uestrum bona praedam esse illius uictoriae: uestrum; plane dico. numquam. n. de te ipso, nisi crudelissime, cogitatum est. quare uolūtatis me meae numquā paenitebit: cōsilij paenitet. in opido aliquo mallē resedisse, quoad accerserer: minus sermonis subijssem: minus accepissem doloris: ipsum hoc me non angeret. Brūdisij iacere, in omnes partes est molestum. propius accedere, ut suades, quomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi non possunt: quos ego mō do paullisper cum bacillis in turbam conieci ad opidum accedens, ne quis impetus militum fieret. recipio tempore me domo. te nunc ad Oppium, quoniam ijs placeret modo propius accedere, ut hac de re considerarent. credo fore auctores. sic enim recipiunt, Caesari non modo de conseruanda, sed etiam de augenda mea dignitate curae fore: meq. hortantur, ut magno animo sim, ut omnia summa sperem: ea spondent, confirmant. quae quidem mihi exploratiora essent, si remansissem. sed ingero praeterita. uide, quaeso, igitur ea, quae restant; & explora cum istis: & si putabis opus esse, & si istis placebit, quo magis factum nostrum Caesar probet, quasi de suorum sententia factum; adhibeantur Trebonius, Pansa, si qui alij, scribantq. ad Caesarem, me, quidquid fecerim, de sua sententia fecisse. Tulliae meae morbus, & imbecillitas corporis me exanimat: quam tibi intelligo magnae curae esse; quod est mihi gratissimū. De Pompeij exitu mihi dubium numquam fuit. tanta enim desperatio rerum eius, omnium regum, & populorum animos occuparat, ut, quocumq. uenisset, hoc putarem futurum. non possum eius casum non dolere. hominē enim integrum, & castum, & grauem cognoui. De Fannio consoler te? perniciosa loquebatur de mansione tua. Lucius uero Lentulus Hortensij domum sibi, & Caesaris hortos, & Baias desponderat; omnino haec eodem modo ex hac parte fiunt, nisi illud erat infinitum, omnes enim, qui in Italia remanserant, hostium numero habebantur. sed uelim haec aliquando solutiore animo. Quinctum fratrem audio profectum in Asiam, ut deprecaretur. de filio nihil audiui. sed quaere ex Diochare, Caesaris liberto, quem ego non uidi, qui istas Alexandrinas litteras attulit. is dicitur uidisse an euntem, an iam in Asia? Tuas litteras, prout res postulat, exspecto: quas uelim cures quamprimum ad me perferendas. Vale. IV. kal. Dec.*

EXPLANATIO

DE *me, ac de dolore meo* } *de me*, propter periculum, in quo uersor, cum in eorum manu sim, contra quos in bello fui: *de dolore meo*, quia uides me dolere, & angi, quod in Italiam uenerim; cum omnino aut in Africam ire cum ceteris Pompeianis, aut in opido aliquo a bellis uacuo residere melius esset. QUA *consolatione* } quae scilicet in eo est, cum tu probas meum consilium, & me omnino tali tēpore in Italiam uenire debuisse affirmas. TANTA *erat in illis crudelitas,* } quid. n. crudelius esse potest, quam generatim proscriptionem informare eorum omnium, qui in Italia remansissent. TANTA *cum barbaris gentibus coniunctio* } proscriptionis duas caussas ponit; unam, quod Pompeiani sua sponte crudeles erant; alteram, quod barbaras gentes in exercitu habebant, quae tantum de caede & de praeda cogitarent. barbarae autem gentes in Pōpeij castris erant, Cappadoces, Thraces, Dardani, Bessi, & qui praeterea initio libri III. de bello ci. a Caesare cōmemorantur, & ab Appiano l. II. VOLUNTATIS *me meae nūquā paenitebit, consilij paenitet.* } uoluntatis, quod ab armis discesserim; consilij, quod in Italiam uenerim. OPIDO *aliquo* } uel Achaiae, uel alicuius prouinciae, quae esset a bello uacua. ACCERSERER } a Caesare in Italiam: quod & tutius, & magis honorificum fuisset. SERMONIS } quem subij, quod uno proelio uictus, statim, desperata rep. & libertatis cura posthabita, in Italiam ad uictores, quasi ad seruitutem, spōte uenerim. MINUS *accepissem doloris* } nam, si tuto in opido resedissem, ut puta Rhodi, aut Mitylenis, duntaxat reip. caussa doluissem. nunc me praeterea existimationis, & salutis meae periculum solicitat: existimationis, quod reip. caussam prodidisse, aut certe neglexisse uideri possum, qui unus omniū Pom-

peianorum huc me contulerim;salutis,quod uictoris in manu sum. Ipsvm *hoc*} quod me nunc angit, erroris uidelicet mei recordatio;qui,impetu magis animi,quam cogitatione usus, in Italiam ueniendi consilium cepi. Iacere. } despectum,& sine dignitate.id enim hoc in loco significat, Iacere. Sine *lictoribus,quos populus dedit,*} populus proconsulibus in prouincias euntibus imperium dabat,& lictores sex:ij nec imperium,nec cetera insignia prius deponebant,quam in urbem reuertissent. Cicero autem cum ad urbem pridie non.Ian.accessisset,hac de caussa ingressus non est,quod fore sperabat,ut propter res in Cilicia prospere gestas urbem triumphans inueheretur:quod cum ei senatus frequens flagitasset,ut est in quadam epistola ad Tironem;re per Lentulum consulem dilata,ad extremum, celeri,& inopinato Caesaris aduentu,Pompeium,urbe relicta profugientem,secutus est.ex quo factum,ut imperium & lictores retinuerit.itaque nunc dicit,Propius accedere sine lictoribus qui possum? in quo ostendit,se adduci non posse ut lictores dimitteret.ijs autem uti non audebat,nisi a Caesare,aut ab ijs, qui in Italia Caesaris locum tenebant,impetrasset: quod deinde impetrauit,ut apparet ex epistola sequenti. Et dicit,Quos populus dedit,ad differentiam illorum,qui tantum S.C.lege curiata, qua populus imperium dabat,neglecta,prouincias acceperant.ut iustior Ciceroni, quam cuiuis, retinendorum lictorum caussa esset,quos non a senatu solum,sed a populo etiam accepisset.Caesar l.1.de bello ciuili. Ad *opidum*} Ad Oppium,omnino uidetur emendandum. ad eum enim Cicero accedens, lictores sibi fasces praeferre,& cum pompa anteire noluit,ueritus,ne Caesariani milites ea re offensi impetum aliquem facerent:itaque eos in turbam coniecit,& promiscue cum ceteris ire uoluit. Cvm *bacillis*} cum fascibus.nam ex bacillis,& uirgis constrictis fasces constabant,securi inserta,ut eius acies exstaret. Recipio *tempore me domo.te nunc*} corruptus locus:quem restituere,& sanare uix uidemur posse: tentemus tamen;&,quod remedium in libris scriptis inuenire non licet,uideamus num id ex ingenio promere possimus.adducor igitur ut putem, Ciceronem,cum de suo ad Oppium accessu dixisset, subdidisse cum dolore,& indignatione,Recipi,o tempora,me domo,& hunc? ut hoc dicat.uide quam sim miser. colere me homines,& ad me domum uenire solebant.nunc uenit tempus,cum me Oppius, quasi dignitate superior,domo recipiat,exire ad me nolit,intra parietes suo commodo exspectet. O tempora,recipi me domo? ut illud,O tempora,fore cum Curtius non dubitet consulatum petere? Et hunc? tam abiectum uidelicet,tam despectum,tam sine dignitate? Quod sequitur,sic interpungo: Ad Oppium. quoniam ijs placeret,modo propius accedere;ut hac de re considerarent.Ad Oppium,inquit,redeo, de quo scribere institueram.deinde quem cum eo sermonem habuerit,continuo subiungit.Quoniam ijs placeret, modo propius accedere;ut hac de re considerarent.de lictoribus uidelicet;num ijs placeret,ut eos mecum adducere.n.dixit,inquit,ut hac de re considerarent.hoc enim uerbum subaudiendum est. Si *remansissem.*} in Italia. si numquam ad Pompeium in Graeciam profectus essem,ut contra Caesarem pugnarem. Qvae *restant*} praeterita sunt mittenda: quae reliqua sunt,uide. Istis } Caesaris amicis,qui Romae sunt.explora,inquit,quo animo isti erga me sint,quo putent Caesarem esse. Factvm *nostrum*} quod,propius ad urbem accedens,lictores mecum adduxerim.quod Caesar magis probabit, si,me id fecisse de suorum sententia,cognoscet. De *Pompeij exitu*:} quem Ptolemaeus Aegypti rex interfecerat. Caesar,Plutarchus,historici omnes. Hoc *putarem futurum*} putaui,quocumque uenisset,eum interfectum iri;cum homines,despecta illius fortuna,gratiam eo facto se esse a Caesare inituros putarent. Fannio } hic est,quem initio belli ciuilis Pompeius in Siciliam cum imperio praemisit. ep.15.l.10. deinde apparet, cum mare transisse cum ipso Pompeio:& numeratur inter eos,qui cum imperio,erant,ep.15.l.8. De *mansione tua*} crudeliter tibi minabatur,quod in Italia remansisses: itaqde eius interitu consolandus non es. Lvcivs *uero Lentulus*} ne de Lentulo quidem dolendum est: (hic autem ab eodem Ptolemaeo rege,qui Pompeium interfecerat,comprehensus, in custodia necatus erat) siquidem,ut Fannius crudelis,ita hic rapax fuisset,qui Hortensij domum,&c. Omnino} omnino & a Caesarianis huiusmodi multa fiunt,indigna uidelicet,& iniusta: sed illud, quod Pompeiani designabant,erat infinitum.non.n.hunc aut illum proscribere cogitabant,sed generatim omnes, qui in Italia remansissent. Nisi} ponitur pro Sed.ut hic,& ep.13.& ep.1.& 73.l.13.fam.Vide Aldi filij Scholia in Sallustium. Hostivm *numero*} Suetonius haec in Iulio:Denunciante Pompeio, pro hostibus se habiturum,qui reip.defuissent;ipse medios,& neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronunciauit.ep.6.l.9.fam.& Caesar l.1.de bello ci. Solvtiore *animo*} nunc enim a curis districtus ualde sum,propter temeritatem mei consilij;quod in Italiam tam inconsiderate uenerim. Vt *deprecaretur.*} ut ueniam a Caesare peteret,quod cum Pompeio fuisset. Nihil *audiui*} profectus sit,nec ne. Alexandrinas *litteras*} Alexandriae datas:in qua Aegyptij Caesarem inclusum obsidione premebant. sic,& Epiroticae litterae,& Olbiensis epistola,dixit alibi. An *euntem;an iam in Asia?*} figura,qua utimur,cum,ex duabus rebus utra sit,incerti sumus.ut ep.11. l.1. Nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus,ex quodam rumore,an ex litteris tuis ad alios missis? & eodem libro infra: Proximus Pompeio sedebam:intellexi hominem moueri,utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praeter misisset, an esse tantas res nostras,quae tam libenti senatu audirentur? Huius generis etiam illud est in epistola ad Trebatium:Cn.Octauius,an Cn.Cornelius quidem? is me crebro ad cenam inuitat. & illud in Bruto,Paucis ante,quam mortuus est,an diebus,an mensibus?

Cicero S. D. Attico. 7.

GRATAE mihi tuae litterae sunt, quibus accurate perscripsisti omnia, quae ad me pertinere arbitratus es. Factum igitur, ut scribis istis placere, iisdem istis lictoribus me uti, quod concessum Sextio sit. cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos. audio enim eum ea S. C. improbare, quae post discessum tribunorum facta sunt. quare poterit, si uolet sibi constare, nostros lictores comprobare. quamquam quid ego de lictoribus, qui paene ex Italia decedere sim iussus? nam ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se litterarum, in quibus erat: se audiuisse, Catonem, & L. Metellum in Italiam uenisse, Romae ut essent palam: id sibi non placere; ne qui motus ex eo fierent: prohiberiq. omnes Italia, nisi quorum ipse caussam cognouisset. deq. eo uehementius erat scriptum. itaque Antonius petebat a me per litteras, ut sibi ignoscerem: facere se non posse, quin iis litteris pareret. tum ad eum misi L. Lamiam, qui demonstraret, illum Dolabellae dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quamprimum uenirem: eius me litteris uenisse. tum ille edixit ita, ut me exciperet, & Laelium nominatim. quod sane nollem. poterat enim, sine nomine, re ipsa excipi: o multas, & graues offensiones: quas quidem, tu das operam, ut lenias; nec tamen nihil proficis: quin hoc ipso minuis dolorem meum, quod, ut minuas, tam ualde laboras: idq. uelim ne grauere quam saepissime facere. maxime autem assequere quod uis, si me adduxeris, ut existimem, me bonorum iudicium non funditus perdidisse. quamquam quid tu in eo potes? nihil scilicet: sed, si quid res dabit tibi facultatis, id me maxime consolari poterit: quod nunc quidem uideo non esse. sed si quid ex euentis: ut hoc nunc accidit. dicebar debuisse cum Pompeio proficisci. exitus illius minuit eius officii praetermissi reprehensionem. sed ex omnibus nihil magis tamen desideratur, quam quod in Africam non ierim. iudicio hoc sum usus, non esse barbaris auxiliis fallacissimae gentis remp. defendendam, praesertim contra exercitum saepe uictorem. non probant fortasse. multos enim uiros bonos in Africam uenisse audio, & scio fuisse antea. ualde hoc loco urgeor. hic quoque opus est casu aliqui sint ex eis, aut, si potest, omnes, qui salutem anteponant. nam si perseuerant, & obtinent; quid nobis futurum sit, uides. dices, quid illis, si uicti erunt? honestior est plaga. Haec me excruciant. Sulpicii autem consilium, non scripsisti, cur meo non anteponeres: quod etsi non tam gloriosum est, quam Catonis, tamen & periculo uacuum est, & dolore. Extremum est eorum, qui in Achaia sunt. ii tamen ipsi se hoc melius habent, quam nos; quod & multi sunt uno in loco, &, cum in Italiam uenerint, domum statim uenerint. Haec tu perge, ut facis, mitigare, & probare quamplurimis. Quod te excusas: ego uero & tuas caussas nosco: & mea interesse puto, te istic esse, uel ut cum iis, quibus oportebit, agas, quae erunt agenda de nobis, ut ea quae egisti. in primisq. hoc uelim animaduertas. multos esse arbitror, qui ad Caesarem detulerint, delaturi ue sint, me aut paenitere consilii mei, aut non probare, quae fiant. quorum etsi utrumque uerum est; tamen ab illis dicitur animo a me alienato, non quo ita perspexerint. sed totum ut hoc Balbus sustineat, & Oppius, & eorum crebris litteris illius uoluntas erga me confirmetur, & hoc plane ut fiat, diligentiam adhibebis. Alterum est, cur te nolim discedere, quod scribis Terentiam flagitare. orem miseram. quid scribam? aut quid uelim? breue faciam: lacrymae enim se subito profuderunt: tibi permitto: tu consule. tantem uide, ne hoc temporis Terentiae obesse aliquid possit. ignosce, obsecro te: non possum prae fletu, & dolore diutius in hoc loco commorari. tantum dicam, nihil mihi gratius esse, quam quod eam diligis. Quod litteras, quibus putas opus esse, curas dandas, facis commode. Quinctum filium, uidi, qui Sami uidisset, patrem Sicyone: quorum deprecatio est facilis. utinam illi, qui prius illum uiderunt, me apud eum uelint adiutum tantum, quantum ego illos uellem, si quid possem. Quod rogas, ut in bonam partem accipiam, si qua sint in tuis litteris, quae me mordeant: ego uero in optimam; teq. rogo, ut aperte, quemadmodum facis, scribas ad me omnia, idq. facias quamsaepissime. Vale. XIV. kal. Ian.

EXPLANATIO

ISTIS *placere,*] Caesarianis, qui Romae sunt. ISTIS *lictoribus*] consulibus L. Lentulo, & C. Marcello, cum Q. Cassius, & M. Antonius tribuni pl. S. C. contra Caesaris dignitatem fieri prohiberent; factum est per Caesaris inimicos, ut, intercedendi potestate priuati, de sua salute cogitare die septimo cogerentur. itaque ad Caesarem, qui Rauennae erat, profugerunt. postea S. C. quae Pompeius uult, & ut uult, multa fiunt: iniuste: non enim recte S. C. fieri potest, cum tribunis pl. intercedendi potestas erepta est. sed Pompeius tamen iis S. C. delectus habuit, pecunias exegit, prouincias cum imperio tribuit, ut Scipioni, Domitio, Fannio, Sextio. Caesar autem, deuicto Pompeio, ea S. C. improbauit, quae post fugam tribunorum facta erant; quod, tribunicia potestate sublata, nihil legibus, nihil more maiorum, nihil iure actum uideretur. quod cum ita esset; sequebatur, ut & prouincias & lictores amitterent ii, qui haec a senatu post fugam tribunorum habuissent. quod si qui ex his erant, quibus Caesar lictores relinquere, & institutum tamen illud suum de S. C. improbandis retinere uellet: hac utebatur uia: lictores, quos a senatu habuerant, adimebat, alios deinde ipse dabat. ita fiebat, ut & illi lictoribus uterentur; & ea, quae senatus post fugam tribunorum decreuerat, ne ualerent. itaque dicit Cicero, Cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos: audio enim eum ea S. C. improbare, quae post discessum tribunorum

facta

facta sunt. Sextius enim erat ex ijs, qui lictores, idest imperium, illis S. C. habuerat. & dicit, Suos, quos habuerat antea: Ab ipso datos, a Caesare. supra autem, Iisdem istis, idest, ijs, quos nunc habeo. non enim ex ijs erat Cicero, qui lictores habuerant post fugam tribunorum: sed eos ante illud tempus habuerant, cum Ciliciam prouinciam non a senatu solum, sed etiam a populo accepi. quod Sextio non contigerat. qui praetoriam prouinciam sortitus erat: cum de illius imperio ad populum latum nō esset. Caesar lib. 1. de bello ciu. QVOD *concessum Sextio sit* } ut lictoribus ipse quoque uti posset. SI *uolet sibi constare* } hoc dicit, Caesar si tantummodo S. C. uolet improbare, quae post discessum tribunorum facta sunt, poterit nostros lictores comprobare, idest eos, quos adhuc habui. non enim ego illis S. C. imperium accepi. quod si nostros lictores minus probare noluerit, plane constare sibi non uidebitur. non enim praestabit id, quod dixit, se uelle ea S. C. quae post fugam tribunorum facta sunt, ut iniqua rescindere; sed hac ratione prorsus omnia S. C. tollet. L. METELLVM } hic est, qui superiore anno, tribunus pl. cum esset, Caesarem, ne pecuniam ex aerario promeret, impedire conatus est. cui Caesar mortem minitatus, & aerarij foribus, ut Appianus inquit, effractis, pecuniam abstulit. unde illud ep. 7. l. 10. Duarum rerum simulationem amisit, mansuetudinis in Metello, diuitiarum in aerario. ILLVM } Caesarem. EDIXIT } edixit Antonius, ne cui ex ijs, qui cum Pompeio contra Caesarem in bello fuissent, liceret esse in Italia, excepto Cicerone, & Laelio. RE *ipsa excipi* } quo modo poterat sine nomine re ipsa fieri Ciceronis exceptio? si sic uidelicet Antonius edixisset: Ex omnibus Pompeianis ne cui liceat esse in Italia, nisi quorum caussam Caesar cognouerit, aut de quibus Caesar scripserit. quo edicto Cicero non nominatus, re ipsa tamen exceptus esset: siquidem Dolabellae litteris, Caesaris iussu confectis, in Italiam uenerat. Cur autem nominari Cicero noluisset? duabus de caussis: primum, quod grauius offendi Pompeianos intelligebat tam aperta significatione: eos porro iratos habere nolebat, si forte, ut incerti sunt bellorum exitus, uictores domum reuertissent: deinde, quod exceptio illa, nominatim facta, quasi legem & necessitatem ijs, qui excipiebantur, imponebat, ne discedere ex Italia possent, ne scilicet beneficium Caesaris aspernari, aut etiam renunciare uiderentur. unde illud in epistola, quae proximam subsequitur, Exceptionibus edictorum retineor: quae si non essent sedulitate effectae, & beneuolentia tua, liceret mihi abire in solitudines aliquas. nunc ne id quidem licet. ASSEQVERE *quod uis.* } ut minuatur dolor meus: quem inde capio, quod & in Italiam uenerim, & in edicto nominatim exceptus sim. ME *bonorum iudicium non funditus perdidisse* } bonos de me non male iudicare, neque consilium meum, quod in Italiam unus ex omnibus Pompeianis uenerim, prorsus improbare. QVID *tu in eo potes?* } quid a te fieri potest, ut boni meum consilium non reprehendant? nihil scilicet. caussam enim mei facti probabilem, quam afferas, nullam habes. uerumtamen, si qua mei defendendi facultas exstiterit, id me maxime consolari poterit. Et dicit, Id poterit, ut hoc significet, aliud fere nihil esse quod possit. QVOD *nunc quidem uideo non esse* } uideo nullam tibi nunc meae temeritatis excusandae facultatem dari. SI *quid ex euentis* } nunc nihil uideo esse, quo meum factum tueri possis: sed, si quid ex euentis nascetur, obserua, & occasionem ne praetermitte: ut, si Caesar bellum ex sententia confecerit, ex illo euentu mei defendendi facultatem arripias, quam nunc quidem non habes. adhuc enim Pompeiani sunt in armis, &, dum erunt, ego turpis uidear necesse est, qui stantem adhuc reip. caussam deseruerim. quod si uincuntur, meum consilium ex euentis probabitur. dicar enim hunc exitum prouidisse, sapienterq. fecisse, quod in Italiam, idest in Caesaris potestatem, uenerim; contra quem sine spe uincendi pugnare, aut frustra tergiuersari, stultum esset. VT *hoc nunc accidit* } hoc scilicet, quod sequitur: in quo ex euentis defendimur. nam, exitu Pompeij perspecto, minus reprehendor, quod cum eo post Pharsalicam pugnam fugiente profectus non sim. in quo sapiens fuisse nunc uideor; quasi de illo, quocumque uenisset, id, quod accidit, fore coniecerim. exitu uero nondum cognito, dicebar debuisse cum eo proficisci. Ex *omnibus nihil tamen magis desideratur, quam quod in Africam non ierim.* } Multa, inquit, in me desiderantur, uel quod cum Pompeio profectus non sim, uel quod in Africam ad renouandum bellum non ierim, uel quod in oppido aliquo non resederim: sed ex omnibus tamen nihil magis desideratur, quam quod in Africam non ierim. NON *probant* } qui Romae sunt, qui scilicet pondus habent, & a quibus meum factum probari uellem. fortasse autem non probant, quod multi boni uiri in Africam profecti sunt: ut tentare quiduis potius maluisse uideantur, quam de rep. desperare, cum ego contra fecerim. ET *scio fuisse antea* } in Africa: quorum omnium iudicium hoc fuit, uel barbaris auxilijs remp. esse defendendam. HOC *loco ualde urgeor* } non uideo, qui defendi possim. HIC *quoque opus est &c.* } oportet, inquit, (nam alioqui defendi non possem) ex ijs, qui in Africam iuerunt, ut bellum renouarent, casu aliqui sint, uel, si fieri potest, omnes, qui suae saluti consulere uelint, & consilium illud, quod ceperant, omittentes, abiectis armis Caesari se credant. hoc si ita fit, meum factum minus condemnabitur: siquidem & alios salutem omnibus rebus antepos uisse constabit. sin autem illi in bello perseuerant, & si uincunt: uides, quid nobis futurum sit. quasi dicat: non solum in turpitudine erimus, sed etiam in periculo: turpitudine, quod publicam caussam deserui, maiore salutis, quam dignitatis, ratione habita: periculo, quod eos hoc facto mihi fore iratos intelligo. unde illud in epistola quadam ad Varronem: Si essent nostri potiti, ualde intemperantes fuissent. erant enim nobis perirati: quasi quidquam de nostra salute censuissemus. Dicit autem, Hic quoque, propterea quod in Graecia multi fuerant, qui post deuictum acie Pharsalica Pompeium saluti consulerent, & uictori aut se committerent, aut bellum certe rursus inferre nollent. SVI DICII *consilium* } quod se Ciceronis consilio

filio non anteponere, consolans uidelicet Atticus scripserat. CATONIS } qui bellum in Africa contra Caesarem renouat. PERICVLO *uacuum est, & dolore* } itaque nostro consilio uidetur esse anteponendum: cum nostrum neque periculo uacuum sit, neque dolore: quod & in uictoris manu sumus, & hoc ipsum mali non casu nobis, sed culpa & temeritate nostra contractum est: cum quiduis facere praestiterit, quam in Italiam uenire. EXTREMVM *est* } commemorat, quae contra se faciunt, & quae obijci a bonis uiris possent. primum, inquit, reprehendi possum, quod in Africam non ierim: deinde, non idē fecerim, quod Sulpicius, qui sedem tutam & a bello uacuam elegit: postremo, quod non in Achaia remanserim. hoc extremum est: sed hoc tamen facere melius fuit, quam in Italiam uenire. DOMVM *statim uenerint*. } quod nobis non contigit. nam & in Italiam uenimus, neque domum tamen statim uenimus, qui Brundisij adhuc misere iacemus; illi autem uel in Achaia residebunt, uel, impetrata a Caesare uenia, domum recta se conferent. Brundisij maxime lictorum cura Ciceronem tenebat: quos neque dimittere uolebat, ut proxima superiore epistola ostendit; &, secum adducere, propter militum licentiam periculosum uidebat esse. HAEC *tu* } haec, quae contra me sunt, uelim, ut coepisti, in sermonibus ita extenues, ac minuas, ut quamplurimos in tuam sententiam adducas. QVOD *te excusas* } cur ad me ipse non uenias. VEL *ut cum ijs* } hic particula, Vel, non iteratur, sed refertur ad illud, quod infra dicet, Alterum est, cur te nolim discedere. nam duae caussae erant, cur Ciceronis interesset Atticum Romae esse; uel ut cum Caesarianis ageret, quae agenda erant; uel, ipso absente, ne Terentia egeret; quam Atticus scripserat in sumptum flagitare. CONSILII *mei* } quod in Italiam uenerim. QVOD *scribis Terentiam flagitare*: } haec est altera caussa, cur te nolim discedere, quia scribis Terentiam assidue pecuniam petere: quod eam esse in angustijs declarat: quae, si tu abesses, omnium rerum inopia premeretur. IN *hoc loco* } prae dolore, inquit, in huius rei commemoratione diutius uersari non possum. QVOD *eam diligis* } quod ea tibi curae est, quod ei deesse nihil pateris. VTINAM *illi*, } hoc dicit, quia fore suspicatur, ut ab ijs apud Caesarem oppugnetur. patet ex epistola sequenti.

Cicero S. D. Attico. 8.

QVANTIS curis afficiar, etsi profecto uides, tamē cognosces ex Lepta, & Trebatio. maximas poenas pendo temeritatis meae; quam tu prudentiam mihi uideri uis; neque te deterreo, quo minus id disputes, scribasq. ad me quamsaepissime. non nihil enim me leuant tuae litterae hoc tempore. Per eos, qui nostra caussa uolunt, ualentq. apud illum, diligentissime contēdas opus est, per Balbum, & Oppium maxime, ut de me scribant quamdiligentissime. oppugnamur enim, ut audio, & a praesentibus quibusdam, & per litteras. ijs ita occurrendum, ut rei magnitudo postulat. Furnius est illic, mihi inimicissimus. Quinctus misit filium non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei. dictitat, se a me apud Caesarem oppugnari. quod refellit Caesar ipse, omnesq. eius amici. neque uero desistit, ubicūque est, omnia in me maledicta conferre. nihil mihi umquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum. qui ex ipso audissent, cum Sicyone palam multis audientibus loqueretur, nefaria quaedam ad me pertulerunt. nosti genus, etiam expertus es fortasse: in me id est omne conuersum. sed augeo commemorando dolorem, & facio etiam tibi. quare ad illud redeo. cura, ut huius rei caussa, dedita opera, mittat aliquem Balbus. ad quos uidebitur, uelim cures litteras meo nomine. Vale. xv. kal. Ian.

EXPLANATIO

TEMERITATIS *meae*, } quod in Italiam temere & inconsiderate uenerim. QVAM *tu prudentiam mihi uideri uis* } conaris enim mihi persuadere, non me temere fecisse, quod in Italiam uenerim, sed prudenter: negasq. mihi quidquam tali tempore potius faciendum fuisse. FVRNIVS } malim, Fusius: ut de Caleno, Ciceronis jam inde a Clodianis temporibus inimico, intelligatur. ep. 15. & 16. nam Furnius non modo non inimicissimus, sed etiam & ante ciuile bellum, & post amicissimus. ep. 18. l. 5. & 18. l. 9. & fam. l. 10. ep. 25. NOSTI *genus*, } nosti quam maledicus, quam iracundus sit. non ignoras, quantum in eo soleat esse acerbitatis & iracundiae uirus. id in me nunc uniuersum euomitur.

Cicero S. D. Attico. 9.

EGO uero & incaute, ut scribis, & celerius, quam oportuit, feci: nec in ulla sum spe, quippe qui exceptionibus edictorum retinear. quae si non essent sedulitate effectae, beneuolentia tua, liceret mihi abire in solitudines aliquas. nunc ne id quidem licet. quid autem me iuuat, quod ante initum tribunatum ueni, si ipsum, quod ueni, nihil iuuat? iam, quid sperem ab eo, qui mihi amicus numquam fuit; cum iam lege etiam sim confectus, & oppressus? quotidie Balbi ad me litterae languidiores, multaeq. multorum ad illum, fortasse contra me. meo uitio pereo. nihil mihi mali caussa attulit: omnia culpa contracta sunt. ego enim, cum genus belli uiderem,

uiderem, imparata, & infirma omnia contra paratissimos iueram, (quid facerem?) ceperamq. consilium non tam forte, quam mihi praeter ceteros concedendū. cessimus, uel potius parui. ex quibus unus qua mente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te, & ad alios misit. quas ego nūquam aperuissem, nisi res acta sic esset. delatus est ad me fasciculus: solui, si quid esset ad me litterarum: nihil erat. epistola Vatinio, & Ligurio altera. iussi ad eos deferri. illi ad me statim ardentes dolore uenerunt, scelus hominis clamantes. epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. hic Ligurius furere: se enim scire, summo illum in odio fuisse Caesari: illum tamen non modo fouisse, sed & tantam pecuniam illi dedisse honoris mei caussa. hoc ego dolore accepto, uolui scire, quid scripsisset ad ceteros. ipsi enim illi putaui perniciosum fore, si eius hoc tantum scelus percrebuisset. cognoui. eiusdem generis litteras ad te misi. quas si putabis illi ipsi utile esse reddi, reddes: nil me laedet. nam quod resignatae sunt: habet, opinor, eius signum Pomponia. hac ille acerbitate initio nauigationis cum usus esset; tanto me dolore affecit, ut postea iacuerim. neq. nunc tam pro se, quam contra me, laborare dicitur. ita omnibus rebus urgeor, quas sustinere uix possum, uel plane nullo modo possum. quibus in miserijs una est pro omnibus, quod istam miseram, patrimonio, fortuna omni spoliatam, relinquam. quare te, ut polliceris, uidere plane uelim. alium enim, cui illam commendem, habeo neminem: quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quae mihi. sed, si me nō offendes, satis tamen habeto commendatam, patruūq. in ea, quantum poteris, mitigato. Haec ad te die natali meo scripsi: quo utinam susceptus non essem, aut ne quid ex eadem matre postea natum esset. plura scribere fletu prohibeor.

EXPLANATIO

NEc *in ulla sum spe &c.* } nam, si sperarem me hinc posse discedere, quo & incaute, & celerius, quam oportuit, ueni; leuior esset dolor: sed eam spem eripiunt mihi exceptiones edictorum. Lege quae scripsimus in epistolam. quae ante proximam superiorem legitur. ANTE *initum tribunatū* } antequam tribunatum noui tribuni pl. inirent. ueni autem ante in Italiam, ueritus ne illi me suis rogationibus impedirent. Tribuni pl. ante alios magistratus & designabantur, & magistratum inibant. LEGE } fortasse a tribuno pl. Dolabella perlata; in qua scriptum esset idem, quod in Antonij edicto. OPPRESSVS. } quia me lex in Italia retinet, cum excipiebat me nominatim, sicut edictum. uide epist. 7. MVLTAEQ. *multorum ad illum* } ad Caesarem. multos autem ad Caesarem scribere sciebat: propterea quod tabellarij, qui Roma ad Caesarem in Africam litteras ferebant, Brundisij, ubi ipse erat, necessario conscendebant. CAVSSA *attulit* } Vbaldini liber antiquus, Caūs attulit. emendo, Casus attulit. nam quemadmodum, casus & consilium, casus & iudicium; sic, casus & culpa, casus & error, antitheta sunt. unde illud epistola huius libri ultima: Nihil est enim contractum casu: sed omnia fecimus ijs erroribus & animi, & corporis, quibus &c. GENVS *belli* } formidabile, &, quocumque uictoria inclinasset, exitiosum. unde illud ad Marcellum: Omnia sunt misera in bellis ciuilibus: sed miserius nihil, quam ipsa uictoria: quae, etiam si ad meliores uenit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresq. reddit. Plane enim uiderat, quid Caesar & Pompeius spectarent, quae inter eos conflati belli caussa, cum uidelicet utrique non libertas, sed dominatio proposita esset. ex quo illud ep. 11. lib. 8. Neutri *ex...s* est ille, ut nos beati simus: uterque regnare uult. IVERAM } nemo adhuc, quod quidem sciam, hoc uerbum mendosum esse suspicatus est; ne ipse quidem, cum hos meos commentarios primo edidi. nunc autem, cum ad hunc locum legendo peruenissem; (ualde enim harum epistolarum lectio me delectat) nec satis ipsa sibi congruere sententia uideretur; coepi diligentius totam rem examinare. itaq. uidi, non modo, Iueram, sincerum esse non posse, sed plane, quod aliud significet, alterum uerbum desiderari. nam, si genere belli commouetur Cicero, quod inter ciues gerebatur; si imparata omnia & infirma apud Pompeium, contra apud Caesarem paratissima esse intelligit; certe inde fit, non ut ex Italia discedat, sed potius, ut in ea remaneat. idq. aperte confirmat illud, Ceperamq. consilium non tam forte, quam mihi praeter ceteros concedendum. non enim, si de itione ad Pompeium loqueretur, consilium illud minus forte appellaret. itaque, de mansione ut intelligat, necesse est. quod etsi non tam forte consilium fuit, ipsi tamen, qui paci semper studuerat, fuit praeter ceteros concedendum. deinde (& hoc est, in quo suam culpam agnoscit) optimatum sermonibus, quos audiebat, consilijsq. maxime Quincti fratris de sua sententia detrusus, iuit ad Pompeium. &, ut mutationem sententiae suae significet, primum ait, Ceperam, ut de priore sententia: deinde, de posteriore, subiungit, Cessimus. patet de mendo. uideamus correctionem. Bessarionis liber, pro, Iueram, habet Sciueram: quod interpretari licet, caute egeram, consulueram probe rebus meis, intellexeram, quod esset e re mea. deinde quale illud esset, exponit his uerbis: Ceperamq. consilium &c. manendi consilium non dubie significans. quod a se mutatum, & aliorum sermonibus, quibus ait se uictum, cessisse, & fratris suorumq. consilijs, quibus adscribit se paruisse, miserrimis modis in hac epistola conqueritur, Sane uellem exemplum aliquod liceret afferre, quo, ueteres Sciendi uerbo, ea, qua diximus, sententia, eodemq. modo, nulla scilicet adiuncta dictione, usos esse, constaret. cuius generis etsi nunc in mentem nihil uenit; quin tamen eiusmodi aliquid, quale quaerimus, inueniri possit, non despero. Quod si quis de mendo quidem nobiscum sentit, de quo uix arbitror dubitari posse, correctionem autem, ob inusitatam uerbi sententiam, minus probat: is a nobis accipiat, quod damus; de reliquo libros ipse ueteres consulat; aut ex ingenio

suo

suo probabilius aliquid promat. Haec cum scripsissem, rursus idem cogitanti uenit in mentem, Quieram, pro Iuceram, nec a sententia dissentire, nec a uetere scriptura longius abesse. itaque uelim a studiosis hoc quoque considerari. MIHI *praeter ceteros concedendum* } nam alios tantum reip. caussa, me ueto etiam beneficia, quae a Pompeio acceperam, mouebant. CESSIMVS, *uel potius parui* } cessimus, sermonibus hominum: parui, ijs, qui suadebant, ut ad Pompeium irem. ep. 12. IS, *quem tu mihi commendas* } frater meus. commendauerat autem Atticus, ut eum Cicero apud Caesarem deprecantem litteris adiuuaret. unde illud ep. 22. Scribis illum per me Quincto fore placatiorem. Quo modo autem Cicero, qui & ipse fortuna minus prospera utebatur, adiuuare eum apud Caesarem posset, & quo modo etiam adiuuerit, apparet ex epistola, quae post duas sequentes legitur, in qua commendaticiae sunt, pro Quincto fratre, Ciceronis ad Caesarem litterae. FASCICVLVS } litterarum, quas e Graecia Q. Cicero partim Brundisium ad Varinium, & Ligurium, partim Romam ad alios mittebat. NON *modo fouisse, sed & tantam pecuniam illi dedisse* } cum scilicet eo legato in Gallia usus est. est autem, Fouisse, locum illi inter legatos concessisse, non exclusisse illum, non dimisisse. HONORIS *mei caussa* } ut cognoscerem; quanti me faceret. non enim in eo Caesar Quincti Ciceronis, sed Marci rationem habuit. EIVSDEM *generis* } plenas omnium in me probrorum. ILLI *ipsi* } cui ego putaui perniciosum fore. VTILE } apud Caesarem, aut etiam apud alios. REDDI } ijs, ad quos mittuntur. HAC *ille acerbitate* } nam in me acerbus, & contumeliosus fuit iam inde ab illo tempore, cum ad Pompeium in Graeciam nauigare coepimus. ISTAM *miseram,* } Tulliolam. PATRIMONIO. *&c.* } uidetur dubitare de proscriptione: quod apertius ostendit paullo infra, cum dicit, Matri quoque eadem intellexi esse parata, quae mihi. SI *me non offendes,* } si acciderit, ut, cum ad me uenies, me non offendas. Et hoc dicit, ut significet, sibi prae desperatione consilium in alias terras migrandi paene iam esse captum. TAMEN *habeto* } putato, satis eam tibi esse his litteris a me commendatam. DIE *natali meo* } III. non. Ianuarij. apparet ex epistola 5. libri 7. & 41. lib. 13.

Cicero S. D. Attico. 10.

AD *meas incredibiles aegritudines aliquid noui accedit ex ijs, quae de Q. fratre ad me afferuntur. P. Terentius, meus necessarius, operas in portu, & scriptura Asiae pro magistro dedit. is Quinctum filium Ephesi uidit VI. id. Dec. eumq. studiose propter amicitiam nostram inuitauit. cumq. ex eo de me cunctaretur, eum sibi ita dixisse narrabat, se mihi esse inimicissimum; uolumenq. sibi ostendisse orationis, quam apud Caesarem contra me esset habiturus: multaq. a se dicta contra eius amentiam: multa postea Patris consimili scelere secum Quinctum patrem locutum: cuius furorem ex ijs epistolis, quas ad te misi, perspicere potuisti. haec tibi dolori esse certo scio. me quidem excruciant, & eo magis, quod mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto. De Africanis rebus longe alia nobis, ac tu scripseras, nunciantur. nihil enim firmius esse dicunt, nihil paratius. accedit Hispania, & alienata Gallia, legionum nec uis eadem, nec uoluntas, urbanae res perditae. quid est, ubi acquiescam? nisi quã diu tuas litteras lego. quae essent profecto crebriores, si quid haberes, quo putares meam molestiam minui posse. sed tamen te rogo, ne intermittas scribere ad me, quidquid erit; eosque, qui mihi tam crudeliter inimici sunt, si odisse non potes, accuses tamen; non ut aliquid proficias, sed ut tibi me carum esse sentiant. Plura ad te scribam, si mihi ad eas litteras, quas proxime ad te dedi, rescripseris. Vale. XII. kal. Febr.*

EXPLANATIO

OPERAS *in portu, & scriptura Asiae pro magistro dedit* } portorio, & scripturae Asiae magistri loco praefuit. de hoc ipso in epistola ad Silium his uerbis: Cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas, summaq. consuetudo est. Scriptura autem quid sit, Pedianus in diuinatione declarat his uerbis: Qui exigenda a socijs, suo periculo exigunt, & reip. repraesentant, eorum ratio Scriptura dicitur. In illa autem societate & magistri, & pro magistris erant. CVM *illis ne querendi quidem locum futurum puto.* } siquidem alter frater est, alter fratris filius. cum alijs si res esset, ulcisceret: cum his ne queri quidem mihi arbitror licere. AC *tu scripseras* } Atticus ad consolandum Ciceronem, quae poterat, omnia colligebat. itaque scripserat, eos, qui contra Caesarem in Africa bellum renouarent, infirmos plane esse, & imparatos. hoc autem ad minuendam Ciceronis molestiam uel maxime pertinebat, qui ex euentis aliquid exsistere cupiebat, unde consilium suum non temere captum uideretur. in epistola, quae ante duas superiores legitur, locus est huiusmodi: Si quid ex euentis. in eum locum quae scripsimus, lege. apertior huius erit intelligentia. HISPANIA } in qua Cn. Pompeius Magni filius bellum aduersus Caesarem instaurabat. Appianus libro II. Dio libro 42. & 43. QVID *est, ubi acquiescam?* } nam, si haec, ut nunciantur, ita sunt, ualde ego reprehendar, qui in Italiam ad Caesarem uenerim, caussa publica, quam alij & fortiter, & cum optima spe tuerentur, destituta. EOSQ. } Quinctum fratrem, & Quinctum eius filium. ACCVSES } litteris ad eos scriptis reprehendas.

Cicero S. D. Attico. 11.

CONSPICVS iam cruciatu maximorum dolorũ, ne si sit quidem, quod ad te debeam scribere, facile id exsequi possem, hoc minus, quod res nulla est, quae scribenda sit; cum praesertim ne spes quidem ulla ostendatur, fore melius. ita iam ne tuas quidem litteras exspecto, quamquã semper aliquid afferunt, quod uelim. quare tu quidem scribito, cum erit, cui des. ego tuis proximis, quas tamen iam pridem accepi, nihil habeo, quod rescribam. longo enim interuallo uideo immutata esse omnia, illa esse firma, quae debeãt, nos stultitiae nostrae grauissimas poenas pendere. P. Sallustio curanda sunt HS xxx, quae accepi a Cn. Sallustio. uelim uideas, ut sine mora curentur. de ea re scripsi ad Terẽtiam. atque hoc ipsum iam prope consumptum est. quare id quoque uelim, cum illa uideas, ut sit, qui utamur. hic fortasse potero sumere, si sciam istic paratum fore: sed prius, quam id scirem, nihil sum ausus sumere. Qui sit omnium rerum status noster, uides. nihil est mali, quod non & sustineam, & exspectem. quarum rerum eo grauior est dolor, quo culpa maior. ille in Achaia non cessat de nobis detrahere. nihil uidelicet tuae litterae profecerunt. Vale. VIII. id. Martij.

EXPLANATIO

IMMVTATA *esse omnia*, } nam, cum Cicero ab Attico litteras accepit, imbecillae Pompeianorum uires esse uidebantur; cum autem hanc epistolam scripsit, firmissimae. itaque infert, Illa esse firma, quae debeant, nos stultitiae nostrae grauissimas poenas pendere. & hoc postremum adiungit, quia stultus sibi fuisse uidebatur, quod tam celeriter in Italiam uenisset, belli Africani exitu non exspectato. CVRANDA } Romae. ACCEPI } hic. erant autem argentarij P. & Cn. Sallustij, alter Romae, alter Brundisij. QVI *utamur* } uide epist. 23. lib. 13. QVO *culpa maior*. } nam hoc ipsum mali, quod & sustineo, & exspecto, totum est mea culpa contractum. qui tam stulte & inconsiderate in Italiam ueni. ILLE } Quinctus frater.

Cicero S. D. Attico. 12.

CEPHALIO mihi a te litteras reddidit ad IIX. id. Mart. uespere. eo autem die mane tabellarios miseram, quibus ad te dederam litteras. tuis tamen lectis litteris, putaui aliquid rescribẽdum esse, maxime, quod ostendis te pendere animi, quamnam rationem sim Caesari allaturus profectionis meae tum, cum ex Italia discesserim. nihil opus est mihi noua ratione. saepe enim ad eum scripsi, multisq. mandaui, non potuisse, cum cupiissem, sermones hominum sustinere. multaq. in eam sententiam. nihil enim erat, quod minus eum uellem existimare, quam me tanta de re non meo consilio usum esse. postea, cum mihi litterae a Balbo Cornelio minore missae essent, illum existimare, Quinctum fratrem lituum meae profectionis fuisse, (ita enim scripsit) qui nõ dum cognosset quae de pace Quinctus scripsisset ad multos: etsi multa praesens in praesentem acerbe dixerat, & fecerat, tamen L. in eo his uerbis ad Caesarem scripsi. De Quincto fratre meo non minus laboro, quam de me ipso: sed eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo. illud dumtaxat tamen audebo petere abs te, quod te oro, ne quid existimes ab illo factum esse, quo minus mea in te officia constarent: minus ue te diligerẽ, potiusq. illum semper auctorem nostrae coniunctionis fuisse, meiq. itineris comitem, non ducem. quare ceteris in rebus tantum ei tribues, quãtum humanitas tua, amicitiaq. uestra postulat: ego ei ne quid apud te obsim, id te uehementer etiam atque etiam rogo. Quare, si quis cõgressus fuerit mihi cum Caesare, (etsi non dubito, quin is lenis in illum futurus sit, idq. iam declarauerit) ego tamen is ero, qui semper fui. sed, ut uideo, multo magis est nobis laborandum de Africa. quã quidem tu scribis confirmari quotidie magis ad condicionis spem, quam uictoriae. quod utinam ita esset: sed longe aliter esse intelligo, teq. ipsum ita existimare arbitror, aliter autem scribere non fallendi, sed confirmãdi mei caussa, praesertim cum adiungatur ad Africã etiam Hispania. Quod me admones, ut scribam ad Antonium, & ad ceteros: si quid uidebitur tibi opus esse, uelim facias id, quod saepe fecisti. nihil enim uenit mihi in mentem, quod scribendum putem. Quod me audis fractiorem esse animo: quid putas, cum uideas accessisse ad superiores aegritudines praeclaras generi actiones? Tu tamen uelim ne intermittas, quoad eius facere poteris, scribere ad me, etiam si rem, de qua scribas, nõ habebis. semper enim afferũt aliquid mihi litterae tuae. Galeonis hereditatem creui. puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est. Vale. VIII. id. Mart.

EXPLANATIO

NIHIL *enim erat* } sensum patere puto ijs, qui uident in litteris acutius. ut tamen etiam hebetiores intelligant, euolutam sententiam manifestis uerbis exponã. minime, inquit, uolebam Caesarẽ existimare, me tanta de re alieno consilio usum esse, uolebã igitur eum existimare, nõ me suasu fratris mei, sed mea sponte meoq. consilio iuisse ad Pompeium. POSTEA, *cum* } antea, Postea quam: emendaui locum

cum ex coniectura, & hic, & epistola ultima lib. 2. fam. & alibi. Mendi origo fuit, quod scribebant ueteres, Quom, pro cum. TAMEN *L in eo* } Tamen de eo, clarius esset. ut nunc legitur, non puto locum carere mendo. opem exspectabimus ueterum librorum. IS *lenis in illum* } Caesar in Quinctum. Is *ero, qui semper fui* } faciam, quod semper feci, ut fratrem meum, quantum in me sit, adiuuem. QVOD *utinam ita esset.* } cupit, Pompeianos Caesari se dedere; ut ipse sapiens fuisse uideatur, qui statim post Pharsalicam pugnam ad Caesarem uenerit, quasi, quid futurum esset, coniectura prospiceret. ETIAM *Hispania* } cum etiam in Hispania contra Caesarem bellum paretur. VELIM *facias id, quod saepe fecisti:* } scribas ipse meo nomine. Hoc enim Atticus facere solitus erat. unde illud in epist. 2. Quibus tibi uidebitur, uelim des litteras meo nomine. & epist. 3. Velim, si qui erunt, ad quos scribendum a me existimes, ipse conficias. item ep. 5. 7. & 14. PRAECLARAS *generi actiones?* } εἰρωνικῶς. nam actiones Dolabellae, qui hoc tempore tribunatum pl. gerebat, turpissimae erant. auctor Dio lib. XLII. & Plutarchus in Caesare. ipse autem ep. 14. Omnium, inquit, conspectum horreo, praesertim hoc genero. & ep. 16. Ad ea, quae me conficiunt, gener accedit. & ep. 23. O dij, generum ne nostrum potissimum, ut huc uel tabulas nouas? SIMPLICEM } sine coheredibus; ut ego unus creuerim. ep. 2. Vel, Simplicem, ordinariam, non aliquo nouae sollemnitatis genere.

Cicero S. D. Attico. 13.

A MVRENAE liberto nihil adhuc acceperam litterarum. P. Siser reddiderat eas, quibus rescribo. De Seruij patris litteris quod scribis, item, Quinctum in Syriam uenisse, quod ais esse qui nuncient: id quidem uerum est. Quod certiorem te uis fieri, quo quisque in me animo sit, aut fuerit eorum, qui huc uenerunt: neminem alieno intellexi; sed, quantum id mea intersit, existimare te posse certo scio. mihi cum omnia sunt intolerabilia ad dolorem, tum maxime, quod in eam caussam uenisse me uideo, ut sola utilia mihi esse uideantur, quae semper nolui. P. Lentulum patrem, Rhodi esse aiunt, Alexandriae filium: Rhodoq. Alexandriam C. Cassium profectum esse constat. Quinctus mihi per litteras satisfacit, multo asperioribus uerbis, quam cum grauissime accusabat. ait enim se ex litteris tuis intelligere, tibi non placere, quod ad multos de me asperius scripsit: itaque se paenitere, quod animum tuum offenderit: sed se iure fecisse. deinde perscribit spurcissime, quas ob caussas fecerit. sed neque hoc tempore, nec antea patefecisset odium suum in me, nisi omnibus rebus me esse oppressum uideret. atque utinam uel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, itineribus propius te accessissem. nunc nec ubi, nec quando te sim uisurus, possum suspicari. De coheredibus Fufidianis nihil fuit, quod ad me scriberes. nam & aequum postulant: &, quidquid egisses, recte esse actum putarem. De fundo Frusinati redimendo iampridem intellexisti uoluntatem meã, etsi tum meliore loco res erant nostrae, neque tam mihi desperaturi uidebamur. tamen in eadem sum uoluntate. id quemadmodum fiat, tu uidebis. Et uelim, quoad poteris, cõsideres, ut sit, unde nobis suppeditentur sumptus necessarij. si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, cum id uidebamur sapienter facere, detulimus. itaque tum & a tuo uillico sumpsimus, & aliunde mutuati sumus, cum Quinctus quereretur per litteras, sibi nos nihil dedisse; qui neque ab illo rogati sumus, neque ipsi eam pecuniã adspeximus. sed uelim uideas, quid sit, quod confici possit, quidq. mihi de omnibus des consilij: & caussam nosti. Plura ne scribam, dolore impedior. si quid erit, quod ad quos scribendum meo nomine putes, uelim, ut soles, facias: quotiesq. habebis, cui des ad me litteras, nolim praetermittas. Vale.

EXPLANATIO

SISER } non memini me legisse alibi hoc cognomen inter familias Romanas. familiae quidem nomen esse non potest. itaque suspicor de mendo. SERVII *patris* } Seruij Sulpicij & addit, patris, propterea quod eodem praenomine & filius appellabatur, ut apparet ex epistolis ad Sulpicium scriptis. Puto autem alio loco me dixisse, apud Romanos in consuetudine fuisse positum, ut, qui primi nati essent filij, patris praenomine uterentur. HVC *uenerunt:* } Brundisium. EXISTIMARE *te posse certo scio* } uides enim, nulla omnino re leuari posse dolorem meum. deinde infert, Mihi cum omnia &c. AEQVVM *postulant,* } quid postularint, cognosce infra, ep. 14. & 16. NEQVE *tam mihi desperaturi uidebamur.* } Caualcantis liber scriptus habet, Neque tamen mihi desperaturi ita uidebamur: Vbaldini, Neque tamen desperaturi mihi uidebamur: Tertij, Neque desperare mihi uidebantur. legendum puto, Neq. tamen desperatum iri mihi uidebamur. IN *eadem sum uoluntate* } ut redimatur: quamquam res nostrae desperatae sint. CVM *id uidebamur sapienter facere,* } ante quam ille a Caesare deuictus esset: quo tempore nobis ea res honori fore uidebatur rep. constituta. nunc autem, quoniam fortuna tulit, ut Caesar uinceret, ex euentis stulte fecisse iudicamur. TVO *uillico* } in Epiro. NEQVE *ab illo rogati sumus* } qui enim dare debui non rogatus? QVID *sit, quod confici possit* } unde nobis suppeditentur sumptus necessarij. CAVSSAM *nosti* } non est tibi ignotus rerum mearum status. Et hoc dicit, propterea quod, cum illud paruum plane posuisset, Quid mihi de omnibus des consilij, (non enim exponit, quibus de rebus consilium dari sibi uelit) adscribendum putauit, cur breuitate usus esset: ideoq. intulit, Et caussam nosti, & scis, inquit, res meae quo modo se habeant, & quae me solicitent, etiam si ego minus explicem.

Cicero S. D. Attico. 14.

NON me offendit ueritas litterarum tuarũ, quod me, tum communibus, tum praecipuis malis oppressum, ne incipis quidem, ut solebas, consolari, fateris q. id fieri iam non posse. nec enim ea sunt, quae erãt antea, cum, ut nihil aliud, comites me, & socios habere putabam. omnes enim Achaici deprecatores, item qui in Asia, quibus non erat ignotum, etiam quibus erat, in Africam dicuntur nauigaturi. ita, praeter Laelium, neminem habeo culpae socium: qui tamen hoc me lliore in caussa est, quod iam est receptus. de me autem, non dubito, quin ad Balbum, & ad Oppium scripserit: a quibus, si quid esset laetius, certior factus essem, tecum etiam essent locuti: quibuscum tu de hoc ipso colloquare uelim, & ad me, quid tibi responderint, scribas: non quod ab isto salus data quidquam habitura sit firmitudinis; sed tamen aliquid consuli, & prospici poterit. etsi omnium conspectum horreo, praesertim hoc genero: tamen, in tantis malis quid aliud uelim, non reperio. Quinctus pergit, ut ad me & Pansa scripsit, & Hirtius: isq. item Africam petere cum ceteris dicitur. Ad Minucium parẽtem scribam, & tuas litteras mittam. ad te scribam, num quid egerit. HS xxx potuisse mirarer, nisi multa de Fufidianis praedijs. & id uideo tamen. Te exspecto: quem uidere, si ullo modo potes uenire, peruellem. iam extremum concluditur. ibi facile est, quod quale sit, grauius existimare. Vale.

EXPLANATIO

VT *nihil aliud,* } subaudi, esset, quod me consolaretur. COMITES *me, & socios habere putabam* } qui in Africam ire noluerant, sed remanserant, ut a Caesare ueniam deprecarentur, eos sibi comites reditus in Italiam, & eiusdem consilij socios fuisse dicit. CVLPAE } peccasse sibi uidetur, quod Brundisij maneat, ceteris ad Africanum bellum proficiscentibus. RECEPTVS } a Caesarianis. SCRIPSERIT } Caesar. NON *quod ab isto salus data quidquam habitura sit firmitudinis* } cur ita putaret, caussam attulit ep. 20. sic enim scribit: Et alia timenda sunt, ab aliisque: & ab hoc ipso quae dantur, ut a domino, rursus in eiusdem sunt potestate. Hoc *genero.* } P. Cornelio Dolabella, qui cum Caesare erat. Hoc genero: tam turpi, tam perdito, tam flagitioso. Et bene, quemadmodum ego opinor, ideo dicit, quod Dolabella Caesarem instigabat, ut aut Pompeianorum bona proscriberet, aut tabulas nouas poneret. unde illud ep. 24. Odij, generum ne nostrum potissimum, ut hoc, uel tabulas nouas? Atque etiam huc pertinet id, quod dixit ep. 12. Vides accessisse ad superiores aegritudines, praeclaras generi actiones. Item ep. 16. Ad ea, quae me conficiunt, gener accedit. & ibidem: Suspicor colligere eos dubiam nostram caussam putare. idest, proscriptionem meorum bonorum fore putant. QVINCTVS *pergit,* } Quinctus frater non cessat de nobis detrahere. CVM *ceteris* } iis, de quibus supra in hac epistola. AD *Minucium parentem scribam,* } ut mihi pecuniam curet. TVAS *litteras mittam* } quibus ad eum scribis, ut mihi usque ad HS xxx curet: tantundem te Minucio filio Romae numeraturum. Minucius tamen xII. sola curauit: ut ex epistola, quae proxima sequitur, apparet. POTVISSE *mirarer* } subaudi, cogi & confici a te de rebus meis. NISI *multa de Fufidianis praedijs* } hic quoque subintelligitur, HS cogi & confici potuisse putarem. quod tamen non ita erat. nam Fufidiana praedia, quae ad Ciceronem hereditate peruenerant, nondum Atticus uendiderat; ut patet ex epistola sequenti. ET *id uideo tamen* } quam difficile sit xxx cogi.

Cicero S. D. Attico. 15.

QVONIAM iustas caussas affers, quod te hoc tempore uidere non possum: quaeso, quid sit mihi faciendũ. ille enim ita uidetur Alexandriam tenere, ut eum scribere etiam pudeat de illis rebus. ij autem ex Africa iam affuturi uidentur. Achaei item ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco commoraturi. quid mihi igitur putas agendum? uideo difficile esse consilium. sum enim solus, aut cum altero, cui neque ad illos reditus sit, neque ab his ipsis quidquam ad spem ostendatur. sed tamen scire uelim, quid censeas, idq. erat cum alijs, cur te, si fieri posset, cuperem uidere. Minuciũ xII. sola curasse, scripsi ad te antea. quod superest, uelim uideas, ut curetur. Quinctus non modo non cum magna prece ad me, sed acerbissime scripsit: filius uero mirifico odio. nihil fingi potest mali, quo non urgear. omnia tamen sunt faciliora, quam peccati dolor, qui & maximus est, & aeternus. cuius peccati si socios essem habiturus ego, quos putaui, tamen esset ea consolatio tenuis: sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullam. alij capti, alij interclusi non ueniunt in dubium de uoluntate, eo minus scilicet, cum se expedierint, & una esse coeperint. ij autem ipsi, qui sua uoluntate ad Fufium uenerunt, nihil possunt, nisi timidi, existimari. multi autem sunt, qui, quicumque sunt, modo ad illos se recipere uolent, recipientur. quo minus debes mirari, non posse me tanto dolori resistere. solius enim meum peccatũ corrigi non potest; & fortasse Laelij: sed quid me id leuat? Caluum quidem Cassium aiunt consilium Alexandriam eundi mutauisse. Haec ad te scribo, nõ ut queas tu demere solicitudinem, sed ut cognoscam,

noscam, ecquid tu ad ea affectus, quae me conficiunt: ad quae gener accedit, & cetera, quae, fletu reprimor, ne scribam. quin etiam Aesopi filius me excruciat. prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Sed ad primum revertor: quid putes faciendum, occulte ne aliquo propius veniendum, an mare transeundum. nam hic maneri diutius non potest. De Fufidianis quare nihil potuit confici? genus enim condicionis eiusmodi fuit, in qua non solet esse controversia; cum ea pars, quae videtur esse minor, licitatione expleri posset. haec ego non sine caussa quaero: suspicor enim, coheredes dubiam nostram caussam putare, & eo rem in integro esse. Vale. Pridie id. Mai.

EXPLANATIO

VT *eum scribere etiam pudeat de illis rebus,* } quasi bellum cum Ptolemaeo rege coeptum confecerit, & negotij iam nihil habeat. Loquitur autem de Caesare. AFFVTVRI } in Italia, ut cum Caesare dimicent. unde illud in epistola sequenti, Ante reditum eius, negotium confectum iri puto. ACHAE I } qui post pugnam Pharsalicam primum in Achaia remanserant: deinde in Asiam iuerant, ut a Caesare veniam impetrarent. ij, omisso petendae veniae consilio, aut ad Pompeium, inquit, redituri ex Asia videntur, aut loco aliquo, qui Caesaris in potestate non sit, commoraturi. ALTERO } D. Laelio, quem tamen a Caesarianis receptum iam esse, superiore epistola scripsit: sed videtur minus certum id fuisse, siquidem paullo post in hac epistola dicet: Solius meum peccatum corrigi non potest, & fortasse Laelij. ex quo manifestum est, incertum adhuc fuisse, num Laelius esset receptus. CVR *neque ad illos reditus sit, neque ab his ipsis quidquam ad spem ostendatur.* } illos, Pompeianos: his ipsis, Caesarianis. XII. } HS. de hoc in epistola superiore. QVOD *superest* } usque ad XXX. HS. ex quibus XII. tantum acceperat a Minucio, ut XVIII. superessent. PECCATI *dolor,* } nihil, inquit, difficilius est, quam is dolor, quem ex peccati mei recordatione percipio. peccaverat autem in hoc Cicero, quod in Italiam venerat, ut saepe iam dictum est. AETERNVS. } numquam enim eo liberamur. SI *socios essem habiturus ego, quos putavi* } putavi enim alios quoque in Italiam esse venturos: qui deinde non venerunt. HABET *aliorum &c.* } ceteri Pompeiani, qui in Africam non iverunt, excusari omnes aliqua re possunt, ego nulla. itaque illi reditum habent ad suos, quem ego me habere non puto, qui publicam caussam, cum in Italiam veni, quasi prodidisse videor. NON *venient in dubium de voluntate* } non existimari possunt noluisse in Africam ire; si quidem capti a Caesare, aut interclusi, non potuerunt. ego autem neque captus sum, neque interclusus: neque tamen in Africam ivi: quodq. gravius est, etiam in Italiam veni. CVM *se expedierint* } nunc reprehendi non possunt, quia non iverint: apparet enim non licuisse, cum alij capti, alij interclusi essent. si vero exeundi viam nacti, ad exercitum Africanum se conferent, multo minus in dubium venient de voluntate. ostendent enim se, cum potuerunt, iuisse. FVSIVM } Q. Fusium Calenum, quem Caesar, victo in Pharsalia Pompeio, Achaiae praefecerat: & est is, ut opinor, qui Ciceroni post Caesaris obitum acerrime in senatu in M. Antonium invehenti, respondit. epistola sequenti. Caesar l. 3. de bel. ci. Dio. TIMIDI } tantum timidi videri possunt, nihil praeterea. venerunt enim sua sponte in Caesaris potestatem, ne, hostium loco habiti, calamitatem aliquam subirent, quam supplices se posse effugere sperarunt. ego autem non timidus solum existimari possum, sed Caesaris quodammodo cupidus, qui in Italiam, quasi conspectum & consuetudinem victoris appetens, me contulerim: cum eadem ratione, qua ij, qui ad Fusium venerunt, consulere mihi possem. QVICVMQVE *sunt* } etiam si Caesaris caussam acriter oppugnarint. CORRIGI *non potest* } neque enim efficere ego quidquam possum, ut peccasse non videar. alij autem, si qui peccasse putabantur, cum se ad Africanum exercitum contulerint, recepti non iam amplius reprehendentur: cum mea ratio non eadem sit. nam, quoniam ego multo gravius, quam ceteri, Pompeianos offendi, non recipiar ab illis: itaque fiet, ut solius meum peccatum non corrigatur. CASSIVM } rumor fuerat, Cassium ad Caesarem Alexandriam ire, ut deprecaretur. quod omnino Ciceronis caussam aliqua ex parte sublevasset, cum & plures esse constaret, qui victori se crederent. hic quoque, inquit, consilium mutasse dicitur: ut videas me, praeter Laelium, culpae socium habere neminem. GENER *accedit* } perditus, & Caesari malorum consiliorum auctor, etiam in epistola superiore, Praesertim hoc genero. In eum locum, vide, quae diximus. CETERA } ut de domesticis rebus male affectis, ut de Terentiae inopia, ut de Quincti maledictis. EXPLERI } cum hereditas dividi commode non potest, propter coheredum non aequas partes, ad licitationem confugitur; quae certior est, quam aestimatio. ita, omnium bonorum reperto pretio, expletur ea, quae minor esse videtur, pars hereditatis.

Cicero S. D. Attico 16.

NON meo vitio fit, hoc quidem tempore, (ante enim est peccatum) ut me ista epistola nihil consoletur. nam & exigue scripta est, & suspiciones magnas habet, non esse ab illo: quas animadvertisse te existimo. De obviam itione ita faciam, ut suades. neque enim valde adventus eius opinio est: neque, si qui

ex Asia

ex Asia uenerunt, quidquam additum esse dicunt de pace. cuius ego spe in hanc fraudẽ incidi, nihil uideo, quod sperandum putem, nunc praesertim, cum ea plaga in Asia sit accepta, in Illyrico, in Cassiano negotio, in ipsa Alexandria, in urbe, in Italia. ego uero, etiam si rediturus ille est, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum eius negotium confectum iri puto. Quod autem scribis, quandam laetitiam bonorum esse commotam, ut sit auditum de litteris: tu quidem nihil praetermittis, in quo putes aliquid solatij esse: sed ego non adducor quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterẽ ab illo, & eo minus, quod huius cõsilij iam ne socium quidem habeo quemquam. qui in Asia sunt, rerum exitum exspectant. Achaici etiam Fusio spem deprecationis afferunt. horum & timor idem fuit primo, qui meus, & constitutum: mora Alexandrina caussam illorum correxit, meam euertit. quamobrem idem a te nunc peto, quod superioribus litteris, ut, si quid in perditis rebus dispiceres, quod mihi putares faciẽdum, me moneres. si recipior ab his, quod uides non fieri; tamẽ, quoad bellum erit, quid agam, aut ubi sim, non reperio. sin iactor, eo minus. itaque tuas litteras exspecto; easq. ut ad me sine dubitatione scribas, rogo. Quod suades, ut ad Quinctum scribam de his litteris: facerem, si me quidquam istae litterae delectarent. etsi quidam scripsit ad me his uerbis: Ego, ut in his malis, Patris sum non iniuens: essem libentius, si frater tuus ea de te loqueretur, quae ego audire uellẽ. Quod ais illum ad te scribere, me sibi nullas litteras remittere: semel ab ipso accepi: ad eas Cephalioni dedi, qui multos menses tempestatibus retentus est. Quinctũ filium ad me acerbißime scripsisse, iam ante ad te scripsi. Extremũ est, quod te orem, si putas rectum esse, & a te suscipi poße, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de testamento. tempora monẽt, ut uideat, ut satisfaciat, quibus debeat. Auditum ex Philotimo est, eam scelerate quaedam facere. credibile uix est: sed certe, si quid est, quod fieri possit, prouidendum est. de omnibus rebus uelim ad me scribas, & maxime quid scribas de ea: in quo tuo consilio egeo, etiam si nihil excogitas; id enim mihi erit pro desperato. Vale. III. non. Iun.

EXPLANATIO

ISTA *epistola* } quae mihi a Caesare reddita est. EXIGVE } sine pondere: ut, quod illa epistola continetur, inane dicat: quod idem epist. 17. Inane, inquit, esset, etiam si uerum esset. AB *illo* } a Caesare. a quo epistolam illam scriptam non fuisse, ostendit epist. 17. Intelligis, inquit, illud de litteris ad v. idus Februa. datis non uerum esse. Ac sane fieri potest, ut Oppius eam, aut aliquis alius scripserit; ne Cicero, desperatione adductus, rursus ex Italia discederet. DE *pace* }. quam Cicero cum omnino inter Caesarem & Pompeianos factum iri putaret, ut ostendit in epistola ad Cassium, in Italiam uenit, statim post pugnam in Thessalia commissam. cuius eum consilij deinde paenituit: itaque infert: Cuius ego spe in hanc fraudem incidi. SPERANDVM } de pace. IN *Asia &c.* } enumerat, quot in locis parum secunda Caesaris fortuna fuerit. In Asia: cum Pharnaces Mithridatis filius, pugna cum Cn. Domitio Caluino Asiae praefecto prospere facta, Pontum occupauit. IN *Illyrico.* } ob rem a Gabinio minus feliciter gestam. nam, praeter alia incommoda iam accepta, in proelio cum barbaris commisso magnum numerum militum amisit; & ipse paucis post mensibus, summa difficultate rerum omnium pressus, morbo interijt. CASSIANO *negotio* } cum Cassius, & Marcellus, Caesaris in ulteriore Hispania praefecti, dissensione orta, & militum seditione facta, bellũ aliquandiu inter se gesserunt. IN *ipsa Alexandria* } cum Caesaris milites perturbati, & ab Alexandrinis loco pulsi, legionarijs circiter quadringentis, & classiarijs ac remigibus fere totidem amissis, in naues refugerunt; Caesar autem ipse, magno in periculo uersatus, natatione sibi consulere coactus est. IN *urbe* } hoc est, quod dicit ep. x. Vrbanae res perditae: cum scilicet, absente Caesare, & in bello, quod cum Alexandrinis gessit, occupato, multa male & inutiliter Romae propter contentiones tribunorum pl. & ambitionem tribunorum mil. administrabantur: ut inquit Hirtius lib. IV. quamquam aptius referetur ad M. Antonij libidinem, & auaritiam: de quo his uerbis in II. Philippica: In urbe auri & argenti foeda direptio. & paullo post: Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? IN *Italia* } hoc quoq. ad M. Antonium refero; de quo sic in eadem Philippica: Italiae percursatio comite mima: in opida militum crudelis, & misera deductio. ILLE } Caesar: quem adhuc bello Alexandrino distineri, fama erat. NEGOTIVM *confectum iri* } Africanos in Italia fore. unde illud in epistola superiori: Ij ex Africa iam affuturi uidentur. DE *litteris*: } ad me a Caesare missis: de quibus initio loquitur epistolae. Laetitia autem bonorum commota erat: propterea quod de Ciceronis incolumitate dubitandum iam non uidebatur, Caesare ad illum scribente. HVIVS *consilij* } nemo enim salutem a Caesare petit. nam, qui in Asiam ierant, ut Caesarem pro salute sua deprecarentur, progredi ulterius noluerunt, sed ibi Alexandrini belli exitum exspectant. qui uero in Achaia sunt, Fusio, contra quam antea fecerant, ostendunt se nolle deprecari, & primum illud consilium de salute a Caesare petenda mutauisse. Puto autem legendum esse, Auferunt, non Afferunt. puto tamen, non censeo. uidetur enim, &, Afferunt, posse retineri: ut sit: etiam spem afferunt: spem quidem adhuc Fusio afferunt, ituros se ad Caesarem, ut deprecentur; non tamen eunt. CONSTITVTVM } deliberatio. nam constituerunt, Caesari se committere: sed, interposito Alexandrino bello, & Caesaris rebus in discrimen adductis, integrum sibi reseruarunt, belli exitum exspectantes. itaq. mora Alexandrina effectũ est, ut eorum caussa quasi corrigeretur, ut eorum culpa minueretur: si quidem nihil fecerunt, quod Pompe-

peianos, qui in Africa bellum renouant, grauius offenderet. & ut Alexandrinum bellum illorum caussam iuuit, ita meam perdidit. nam, quo minus secunda Caesaris fortuna est, eo magis reprehēdor, qui in Italiam uenire properarim, caussa reip. desperata. Ab *his* } a Caesarianis. Sine *dubitatione* } noli enim dubitare, ut eorum ueritas me offendat. De *his litteris* } quae mihi a Caesare redditae sunt: uis autem me scribere, ut ille, cum mihi non iratum esse Caesarem audiat, ex hoc meo commodo laetitiam capiat. sed, inquit, hoc non facio: primum, quod me istae litterae non delectant; siquidem & exigue scriptae sunt, & suspiciones habent non esse a Caesare: deinde, quod, ipsum Quinctum non esse erga me optime animatum, ex amici litteris intelligo. Illvm *ad te scribere* } Quinctum. Si *putas rectum esse, & a te suscipi posse,* } duplex consideratio; num rectum sit, ut omnino de testamento Terentia moueatur; & num moueri ab Attico debeat. illud enim, Si putas a te suscipi posse, ut opinor, hoc ualet: si tibi ita familiaris Terentiae uideris esse, ut agere cum ea de testamento possis. Camillo } nam hic non minus, quam Pomponius, Ciceronis res & negotia curabat: ut ostendit epistolarum, quae familiares dicuntur, libro xiv. harum autem, quae ad Atticum scribuntur, libro v. ep. 9. & libro vi. ep. 1. De *testamento* } cupiebat Cicero, a Terentia testamentum fieri, ut illa, cum res suas constitueret, satisfaceret ijs, quibus debebat. nam Ciceroni, Terentiam eius uxorem debere, minus honorificum uidebatur. monere autem eam de testamento, commodius erat, quam de solutione: nam, cum testamentum conficeret, necessario sequebatur, ut de solutione cogitaret. Scelerate *quaedam facere* } nefarie rem perdere: unde illud ep. 24. Cum hoc tam paruum de paruo detraxeris: perspicis quid in maxima re feceri t? In epistola etiam ad Plancium Terentiae scelus appellat, eoq. se dicit esse adductum, ut diuortium faceret. Quibus enim, inquit, pro meis immortalibus beneficiis carissima mea salus, & meae fortunae esse debebāt; cum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidiis uacuum uiderem; nouarum me necessitudinum fidelitate contra ueterum perfidiam muniendum putaui. Qvid *scribas de ea* } rectius fortasse, Quid sentias de ea: num scilicet tibi uideatur posse prouideri, ne rem perdat, ut Terentia significetur. Pro *desperato* } ea de re nihil amplius cogitabo. omnino, inquit, hac in re tuo consilio egeo, siue aliquid excogitas, siue nihil. nam, si aliquid, ne Terentia facultates conficiat, prouidebitur: si nihil; mihi erit ea res pro desperata, itaq. cura liberabor.

Cicero S. D. Attico. 17.

Properantibvs tabellarijs alienis hanc epistolam dedi, eo breuiorem, quod eram missurus meos. Tullia mea uenit ad me prid. id. Iun. deq. tua erga se obseruātia, beneuolētiaq. mihi plurima exposuit, litterasq. reddidit trinas. ego autem ex ipsius uirtute, humanitate, pietate non modo eam uoluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui; sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingeniū in tam misera fortuna uersari, idq. accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea. itaque a te neque consolationem iam, qua cupere te uti uideo, neque consilium, quod capi nullum potest, exspecto: teq. omnia cum superioribus saepe litteris, tū proximis tentasse intelligo. Ego cum Sallustio Ciceronē ad Caesarem mittere cogitabam. Tulliam autem, non uidebam esse caussam, cur diutius mecum tanto in communi maerore retinerem. itaque eram tibi eam, cum primum per ipsam liceret, remissurus. pro ea, quemadmodum consolandis scripsisti, P. tanta eo me scripsisse, quae tu ipse intelligis responderi potuisse. Quod Oppium tecum scribis locutum, non abhorret a mea suspicione eius oratio: sed non dubito, quin istis persuaderi nullo modo possit, ea, quae faciant, mihi probari posse; quoquo modo loquar. ego tamen utar moderatione, qua potero. quamquam, quid mea intersit, ut eorum odium subeam, non intelligo. Te ista caussa impediri, quo minus ad nos uenias, uideo; idq. mihi ualde molestum est. Illum ab Alexandria discessisse, nemo nunciat; constatque, ne profectum quidem illo quēquam post id. Mart. nec post id. Dec. ab illo datas ullas litteras. ex quo illud intelligis, illud, de litteris ad v. id. Febr. datis, quod inane esset, etiam si uerum esset, non uerum esse. L. Terentium discessisse ex Africa scimus, Paestumq. uenisse. quid is afferat, aut quo modo exierit, aut quid in Africa fiat, scire uelim. dicitur enim per Nasidium emissus esse. id quale sit, uelim, si inueneris, ad me scribas. De HS x, *ut scribis, faciam. Vale.* xviii. *kal. Quinct.*

EXPLANATIO

Eo *breuiorem, quod* } Vbaldini liber antiquus, Eo breuior est, & quod. probo: ut duabus caussis breuior epistola sit; & quod. probo: ut duabus caussis breuior epistola sit; & quod eam dederit properantibus tabellariis alienis: & quod suos ipse missurus fuerit. Cvlpa *mea* } enim negligentia factum est, ut Dolabellae nuberet: quem ego probare generum non debui, nisi prius omnia perscrutatus, non solum quod ad mores, sed etiam quod ad facultates attineret. quod si fecissem, eius aere alieno perspecto, numquam passus essem, ut homini in tanta rei domesticae difficultate constituto filia mea collocaretur. sed commisi, ut me absente res per amicos ageretur. quibus in Ciliciam proficiscens ita mandaui, ut, quoniam ego tam longe abfuturus eram, de Tulliae meae matrimonio agerent ipsi quod probassent. in quo meam negligentiam agnosco. tantam enim rem aliis committere non debui, sed in reditum meum integram reseruare. Cur autem hoc a Cicerone putem significari, facit epistola ad Terentiam his uerbis scripta:

scripta ǀ Tullia nostra uenit ad me pridie idus Iun. cuius summa uirtute & singulari humanitate grauiore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longe alia in fortuna esset; atque eius pietas ac dignitas postulabat. Dixit autem, Tale ingenium in tam misera fortuna uersari, hoc sensu; quod Tullia uirum haberet tam perditum, tam flagitiosum, tam multa in tribunatu nefarie molientem. siquidem in tribunatu iniquas leges ferre Dolabella conatus est, maxime debitorum caussa, e quibus ipse unus erat. Dio. Cvm *Sallustio* } idem in epistola ad Terentiam: Nobis erat in animo, Ciceronem ad Caesarem mittere, & cum eo Cn. Sallustium. Deinde consilium mutauit, cum de Caesaris aduentu nihil audiretur; ut in proxima sequenti, & in alia ad Terentiam epistola declarat. Commvni *maerore* } nam utrique in maerore sumus. Consolandis, *&c.* } mendum uideo, correctionem adhuc quaero. Locvtvm } me liberius loqui, quam oporteret. Non *abhorret a mea suspicione eius oratio* } quod enim ipse dicit, id ego quoque suspicabar, genus sermonum meorum istis non probari. Non *dubito &c.* } omnino, inquit, parui refert, quo modo loquar. nam istis persuaderi numquam poterit, eà, quae faciat, mihi probari, etiam si oratione utar ad tempus accommodata. Qvid *mea intersit* } omnino enim ad meas aerumnas accedere iam nihil potest. Idem significat ep. 24. Quod, inquit, me mones de uultu, & oratione ad tempus accommodanda; etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quidquam interesse putarem. Me *profectum quidem illo* } uel, Illinc, uel Illim, quod idem significat, legendum puto, aptiore sententia, quàm si Illo, legas. De *litteris ad V. id. Febr. datis* } de quibus initio proxime superioris epistolae. Inane *esset, etiam si uerum esset* } nam, etsi uerum esset, eas Caesarem scripsisse; tamen apud me non magni ponderis essent, quoniam exigue, &, ut ita dicam, frigide scriptae sunt. Nasidivm } Pompeianum, ex ordine equestri, quem Caesar l. II. de bello ci. a Cn. Pompeio Magno, L. Domitio, Massiliensibusq. subsidio missum refert. de hoc ipso in fine septimae orationis in Antonium. Emissvs } ex Africa: in qua Pompeiani bellum contra Caesarem parabant, & ex prouincia neminem exire patiebantur, ne de copijs eorum, aut de consilijs Caesar scire posset. Nasidius autem fecerat, ut exire Terentio liceret.

Cicero S. D. Attico 18.

De illius ab Alexandria discessu, nihil adhuc rumoris, contraq. opinio, ualde esse impeditum: itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem; & te rogo, ut me hinc expedias. quoduis enim supplicium leuius est hac permansione. hac de re & ad Antonium scripsi, & ad Balbum, & ad Oppium. siue enim bellum in Italia futurum est, siue classibus utetur; hic esse me, minime conuenit: quorum fortasse utrumque erit: alterum certe intellexi omnino ex Oppij sermone, quem tu mihi si scripsisti, quae istorum uia esset: sed, ut eam flectas, te rogo. nihil omnino iam exspecto, nisi miserum. sed hoc perditius, in quo nunc sum, fieri nihil potest. quare, cum Antonio loquare, uelim, & eum istis; & rem, ut poteris, expedias; & mihi quamprimum de omnibus rebus rescribas. Vale. XII. kal. Quinct.

EXPLANATIO

Valde *esse impeditum* } graue adhuc & difficile bellum ei cum Alexandrinis esse. Me *hinc expedias* } efficias, ut mihi Brundisio discedere concedatur; ubi cum reliquis etiam loci grauitas miserrime perferenda. Bellvm } illatum a Pompeianis, tum quidem uires in Africa Scipione duce colligentibus. Vtetvr } Caesar, non exspectans ut in Italiam transijciant. Istorvm } Caesarianorum. Via } ut huc, ubi ego sum, copiae conueniant, in Africam transijciendae.

Cicero S. D. Attico. 19.

Cvm tuis dare possem litteras, non praetermisi: etsi, quid scriberem, non habebam. tu ad nos & rarius scribis, quam solebas, & breuius: credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire posse uerumtamen uelim, quid erit, qualecumque erit, scribas. est autem unum, quod mihi sit optãdum, si quid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe: sed, quia, ut leuiter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum uix est. Philotimus dicitur idibus Sext. nihil habeo de illo amplius. tu, uelim, ad ea mihi rescribas, quae ad te antea scripsi. mihi tantum temporis satis est, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caueam, qui nihil umquam caui. Vale. XI. kal. Sext.

EXPLANATIO

VELIM, *quid erit, qualecunque erit, scribas.* ʒ rectius, Quod erit, opinor. DE *pace* ʒ nam, si bellũ fuisset, erat ei timendum non solum a Caesare, contra quẽ pugnauerat, sed etiam a Pompeianis, quos reliquerat. DICITVR *idibus Sext.* ʒ affuturus, cum Caesaris ad me litteris. affuit autem pridie idus, ut ex duabus epistolis ad Terentiam, quae fam. lib. 14. postremae leguntur, manifestum est. QVAE *autea ad te scripsi.* ʒ puto significari illas litteras, quae in fine libri ordine praepostero collocatae sunt. nam, ante hanc epistolam datas esse, dies adscripta declarat. In iis ostendit, Brundisio discedere sibi certum esse, cũ dicit: Scribas ad me, cum habebis cui des, & dum erit ad quem des; quod longum non erit. Hic quoque idem ostendit, sed se tamen teneri, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caueat. Brundisij, inquit, caussa nõ est cur diutius iaceamus. modo tantisper commoremur, dum, ut in pessimis, aliquid caueamus; satis est. cautio autem haec esse poterat, ut prius, quam discederet, de Caesaris rebus, de belli Africani apparatu certiora cognosceret, ut ad inopiam Terentiae propulsandam aliquid conficeret, ut pecuniam pro sumptu suo cogeret, denique etiam ut Philotimi aduentum exspectaret, qui litteras a Caesare habere dicebatur. ep. 24. NIHIL *umquam caui* ʒ non enim caui, cum initio belli ad Pompeium in Graeciam nauigaui: itaque dicit in epistola ad Caecinam: Vt Amphiaraus in fabulis, sic ego prudens & sciens ad pestẽ ante oculos positam sum profectus. Multo etiam minus caui, cum in Italiam reuerti: siquidem consiliũ cepi nec tutum, nec honorificum.

Cicero S. D. Attico. 20.

XVII. kal. Sept. uenerat die XXVIII. Seleucea Peria C. Trebonij, is, qui se Antiochiae diceret apud Caesarem uidisse Quinctum filium cum Hirtio: eos de Quincto, quae uoluissent, impetrasse, nullo quidem negotio. quod ego magis gauderem, si ista nobis impetrata quidquam ad spem explorati haberent. sed & alia timenda sunt, ab alijsque; & ab hoc ipso quae dantur, ut a domino, rursus in eiusdem sunt potestate. etiã Sallustio ignouit. omnino dicitur nemini negare. quod ipsum est suspectum, notionem eius differri. M. Gallius Q. F. mancipia Sallustio reddidit. is uenit, ut legiones in Siciliam traduceret: & protinus iturum Caesarem Patris. quod si faciet; ego, quod ante mallem, aliquo propius accedam. Tuas litteras ad eas, quibus a te proxime consilium petiui, uehementer exspecto. Vale. XVI. kal. Sept.

EXPLANATIO

SELEVCEA *Peria C. Trebonij, is* ʒ uel antiquis libris repugnantibus emendo, Seleucia Pieria C. Trebonius. fuit autem Pieria Seleuciae cognomen quod apud Plinium legimus lib. 5. cap. 9. & eodem lib. cap. 21. nam quod Trebonius, lego, non, Trebonij, is; in eo mutatio nulla est: siquidem ex duarum, I, coitione efficitur V. QVOD *ipsum est suspectum, notionem eius differri.* ʒ nunc enim omnibus ignoscit, non quod omnes uenia dignos putet, sed quod ad uniuscuiusque caussam cognoscendam tempus non habet: itaque notionem differt: quod suspectum est. nam, si nunc aliquibus ignosceret caussa eorum cognita: iis, quibus ignouisset, nihil amplius timendum esset. cum uero omnibus ignoscat incognita caussa; suspectum uidetur esse. nam omnino caussam eorum, qui cum Pompeio fuerunt, illum diligentius aliquando cogniturum, uerisimile est. REDDIDIT ʒ quae abstulerat, arbitratus Pompeio ius recuperandi non futurum. nunc, Sallustio a Caesare recepto, & ex eorum numero, qui hostes habebantur, exempto, reddere coactus est. IN *Siciliam.* ʒ ut inde post in Africam contra Scipionem, & reliquos Pompeianos transiicerent. ET *protinus iturum* ʒ in Siciliam uidelicet, ut ex epistola, quae proxima sequitur, apparet. ego tamen libentius legerem, Eo protinus iturum, sensu eodẽ, sed magis aperto. Est autem obseruandum, locutionem hic esse minus integram; cum uerbum desideretur, quo participium, Iturum, referatur. qua tamen figura alibi quoque Ciceronem esse usum animaduertimus, ut ad Lentulum epistola, cuius initium est, Legi tuas litteras. sic enim scribit: Placebat illud, ut, si rex amicis tuis, qui per prouinciam imperij tui pecunias ei credidissent, fidem suam praestitisset, & auxilijs eum tuis, & copiis adiuuares: eam esse naturam, & regionem prouinciae tuae, ut illius reditum uel adiuuando confirmares, uel negligendo impedires. Verbum enim, Esse, unde regatur non est. PROPIVS *accedam* ʒ propius urbem. quod non fecisset, si Caesar, qui ex Asia ueniebat, omissa Sicilia ex Graecia in Italiam recta nauigasset. nam cum Brundisij, ubi erat, exspectasset, ut aduenienti occurreret, & deprecaretur. itaque dicit, Quod si faciet, idest si in Siciliam ibit, ego propius accedam.

Cicero S. D. Attico 21.

ACCEPI VI. *kal. Sept. litteras a te, datas* XII. *kal. doloremque, quem ex Quincti scelere iampridem acceptum iam abieceram, lecta eius epistola grauissimum cepi. tu etsi non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistolam non mitteres: ita tamen mallem non esse missam. Ad ea autem, quae scribis de testamento, uidebis, quid, & quo modo. De nummis, & illa sic scripsit, ut ego ad te antea; & nos, si quid opus erit, utemur ex eo, de quo scribis. Ille ad kal. Sept. Athenis non uidetur fore. multa enim in Asia dicuntur morari, maxime Pharnaces. legio* XII, *ad quam primum Sulla uenit, lapidibus egisse hominem dicitur. nullam putant se commoturam. illum arbitrantur protinus Patris in Siciliam. sed, si hoc ita est, huc ueniat necesse est. ac mallem illum. aliquo enim modo hinc euasissem. nunc metuo, ne sit exspectandum: & cum reliquis etiam loci grauitas hic miserrime perferenda. Quod me mones, ut ea uideam, quae ad tempus accommodem: facerem, si res pateretur, & si ullo modo fieri posset: sed in tantis nostris peccatis, tantisq. nostrorum iniuriis, nihil est, quod aut facere dignum nobis, aut simulare possem. Sullana confers: in quibus omnia genere ipso praeclarissima fuerunt, moderatione paullo minus temperata: haec autem eiusmodi sunt, ut obliuiscar; multoq. malim quod omnibus sit melius, quorum utilitati meam iunxi. Tu ad me tamen uelim quam saepissime scribas, eoq. magis, quod praeterea nemo scribit: ac si omnes, tuas tamen maxime exspectarem. Quod scribis, illum per me Quincto fore placatiorem: scripsi ad te antea, eum statim Quincto filio omnia tribuisse, nostri nullam mentionem. Vale.*

EXPLANATIO

ILLA *sic scripsit, ut ego ad te antea:* } scripserat autem Terentia Ciceroni, cum ei HS X mitteret, nihil esse reliquum: ut ex epistola constat, quae post duas sequentes legitur. quam epistolam ante hanc esse datam, ex adscripta die manifestum est. PHARNACES } qui Pontum occupauerat, & excessurus sine bello non uidebatur. AD *quam primum Sulla uenit* } uenerat autẽ, ut legiones in Siciliam traduceret: quo Caesar Patris iturus erat. NULLAM *putant se commoturam* } nisi acceptis praemiis, quae Caesar promiserat: unde in epistola sequenti: Currunt ad illum pulsi a militibus, qui se negant usquam, nisi acceperint. SI *hoc ita est* } legiones ex Italia nolle discedere, neque ullo pacto eos, quos Caesar misit, in Siciliam secuturas. EVASISSEM } illo autem absente, dubius quid agerem, uenia nondum impetrata, neque tamen desperata, Brundisij inuitus permansi. QUAE *ad tempus accommedem* } uultum, & orationem: unde illud ep. 24. Quod me mones de uultu, & oratione ad tempus accommodanda; etsi difficile est, tamen &c. NOSTRORUM *iniuriis* } Quinctum fratrem, & Terentiam significat: Quinctum, qui maledictis offenderet; Terentiam, quae facultates absumeret. DIGNUM *nobis* } nam orationem & uultum ad tempus accommodare, dignum Ciceronis prudentia fuisset. Hoc, inquit, non possumus, dolore perturbati: qui quidem dolor efficitur & ex nostris peccatis, & ex nostrorum iniuriis. peccata autem Ciceronis erant, primum, quod ad Pompeium in Graeciam nauigasset, cum de Caesaris uictoria cõiicere posset: deinde, quod in Italiam reuertisset, cum id neque tutum, nec honorificum uideretur. SULLANA *confers:* } credibile est, Atticum in hanc sententiam scripsisse: Feramus quae sub Sulla tulimus: haec enim eiusmodi fere sunt. Hic Cicero respõdens, Sullana, inquit, genere ipso praeclarissima fuerunt; nam Sulla senatus dignitatem contra perditam & seditiosam plebem defendebat; moderatione non admodum temperata; siquidem eos, quos sibi minus amicos fuisse intelligebat, occidit. OBLIVISCAR, *multoq. malim, quod omnibus sit melius,* } dictio uidetur deesse; ad quam referatur uerbum, Obliuiscar. fortasse igitur sic: Obliuiscar mei, idq. malim, quod omnibus sit melius. siquidem in antiquis Bessarionis, Tertij, Vbaldini, & Maffei libris pro Multoq. malim, legitur, Mittoq. malim. NOSTRI *nullam mentionem.* } scribis, inquit, Caesarem mea caussa Quincto fore placatiorem. uide, quam secus sit. Quincto filio, cum pro patre deprecaretur, omnia tribuit, nostri mentionẽ nullam fecit: ut apud Caesarem non modo ego alios commendare non possim, sed etiam commendatione ipse uidear indigere.

Cicero S. D. Attico. 22.

DILIGENTER *mihi fasciculum reddidit Balbi tabellarius. accepi enim a te litteras, quibus uideris uereri, ut epistolas illas acceperim: quas quidem uellem mihi numquam redditas. auxerunt enim mihi dolorem: nec, si in aliquem incidissent, quidquam noui attulissent. quid enim tam peruulgatum, quã illius in me odium, & genus hoc litterarum? quod ne Caesar quidẽ ad istos uidetur misisse, quasi quo illius improbitate offenderetur, sed, credo, uti notiora nostra mala essent. Nam quod te uereri scribis, ne illi obsint, eiq. rei mederi: ne rogari quidem se passus est de illo. quod quidem mihi molestum non est: illud molestius, istas impetra-*

tiones nostras nihil ualere. Sulla, ut opinor, cras erit hic cum Messalla. currunt ad illum pulsi a militibus; qui se negant usquam, nisi acceperint. ergo ille huc ueniet: quod non putabant: tarde quidem; itinera enim ita facit, ut multos dies in operam ponat. Pharnaces autem, quo modo agit, afferet moram. quid mihi igitur censes? iam enim corpore uix sustineo grauitatem huius caeli, qui mihi laborem affert in dolore. An his illuc euntibus mandem, ut me excusent, ipse accedã propius? quaeso, attende; & me, quod adhuc saepe rogatus non fecisti, consilio iuua. scio rem difficilem esse: sed, ut in malis. Etiam illud mea magni interest; te ut uideam. profecto aliquid profecero, si id acciderit. De testamento, ut scribis, animaduertes. Vale.

EXPLANATIO

EPISTOLAS *illas* } Quinctus Cicero epistolas contra Marcum fratrem scripserat ad Caesarem: Caesar illas ad Oppium & Balbum misit: illi Attico dederunt: Atticus ad M. Ciceronem curauit perferendas. QVASI *quo illius &c.* } ne Caesar quidem, inquit, illas epistolas, a Quincto contra me scriptas, ad Balbum & Oppium misit, quasi quo illius improbitate offenderetur. sed credo, ut incommoda diuulgarentur mea. NE *illi obsint*, } scribis te uereri, hae litterae, contra me ad Caesarem scriptae, ne ipsi Quincto, qui scripsit, apud Caesarem obsint: idest, ne Caesar, hac improbitate offensus, difficilior illi sit ad ignoscendum. (nam, quod in Pompeij partibus fuisset, hoc sibi ut ignosceretur, Quinctus petebat) hoc, inquit, non est, ut pertimescas. tantum enim abest ut ita sit, ut etiam Quincto statim omnia Caesar concesserit, deq. illo ne rogari quidem se passus sit. quod idem in fine superioris epistolae dicit his uerbis: Scripsi ad te antea, eum statim Quincto filio omnia tribuisse. & in ea, quae proximã superiorem antecedit: C. Trebonius se Antiochiae dicebat apud Caesarem uidisse Quinctum filium cum Hirtio: eos de Quincto, quae uoluissent, impetrasse, nullo quidem negotio. Et aduertendum est, Ciceronem, cum eandem rem iterum & tertio significaret, non iisdem tamen uerbis usum esse. EIQVE *rei mederi* } te. nam cum Balbo & Oppio Romae Atticus agebat, ut Quinctum Caesari litteris commendarent, ueritus ne illi epistolae contra fratrem scriptae nocerent: nam M. Ciceronem Caesari putabat esse curae, ut etiam illius caussa crederet Quincto fore placatiorem. quod ex fine superioris epistolae cognoscitur. NIHIL *ualere* } caussam explicat in epistola, quae ante proximam superiorem legitur. CVRRVNT *ad illum* } Sulla & Messalla erant ex iis, quos Caesar in Italiam miserat, ut legiones in Siciliam traducerent. quos milites male acceperunt, negantes se usquam esse ituros, nisi a Caesare praemia, quae superioribus bellis promiserat, accepissent. PVLSI *a militibus* } nam XII. legio, ad quam primum Sulla uenerat, lapidibus egisse hominem dicebatur. in epistola superiore. VT *multos dies in opidum ponat.* } non explano, Vt in uno quoque opido multos dies Caesar consumat, sed, Vt ab opido ad opidum multorum dierum itinere perueniat. quale illud est ep. 35. libr. 12. Ne totum diẽ in uillam. ubi subaudio, Ponam; dum in uillam eo. QVO *modo agit*, } frequens locutio apud Ciceronem: Quo modo nunc est, consules transierunt: Quo modo nunc est, pedem ubi ponat in suo, non habet: Quo modo res se habet, non est facillima. ep. 15. lib. 8. & 49. lib. 12. & ad Q. fr. 3. lib. 1. Quẽ ego sensum & loquendi modum secutus, legere malui, Quo modo agit, quam, ut antea, Quoquo modo agit, ut epist. 22. lib. 14. Dicit autem, Quo modo agit, propterea quod Pharnaces Ponto, quem occupauerat, non decedebat: ut ea res Caesari in Italiam proficiscenti moram allatura uideretur. CAELI, *qui mihi* } uidetur, Quae mihi, legendum: ut referatur ad, Grauitatem. LABORVM } languorem, nonnulli. ego nihil muto. refertur. enim ad uerbum, Sustineo. AN *his illuc euntibus mandem, ut me excusent?* } his, Sullae, & Messallae. Illuc: ad Caesarem. Excusent: quod Brundisio discesserim, & propius urbem accesserim. VT *in malis.* } iuua, inquit, me consilio. plane hoc non facile fieri potest: sed iuua, si non quantum opus est, at quantum licet in malis. ep. 3. libr. 12. eodem sensu dixit, Pro malis. Multo Plus, inquit, proficeret solitudo, si tu interesses. quae mihi una caussa est hinc discedendi. nam, pro malis, recte habebat. & ad Torquatum epistola 2. lib. 6. fam. Quod, inquit, maiore in uarietate uersata est adhuc tua caussa, quam homines aut uolebant, aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis temporum quod moleste feras. Dixit etiam in Bruto non dissimili sententia: L. Coelius, ut temporibus illis, ualde doctus. & de Senectute: Multae, ut in homine Romano, litterae. Et in epistola ad Marcellum: Vt in tali re, fortuna laudatur. Vt in malis, autem, ut in pessimis, ut in perditis rebus, nota locutio est: itaq. non afferam exempla: tantum dicam, in Vbaldini libro scripto legi, Scio rem difficilem esse sed in malis; in libro Caualcantis, Sic rem difficilem esse sed ut malis: in tertio, Tertij, Scio rem difficilem esse sed ut in malis. ut ex trium exemplarium uarietate non temere locus emendari uideatur. ETIAM } altera caussa, cur propius accedere uellet. prima enim erat illa, quod grauitatem caeli Brundisini uix iam corpore sustinebat. DE *testamento*, } quod a Terentia fieri Cicero cupiebat, ut iis, quibus debebat, satisfaceret. ANIMADVERTENS } quid? opinor, id quod dixit in epistola superiore: Quid a Terentia in testamento ponatur, & quo modo ponatur.

Cicero S. D. Attico 23.

QVOD *ad te scripseram, ut cum Camillo communicares, de eo Camillus mihi scripsit, te cum eo locutum. tuas litteras exspectabam: nisi illud quidem mutari, si aliter est ut oportet, non uideo posse: sed cum a nullo accepissem litteras, desideraui tuas, (etsi putabam te fortiorem factum non esse) modo ualeres. scripseras enim te quodam ualetudinis genere tentari. Augustus quidam Rhodo uenerat VIII. id. Quinct. is nunciabat, Quinctum F. ad Caesarem profectum IV. kal. Iun. Philotimum Rhodum pridie eius diei uenisse, habere ad me litteras. ipsum Augustum audies. sed tardius iter faciebat. eo feci, ut celeriter eunti darem. quid sit in ijs litteris, nescio: sed mihi ualde Quinctus frater gratulatur. equidem in meo tanto peccato nihil ne cogitatione quidem assequi possum, quod mihi tolerabile possit esse. Te oro, ut de hac miseria cogites, & illud, de quo ad te proxime scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam, & etiam de ipso testamento. illud quoque uellem antea; sed omnia timuimus. melius quidem in pessimis nihil fuit diffidio. aliquid fecissemus, ut uiri uel tabularum nouarum nomine, uel nocturnarum expugnationum, uel Metellae, uel omnium maiorum. nec res periisset, & uideremur aliquid doloris uirilis habuisse. nemini omnino tuas litteras; sed & tempus illud: etsi quiduis praestitit. nunc quidem ipsa uidetur denunciare. audimus enim de statu reip. o dij, generum ne nostrum potissimum, ut hoc uel tabulas nouas? placet mihi igitur, & idem tibi, nuncium remitti. petet fortasse tertiam pensionem. considera igitur tum, ne uim abuso nascetur, an prius. ego, si ullo modo potuero, uel nocturnis itineribus experiar, ut te uideã. tu & haec, & si quid erit, quod intersit me scire, scribas uelim. Vale.*

EXPLANATIO

VT CVM *Camillo communicares*} hoc quid esset, de quo Atticum communicare cum Camillo uolebat, ostendit epist. 7. Extremum, inquit, est, quod te orem, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de testamento. Easq. litteras hic significat, cum dicit, Quod ad te scripseram. SCRIPSIT, *te cum eo locutum*} antiqui libri duo, Vbaldini, & Caualcantis, habent: Scripsisse eum locutum: ut fortasse corrigendum sit, Scripsit secum locutum: figura magis propria, quam si legas, Scripsit te cum eo locutum. nisi si quis offenditur, quod, Te, subintelligi uideat: cum huius generis apud Ciceronem multa sint. NISI *illud*} hic dictio, Nisi, idem fere significat, quod Sed: ut in epistola ad Memmium. lib. 13. epist. 1. Nec, cur ille tantopere contendat, uideo, nec, cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quam illi, laborare sine caussa. Et ad Philippum, eodem libro epist. 75. De te nihil possum iudicare; nisi illud mihi certe persuadeo, te talem uirum nihil temere fecisse. ILLVD } testamentum, uel, quod scriptum est in testamento. SI *aliter est, ut oportet*} testamentum a Terentia factum aliter est, atque oportebat; mutari iam non potest. Et hoc dubitanter dicit; quia certum nesciebat, an esset factum, ut re uera non erat: quod ex duabus antecedentibus epistolis apparet; quas post hanc scriptas esse, cum alia significãt, tum illud in primis, quod in hac, Quinctum filium ad Caesarem esse profectum, in illis a Caesare omnia dicit impetrasse. A NVLLO} Caualcantis liber, A nil lo. corrigendũ puto, Ab illo, idest a Camillo. FORTIOREM} non putabam te prorsus ualere. PROFECTVM } ut pro patre deprecaretur. HABERE *ad me litteras*} a Caesare, quas accepit pridie idus Sext. ut ex epist. 13. lib. XIV. ad Terentiam cognoscitur. GRATVLATVR } quod existimet Caesarem iratum mihi non esse, cum ad me scribat. NE *cogitatione quidem*} sensus est. Quinctus frater mihi gratulatur, quod Caesar me scribat. ego autem, tantum abest, ut propter has litteras gaudeam, ut nihil ne cogitatione quidem reperire queam, quod mihi tolerabile possit esse. Dicit autem, In meo tamen peccato, propterea quod grauiter sibi peccasse uidebatur, qui statim post pugnam Pharsalicam, Pompeianorum uiribus nondum plane exstinctis, in Italiam uenisset. idq. diuersis nominibus appellat, temeritatem. epist. 8. stultitiam epist. XI. peccatum epist. 15. DE *hac misera cogites*} de Terentia, ne egeat. ad hoc autem, ut ex epist. sequenti conijcitur, Atticus ita respondit: Terentiae nostra & tua parata erunt. DE *quo ad te proxime scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam*} significat litteras III. nonas Quinct. datas, quae sunt in fine huius libri perturbato ordine collocatae. quibus in litteris, quod ad inopiam propulsandam pertineat, hoc est: Te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi, conficiq. potest, quod sit in tuto, ex argento. neque satis multa ex supellectile; des operam. Volebat autem Cicero, cum propter Caesarianorum licentiam de urbis direptione timeret, ea, quae pretij maioris erant, neque loci multum occupabant, ut argentum, aut aliquid simile, seponi, & occultari, ne diripientibus paterent: quod apertius dicit in epistola sequenti; quoniam Atticus, Ciceronem de uenditione scribere, uidebatur esse interpretatus. DE *ipso testamento* } ut Terentia testamentum faciat. & in dictione, Ipso, inest emphasis: quasi dicat, de quo scis me laborare, & de quo saepe iam ad te scripsi. ILLVD *quoque uellem antea*} uellem antea nobis curae fuisset, ut Terentia testamentum faceret: sed omnia timuimus: nimis, inquit, timidi fuimus: nam ueriti sumus, ne, si illam de testamento moneremus, mulier suspiciosa offenderetur. & dicit, Illud quo-

que

que, ut ostendat alia etiam a se esse praetermissa. Melius *quidem in pessimis nihil fuit dissidio* } erratum a nobis est, quod Terentiam antea de testamento non monuimus, ueriti, ne moleste ferret: sed in eo maior culpa fuit, quod discidium non fecimus, cum in pessimis melius nihil esset. Et ostendit, ne ipsum quidem discidium sine aliqua difficultate fuisse, sed, ut in pessimis, optimum tamen fuisse. Aliquid *fecissemus, ut uiui uel tabularum, &c.* } uel aliquid desideratur, uel in his ipsis uerbis mendum latet. sensus esset non absurdus, si ita legeretur: Aliquid fecissemus, ut uiri, uel tabularum, & quae sequuntur. nam infert paullo post, Et uideremur aliquid doloris uirilis habuisse. Vel *tabularum nouarum nomine, uel nocturnarum expugnationum* } caussae, cur discidium honeste facere uisus esset. nam, cum pecuniam, quam Romae habebat, neque ipse domi suae, aut apud amicos tuto custodire posset, cum nocturnae domorum expugnationes timerentur; neque apud argentarios deponere, cum de tabulis nouis rumor esset, quibus creditae pecuniae, recuperandi iure sublato, amittebantur: dixisset, se quidem alia ratione sibi cauere non potuisse, nisi diuortium faceret, & eam pecuniam pro dote redderet. Ad hunc locum pertinent ea, quae diximus ep. III. huius libri. Vel *Metellae, uel omnium maiorum* } sic omnes antiqui libri, quotquot ipsi uidimus. tentaui, si possem ingenio locum emendare: non successit omnino: sed, quia duae uidentur esse caussae faciendi discidij, ad proximas duas additae; putaui, pro Maiorum, legi posse Malorum. in illo, Metellae, nihil assequor. Nec *res perijsset* } quam Terentia consumpsit. quod damnum, illa dimissae effugissem. Et *uideremur aliquid doloris uirilis habuisse* } Terentia dimittenda. Memini *omnino tuas litteras. sed & tempus illud, & si quiduis praestitit.* } quo modo nunc locus interpungitur, sententiam non elicio, quae probetur. mallem sic distinguere. Memini omnino tuas litteras, sed & tempus illud. etsi quiduis praestitit. hoc sensu; Memini omnino, quid tu mihi olim scripseris, cũ scilicet, ut diuortium facerem, suadebas, sed memini (hoc enim uerbum subintelligitur) & tempus illud: quod eiusmodi erat, ut de diuortio non uideretur esse cogitandum. nam, cum ciuile bellum esset, & Terentiam dimittere, nisi dos redderetur, non possem, non fuit committendum, ut tam duris temporibus ea pecunia, quam habebam, priuarer. itaque, cum dicit, Memini & tempus illud, quasi se excusat, quod Attici litteris non paruerit. quasi dicat: Illo tempore si Terentiae nuncium remisissem, fore suspicabar, ut in magnam deinde rei nummariae difficultatem inciderem: sed incidere tamen in quamuis difficultatem praestitit, quam Terentiam non dimittere. Et hoc significat, cum dicit, Etsi quiduis praestitit. Ipsa *uidetur denunciare.* } ipsa, Terentia: denunciare, diuortium. Audimus *enim de statu reip.* } reddit rationem, cur Terentia uideretur diuortium denunciare. Statu reip. misero uidelicet, & perdito; maxime propter Dolabellae tribuni pl. ambitionem, & licentiam: unde Cicero coniecturam faciebat, Terentiam diuortiũ esse facturam; utpote quae dubitaret, ne, si Dolabella tabulas nouas posuisset, quod uelle uidebatur, tam perturbato statu ciuitatis de dote ueniret in dubium. itaq. uelle eam, dum liceret; sibi cauere diuortio facto, ante difficultatem illam temporum a Cicerone dotem recipere, uerisimile erat. propterea non dixit, denunciat, sed uidetur denunciare, quod ipse, denunciaturam, coniectura perspiciat. Quod autem in nostro libro, contra quam in alijs omnibus, legitur, De statu reip. odij, &c. sic emendauimus, adducti ueterum exemplarium uarietate. nam liber Caualcantis habet, De statu riei odij: Vbaldini, Detestati Clodi: Maffei, De staturi Clodij. Vt *hoc, uel tabulas nouas?* } subaudi, cogitet, in animo habeat; uel aliquid huiusmodi. Hoc: quidpiam iniquius, de quo generum suum Dolabellam audiuerat legem esse laturum. sed mihi magis placet, totum illud, Hoc, uel tabulas nouas, non duas res, sed unam significare. nam, si duas significat, cur secundam nominat, primam non item? qui enim poterat Atticus intelligere, quid sibi uellet uerbum, Hoc, nisi a Cicerone apertius exponeretur? placet igitur, ut dixi, unam rem significari, & illud, Vel tabulas nouas, interpretationem esse dictionis, Hoc: ut particula, Vel, sententiam non mutet, sicuti cum ponitur pro aut, sed augeat, quo modo posita est in quadam epistola ad Quinctum fratrem: Tu nobis amicissimum Sextium cognosces, credo tua caussa Lentulum. & in libris Academicis: Per me uel stertas licet, non modo quiescas. Legem autem de tabulis nouis Dolabellam pertulisse non constat, sed, laturum esse, rumor fuit, atque etiam tentasse apparet. cuius rei argumentum est, quod in Philippica VI. Trebellium tabulis nouis aduersatum fuisse, legitur: & ex Dionis historia libro XLII. inter P. Dolabellam, qui debitorum caussae fauebat, e quibus ipse unus erat, & L. Trebellium, tribunos pl. graues & perpetuas fuisse contentiones, intelligitur. Trebellij autem tribunatus omnino in ea Philippica significatur. sed argumentari non oportet: aperte L. Florus, Dolabella, inquit, de tabulis nouis legem ferente, seditiones excitatae. aperte etiam Plutarchus in Antonio. Nuncium *remitti* } Terentiae: ut, quod illa factura est, praeripiamus. hoc enim refertur ad illud, Ipsa uidetur denunciare. Tertiam *pensionem.* } ut reddam uniuersam dotem. nam dos, facto diuortio, tribus pensionibus soluebatur. Tum, *ne uim abuso nascetur* } sic Maffei liber: sic & Caualcantis & Bessarionis. forte, Tum ne, cum ab ipsa nascetur, an prius ego. id est, tum ne cogitandum de dote, cum ipsa discidium denunciabit; an prius ego denunciem.

Cicero S. D. Attico. 24.

Q*VAE dudum ad me, & quae etiã ad meam Tulliam de me scripsisti, ea sentio esse uera. eo sum miserior, (etsi nihil uidebatur addi posse.) quod mihi non modo irasci grauissima iniuria accepta, sed ne dolere quidem impune liceat. quare istud feramus: quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quae*

da, quae tu, ne accidant, ut caueamus, mones. ea enim est a nobis contracta culpa, ut omni statu, omniq. populo eundem exitum habitura uideatur. sed ad meam manum rediero. etenim haec occultius agenda. uide quaeso etiam nunc de testamento, quod tum factum, cum illa quaerere coeperat. non credo, & commoti neque eum rogari, ne me quidem. sed quasi ita sit: quoniam in sermonem iam uenisti, poteris eam monere, ut alicui committat, cuius extra periculum huius belli fortuna sit. equidem tibi potissimum uelim, si idem illa uellet: quam quidem caelo miseram, me hoc timere. De illo altero, scio equidem uenire nunc nil posse: sed seponi, & occultari possunt, ut extra ruinam sint eam, quae impendet. Nam quod scribis, nobis nostra, & tua Terentiae fore parata: tua credo: nostra quae poterunt esse? de Terentia autem (mitto cetera, quae sunt innumeralia) quid ad hoc addi potest? scripseras, ut HS XII. permutaret, tantum esse reliquum de argento. misit illa CCIƆƆ mihi, & adscripsit, tantum esse reliquum. cum hoc tam paruum de paruo detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit? Philotimus non modo nullus uenit, sed ne per litteras quidem, aut per nuncium certiorem facit me, quid egerit. Epheso qui ueniunt, ibi se eum de suis controuersijs in ius adeuntem uidisse nũciant: quae quidem (ita enim uerisimile est) in aduentum Caesaris fortasse reijciũtur. ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celerius proferendum, & eo me magis esse despectum: aut, etiam si quid habet; id, nisi omnibus suis negotijs confectis, ad me referre non curet. ex quo magnum equidem capio dolorem, sed non tantum, quantum uideor debere. nihil enim mea minus interesse puto, quam quid illinc afferatur. id quamobrem, te intelligere certo scio. Quod me mones de uultu, & oratione ad tempus accommodanda: etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quidquam interesse putarem. Quod scribis, litteris, putare, Africanum negotium confici posse: uellem scriberes, cur ita putares. mihi quidem nihil in mentem uenit, quare id putem fieri posse. tu tamen, uelim, si quid erit, quod consolationis aliquid habeat, scribas ad me. sin, ut perspicio, nihil erit, scribas id ipsum. ego ad te, si quid audiero citius, scribam. Vale. VIII. id. Sext.

EXPLANATIO

QVAE *dudum ad me, & quae etiam ad meam Tulliam*] hic locus antea in uulgatis omnibus libris mendose legebatur. nos eum ex antiquo Speciani libro restituimus. EA *sentio esse uera*] sentio, nisi meum dolorem occultabo, grauissimum impendere damnum. Quod tamen damnum ostendit Cicero uitari a se minime posse, cum infert; Istud feramus: quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quae tu, ne accidant, ut caueamus, mones. GRAVISSIMA *iniuria accepta*] puto, quod Brundisij, sine ulla dignitate grauissimo caelo, diutius manere cogeretur; praesertim cum & ex litteris Dolabellae, Caesaris mandat confectis, in Italiam uenisset, (ep. 7.) & Oppius deinde ita promisisset, Caesari non solum de conseruanda, sed etiam de augenda illius dignitate curae fore ep. 6. OMNI *statu, omniq. populo*] uideo enim mihi iratum fore Caesarem, quod contra eum pugnauerim; infestos Pompeianos, quod ab ijs discesserim. EVNDEM *exitum*] perniciem, & interitum rerum mearum. AD *meam manum rediero*] locum, antea deprauatum, emendauimus ex antiquo Speciani libro; in quo ita scriptum esse, Vbaldinus Bandinellus, homo grauis, & certus, affirmauit. Mea, inquit, manu scribere incipiam. COMMOTI *neque eum*] eodem modo libri scripti. locus corruptus: quare ad reliqua pergamus. QVASI *ita sit*] non credo, inquit, testamentum a Terentia esse factum: sed, quasi factum sit, quoniam de testamento cum ea sermonem iam habuisti, poteris monere, ut alicui committat, &c. QVONIAM *in sermone iam uenisti*] hoc dicit, quia, nisi Atticus iam antea de testamento cum ea locutus esset, suspicari Terentia potuisset, se ideo moneri, quod extra belli periculum ipsa non esset. quod Cicero nolebat. itaque infert paullo post. Quam quidem caelo miseram me hoc timere. Opinor autem rectius, in sermonem nam, Venire in sermone, minus usitata locutio. opinioni nostrae subscribit Vbaldini liber. CVIVS *extra periculum huius belli fortuna sit*] nam Terentiae fortunas uidebat extra periculum belli non esse: sed eam celabat. ostendit autem, commode Atticum illam de committendo alicui testamento monere posse: siquidem cum ea de testamento iam antea in sermonem uenerat: ut suspicari ita posset, quam ob caussam moneretur. DE *illo altero*] quod scilicet ad te scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam. De hoc autem iam epistolis Atticum rogauerat, proxima superiore, & proxima sequenti. VENIRE *nunc nihil posse*] hoc enim Atticus rescripserat. SEPONI, *& occultari*] ut argentũ, & lautior supellex, declarat in epistola sequenti. QVAE *impendet*] timebat urbis direptionem, cum audiret quotidie caedes & incendia fieri, omnia misceri, atque turbari, tribunos pl. Dolabellam & Trebellium, alterum alteri infestum, opportuna urbis loca hominibus armatis occupasse. Dio libro XLII. MITTO *cetera*] quae ille inique, & scelerate fecit. QVID *ad hoc addi potest?*] quid hoc indignius esse potest? Hoc: quod proxime sequitur. SCRIPSERAS] ad Terentiam. apparet Atticum aliquo exisse, inde Romam ad Terantiam scripsisse, ut HS XII millia, quae de argento reliqua essent, idest scutatos 360. Brundisium in Ciceronis usum permutaret. CCIƆƆ] his notis decem millia nummum significantur: decem autem millia nummum, & decem millia sestertium idem est. nam nummus, & sestertius nihil differunt. sestertius uero, siue nummus, quadrantes aereos, quos hodie uocant, duodecim ualet: cum & quattuor sestertij denarium efficiant; & denarius, si ad Venetam monetam redigatur, pro sexdecim marculis sit, quemadmodum apud ueteres pro sexdecim assibus: ut appareat, quos nunc quadrantes dicimus, apud antiquos trientes assium fuisse. Cum igitur ad Terentiam Atticus scripsisset, ut Ciceroni HS XII millia mitteret;

decem

decem millia tantum illa misit, duo reliqua auertit. NVLLVS *uenit,* } sic Plautus in Asinaria: Quem in constrinam iusseram uenire, is nullus uenit. In Bacch. Nullus affueris. In Trin. Nullus credas. Et Terentius in Eun. Nullus mones. In Hecy. Nullus dixeris. Ipse Cicero infra, Sextus ab armis nullus discedit. ADVENTVM *Caesaris* } cum Ephesum adueniet, confecto Alexandrino bello in Italiam reuertens. AVT *nihil puto* } cum Philotimus Ephesi tempus tereret, coniecturam faciebat, in ijs litteris, quas ille a Caesare ferre dicebatur, nihil esse, quod celerius perferri opus esset. nam, si quid liberalius Caesar scripsisset, uerisimile erat Philotimum litteras sine ulla mora ad Ciceronem fuisse perlaturum. de his autem litteris in epistola proxima superiore, & in fine libri XIV. ad Terentiam. NON *curet* } forte, Curat. alioqui duriuscule positum uidetur. QVID *illinc afferatur* } a Caesare, ex Alexandria. TE *intelligere certo scio* } intelligis enim, eam a nobis contractam esse culpam, ut neque apud Caesarem locus, neque apud Pompeianos sit futurus. hoc apertius supra, in hac ipsa epistola: Nihil igitur mea minus interest, quam de Caesaris rebus quid afferatur. quaecumque eius fortuna erit, idem exitus me manet. In sequenti etiam epistola, Illum, inquit, discessisse Alexandria, rumor est: quod uerum, an falsum sit, quoniam mea nihil interest, utrum malim, nescio. DIFFICILE *est,* } cur difficile esset, ostendit epist. 22. SI *mea quidquam interesse putarem* } cur hoc sua nullam in partem putaret interesse, declarat epist. 17. his uerbis: Non dubito, quin istis persuaderi nullo modo possit, ea, quae faciant, mihi probari posse, quoquo modo loquar. ego tamen utar moderatione, qua potero. quamquam, quid mea intersit, ut eorum odium subeam, non intelligo. QVOD *scribis, litteris, putare, Africanum negotium confici posse:* } subaudiendum praenomen, Te, quod refertur ad uerbum Putare. sensus hic est. Scribis te putare, inter Caesarem, & Pompeianos, qui in Africa sunt, litteris utrimque mittendis pacem posse fieri. unde infert: Si quid erit, quod consolationis aliquid habeat, scribas ad me. praeter pacem autem, unde consolationem capere, aut quid optare posset, nihil erat. itaque epist. 19. Vnum, inquit, est, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe; sed quia tu leuiter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum uix est. SI *quid audiero citius* } hoc dicit, quia, cum Brundisij esset, propius aberat ab Africa, quam Atticus, qui Romae erat.

Cicero S. D. Attico. 25.

FACILE *assentior tuis litteris; quibus exponis pluribus uerbis, nullum te habere consilium, quo a te possim iuuari. consolatio certe nulla est, quae leuare possit dolorem meum. nihil est enim contractum casu: nam id esset ferendum: sed omnia fecimus ijs erroribus, & miserijs & animi, & corporis, quibus proximi utinam mederi maluissent, quam obesse. quoniam neque consilij tui, neque consolationis cuiusquam spes ulla mihi ostenditur; non quaeram haec a te posthac. tantum uelim, ne pristinum hoc officium intermittas: scribas ad me, quidquid ueniet tibi in mentem, cum habebis, cui des, & dum erit, ad quem des: quod longum non erit. Illum discessisse Alexandria, rumor est non firmus, ortus ex Sulpicij litteris: quas cuncti postea nuncij confirmarũt. quod uerũ, an falsum sit, quoniam mea nihil interest, utrum malim, nescio. Quod ad te iam pridem de testamento scripsit apud epistolas uelim ut possim aduersas ego huius miserrima facultate confectus conflictor. nihil umquam simile natum puto. cui si qua re consulere aliquid possum, cupio a te admoneri. uideo eandem esse difficultatem, quam in consilio dato: attamen hoc me magis solicitat, quam omnia. In pensione secunda caeci fuimus. alium mallem. sed praeterijt. te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi, conficiq. potest, quod sit in tuto, ex argento, neque satis multa ex supellectile, des operam. iam enim mihi uidetur adesse extremum, nec ulla fore condicio pacis, eaque, quae sunt, etiam sine aduersario peritura. haec etiam, si uidebitur, cum Terentia loquare opportune. non queo omnia scribere. Vale. III. non. Quinct.*

EXPLANATIO

OMNIA *fecimus &c.* } designat haec in primis; suam profectionem ad Pompeium, cum in Graeciam nauigauit; & reuersionem in Italiam, cum, Pompeio acie deuicto, in Caesaris potestatem sua sponte uenit. quod utrumque dicit se fecisse propter errores, & miserias & animi, & corporis, hoc est incaute prorsus, & inconsiderate; cum intelligat, se, profectione ad Pompeium, Caesarem offendisse; reuersione in Italiam, Pompeianos: ut ob has caussas locum sibi neque apud Caesarem fore, neque apud Pompeianos sperare possit. PROXIMI } frater Quinctus, uxor Terentia, gener Dolabella. Quinctus filium miserat, qui eum apud Caesarem accusaret; odiumq. acerbissimum, & nocendi uoluntatem ostenderat. Terentia facultates consumpserat. Dolabella tribunatum improbe gerebat. de Quincto epist. 8. 10. 15. 16. 21. 22. de Terentia epist. 17. & 24. & famil. epist. 14. lib. 4. de Dolabella epist. 12. 14. 15. & 24. & Dio libro XLII. Plutarchus etiam in Caesare. Recte igitur dicit, proximos nouum sibi dolorem attulisse, cum curare potius, quantum in ipsis esset, ueterem animi aegritudinem deberent. QVOD *longum non erit.* } significat, se aut in tantis molestijs non diu posse uiuere, aut in alias terras uelle migrare. CVNCTI } Maffei liber pro, Cuncti, habet, Eunti: Vbaldini, Eũtes. SCRIPSI *apud epistolas* } deprauata uerba: neq. secus uetera exẽplaria, nisi quod, Scripsit, Maffei liber, & qui Bessarionis fuit, habent. MISERRIMA } locus est ab omni parte corruptus. SIMILE *natum* } Vbaldini

dini liber, Ita leuatum. meum iudicium non interpono: propterea quod sensum uidere non possumus, cum ea, quae proxime antecedunt, & ipsa propter mendum obscura sint, & haec, quae consequuntur, iisdem tenebris inuoluantur. CONSILIO *dando: attamen* } tale illud est epist. 2. lib. 13. Tuas litteras hodie exspectabam, nihil equidem ut ex ijs noui: quid enim? uerumtamen. aliaq. alibi eiusdem generis. CAECI *fuimus* } cum eam Terentiae dedimus. Cicero diuortium cum Terentia facere noluerat, ne secundam pensionem daret: quamquam Atticus auctor esset, ut omnino diuortium faceret. deinde, ne Terentia egeret, secundam pensionem dedit, neque tamen diuortium fecit. quod ita esse, constat ex epistola, quae ante superiorem proximam legitur; in qua haec uerba: Placet mihi, & idem tibi, nuncium remitti. petet fortasse tertiam pensionem. ALIVM *mallem* } recordatus orationem esse de praeteritis, sententiam non perfecit; quodq. instituerat dicere, omittens, intulit, Sed praeterijt. QVOD *sit in tuto;* } hoc iterauit superiore proxima epistola, cum dixit: Seponi, & occultari possunt, ut extra ruinam sint, eam, quae impendet. NEQVE *satis multa ex supellectile* } non dicit supellectilem parum multam esse, sed parum multa esse in supellectile, quae pretij maioris sunt, & seponi debeant. NEC *ulla fore condicio pacis, eaque, quae sunt, etiam sine aduersario peritura.* } ponit duas caussas, cur uideatur adesse extremum: primum, quod inter Caesarem & Pompeianos pacis condicio nulla erit, & omnino decernetur armis: deinde, quod, etiam si bellum a Pompeianis non fit, tamen haec uel sine aduersario peribunt. corruant enim necesse est, cum nullo iure, nullis legibus nitantur. Et hoc dicit, quia, cum Caesar bello Alexandrino detineretur, in urbe propter contentiones tribunicias ad arma uentum erat; &, militibus in ciuitatem receptis, per uim omnia gerebantur. Dio lib. XLII. & Hirtius lib. 4.




IN EPISTOLARVM M. TVLLII CICERONIS AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBRVM XII.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS




Cicero S. D. Attico. I.



NDECIMO die postquam a te discesseram, hoc litterularum exaraui, egrediens e uilla ante lucem: atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano, ibi unum diem. v. kal. igitur ad constitutum: atque utinam cōtinuo ad complexum meae Tulliae, ad osculum Atticae possim currere. quod quidem ipsum scribe quaeso ad me; ut, dum consisto in Tusculano, sciam, quid garriat: sin rusticatur, quid scribat. eiq. interea aut scribes salutē, aut nunciabis, itemq. Piliae: & tamen, etsi continuo congressuri sumus, scribes ad me, si quid habebis. Cum complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me uenit cum epistola tua tabellarius. qua lecta, de Atticae febricula scilicet ualde dolui. reliqua, quae exspectabā, ex tuis litteris cognoui omnia. sed quod scribis, igniculum matutinum γεροντικώτερον est memoriola uacillare. ego enim IV. kal. Axio dederam, tibi III. Quincto quo die uenissem, idest v. kal. hoc igitur habebis, noui nihil. quid ergo opus erat epistola? quid, cum coram sumus, & garrimus quidquid in buccam? est profecto quaedam λέσχη, quae habet, etiam si nihil subest, collocutione ipsa suauitatem. Vale.

EXPLANATIO



D CONSTITVTVM] ut conuenit inter nos, ut constituimus. & praemittit loci nomē, ubi v. Kal. esse constituerat; quod hac de re cum Attico ante discessum locutus erat, ut nominare necesse non esset. nam, cum dicit, v. Kal. igitur; aduerbium, Igitur, hoc desiderat, ut una locuti sumus, ut tu scis me constituisse. & obseruandum est, Constitutū, esse uerbum iuris, ut in oratione pro Caecina, Qui ad constitutum experiundi iuris gratia uenissent. & pro Coelio, Cum sit ijs confitendum, numquam se ne congressu quidem, & constituto coepisse de tantis iniurijs experiri. nam in iudicium alter alterum uocabat die cōstituta. &, quoniam saepe accidit, ut ij, qui litigant, non eo die, quem sibi ad agendam caussam constituerant, iudicio disceptent, sed in alium diem differant: ideo in epistola ad Marium, translatione a litigantibus sumpta, dixit, Si quod constitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas: hoc est: Si tu fortasse his diebus, quibus nos una futuros esse uides, podagrae medicinam facere constitueras: differ in alium diem: ne te ex curatione infirmum & languentem offendamus; sed bene ualentes, hilarius & liberalius

beralius

beralius uiuere possimus. CVRRERE } Romam: quo haec epistola data est, ut ea, quae subsequuntur, declarant. QVOD *quidem ipsum* } osculum. & uidetur hoc in loco Osculum non basium significare, sed paruum os, cum sequatur, Garriat. QVID *garriat* } apte, garriat, de puella: nam infantes, cum loquuntur, hilaritate quadam & sono uocis auiculas uidentur imitari. itaque, quod auium proprium uerbum est, eleganter ad puellam transtulit. SIN *rusticatur* } hinc apparet, hanc epistolam Romam esse missam. nam hoc intulit, cum certum nesciret, utrum Romae Attica cum patre, an in praedijs esset sine patre. AVT *scribes salutem, aut nunciabis* } scribes, si rusticatur: nunciabis, si tecum Romae est. NOCTVABVNDVS } qui de multa nocte ambulasset. SCILICET } hoc in loco, Scilicet, asseuerationem significat, ut in epistola ad Lentulum, Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod fore suspicor, &c. Et hic epist. 6. lib. 4. De Lentulo scilicet sic fero, ut debeo: uirum bonum, & magnum hominem perdidimus. QVOD *scribis, igniculum matutinum* } igniculum matutinũ γεροντικὸν esse, Atticus scripserat: itaque se, qui senex esset, more senum eo delectari. Cui Cicero respõdens, Est id quidem, inquit, γεροντικὸν, sed γεροντικώτερον, memoriola uacillare. idest, tu quidem in eo senem te esse ostendis, quod igniculo matutino uteris; sed multo magis, quod memoria uacillas, (hoc autem uitio senes plerumque laborare solent) cum, quibus ego diebus ad Axium, ad te, ad Quinctum fratrem litteras dederim, sis oblitus. non enim ijs diebus dedi, quibus ipse putas, sed IV Kal. ad Axium, III. ad te, V. ad fratrem. Videtur autem, cum haec epistola scripta est, anni tempus id fuisse, ut frigoris aut nihil, aut parum admodum esset; cum supra dixerit, Sin rusticatur. rusticari enim tempestate frigida, non solemus; neque, Atticum filiolam infantem hieme rusticatum misisse, uerisimile est. Hoc attexere non alienum putaui: ut intelligatur, eo tempore igniculo matutino uti, plane γεροντικὸν fuisse. nã, cum frigoris aliqua uis est, tum igne uti non dicetur esse γεροντικὸν: siquidem id non a solis senibus, sed omnino ab omnibus necessario fieri uidemus. IDEST V. *Kal.* } teneo meum institutum, ut sine libris antiquis nihil affirmem: quid tamen, si legatur, II. Kal. hoc est, prid. Kal. ut ordo continuetur, IV. III. II. est autem & aliis in locis error, ortus, ut ego opinor, ab huiusmodi caussa, quod librarij, ubi scriptum uidebant II, opinione decepti, u litteram esse putarunt, & u pro II reposuerunt: deinceps alij peritiores, cum u intelligerent antiquam notam esse oportere, V fecerunt.

Cicero S. D. Attico 2.

HIC rumor est, T. Murcum periisse naufragio, Asinium delatum uiuum in manus militum, L naues delatas Uticam reflatu hoc, Pompeium non comparere, nec in Balearibus omnino fuisse, ut Patietus affirmat. sed auctor nullius rei quisquam. Habes, quae, dum tu abes, locuti sunt. Ludi inter ea Praeneste. ibi Hirtius, & isti omnes. & quidem ludi dies octo. quae cenae? quae deliciae? res interea fortasse transacta est. o miros homines. at Balbus aedificat: τί γάρ αὐτῷ μέλει; uerum, si quaeris, homini non recta, sed uoluptaria quaerenti non ne βεβίωται? Tu interea dormis. iam explicandum est πρόβλημα, si quid acturus es. si quaeris quid putem, ego fructum puto. sed quid multa? iam te uidebo. & quidem, ut spero, de uia recta ad me. simul enim & diem Tyrannioni constituemus, & si quid aliud. Vale.

EXPLANATIO

HOC *igitur habebis, noui nihil* } aduerbium, Igitur, quo spectet, obscurum est. connecti enim cum superioribus non potest. sed, ut ego arbitror, ad Attici epistolam refertur: in qua huiusmodi aliquid, fortasse posuerat, Scribes ad me, si quid habebis. cui Cicero respondens, Hoc igitur, inquit, habebis, noui nihil. HIC *rumor est,* } epistolae initium fecimus. nam ante, quasi pars esset antecedentis epistolae, continuata oratione legebatur. in quo illa inter se pugnare nemo animaduerterat, quod cũ ita dicat; Hoc igitur habebis, noui nihil: deinde, res nouas adscribens, infert; Hic rumor est, T. Murcũ &c. Atque etiam illa minus inter se cohaerere non intelligebatur, quod superiora scripsit uilla egrediens, cum Atticus esset Romae; haec autem in urbe, cum Atticus, ut opinor, rusticaretur, Romae certe non esset. unde illud, Habes quae, dum tu abes, locuti sunt. & illud, De uia recta ad me. quare hanc partem, quae antea superiori epistolae continens & adiuncta fuerat, non sine caussa, ut alteram epistolam, a superioribus separatam uoluimus esse. T. MVRCVM } quem postea C. Cassius in suas partes traduxit; mox falsis criminibus insimulatũ Sex. Pompeius, Magni filius, in Sicilia interfecit. Appianus appellat Sextum, non Titum; Cicero, Lucium; Paterculus praenomen non ponit. LOCVTI *sunt* } Romae. LVDI } forte in honorẽ Fortunae, quae Praeneste colebatur. TRANSACTA } in Africa. interea, inquit, depugnatum fortasse est in Africa, quo Caesar mense Decembri contra Pompeianos, Scipione imperatore bellũ renouante, traiecerat. Hirtius uero & isti ludos curant, cenisq. ac delicijs se dant, de rerũ exitu non laborantes quasi certi sint Caesarem uicisse. O miros homines, subsequitur, cum ironia; quod fatui plane sint, qui tantis in rebus tam securo animo dies traducant. manifestum autem est, de bello Africano intelligi; quoniam Alexandrinum confectum iam erat; Hispanum uero significari nõ potest, quod ei bello Hirtius interfuit, ut ex ipsius ad Balbum epistola conijcitur. hic autem Romae Hirtium fuisse; apparet ex his uerbis, Ibi Hirtius, & isti omnes. AT *Balbus aedificat* } ostendit Caesarianos Africanũ bel-

lum

lum nihil timere, cum alij ludis operam dent, alij etiam aedificent; quod maiorem animi securitatem significat: quandoquidem aedificare non solet, qui rerum mutationem pertimescit. τί γὰρ αὐτῷ μέλει; } quid enim ipsi curae est? ita, inquit, Balbus aedificat, quasi non curet in Africa quid agatur. NON *ne βεβίωται;* } Balbus, quo modo ipse sentit, qui non recta, sed uoluptaria quaerat, praeclare uixit. tu autem nondum deliberasti, quo modo sit uiuendum. βεβίωται: praeclare acta uita est. nam Viuere quandoque ualet iucunde uiuere. unde illud, Cum Pansa uixi; & illud, Quando uiuemus? Non ne uides, inquit, Balbo cum uoluptate uitam esse traductam? at tu interea dormis: non explicas quo modo uiuendum tibi sit: cum Balbus iam uixerit. DORMIS } non decernis, quo modo sit haec uita traducenda. EXPLICANDVM *est* πρόβλημα } nimium diu quaeris, utrum recta, an uoluptaria sequaris. haec tibi quaestio iam explicanda est: aliquando tibi est decernendum, utram partem eligas. SI *quid acturus es* } nũc enim nihil agis, quoniam non explicas, utrum in uita melius sit. quod si acturus aliquid es, & ijs rebus frui cogitas, quae tibi post deliberationem magis expetendae uidebuntur: explicandum aliquando πρόβλημα est. qui enim semper deliberat, & quaerit, hoc an illud agat; nihil umquam agit. refertur ad illud, Tu interea dormis. SI *quaeris, quid putem; ego fructum puto* } quaeris utrum cum uirtute, an cum uoluptate uiuendum tibi sit: ego, si meam sententiam scire uis, puto uoluptatem esse anteponendam. QVID *putem:* } in uita melius esse: hoc enim erat Attici πρόβλημα. FRVCTVM } uetus liber Magnuli, Futurum. mihi, ut est in Bessarionis libro, Fructum placet, hoc est uoluptatem, & usuram commodorũ. Frui enim absolute positum, est praesentibus commodis & uoluptatibus uti. patet ex epistola ad Paetum lib. 9. epist. 17. Nihil, inquit, timeo: fruor, dum licet: opto, ut semper liceat. IAM *te uidebo* } cito enim Romae eris. AD *me* } domum meam. SIMVL *enim & diem Tyrannioni constituemus* } Tyrannio grammaticus fuit eruditus, qui librum scripsit, de quo epist. 5. is docuit Quinctum Ciceronem filium, ut legitur in epistola ad Quinctum fratrem, lib. 11. ep. 1. de eodem etiam epist. 4. & 8. lib. 4. Simul diem constituemus, quo die suum librum legendum nobis det. ep. 5. SIMVL: } una, uterque. nam cum librum legere cum Attico uolebat: Atticus postea solus legit, cum Cicero Romae non esset. unde illa Ciceronis quasi expostulatio epist. 5. Verum hoc fuit, sine me? subauditur enim, Tyrannionis librum te legisse; ut ex sequentibus apparet. SI *quid aliud* } si quid aliud erit, quod agendum sit, agemus.

Cicero S. D. Attico. 3.

VNVM te puto minus blandum esse, quam me: aut, si uterque nostrum est aliquando aduersus aliquem, in nos certe numquam sumus. audi igitur me hoc ἀγωνιῶντος dicentem. ne uiuam mi Attice, si mihi non modo Tusculanum, ubi ceteroqui sum libenter, sed μακάρων νῆσοι tanti sunt, ut sine te sim totos dies. quare obduretur hoc triduum: ut te quoque ponam in eodem πάθει: quod ita est profecto: sed uelim scire, hodie ne statim de auctione, aut quo die uenias. ego me interea cum libellis. ac moleste fero Vennonij historiam non habere. sed tamen, ne nihil de re, nomen illud, quod a Caesare, tres habet condiciones, aut emptionem ab hasta, (perdere malo: etsi, praeter ipsam turpitudinem, hoc ipsum puto esse perdere) aut delegationem a mancipe, annua die; (quis erit, cui credam? aut quando iste Metonis annus ueniet?) aut Vetteni condicione, semisse. σκέψαι igitur. ac uereor, ne iste iam auctionem nullam faciat, sed, ludis factis, clypo subsidio currat, ne talis uir ἀγοηθῇ. sed μελήσει.

EXPLANATIO

OBDVRETVR *hoc triduum,* } quo se iuncti futuri sumus. obduretur, ab utroque nostrum. nam tu quoque in eodem πάθει, & in eadem molestia es; propterea quod, ut ego te inuisus, ita tu me nõ libenter cares. Exspectabat autem Cicero eum in Tusculano. QVOD *ita est profecto* } in eadem πάθει te esse. DE *auctione,* } post auctionem. refertur ad uerbum; Venias. auctioni autem, quam Meto facturus erat, Atticum adesse Ciceronis intererat. nam Meto illa auctione proscripti bona, sibi a Caesare dono data, uenditurus erat, ut Ciceroni solueret quod debebat. de hoc latius paullo post. ET *quo die* } forte rectius, Aut quo die. CVM *libellis* } oblecto. VENNONII } hunc Cicero, uel Atticus potius in Ciceronis lib. 1. de legibus, exsilem in historia dicit esse. NE *nihil de re,* } quasi haec superiora, quae proxime scripsit, uerba sint, non res. aut, De re, quam nunc agimus, idest de expediendo nomine Metoniano. Meto enim Ciceroni pecuniam debebat. epist. 1. lib. 13. NOMEN *illud, quod a Caesare* } quod Caesaris beneficio recuperaui. nam Caesar ei concesserat, ut a Metone suum nomen posset exigere. alioqui nemo non intelliget, quam difficile fuisset Ciceroni, homini Pompeiano, exigere pecuniam a Metone, qui partes Caesaris secutus erat: cum Pompeiani his tẽporibus summo in beneficio ponerent, si uitã ipsam tueri possent. ideo dicit, nomen illud quod a Caesare, subintellige, recuperaui, cũ amissum uideretur. Et obseruandum est, Nomen, hoc in loco significare id, quod nobis debetur, alibi id, quod nos debemus. itaque &, Exigere nomina, dicitur, pro exigere id, quod nobis debetur: &, Dissoluere nomen, pro dissoluere id, quod ipsi debemus. lib. 1. in Verrem: Cum reperiretur, pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse, praedia uendidisse. Pro Plancio: Vtrum igitur, me conturbare oportet; an ceteris, cũ cuiusq.

dies uenerit, hoc nomen, quod urget, nunc, cum petitur, dissoluere? T r e s *habet conditiones* } tribus modis expediri nomen illud potest. E m p t i o n e m *ab hasta*, } Caesar proscripti bona dono dederat Metoni. quorum auctionem Meto cum facturus esset, Possum, inquit Cicero, emere ab hasta, idest emere in auctione, (nam hasta ponebatur, ubi auctio fiebat) & accipere ex ijs bonis quantum satis sit pro ea summa, quae mihi a Metone debetur. P e r d e r e *malo* : } quam emere ab hasta proscripti ciuis bona. quod turpe erat: eoq. nomine M. Crassus, ille qui a Parthis caesus est, male audierat, quod Sullanis temporibus multorum ciuium proscriptorum bona sibi is fere propter auaritiam emisset; unde opes illae immanes, & inuidiosa pecunia breui congesta. P r a e t e r *ipsam turpitudinem*, } hinc patet, auctionem illam, quam Meto facturus erat, de proscripti ciuis bonis fuisse, cum in ea turpitudinem inesse Cicero dicat. Caesarianus igitur Meto, non Pompeianus. Hoc *ipsum puto esse perdere* } non solum, inquit, in hac emptione turpitudo inesset, sed etiam, ut puto, iactura: nam, si dominus commutabitur, quae de bonis proscriptorum empta fuerint, rata non erunt: itaque hoc ipsum, emere ab hasta, puto esse perdere. D e l e g a t i o n e m *a mancipe annua die*. } ex tribus condicionibus, primam posuit, cum dixit, Emptionem ab hasta. nunc secundam persequitur. secunda, inquit, condicio est, si alius ea bona, quae in auctione uendentur, emat; eamq. pecuniam, quam Metoni pro emptione debebit, mihi ad annum se esse numeraturum promittat, Metone ipso concedente. Haec est, quam uocat delegationem a mancipe; propterea quod ea ratione Meto non ipse Ciceroni pecuniam soluisset, sed solutionis faciendae curam delegasset mancipi, idest ei, qui illa bona in auctione emisset. mancipes enim dicuntur, qui aliquid in auctione emunt. Delegationem, igitur, a mancipe, translata solutione a Metone ad mancipem. Delegare, est, quod ipsi facere debemus, alteri mandare, non, simpliciter mandare. delegatio igitur erat, si, quam pecuniam soluere debebat Meto, per alium, qui bona illa emisset, solui iubebat. In oratione pro Domo: Delegaui amico locupletiori. Coelius ep. 1. lib. 8. fam. Hunc laborem alteri delegaui. Et Cicero ipse alibi. A n n v a, *die*: } ad annum. hoc propterea scribit Attico, qui auctioni affuturus erat; quo facilius inueniatur qui emat, cum sciat se pecuniam nō praesentem, sed annua die soluturum. Q v i s *erit, cui credam?* } quem mancipem homini Pompeiano praestaturum putem, quod promiserit? A v t *quando iste Metonis annus ueniet?* } Iste, cum indignatione dixit; quia cum Meto, cum se antea soluturum esse ad annum promisisset, numquam tamen soluerat. quasi dicat: annus iste, mancipi ad soluendum concessus, uereor ne Metonis annus futurus sit, cuius quidem serus admodum est exitus. Alludit autem ad annum Metonis Atheniensis Mathematici, qui constabat ex annis XIX. Vide Aldum filium in libro de Quaesitis per epistolam. V e c t e n i *condicione semisse*. } tertia condicio Metoniani nominis explicandi. Faciat, inquit, Meto, quod Vectenus debitor meus facit. pendat mihi semissem usuram pro ea pecunia, quam debet. si hoc faciet, acquiescam, de exigendo nomine non agam, de sorte nihil instabo. Vectenum autem debuisse pecuniam Ciceroni, locus ille in libro XV. epist. 14. satis ostendit: Vectenum, ut scribis, & Faberium foueo. duos enim debitores simul nominat: (nam de Faberij nomine saepissime in his libris) a quibus ne acerbius exigeret, Ciceroni Atticus scripserat. S e m i s s e } semissis usura est, cum pro centenis nummi seni penduntur in anno, idest dimidius in mense. qua ratione centum mensibus dimidium sortis, idest nummi quinquageni amittuntur. dimidium autem sortis, usurae nomine absumptum, recte dicitur, semissis usura: quia pro toto accipitur as: unde, Heres ex asse. σκέψαι } considera: quid? hoc uidelicet, de tribus condicionibus, quas posui, quae tibi magis e re nostra uideatur esse. I s t e } Meto. a quo auctionē fieri uellem, ut inde mihi satisfaceret. A v c t i o n e m *nullam faciat* } plus dixit, quam si dixisset, Auctionem non faciat. Nullam, quasi me contempto, de solutione minimum laborans. L v d i s *factis* } Praeneste. quibus de ludis in epistola, quae proxime antecedit. C v r i o } nomen puto esse debere Caesariani alicuius potentis, quem ludis Praeneste factis putaret Cicero Romam aduolaturum, ut Metoni aere alieno laboranti subsidio esset. N e *talis uir* ἀλογηθῇ } ne Meto negligatur: ne scilicet ego eum ad pecuniam, quam debet, persoluendam, possim cogere. Talis uir, εἰρωνικῶς. μελήσει } curabis: curae erit: de hoc uidelicet Metonis nomine.

Cicero S. D. Attico. 4.

O G r a t a s *tuas mihi, iucundasq. litteras quod quaeris? restitutus est mihi dies festus. angebar enim, quod Tiro* ὑπόχλωρον *te sibi esse uisum dixerat. addam igitur, ut censes, unum diem. Sed de Catone* πρόβλημα ἀρχιμήδειον *est. non assequor, ut scribā, quod tui conuiuae non modo libenter, sed etiam aequo animo legere possint. quin etiam, si a sententijs eius dictis, si ab omni uoluntate, consilijsque, quae de rep. habuit, recedam,* ψιλῶςq. *uelim grauitatem, constantiamq. eius laudare; hoc ipsum tamē ijs odiosum* ἄκουσμα *sit. sed uere laudari ille uir nō potest, nisi haec ornata sint; quod ille ea, quae non sunt, & futura uiderit, & ne fierent, contenderit, &, facta ne uideret, uitam reliquerit. horum quid est, quod Atedio probare possimus? sed cura obsecro, ut ualeas; eamque, quam ad omnes res adhibes, in primis ad conualescendum adhibe prudentiam.*

EXPLANATIO

RESTITVTVS *est mihi dies festus:* } cuius iucunditatem abstulerat metus inualetudinis tuae; quoniam quidem, te sibi rubicundiorem, & inflammatiorem esse uisum, Tiro dixerat. est igitur is dies mihi restitutus, postquam ex tuis litteris, nunc tibi satis recte esse, cognoui. Non enim recte se ualere Atticus scripserat, sed satis recte: cum in extrema epistola Cicero dicat, Adhibe ad conualescendum eam prudentiam, quam ad omnes res soles. ADDAM *igitur, ut censes, unum diem* } ad id tempus uidelicet, quod hic manere constitueram. nam, nisi ita facerem, unus dies amissus esset. quem hac ratione recuperabo, si unum addam. Et sciendum est, Ciceronem hic festos appellare eos dies quos ruri ageret, propterea quod feriaretur ab omnibus negotijs, quemadmodum in urbe festis diebus fieri soleret. VT *censes* } quia, cum Cicero scripsisset, angi se propter Tironis sermonem de Attici rubedine, eoq. factũ esse, ut festum diem amiserit, cum hilaritate illa, ad quam nos dare festis diebus solemus, frui minime potuerit: rescripsit Atticus: Adde igitur unum diem, ut restituatur tibi is, quem amisisti: cum intelligas, de inualetudine mea timendum tibi non esse. DE *Catone* πρόβλημα ἀρχιμήδειον *est* } librum de Catonis uita scribere instituerat: sed ait difficile opus esse, quales Archimedis quaestiones: propterea quod assequi non posset, ut Caesarianos eo libro non offenderet. NON *assequor* } laboro, & contendo; sed non assequor ut scribam, non dicam quod libenter, sed quod equo animo tui conuiuae possint legere. itaq. difficili in loco uersor, quemadmodum ij, qui Archimedis quaestionem aliquam explicare conantur. TVI *conuiuae* } Caesariani, Balbus, Hirtius, & alij, quos habere in conuiuio saepissime solitus es. RECEDAM } sensus est: Si Catonis sententias, quas de rep. dixit, & consilia, quae item de rep. habuit, omittam; eiusq. grauitatem & constantiam minus, quam ueritas postulat, laudare uelim: tamen hoc ipsum audire molestum illis erit: idest, hac ipsa Catonis laude, quamuis imminuta, tamen offendentur: nullã enim prorsus eius mentionem fieri uellent. NISI *haec ornata sint,* } haec, grauitas & constantia Catonis in rep. administranda: ornata sint, ornate scribantur. πρόβλημα ἀρχιμήδειον *est* } de Catone scribere. nam, si eum ψιλῶς, hoc est parce, tenuiter, non ut ueritas postulat, laudabo; tamen Caesarianos offendam: sin uere, multo magis: propterea quod laudare eum uere non possum, nisi haec laudibus illustrem: laudibus autem illustrari debent ob hanc caussam, quod ille ea, quae nunc fiunt, & futura uiderit; &, ne fierent, contenderit, &, facta ne uideret, uitam reliquerit. ATEDIO } Caesari. ficto nomine. & fortasse idem, de quo ep. 23. PROBARE } ostendere, & persuadere, recte esse factum. quasi dicat: Ex his nihil erit, quod Caesar non reprehendat: itaque eum offendam, si scriptis illa persequi uoluero. Haec epistola post confectum bellum Africanum scripta est; siquidem Catonis interitum ostendit, qui, audita Caesaris uictoria, Vticae se ipse occiderat.

Cicero S. D. Attico. 5.

QVINCTVS pater quartum, uel potius millesimũ nihil sapit, qui laetetur Luperco filio, & Statio, ut cernat duplici dedecore cumulatã domũ. addo etiam Philotimum tertium. o stultitiam, nisi mea maior esset, singularem: (quod autem os im hanc rem, ὄφανον a te) fac, non ad διψῶσαν κρήνην, sed ad περίρρυτον cum uenisse: ἀπόσπασμα ει μὴν ἀλοσιοῦ πυρήνην, ut scribis, haurire, in tantis suis praesertim angustijs? ποῖ ταῦτ᾽ ἂν ἀποσχίζοι? sed ipse uiderit. Cato me quidem delectat, sed etiam Bassum Lucilium sua. De Coelio, tu quaeres, ut scribis. ego nihil noui. noscenda est natura, non facultas modo. De Hortẽsio, & Virginio tu, si quid dubitabis. etsi, quod magis placeat, ego quantum adspicio, non facile inueneris. Cum Mustella, quemadmodum scribis, cum uenerit Crispius. Ad Aulum scripsi, ut ea, quae bene nossem de auro, Pisoni demonstrarem. tibi. n. sane assentior, & istud nimiũ duci, & oĩa nunc undique contrahenda. Te quidẽ nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad me pertineat, facile perspicio, meisq. negotijs impediri cupiditatẽ tuã ad me ueniendi. sed me cum esse te puto; non solum quod meam rem agis, uerũ etiam quod uidere uideor, quo modo agas. neque enim ulla hora tui mihi est operis ignota. Tubulum praetorem uideo L. Metello, Q. Maximo consulibus. nunc uelim, P. Scaeuola pontifex maximus, quibus consulibus tribunus pl. equidem puto Caepione, & Pompeio: praetor enim P. Furio, Sex. Atilio. dabis igitur tribunatũ, &, si poteris, Tubulus quo crimine. & uide quaeso, L. Libio, ille, qui de Ser. Galba, Censorino, & Manilio, an Quinctio, Manio consulibus tribunus pleb. fuerit: conturbor enim. in Bruti epitoma Fannianorum, scripsi, quod erat in extremo: idq. ego secutus, hunc Fannium qui scripsit historiam, generum esse scripseram Laelij. sed tu me γεωμετρικῶς refelleras: te autem nunc Brutus, & Fannius. ego tamen de bono auctore Hortensio sic acceperam, ut apud Brutum est. hunc igitur locum expedies. Ego misi Tironem Dolabellae obuiam. is ad me idibus reuertetur. te exspectabo postridie. de Tullia mea tibi antiquissimum, esse uideo: idq. ita ut sit, te uehementer rogo. Ergo & in integro omnia: sic enim scribis. mihi etsi kalendae uitandae fuerunt, incessionumq. ἀρχέτυπα fugienda, conficiendaeq. tabulae: nihil tamen tanti, ut a te abessem, fuit. cum Romae essem, & te iam iamq. uisurum me putarem quotidie tamen horae, quibus exspectabam, longae uidebantur. scis me minime esse blandum: itaque minus aliquanto dico, quam sentio.

EXPLA-

EXPLANATIO

LVPERCO *filio,*] Romae Lupercalia sacra ad expiandos manes mense Februario celebrabantur. inde Luperci, qui ea sacra Lupercalibus in Lupercali facientes, hac illac nudi cursitabant. ipsa uero Lupercalia, a Lycaeo, Arcadiae monte, dicta, ut Ouidius scribit, transtulisse in Italiam Euandrum Arcadem Liuius refert, sed ab Ouidio & Liuio Sex. Pompeius discrepat, qui a Lupercis, amiculo Iunonis, idest pelle caprina, nomen accepisse tradit. De Lupercis & Lupercalibus Varro, Sex. Pompeius, Liuius, Plutarchus, Ouidius de fastis, Cicero pro Coelio, & in Antonium. STATIO] Quincti Ciceronis liberto; quem, cum in Asia praetor esset, maxime propter fidelitatem manumiserat. de hoc in ep. 5. l. 5. & ep. 2. l. I. ad Quinctum fratrem; & in ea, quam ad Marcum fratrem Quinctus scripsit, lib. XVI, ad Tironem. DVPLICI *dedecore*] duplex enim dedecus, & filium & libertum Lupercos habere, qui ea sacra non nisi summa laetitia & hilaritate Lupercorum more celebrarent: cum in tantis patriae ruinis non laetari bonum ciuem, sed lugere oporteret. TERTIVM] Lupercum. O *stultitiam*] Quincti fratris. NISI *mea maior esset*] qui, patria tyrannido oppressa, tamen hic maneam. mihi enim, uiro consulari, uindici olim inimicorum reip. qui pro patria tantas res in consulatu gessi, tam acrem libertatis defensorem in omni uita sum professus, multo minus concedendum est, nunc tyranno seruire; quam Quincto fratri, Lupercum esse filium suum pati. itaque maior, quam illius, stultitia nostra est. QVOD *autem osim hanc rem,* ἔρανον *a te.*] Osim, dixit, pro Ausim, comicorum more. Quod, inquit, ausim sub tyranno uiuere, mandatum hoc a te habeo. tu enim mihi hoc in mandatis dedisti, ne discedam; sed in patria potius quam externis in locis, uiuam. ἔρανον autem ualet Mandatum, auctore Suida, qui ἔρανος idem scribit esse, quod ἐντολή. alibi aliud significat: sed hic sententia postulare uidetur, ut pro mandato accipiamus. & dixit, Osim, quasi turpe quiddam. FAC, *non ad* διψῶσαν *&c.*] Quinctus, inquit, laetatur, quod filium Lupercum uideat. mirorres; enim est eiusmodi, ut propterea ualde laetari, stultum sit. uerum fac, & amplam rem esse, & honorificam; numquid eum decet, cum resp. perierit, ulla ex re uehementius laetari; praesertim cum & ipse hoc tempore, qui laetatur, summa ex rei familiaris angustia laboret? hoc autem Cicero μεταφορικῶς protulit, his uerbis: Fac eum non ad aridum laetitiae fontem, sed ad Pirenen, idest ad uberrimum, uenisse. (Pirenē enim pro uberrimo fonte posuit; siquidem, cum & concinne more fontium scateat, & aquas, ut Strabo refert, non diffluentes habeat, sed stantes, uberrimum sit necesse est) ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ πειρήνην haurire? in tantis suis praesertim angustijs? uerba sunt Pindari in Nemeis non de Pirene, sed de Arethusa fonte; qua in Achaia terra absorptus Alpheus fluuius, diuq. subterfluens, tamdem erumpit apud Syracusas in fontem Arethusam, ut, quasi graui pressus onere, tum demum respirare uideatur. ideo uocauit Pindarus Arethusam ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ. quo modo & hic legendum uidetur: ut non de Pirene loquatur Cicero, quae non est Ἀλφειοῦ ἄμπνευμα, sed ad Arethusam sermonem conuertat. & recitat uerba graeca in Attici litteris usurpata. quod apparet, quia subiungit, Vt tu scribis. alioqui esset μνημονικὸν ἁμάρτημα, si Pindari uerba, de Arethusa prolata, Cicero de Pirene dicta acciperet. CATO] liber, quem scripsit de Catonis uita. SED *etiam Bassum Lucilium sua*] subintelligitur, delectant. Sensus est: Catone meo delector, sed fortasse sine caussa, quando etiam Bassum Lucilium, malum scriptorem, sua delectant. DE *Coelio, tu quaeres, ut scribis.*] Ciceronis consilium erat, ut omnia, quaecumque posset, siue e suppellectile, siue ex argento, in auream pecuniam redigeret, ut scilicet temporibus tam incertis, tamq. periculosis, cum unius libidine cuncta gererentur, rebus suis contractis, & paratior esse ad omnem euentum, & facilius cauere sibi posset. aurum hoc non nisi ab argentarijs poterat cogere. & quoniam in huiusmodi rerum tractatione minus ipse uersatus, in auro timeret, ne sibi ab argentarijs imponeretur: Attico, huius generis intelligenti, & ad hanc rem usu peritissimo, conficiendi negotij curam delegauerat. Haec, ut argumentum eorum, quae sequuntur, praeponere non alienum fuit. Nunc ad Ciceronis uerba. *De Coelio:* argentario. *Quaeres* : num aurum nobis dare possit. quamquam non hoc modo uidendum tibi est, num dare possit; sed illud etiam, num daturus bonum sit, non adulterinum. hoc enim significat id quod sequitur, Noscenda est natura, non facultas modo: subintellige, Coelij. unde illud in epistola sequenti: De Coelio, uide quaeso ne quae lacuna sit in auro. Quod autem dicit, Ego nihil noui, ualet hoc, Ego in huiusmodi rebus plane sum rudis: itaque tu quaeres. Iterat eadem in epistola quae sequitur, cum dicit, Ego ista non noui. Hunc locum alij aliter interpunxerant, ut ita scriberent, Noscenda est natura, non facultas modo de Hortensio, &c. nos, sententiam, ut putamus, meliorem secuti, distinctionis notam loco mouimus. DE *Hortensio, & Virginio tu, si quid dubitabis*] hos quoque argentarios puto fuisse. *Tu* : subaudi quaeres: quaeres autem hoc, num uiri boni sint, & num in auro quod daturi sunt, uitium timere possimus. *Si quid dubitabis* : hoc dicit, quia ipse non admodum dubitabat. nam infert, Etsi, quod magis placeat, ego quantum adspicio, non facile inueneris. CVM *Mustella*] ages. forte Mustella & Crispus coheredes erant. itaque agi cum Mustella non poterat, nisi & Crispus, eiusdem hereditatis particeps, adesset. etiam ep. 3. l. 13. De Crispo, inquit, & Mustella uidebis. & uelim scire, quae sit pars duorum. Quo in loco hereditatem significari, manifestum est, cum dicat, Quae sit pars duorum. AD *Aulum scripsi*] & a Pisone argentario aurum sumere Cicero uolebat. hoc agebatur, interprete Aulo. &, quoniam res diutius ducebatur; puto quod argentarius Piso in permutatione facienda lucro usitato contentus esse nollet, sed aliquanto plus peteret:

Cicero,

Cicero, qui rem ad exitum uellet perducere, ad Aulum scripsit, ut per eum Pisoni demonstraret, se optime nosse, quantum pro auro, quod ab argentarijs permutatione acciperetur, dari soleret, ut scilicet Piso, cum uideret Ciceronem, qui collybi rationem bene nosset, non facile adductum iri, ut praeter consuetudinē penderet; aequiora postularet. Pisonē autē argentarium fuisse, ostendit etiam locus ille in l. 15. ep. 2. Pisonem, sicubi de auro. Et eodem lib. ep. 4. Si quid poteris, cum Pisone conficies: Aulus enim uidetur in officio futurus. Semper enim, ubi quid agendum erat cum Pisone, Auli opera, qui Pisoni familiaris esset, utebantur. QVAE *bene nossem de auro* } quantum scilicet pendi soleat ab ijs, qui argentarijs permutatione aurum sumunt. non enim hoc dicit, ut ostendat aurum se nosse, cum supra dixerit, Ego nihil noui: & infra, Ego ista non noui, referens ad aureae pecuniae cognitionem: sed ideo dicit, ut collybi rationem sibi notam esse ostendat. DEMONSTRAREM } per Aulum interpretem. TIBI *enim &c.* } ratio, cur ad Aulum scripserit. Videbam, inquit, idem quod tu, & hanc rem nimium prorogari, & mea referre, ut conficeretur. ISTVD } hanc rem, quam cum Pisone agimus interprete Aulo. OMNIA *contrahenda* } id agendum, ut omnia negotia ad exitum perducantur. Contrahenda, μεταφορικῶς, ne longius abeant. Te quidem, &c. quoniam dixit, Istud nimium diu duci, ideo haec subscribit, ut ostendat, Attici id negligentia non fieri. TVBVLVM } de hoc L. Tubulo in oratione pro M. Scauro his uerbis: Si mehercule iudices pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum, & audacissimum fuisse accepimus: tamen non timerem, uenenum hospiti, aut conuiuae si diceretur cenanti ab illo datum, cui neque heres, neque iratus fuisset. quem locum Pedianus explanans, Lucius, inquit, hic Tubulus praetorius fuit aetate patrum Ciceronis. is propter multa flagitia, cum de exsulio accersitus esset, ne in carcere necaretur, uenenum bibit. Haec autem de Tubulo, & de Scaeuola Cicero quaerebat ab Attico, ut ad libros de finibus uteretur, quos tunc in manibus habebat. nam libro II. ubi differentiam ostendere uult inter improbum, & callidum improbum; exempla ponens, de L. Tubulo ita meminit, ut de improbo; de Q. Pompeio, ut de callido improbo. An tu, inquit, me de L. Tubulo putas dicere? qui cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scaeuola tribunus pl. ferret ad plebem, uellent ne de ea re quaeri? quo plebiscito decreta est consuli quaestio Cn. Caepioni; (sic enim legendum est, non Scipioni) profectus in exsulium Tubulus statim, nec respondere ausus: erat enim res aperta. non igitur de improbo, sed de callido improbo quaerimus, qualis Q. Pompeius in foedere Numantino inficiendo fuit. Haec Cicero: qui cum ignoraret, quo crimine Tubulus esset accusatus, quaesiuit ab Attico his uerbis, Si poteris, Tubulus quo crimine, subaudi, accusatus fuerit. Atticum rescripsisse apparet, Quod praetor quaestionem exercens inter sicarios, pecunias cepisset ob rem iudicandam. itaq. Cicero, ut ostendimus, in libro 2. de finibus scripsit. TRIBVNVS *pl.* } quo iri tribunatu de Tubulo ad plebem tulit. PVTO, *Caepione, & Pompeio* } recte putabat, ex caussa, quam subscripsit. nam, cum P. Furio, Sex. Atilio cos. praetor fuerit, inter tribunatum autem & praeturam quattuor anni interfint: Caepione & Pompeio cos. tribunum fuisse, uerisimile uidebatur. ideo dicit in libro II. de finibus, Anno proximo, cum ab Attico certior factus esset, Caepione & Pompeio cos. tribunum Scaeuolam fuisse; Caepionem autem & Pompeium post Metellum, & Maximum, idest post annum, quo Tubulus praetor fuit, consules sciret proxime fuisse. DABIS *igitur tribunatum* } scribes, quibus consulibus Scaeuola tribunus pl. fuerit. Atticum rescripsisse constat, Caepione & Pompeio, ut supra ex libro II. de finibus proxime ostendimus. TVBVLVS *quo crimine* } subintellige, fuerit accusatus a Scaeuola tribuno pl. Hic erratum erat in omnibus libris, quos uidimus, & scriptis, & impressis. nā, pro Tubulus, uel Tabulis, uel Tubulis, uel Tribulis legebatur. coniectura usi sumus, &, Tubulus, recte, ut opinor, reposuimus. L. LIBO, *ille, qui de Ser. Galba,* } L. Scribonius Libo rogationem tulit in Ser. Sulpicium Galbam, quod praetor Lusitanos contra interpositam fidem occidisset. hoc Cicero lib. 1. de Orat. & in Bruto, & Val. l. 9. sed aliter is, qui epitomen facit ex lib. Liuii XLIX. *Qui de Ser. Galba:* ad populum tulit. Hic est Galba, quem Cicero in libro de claris oratoribus artificium & uim ad animos eorum, qui audirent, delectandos aut permouendos principem ex Latinis habuisse dicit. CENSORINO, *& Manilio,* } anno post urbem conditam DCIV. MANIO } praenomen Acilij Balbi, qui consulatum cum T. Quinctio Flaminino gessit anno DCIII. post u. c. IN *Bruti epitoma Fannianorum scripsi:* } locutio, qualis illa ad Trebatium: In Equo Troiano scis esse in extremo. In Bruti igitur epitoma erat in extremo, Fannium, qui scripsit historiam, generum esse Laelij. id Cicero ita scripsit, Brutum auctorem secutus, cum etiam de Q. Hortensio idem accepisset. *In Bruti epitoma*: ante has dictiones in omnibus libris uerba erant Haec, Epitome Bruti Fanniana: quas, ut otiosas, & eorum, quae sequebantur, glossema, sustulimus. *Fannianorum*: quam confecit Brutus annalium Fannianorum, id est, historiae a Fannio conscriptae. Sic etiam illud accipio, quod est in libro sequenti ep. 8. Epitomen Bruti Coelianorum uelim mihi mittas: quam Brutus confecit historiae a L. Coelio Antipatro conscriptae. HVNC *Fannium* } C. Fannium, Marci filium. *Hunc*: cuius historiam habemus. SCRIPSERAM } in libro de claris oratoribus. LAELII } hic est, qui cum Scipione Africano inter paria amicorum celebratur: cuius nomine librum de Amicitia Cicero inscripsit. γεωμετρικῶς } argumentis & rationibus apertissimis, quemadmodum geometrae solent. BRVTVS, *& Fannius* } epitome Bruti, & ipsius Fannij historia. BONO *auctore Hortensio,* } hic est Q. Hortensius orator, aetate sua post Ciceronem in eloquentia princeps. augur Cicero in collegiū cooptauit, & inaugurauit: consul fuit cū Q. Metello Celere: obiit L. Aemilio Paullo, C. Claudio Marcello cos. cum Cicero ex Cilicia decederet, ut scribit ipse in prooemio libri de claris oratoribus. quo in libro multa de eodē Hortēsio, itemq. in fine libri III. de oratore. *Bono*

auctore:

auctore: } historiae perito, ut ei fides habenda uideretur. alibi etiam, in hoc genere Ciceronem Hortensij memoria, cum uiueret, usum esse, apparet, ut epist. 31. Videor audisse ex Hortensio, Tuditanum in decem Mummij legatis fuisse. & ep. 33. EXPEDIES } Fannius, qui scripsit historiam, gener Laelij fuerit, necne. DOLABELLAE } ex Africano bello reuertenti. ERGO *& in integro omnia,* } hic principium puto esse oportere alterius epistolae. Ergo, inquit, omnia mihi in integro sunt apud Caesarem: animus illius erga me nihil est immutatus, quamquam Kalendis Romae non affuerim, cum senatus habitus est. Cupiebat autem Caesar quam maxime, ut in senatum uenirent, qui ante ciuile bellum optimates nominati fuerant, ut scilicet aliqua resp. uideretur esse, quae re uera nulla erat. quo cum Cicero non uenisset, quaesiuit ab Attico per litteras, quo animo Caesar id ferret. Atticus rescripsit, In integro sunt omnia. MIHI *etsi Kalendae uitandae fuerunt* } sensus est: Romam uenire non debui, & quia Kalendae mihi uitandae fuerunt, ne in senatu adessem, & ut primas optimatium reprehensiones effugerem. Verebatur. n. Cicero, ne, si Caesare ex Africa reuerso statim uenisset, & in senatu affuisset, boni eum in sermonibus uituperarent, quod, libertatis olim defensor acerrimus, tunc in senatum, qui haberetur a tyranno, uenire non recusaret. Incessionum autem ἀρχέτυπα dixit, idest, origo, & prima caussa uituperationem: nam ante nihil commiserat, quo reprehendi ab optimatibus posset. Et, Incessionum, proprie: nam incessere, Festus exponit; iactu uel uerbis petere. transfertur & ad alias res: Itaque dixit Plautus: Incessere herum dolis; Sallustius, Incessit ambos inopia; Liuius, Incessit patres timor. Idem proprie, Incessere hostes iaculis. Cum autem locus hic Ciceronis ante esset corruptus, & in antiquo libro Caualcantis legeretur, Niccasionum; in eo, quem Vbaldinus habet, Meassionum; corrigere ausi sumus, &, Incessionum, scripsimus, una tantum littera, si quis accurate confert, immutata. sententia quidem ita commoda est, ut aptius nihil esse possit. *Kalendae:* Sext. nam Caesarem ex Africa reuertentem uenisse Romam VIII. Kal. Sextilis, l. 5. in extremo Hirtius refert. ut Kalendas, quibus primum senatum habuit, quas Cicero dicit sibi uitandas fuisse, Sextilis mensis intelligi uerisimile sit. Kalendis autem ut senatus haberetur, uidetur in consuetudine positum fuisse. quod indicat etiam locus ille ep. 26. Circiter Kalendas affuturus uidetur. uellem, tardius. Et illud ep. 46. l. 13. Rogat magnopere, ut sim Kalendis in senatu. Item ep. 6. lib. 16. Maxime dolebat me Kalendis Sextilibus in senatu non fuisse. & ep. 22. l. 14. alibiq. non apud ipsum modo, sed & apud alios. CONFICIENDAEQ. *tabulae* } tertia caussa, cur Romam uenire non debuerit, cóficiendae, inquit, mihi erant tabulae; ruri, uidelicet: nam in urbe propter occupationes non potuisset. His de caussis, inquit, Romam uenire non debui: sed debui tamen, ut te uiderem: nihil enim tanti est, ut a te absim. Et dixit, Vt a te abessem, pro, ut abesse deberem. Hunc locum & mendosum, & perdifficilem correctione, & interpretatione, nisi fallor, ita illustraui, ut ijs, qui haec nostra legerint, obscurus iam esse non possit. Vnum mihi uideor praetermisisse, Conficere tabulas quid sit: quod Pedianus declarat his uerbis: Moris fuit, unumquemque domesticam rationem sibi totius uitae suae per dies singulos scribere; in quo appareret, quid quisque de redditibus suis, quid de arte, fenore, lucroue seposuisset quoque die, & quid item sumptus, damniue fecisset. Haec Pedianus. eadem fere Cicero ipse in Verrem libro III. & Suetonius in Iulio, qui cum scribit seruitia politiora comparasse immenso praetio, & cuius etiam ipsum puderet sic, ut rationibus uetaret inferri.

Cicero S. D. Attico. 6.

DE *Coelio, uide, quaeso, ne quae lacuna sit in auro. ego ista non noui, sed certe in collybo est detrimenti satis. huc aurum si accedit: sed quid loquor? tu uidebis. Habes Hegesiae genus, quod Varro laudat. uenio ad Tyrannionem: Ain tu? uerum hoc fuit, sine me? at ego quoties, cum essem otiosus, sine te tamen nolui? quo modo hoc ergo lues? uno scilicet, si mihi librum miseris: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. Etsi me non magis liber ipse delectabit, quam tua admiratio delectauit. amo enim πάνταφιλόδημον: teq. istam tam tenuem θεωρίαν tam ualde admiratum esse gaudeo. etsi tua quidem sunt eiusmodi omnia. scire enim uis, quo uno animus alitur. sed, quaeso, quid ex ista acuta, & graui, refertur ad τέλος? sed longa oratio est, & tu occupatus in meo fortasse aliquo negotio: & pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem, unctumq. repetemus. sed ad prima redeo. librum, si me amas, mitte. tuus est enim profecto, quoniam quidem est missus ad te. Vale.*

EXPLANATIO

NE *quae lacuna sit in auro* } ne uitium sit in auro, quod a Coelio argentario, pecunia permutanda, meo nomine, accepturus est. Lacuna dicitur esse in auro, cum in numero, qui aureus uidetur, aliquid est, quod aurum non sit. quasi enim lacuna est in eo loco, ubi aurum non est: translatione sumpta a fundis, quos lacunae deteriores faciunt. IN *collybo* } in ipsa permutatione. nam argentarijs datur aliquid, cum pecunia permutatur. Collybum autem Pollux explanat, pecuniae permutationem.

Hvc *aurum si accedit* ? si praeter detrimentum, quod in collybo patimur, etiam non bonum aurum habebimus ab argentario. Habes *Hegesiae genus quod Varro laudat* ? Hegesiae duo fuerunt, Cyrenaicus, & Magnesius, hic orator, ille philosophus. de philosopho, in primo libro Tusculanarum quaestionum, & Laertius in Aristippo: de oratore, Stabo libro xiv. ipse in eo libro, quem inscripsit, Orator. quo in libro, manasse ab hoc uitium illud, scribit, in quod incidunt ij, qui numeros in oratione frequentius infringunt, atque concidunt. cuius generis sunt Varronis scripta, utpote qui Hegesiam sequeretur. Quod Cicero de numeris Hegesiae tradit, idem fere Dionysius Halicarnasseus in Arte. *Habes Hegesiae genus:* Hegesiae librum Cicero ad Atticum miserat. uides, inquit, Hegesiae scripta cuius generis sint. *Quod Varro laudat:* sine caussa, scilicet: nam uidetur hoc significare: Nunc Hegesiae librum legens, intelligis, quam recte eum Varro laudat. Verum *hoc fuit, sine me?* ? subaudi, te legere Tyrannionis librum. & dixit, Verum, pro aequum. quo modo, & in ep. 1. libri 11. Lves ? correxeris. nam Luere hoc in loco id fere ualet, ut illud l. 5. de finibus: Lucretia stuprum per uim oblatum uoluntaria morte luit. Tva *admiratio* ? scripserat enim Atticus, se Tyrannionis librum cum admiratione legisse. Amo *enim πάντα φιλόδημον*: ? ratio, cur Attici admiratione delectatus sit. amo enim, inquit, quicumque popularium suorũ studiosus est. popularis autem erat Attici Tyrannio, non quod uterque Atheniensis esset, (nam neque Atticus, ut Cornelius Nepos in ipsius uita scribit, ciuem se Atheniensem fieri passus est, cum Athenienses uellent; & Tyrannio erat Amisenus, ut Suidas tradit) sed quod uterque Athenis uixerat. eadem ratione in ep. 10. libri 1. Solonem Attici popularem appellat: & infert, eundem Solonem se putare popularem suum fore: non quod in Atheniensium ciuitatem Cicero adscribi uellet, sed quia, ciuili bello inter Caesarem, & Pompeium exorto, ne alterutrius partis esset, migrare Athenas, ibiq. habitare cogitaret. Alibi Popularis ualet eiusdem ciuitatis, ut lib. 11. Academicarum quaestionum: Thales hoc Anaximandro, populari, & sodali suo, non persuasit. uterque enim Milesius, auctore Laertio. Tenvem θεωρίαν ? Tyrannionis considerationem in re tenui; quam tu, eius librum legens, admiratus es. Refertvr *ad τέλος* ? quid affert ad summam rerum acuta ista, ut scribis, & grauis θεωρία: quasi dicat: ut acuta, & grauis sit, quemadmodum tu scribis, Tyrannionis ista θεωρία, tamen in re uersatur minime necessaria. quamquam. n. Cicero librum non legisset, ὑπόθεσιν tamen & argumentum non ignorabat. Et *pro isto asso Sole* ? rectius, At, quam Et, meo iudicio. respondet ad alteram partem epistolae ab Attico acceptae. *Asso Sole:* scripserat Atticus, se, cum domum Ciceronis, quae erat in Palatio, uenisset, in Sole per pratulum, quod domui adiacebat, satis superq. inambulasse. Respondet Cicero per iocum: Domi meae dum fuisti, praeter siccũ solem nihil habuisti: at ego a te nitidum unctumq. Solem repetam: idest, cum ad te domum ueniam, non Sole tantum contentus ero, non mihi idem, quod tibi, satis erit, in Sole inambulare; sed cenam etiã cum sole exigam. Solem assum uocat, quem cena non sequatur, quasi sine succo, ut ob[...]nia sunt assa: nitidum autem, & unctum, qui cum cena sit. Missvs *ad te* ? cum tui nominis inscriptione, quemadmodum & Cicero Oratorem ad M. Brutum misit.

Cicero S. D. Attico 7.

Tantvm ne ab re tua est otij tibi, ut etiam Oratorem legas? macte uirtute. mihi quidem gratum: & erit gratius, si non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli. Caesar autem mihi irridere uisus est qvaeso *illud tuum, quod erat εὐτονίς, & urbanum: ita porro te sine cura esse iussit, ut mihi quidem dubitationem omnem tolleret. Atticam doleo tam diu: sed, quoniam iam sine horrore est, spero esse, ut uolumus. Vale.*

EXPLANATIO

Tantvm *ne est ab re tua otij tibi,* ? hoc totum e Terentij Heauton timorumeno sumpsit. nam in prima scena primi actus sic loquitur Menedemus: Chreme, tantum ne est ab re tua otij tibi, aliena ut cures, eaque, nihil quae ad te attinent? Oratorem ? librum, quem de perfecto oratore ad M. Brutum Cicero misit: cuius inscriptio est, Orator: itaque etiam in epistola ad Lepram, Oratorem, inquit, meum tantopere a te probari, uehementer gaudeo. Macte ? uox, qua recte facientes laudamus simul, & hortamur: ut exempla declarant. ueteres ea & absolute, & cum nominibus usi sunt. unde illud in extrema epistola lib. 15. Seruulos dicere aiebant, agripetas eiectos a Buthrotijs. macte. Tusculanarum autem quaestionum libro 1. Macte uirtute, ego enim ipse cum eodem ipso non inuitus errauerim. & Virgilius, Macte puer uirtute noua, sic itur ad astra. Plautus autem in Milite, Macte, dixit pro ualde. Gratvm ? quod Oratorem meum legas. Non *modo in libris tuis, sed etiam in aliorum* ? nam orator describebatur a pluribus, eiusq. exempla erant non modo apud Atticum, sed etiam apud alios. Aristophanem *reposueris pro Eupoli* ? perspicuum est, in Oratore subintelligi, in quo haec de Pericle: Si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Graeciã dictus esset. Aristophanis autem graeca uerba Plinius

in ep.quadam recitat, ἤ σφατ ται ἱβρό μτα, ξυνιχύ κατὴν ἰλλάδα. quod Cicero cum Eupoli primum tribuisset, postea, correxit, Aristophane reposito. QVAESO *illud tuum* } Atticus Caesarem de re Buthrotia cum rogaret, Quaeso, saepius iterabat. quod uerbum Caesar quodam modo irridens, Attico se facturum omnia promisit: Buthrotiosque, quorum agrum, ut diuideretur, proscripserat, decreto postea liberauit. hac de re in sequentibus libris, sed planissime in decimo sexto, in extremo. TAMDIU } febri laborare. supra, de Atticae febricula, scilicet ualde dolui. ep.1.& infra ep.13.& 17.

Cicero S. D. Attico. 8.

QVAE desideras, omnia scripsi in codicillis, eosque Eroti dedi, breuiter, sed etiam plura quàm quaeris; in ijs de Cicerone: cuius quidē cogitationis initium tu mihi attulisti. locutus sum cum eo liberalissime: quod ex ipso, uelim, si modo tibi erit commodū, sciscitere. sed quid differo? exposui, te ex me detulisse, ecquid uellet, ecquid requireret. uelle Hispaniam, requirere liberalitatem. de liberalitate, dixi, quantum Publius, quantum flamen Lentulus filio. de Hispania, duo attuli, primum idem, quod tibi, me uereri uituperationem: non satis esse, si haec arma reliquissemus? etiā contraria? deinde fore, ut angeretur, cum a fratre familiaritate, & omnia gratia uinceretur. uelim magis liberalitate uti mea, quam sua libertate: sed tamen permisi. tibi enim intellexeram non nimis displicere. ego etiam atque etiam cogitabo: teque, ut idem facias, rogo. magna res: simplex est manere: illud anceps. uerum uidebimus. De Balbo, & in codicillis scripseram, & ita cogito, simul ac redierit. sin ille tardius, ego tamen triduum. Et, quod praeterij, Dolabella etiam mecum. Vale.

EXPLANATIO

QVAE *desideras* } ut ad te scribam. CODICILLIS } Codicillos & Litteras multi, ut uideo, indifferenter accipiunt. ego aliter sentio. nam codicilli tabellae ceratae erant, in quibus aliquid stylo aut breuiter, aut festinanter scriptum fuerat. itaq. ijs commodissime ueteres utebantur, cum scribere in codicillis possent uel in cena, uel in curia, uel in uia, uel ubicumque libuisset; charta autem non item, in qua scribere sine atramento & calamo non poterant. neque umquam in codicillis quidquā esse scriptum reperietur, nisi cum aut breuiter, aut raptim scribendum esset. quare litterae erant, quae in charta scriptae fuerant: codicilli, tabulae ceratae, in quibus aliquid uel breuitatis, uel festinationis caussa exarabatur. EROTI } hic Ciceronis res domesticas administrabat. ep.2.l.13. IN *ijs* } non in codicillis, sed in ijs, quae, non rogatus a te, scripsi. refertur.n.ad proximum illud, Sed etiam plura, quam quaeris. COGITATIONIS } nam, te monente, cogitare coepi, quam uitam Cicero meus, quoniam quidem adolescēs iam esset, ordiri deberet. QVID *differo?* } quid ego hanc moram interpono, ut ex eo sciscitaris? ipse tibi nunc narrabo. Deinde narrare incipit. Exposui, te de mandato meo ei detulisse, ecquid uellet, ecquid requireret. uelle (subaudi, Quinctum filiū haec respondisse) Hispaniam, requirere liberalitatem: idest, uelle Caesarem in Hispaniam sequi contra Pompeij filios: requirere, ut ego ei pecuniam liberalius suppeditarem. FLAMEN *Lentulus* } filius eius Lentuli, quem cum uniuerso pontificum collegio Ciceronis domum, a P.Clodio consecratam, religione liberasse, legimus in oratione de haruspicum responsis: qui & ep.24.l.2.& ep.6.l.4.& a Pediano in oratione pro Scauro.& in oratione in Vatinium nominatur. Sensus est. De liberalitate dixi me daturum, quantum filio suo Publius, quantum suo Lētulus daret. QVOD *tibi,* } quod tibi attuli, cum ad me retulisses, filium in Hispaniam ire uelle. HAEC *arma reliquissemus?* } Pōpeiana. CONTRARIA } subintellige, sequi.& Contraria, idest Caesaris. FRATRE } Quincto Cicerone filio, qui familiarior & gratiosior esset apud Caesarem, utpote qui Lupercus in gratiam illius fuisset. nam Marcus filius nullo adhuc beneficio Caesaris gratiam quaesierat, ac ne satis quidem illi notus per aetatē esse potuerat. Quinctum autē filiū cū Caesare in Hispania fuisse, infra ostenditur ep.37. ubi eū Cicero Impurū cognatū appellat. VELIM *magis, &c.* } uolo, ut potius pecuniam a me, quantam uult, sumat, quā in Hispaniam erat.& dicit, Sua libertate, quia, si M.Cicero in Hispaniam iuisset, cū id patri sciret nō placere, nimirū liberius agere uisus esset. PERMISI } ut in Hispaniā iret; si omnino ita constituisset. MAGNA *res* } permittere filio, ut in Hispaniam eat contra Pompeij liberos. SIMPLEX *est manere: illud anceps* } manere tutum est, & sine periculo: ire in Hispaniam, anceps. possumus.n. aliquam in difficultatem incurrere. nam primum dedecus uidetur esse, filium pati pro tyranno pugnare: deinde hoc cogitandum est; si casus tulerit, ut Pompeiani uincant, quid nobis futurum sit, qui filio permiserimus, ut contra eos pro Caesare dimicaret. DE *Balbo &c.* } sic accipio. Dolabella, cum Tulliolam dimisisset, Ciceroni dotē debebat. eam tamen non numerabat, fretus gratia Caesaris, cuius partes in ciuili contentione secutus erat. cogitabat igitur Cicero hac de re loqui cū Balbo Caesaris amicissimo. nam & infra; De dote, inquit, tanto magis perpurga. Balbi regia condicio est delegandi. EGO *tamen triduum* } hic manebo. Et dictio, Tamen, uenuste posita pro Certe: quia desiderium rusticandi declaratur. ut hoc dicat: Cum primum Balbus redierit, Romam me conferam: sin ille tardius, ego, quod optaui, tamen assequar, ut hic triduum

duum etiam manere possim. Non licet autem quarundam dictionum occultam uim γεωμετρικῶς ostendere: sed, ingenio paullo acutiore qui sunt, facile, quod significabimus, intelligent: ceteris satisfacere neque semper possumus, etiam si uelimus; neque, si possimus, semper uelle debemus. DOLABELLA *etiam mecum*] mansit. Tantum, inquit, abest, ut se a me abalienatum ostenderit, ut etiam hic mecũ manserit. Verebatur autem Cicero, ne Dolabella, qui Tulliolam repudiasset, sibi quoq; esset infensior. unde illud in epistola ad Volumnium: Dolabellam, quem ego perspicio & iudico cupidissimum esse, atque amantissimum mei, cohortare, & confirma, & redde plane meum. Nondum autem, cum hanc epistolam, & cũ illa ad Volumnium Cicero scripsit, Tulliola perierat.

Cicero S. D. Attico. 9.

DE Cicerone, multis res placet. comes est idoneus. sed de prima pensione ante uideamus. adest enim dies, & ille currit. Scribe, quaeso, quid referat Celer egisse Caesarem cum candidatis, utrum ipse in fenicularium; an in campum Martium cogitet. & sane scire uelim, numquid necesse sit comitijs esse Romae. nam et Piliae satisfaciendum est, & utique Atticae. Vale.

EXPLANATIO

MVLTIS *res placet.*] apparet, inter hanc epistolam & superiorem multas desiderari. nam superior ante coeptum Hispaniense bellum, haec autem post confectum scripta est, cum Caesar uictor ex eo bello reuertens, ad urbem iam appropinquaret. Ac ne hoc quidem obscurum est, quasdam ex sequẽtibus huic esse praeponendas; ut earum argumenta considerantibus patebit. RES *placet:*] non ut in Hispaniam ad bellum; quod, ut dixi, confectum iam erat; sed ut Athenas litterarum caussa proficiscatur. hoc enim Cicero significat, misitq. paullo post filium Athenas cum L. Montano. COMES *est idoneus*] Montanus, subintellige: quem cum filio Athenas mittere constituerat: de quo his uerbis epist. 51. L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. & epist. 16. & 17. l. XIV. ANTE *uideamus:*] ante quam Ciceronem Athenas mittamus, uidendum est quo modo prima pensio Caesari soluatur. dies enim, quo primae pensionis solutionem promisimus, adest. ET *ille currit*] idest, & Caesar cum celeritate reuertit: (reuertebat autem ex Hispaniensi bello) itaq. de solutione cogitandum. Hanc autem pecuniam iam ante ciuile bellum Cicero debuerat: quod ipse declarat in extrema tertia epistola libri VII. neque Caesar illius nominis exactioni, maioribus curis impeditus, operã dare potuerat. sed, deuicto Pompeio, cum Romam reuertisset, Ciceroni concessit, ut aliquot pensionibus solueret, quo cõmodius scilicet posset soluere. Cum igitur filio Athenas eũti pecuniam Cicero dare uellet, prius, inquit, de prima pensione soluenda cogitemus. QVID *referat Celer egisse Caesarem cum candidatis,*] Celer hic non est Q. Metellus Celer, qui cum L. Afranio consul fuit: nam is Marcellino, & Philippo cos. perierat: sed alius, cuius nomen minus illustre fuit. CAESAREM:] ex Hispania, Pompeianis tertio bello uictis, reuertentem. CANDIDATIS:] qui obuiam ierant, ut ab eo magistratus peterent. VTRVM *ipse in fenicularium, an in campum Martium cogitet.*] utrum Celer uelit & ipse magistratum petere. nam magistratus in campo Martio petebantur. Et quoniam populus, qui honores dare solitus esset, potestatem eiusmodi nullam habebat, Caesare ex ipsius libidine cuncta administrante; ideo cum irrisione & cõtẽptu fenicularium campum appellat. quod Martius ille campus, in quo populus potestatem habuerat, nullus iam esse uidebatur. NVMQVID *necesse sit*] ut scilicet ea, quae Caesar aget, uideat probare, cum intersim. nam omnino, inquit, uenturus sum, ut Piliae roganti satisfaciam: sed numquid maturandum sit comitiorum caussa, scribas ad me uelim.

Cicero S. D. Attico. 10.

NAE ego essem hic libenter, atque id quotidie magis, ni esset ea caussa, quam tibi superioribus litteris scripsi. nihil hac solitudine iucundius, nisi paullum interpellasset Amyntae filius, ὢ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς. cetera noli putare amabiliora fieri posse ulla litore, prospectu maris, tum his rebus omnibus. sed neque haec digna longioribus litteris; nec erat, quod scriberẽ; & somnus urgebat. Vale.

EXPLANATIO

HIc ‡ in Antiati. Ni *esset ea caussa, quam tibi superioribus litteris scripsi* ‡ quae haec est caussa, cur Cicero minus libenter rusticaretur? nimirum haec, quod sine Attico esse non poterat. nam hoc est in ijs litteris, quas ipse dicit proxime se misisse: quae tamen ordine confuso infra leguntur, hoc initio, Te tuis negotijs &c. cum enim in illis litteris de Philippi aduentu, in his autem de interpellatione scribat: dubium non est, quin illas Cicero superiores appellet: cum uerisimile sit, prius eas fuisse scriptas, quibus aduentus significatur, quam has, quibus interpellatio. Amyntae *filius* ‡ Philippus. cuius interpellationem superioribus in litteris scribit se timere. superiores appello, quae infra sunt, hoc principio, Te tuis negotijs. quas ij, qui descripserunt, per negligentiam, aut certe per inscitiam alieno loco posuerunt, de suo deiectas. Sed quaeritur, cum in ijs litteris aperte Philippum nominet, cur hic circuitione uti uoluerit, ut potius, Amyntae filius, diceret, quam Philippus. Respondeo: Ciceronem, cũ de Philippi loquacitate uellet scribere, uerentem, ne id emanaret, si forte in alienas manus eae litterae deuenissent, duobus modis rem obscurasse; primum, cum, Amyntae filius, dixit, Philippum designans; (nam Amyntae filius fuerat Philippus Alexandri Magni pater) deinde, cum loquacitatem Graecis uerbis ostendit, ὁ ἀπεραντολογίαν δοὺς idest, infinitam loquacitatem dans; uel, qui solet esse loquacissimus. ostendere autem Cicero L. Marcium Philippum sine malo non potuisset, quod Philippus apud Caesarem affinitatis coniunctione multum poterat. Atiam enim, Caesaris sororis filiam, Octauij, qui Augustus postea cognominatus est, matrem, in matrimonium duxerat. Appianus lib. III. Plutarchus in Cicerone, Suetonius. Cetera ‡ praeter solitudinem: de cuius iucunditate iam dixit. Quod sequitur, corrigo sic, & interpungo, coniecturam secutus: Noli putare amabiliora fieri posse, uilla, litore, prospectu maris. His *rebus omnibus* ‡ quas hic habemus. cum enim ea persequi longum esset, quibus in Antiati delectaretur, tribus uerbis, His rebus omnibus, complexus est. Nec *erat, quod scriberem.* ‡ praeter haec, quae digna longioribus litteris non sunt.

Cicero S. D. Attico II.

MAle mehercule de Athamante. tuus autem dolor humanus is quidem, sed magnopere moderandus. consolationum autem multae uiae, sed illa rectissima. impetret ratio, quod dies impetratura est. Alexim uero curemus, imaginem Tironis; quem aegrum Romam remisi: &, si quid habet collis ἐπιδήμιον, ad me cum testamento transferamus. tota domus superior uacat, ut scis. hoc puto ualde ad rem pertinere. Vale.

EXPLANATIO

DE *Athamante.* ‡ Attici seruo, qui perierat. Alexim *uero curemus,* ‡ aegrotantem. Et hic Attici seruus erat, a manu, ut legitur epist. 2. lib. 7. Si *quid habet collis* ἐπιδήμιον, *ad me cum testamento transferamus* ‡ collis Quirinalis, in quo tua domus est, si quid habet ἐπιδήμιον, idest, si caelo utitur inclementiore, ut in eo morbi grassentur epidemici; (hoc enim timendum erat; cum eodem tempore & Athamas perijsset, & Alexis aegrotaret) transferamus Alexim domum meam in Palatium. *Cum testamento*: hic sine dubio mendum est, & fortasse legendum, Cum Thallumeto, Alexis aegrotantis custode, aut, ipso quoque aegrotante. Thallumetus autem Attici seruus & ipse erat. quod indicat illud ep. 1. l. 5. Meos cum Thallumeto nostro peruolutas libros.

Cicero S. D. Attico. 12.

MAli de Seio. sed omnia humana tolerabilia ducenda. ipsi enim quid sumus? aut quam diu haec curaturi sumus? ea uideamus, quae ad nos magis pertinent, nec tamen multo, quid agamus de senatu. Et, ut ne quid praetermittam, Caesonius ad me litteras misit, Postumiam Sulpicij domum ad se uenisse. De Pompeij Magni filia, tibi rescripsi, nihil me hoc tempore cogitare. alteram uero illam, quam tu scribis, puto nosti. nihil enim uidi foedius. sed adsum: coram igitur. Obsignata epistola, accepi tuas. Atticae hilaritatem libenter audio: commotiunculis συμπάσχω. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

QVAE *ad nos magis pertinent*, } nam illa, quae humanitus accidunt, quoniam uitari nulla ratione possunt, non uidentur esse curanda. quid autem agamus de senatu, idest, quod consilium capiamus de dicenda in senatu sententia, (nam Romam iturus erat, ut extrema epistolae pars ostēdit) hoc uero curandum est. nam, si ad Caesaris uoluntatem loquemur, boni uituperabunt; si ex utilitate reip. Caesar offendetur. NEC *tamen multa* }. ut enim diligenter consideremus, quid agamus de senatu; nihil tamen proficimus: siquidem omnino resp. iacebit. quod cum ita sit, hoc ipsum de dicenda in senatu sententia non multo magis ad nos pertinet, quam communis omnium interitus, quem certum & immutabilem scimus esse, ut de eo cogitare non debeamus. nam, illud, Quae ad nos magis pertinent, ualet hoc, quae magis curāda nobis sunt, aut de quibus magis cogitare debemus. POSTVMIAM *Sulpicij* } subintellige, uxorem. nam ueteres sic loquebantur, ut diceret, Terentia Ciceronis, Postumia Sulpicij, Mucia Pompeij, & huiusmodi, Vxor subaudientes. Postumiam autem Ser. Sulpicij, iurisconsultorum peritissimi, coniugem fuisse, patet ex lib. IV. epistolarum ad Sulpicium. DOMVM *ad se uenisse* } hoc tempore, cum Terentiam iam dimisisset, de ducenda uxore Cicero cogitabat. huius rei caussa Postumia uenerat; ut cum Caesonio loqueretur. Eodem spectant ea, quae sequuntur. Duxit autem postea Publiliā quandam: quam & ipsam deinde, quod Tulliolae morte laetari uideretur, dimisit. autor Plutarchus in Cicerone. COMMOTIVNCVLIS συμπάσχω } Commotiunculis idem significauit, quod in epistola 15. libri X. cum dixit, a nouis tentationibus ualetudinem confirmatam. nam, tentationes & commotiunculae non morbi sunt, sed morborum initia. Commotiunculis autem Atticae; quae non plane in morbum, sed in febriculam inciderat. supra, epist. 25. lib. XI. συμπάσχω: aeque afficior, atque illa. unde illud epist. 15. lib. 4. Valde gratum, si Eutychides cognoscet, suam illam in eo dolore συμπάθειαν mihi non obscuram fuisse.

Cicero S. D. Attico. 13.

DE dote, tanto magis perpurga. Balbi regia condicio est delegandi. quoquo modo confice. turpe est rem impeditam iacere. Insula Arpinas habere potest germanum ἀποθέωσιν. habere uideatur: ἐκγόνιμος est: igitur animus in hortis: quod tamen inspiciam, cum uenero. De Epicuro, ut uoles; etsi μεθαρμόζομαι in posterum genus hoc personarum. incredibile est, quam ea quidam requirant. ad antiquos igitur: ἀνεμέσητον γάρ. nihil habeo, ad te quod perscribam: sed tamen institui quotidie mittere, ut eliciam tuas litteras; non quo aliquid ex his exspectem; sed nescio quo modo tamen exspecto. quare siue habes quid, siue nihil habes, scribe tamen aliquid, teq. cura. Commouet me Attica. etsi assentior Cratero. Bruti litterae, scriptae & prudenter, & amice, multas mihi tamen lacrymas attulerunt. Me haec solitudo minus stimulat, quam ista celebritas. te unum desidero: sed litteris non difficilius utor, quam si domi essem. ardor tamen ille urget, & manet, non mehercule indulgente me, sed tamē non repugnante. Quod scribis de Appuleio, nihil puto opus esse tua contentione, nec Balbo, & Oppio; quibus quidem ille receperat, mihiq. etiam iusserat nunciari, se molestum omnino non futurum. sed cura, ut excuser morbi caussa in dies singulos. Laenas hoc receperat. prende C. Septimium, L. Statilium. denique nemo negabit se iuraturum, quem rogaris. quod si erit durius, ueniam, & ipse perpetuum morbum iurabo. cum enim mihi carendum sit conuiuijs, malo id lege uideri facere, quam dolore. Cocceium uelim appelles: quod enim dixerat, non facit. ego autem uolo aliquod emere latibulum, perfugiū doloris mei. Vale.

EXPLANATIO

DE *dote*, } quam nobis Dolabellam reddere oportet, cum Tulliolam, filiam nostram, dimiserit. TANTO *magis perpurga* } quo difficilius est, tanto magis perpurga. nam sequitur, Turpe est rem impeditam iacere. *Perpurga:* explica, confice. Hac dē re epist. 18. 20. 22. lib. 14. & 14. lib. 15. & 14. lib. 16. BALBI *&c.* } perpurga, inquit, de dote. facile potes, quoniam Balbus, amicissimus tuus, omnia uidetur posse; ut quasi rex sit, qui potestatem habeat delegandi. Nam, cum Balbus, cui Caesar ciuitatis & reip. curam crediderat, non omnia ipse administraret, sed illius dignitatis atque oneris partem transferret in quos uellet, (hoc significat Delegare) nimirum haec regia condicio uidebatur. in oratione pro domo: Delegaui amico locupletiori. Coelius epist. 1. lib. 8. Ne meum hoc officium arrogantiae condemnes, quod hunc laborem alteri delegaui. Et Cicero alibi. INSVLA *Arpinas* } insulam hanc in Arpinati Fibrenus amnis efficit, de qua lib. II. de legibus, his uerbis: Sed uentum in insulam est. hac uero nihil est amoenius. etenim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & diuisus aequaliter in duas partes latera haec alluit, rapideq. dilapsus cito in unum confluit, & tantum complectitur, quod satis sit modicae palaestrae loci. quo effecto praecipitat in Lirem; &, quasi in familiam patriciam uenerit, amittit nomen obscurius.

HABERE

HABERE *potest germanam* ἀποθέωσιν } potest uideri locus ad consecrandam Tulliolam aptissimus: sed quia ἐγκόνιμος est, idest infrequens, (Cicero autem celebri loco exstruere fanum mortuae filiae uolebat) hortos malo: in quibus non ea solitudo, quae in insula. Horti autem erant circa Romam plurimi: sed Transtiberini propter fluminis uicinitatē celebriores: itaque hoc maxime uoluisset Cicero: unde illud ep. 19. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare: nihil uideo, quod tam celebre esse possit. epist. 22. *Germanam*: ueram, ut alibi. HABERE *uideatur* } uideatur, inquit, habere germanam ἀποθέωσιν: esto: ita uideatur: ego celebritatem loci quaero. DE *Epicuro, ut uoles*. } pro Epicuro loquentes inducam quos uoles, in libris scilicet de Finibus: quos, ut supra diximus, hoc tempore scribebat. induxit autē L. Torquatum, qui Epicuri sectam sequebatur, Attici amicissimum. ET SI μεθαρμόζομαι *&c.* } Graeci uerbi uim Latino uerbo non licet exprimere: sed sententiam tamen ostendemus. De Epicuro, inquit, ut uoles. etsi posthac non eos, qui uiuunt, (nam hoc inuidiosum est; cum omnibus satisfacere non possim, qui meos in libros induci uellent) sed antiquos, idest eos qui perierunt, inducam loquentes: quod inuidiosum non erit. fecerat autem hoc in libris de Oratore, in Catone, & Laelio. μεθαρμόζομαι: commuto, ad alias personas transfero. REQVIRANT } cupiant loquendi partes in meis libris. COMMOVET *me Attica*. } quia non conualescit. sed Cratero tamen medico assentior; qui uetat nos de ea quidquam grauius timere. unde illud epist. 14. De Attica doleo: credo tamen Cratero. Piliam angi uetabat. De hoc medico sic Horatius sat. 3. lib. 2. Non est Cardiacus, Craterum dicisse putato, Hic aeger. Eiusdem mentio fit a Porphyrione Tyrio lib. 1. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. BRVTI *litterae* } quibus Ciceronem in morte filiae consolatus est. infra de ijsdem Bruti litteris: Prudenter, inquit, scriptae, sed nihil, quod me adiuuarent. Hic est M. Brutus, qui postea Caesarem, facta coniuratione, interfecit. ATTVLERVNT } dolorem augentes commemoratione miseriarum mearum. unde illud epist. 9. lib. 8. Augemus dolorem retractando. NON *repugnante* } paullo post tamen repugnare coepit: ut ipse declarat his uerbis: Repugno quoad possum, sed adhuc pares non sumus. Initio. n. uictus magnitudine doloris, succubuit: deinde, cum iam & dies & ratio ipsa adiuuaret, tentare coepit, num resistere maerori, & contra fletum pugnare posset. Haec, quae ad interpretationem minus pertinent, superuacanea fortasse uidebuntur: sed aliena non sunt. nam eo spectant, ne quis miretur, cur eadem de re non eodē modo Cicero scripserit. SE *molestum omnino non futurum*. } ut Romam irem ad cenam auguralem: quam ipse parat, in augurum collegium cooptatus. Qui enim augures fiebant, collegis cenam dabant, ut libro x. cap. xx. Plinius indicat his uerbis. Pauonem cibi gratia primus occidit Hortēsius, adijciali cena sacerdotij. Ciceronem aūt augurem fuisse, ex ipsius libris notissimum est. VT *excuser morbi caussa in dies singulos*. } hoc dicit, quia omnes augures honoris caussa ad illam cenam ire cogebantur, praeter eos, qui morbo se iurarent impediri. IN *dies singulos*: apparet, nouos augures eas cenas non uno die, sed pluribus dare solitos esse. nā & infra, Apud Appuleium, quoniā in perpetuū non placet, in dies ut excuser, uidebis. In dies igitur singulos, quibus Appuleius collegis cenam dabit. LAENAS *hoc receperat* } notū est, Laenates ex gente Popillia fuisse. Laenas, unus ex augurum collegio. Receperat, se curaturum, ut apud Appuleium excusaret, Idem in epistola, quae proxime sequitur. PRENDE } ut cum Laenate me apud Appuleium excusent. necesse. n. erat, ut augur, qui noui auguris ad cenam ire nollet, tres e collegio reperiret, quorum iureiurando apud eum augurem, qui cenam dabat, excusaretur. itaque in epistola, quae sequitur, Septimium, inquit, uide, & Laenatem, & Statilium. tribus. n. opus est. IVRATVRVM } me non ualere, & propter morbum ad Appuleij cenas ire non posse. QVEM *rogaris* } locus neque a sensu obscurus, neque a locutione corruptus: sed quiddam est, cur magis placeat, Quemquem rogari; cum praesertim & in epistola sequenti eadem de re eandem figuram usurpans ita scripserit: Quemcumque appellaris, nemo negabit. PERPETVVM *morbum iurabo* } ut excuser non in dies singulos, sed in perpetuum, idest in omnes dies, quibus cenae dabuntur. Infra, Quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser, uidebis. MALO *id lege uideri facere, quam dolore* } ut homines, inquit, non propter dolorem amissae filiae, sed propter inualetudinem conuiuijs me carere suspicentur, perpetuum morbum iurabo. Nam, si absque iureiurando, amicorum gratia, impetraret Cicero, ut auguralibus cenis abstinere posset: incertum fuisset, utrum id morbi caussa faceret, an doloris. dolorem autem celare uolebat: itaque de morbo iurando cogitabat. APPELLES: } de pecunia, quam nobis debet. epist. 18. & 17. DOLORIS *mei* } propter Tulliam mortuam.

Cicero S. D. Attico. 14.

DE me excusando apud Appuleium dederam ad te pridie litteras. nihil esse negotij arbitror. quem cumque appellaris, nemo negabit. sed Septimium uide, & Laenatem, & Statilium. tribus enim opus est. sed mihi Laenas totum receperat. Quod scribis, a Iunio te appellatum: omnino Cornificius locuples est: sed tamen scire uelim, quando dicar spopondisse; & pro patre, an ne pro filio: neq. eo minus, ut scribis, procuratores Cornificij, & Appuleium praediatorem uidebis Quod me ab hoc maerore recreari uis; facis, ut omnia: sed, me mihi non defuisse, tu testis es. nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuae legerim. sed omnem consolationem uincit dolor. quin etiā feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer. quem librum ad te mittam; si descripserint librarij. affirmo tibi nullam consolationem esse talē. totos dies scribo; non quo proficiam quid; sed tantisper impedior, non equidem satis, (uis enim urget) sed re-

laxor

laxer tamen, ad omniaq. nitor, non ad animum, sed ad uultum ipsum, si queam, reficiendum: idq. faciens, interdum mihi peccare uideor, interdum peccaturus esse, nisi faciam. solitudo aliquid adiuuat; sed multo plus proficeret, si tua tamen interesses. quae mihi una caussa est hinc discedendi. nam, pro malis, recte habebat. quamquam ipsum doleo. non enim iam in me idem esse poteris: perierunt illa, quae amabas. De Bruti ad me litteris scripsi ad te antea. prudenter scriptae: sed nihil, quod me adiuuarent. quod ad te scripsit, id uellem, ut ipse adesset: certe aliquid, quoniam me tam ualde amat, adiuuaret. quod si quid scies, scribas ad me uelim, maxime autem, Pansa quãdo. De Attica, doleo. credo tamen Cratero. Piliam angi uetabat. is mihi est pro omnibus. Vale.

EXPLANATIO

QVEMCVMQVE *appellaris*, } supra dixit, Prende. NEMO *negabit* } omnes iurabunt me non ualere. TOTVM } se esse sine alijs effecturum, ut apud Appuleium morbi caussa excusarer. Totum, negotium. IVNIO } Iunius Atticum appellauerat, quasi Ciceronis procuratorem, Ciceronem sibi debere dicens, quod pro Cornificio spopondisset. Cicero sponsionis tempus non recordatur, & ait Cornificium posse ipsum soluere. sponsor enim idest fideiussor, appellari non poterat, si locupletes reus esset, ex antiqua lege, cuius mentio fit in nouell. Const. Inst. & Cicero ipse nolle legem, & more uidetur, cum ait ep. 17. Quod pro Cornificio me ab hinc amplius annis xxv. spopondisse dicit Flauius: & si reus locuples est, & Appuleius praediator liberalis, tamen uelim des operam, ut inuestiget, ex consponsorum tabulis, sit ne ita. Huc illud spectat epist. 14. Neque enim illi litem contestabuntur quo facto non sum nescius, sponsores liberari. PRO *patre, an ne pro filio* } nam utrique Cicero coniunctus amicitia fuerat. unde illud in epistola ad Cornificium, fam. lib. XII. Quod societatem reip. conseruandae tibi mecum, a patre acceptam, renouas; gratum est. Nunc autem, cum nominat Cornificium, nõ patrem intelligit, sed filium. nam pater iam ante perierat. PROCVRATORES *Cornificij* } nam Cornificius aberat, Syriae praepositus a Caesare. cognoscitur ex Ciceronis epistolis ad ipsum, & ex historicis antiquis. APPVLEIVM } alius hic est ab eo, de quo supra. PRAEDIATOREM } qui praediorum & praedum iura nouit. VIDEBIS } rogabis, procuratores, ut ipsi soluant; Appuleium, ut aliquam nobis ostendat solutionis effugiendae uiam. Hoc *maerore* } quem ex interitu filiae capiebat. LIBRVM } de consolatione ad seipsum: cuius libri mentionem facit Tertullianus. IMPEDIOR } ne lacrymis, & maerori me tradam. AD *omniaq. nitor* } omnia tento, sed uerbum Nitor ἐνεργητικώτερον est. nitimur enim cum labore, & difficultate. QVAMQVAM *ipsum doleo* } cupio, inquit, tecum esse. quod ipsum tamen doleo. non. n. eum me, quem soles, uidebis. ILLA, *quae amabas*, } hilaritas, & suauitas illa nostra. QVOD *me adiuuarent*. } quod maerorem meum, ex obitu filiae susceptum, leuarent. epist. 13. ADESSET } nam erat in Gallia Cisalpina, missus a Caesare, ut eam prouinciam administraret. hoc in epistola ad Torquatum, de Oratore, & in historicis. PANSA *quando*. } Roma proficiscatur, in Galliam iturus, ut Bruto succedat. cum enim scierimus, Pansa quando proficiscatur; ex ratione dierum scire item poterimus, quando Brutus hic futurus sit. hoc apertius infra his uerbis: Pansa si hodie, ut putabas, profectus est; posthac iam incipito scribere ad me, de Bruti aduentu quid exspectes, idest quos ad dies. id, si scies ubi iam sit, coniectura assequere. Et ep. 26. De Bruto, inquit, si quid habebis. scire enim iam puto, ubi Pansam exspectes, si, ut consuetudo est, in prima prouincia, circiter Kalendas affuturus uidetur. DE *Attica &c.* } Atticã, Attici & Piliae filiam. Craterus medicus aegrotantem curabat. hoc & supra, ep. 13.

Cicero S. D. Attico 15.

APVD *Appuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser, uidebis. in hac solitudine careo omnium colloquio: cumq. mane me in siluam abstrusi densam, & asperam, non exeo inde ante uesperum. secundum te, nihil est mihi amicius solitudine. in hac mihi omnis sermo est cum litteris. eum tamen interpellat fletus: cui repugno, quoad possum: sed adhuc pares non sumus. Bruto, ut suades, rescribam. eas litteras cras habebis. cum erit cui des, dabis. Vale.*

EXPLANATIO

PRO *omnibus* } nam supra dixit, Prende Septimium, & Statilium. nunc, Tu, inquit, hoc oneris pro omnibus suscipe, ut me apud Appuleium excuses. IN *perpetuum non placet* } non placet tibi, ut in uniuersum tempus, quo cenae dabuntur, apud Appuleium semel excusemur, sed ut in dies singulos. FLETVS } ex interitu Tulliolae. RESCRIBAM. } ad eas litteras, quas ex Gallia consolatorias ad me misit.

Cicero

Cicero S. D. Attico. 16.

TE, *tuis negotijs relictis, nolo ad me uenire. ego enim potius accedam, si diutius impediere: etsi ne decessissem quidem e conspectu tuo, nisi me plane nihil ulla res adiuuaret. quod si esset aliquod leuamen, id esset in te uno: &, cum primum ab aliquo poterit esse, a te erit. nunc tamē ipsum sine te esse non possum: sed nec tuae domui probatur, nec meae poteram: nec, si propius essem uspiam, tetum tamen essem. idem enim te impediret, quo minus mecum esses; quod nunc etiam impedit. mihi adhuc nihil aptius fuit hac solitudine: quam uereor ne Philippus tollat. heri enim uesperi uenerat. Me scriptio, & litterae non leniunt, sed obturbant. Vale.*

EXPLANATIO

NVNC *tamen ipsum* } hanc figuram & supra usurpauit lib. VII. epist. 5. Nunc, inquit, ipsum non dubitabo rem tantam abijcere. & lib. IIX. ep. 9. Quid, nunc ipsum unde se recipienti, quid agenti, quid acturo? & infra epist. 39. Nunc ipsum ea lego, &c. TVAE *domui* } Romae scilicet. NEC *meae poteram* } cum eum locum adspicere non possim, ubi Tulliola perijt. IDEM } tuorum negotiorum cura. PHILIPPVS } uide quae diximus ad illud, quod supra est, epist. 10. Amyntae filius.

Cicero S. D. Attico. 17.

MARCIANVS *ad me scripsit, me excusatum esse apud Appuleium a Laterensi, Nasone, Laenate, Torquato, Strabone. his uelim meo nomine reddendas litteras cures, gratum mihi eos fecisse. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis* XXV. *spopondisse dicit Flauius: & si reus locuples est, & Appuleius praediator liberalis, tamen uelim des operam, ut inuēstiges ex consponsorum tabulis, sit ne ita. mihi enim ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio. potest tamen uideri. sed scire certum uelim: & appelles procuratores, si tibi uidetur: quamquam quid ad me? uerumtamen. Pansae profectionem scribes, cum scies. Atticam saluere iube, & eam cura obsecro diligenter. Piliae salutem. Vale.*

EXPLANATIO

LATERENSI, *Nasone, Laenate, &c.* } Ciceronis in auguratu collegis. REDDENDAS *cures* } a te conscriptas. supra epist. 4. lib. XI. Tu uelim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum a me existimes, ipse conficias. & epist. 7. lib. XI. REVS } is, pro quo spopondi. hoc enim Reus aliquando significat. LIBERALIS *tamen &c.* } quamquam, inquit, timendum non est, ne pro hac sponsione soluamus: siquidem & Cornificius ipse, pro quo dicor spopondisse, locuples est; & Appuleius praediator, homo minime fraudulentus, qui nobis & facile, & sine dolo sponsionum iura ostendet; in quibus est, ut, cum reus locuples sit, sponsores ne appellentur: tamen ex eorum tabulis, qui mecum pro Cornificio dicuntur spopondisse, uelim cognoscas, an spoponderim. POTEST *tamen uideri* } cognosci, ex consponsorum tabulis. SCIRE *certum uelim* } num spoponderim. APPELLES *procuratores* } uide, quid procuratores Cornificij dicant. epist. 18. & 19. QVID *ad me?* } doloris & desperationis significatio, maxime propter interitum filiae; qua amissa, nihil praeterea sibi curandū esse dicit. VERVMTAMEN } subaudi, appelles procuratores. locutio Ciceroni familiaris. ep. 3. lib. 4. & 3. lib. 13. & in epistola ad Tironem 24. lib. 16. fam. eodemq. modo, Attamen, usurpauit, epist. 25. lib. XI. PANSAE *profectionem* } in prouinciam. nam, Bruto, ut diximus, Galliam cisalpinam administranti successor erat constitutus. ep. 14. & 17. CVRA } supra dixit de Atticae ualetudine. Cura, igitur aegrotantem.

Cicero S. D. Attico. 18.

DVM *recordationes fugio, quae quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo. quod uelim mihi ignoscas, eiusmodi est. etenim habeo non nullos ex ijs, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod saepe tecum egi, & quod a te approbari uolo. de fano illo dico; de quo tantum, quantum me amas, uelim cogites. equidem neque de genere dubito; placet enim mihi Cluatij: neque de re; statutum est enim: de loco non numquam. uelim igitur cogites. ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monumentorum, ab omnium ingenijs scriptorum, & Graecorum, & Latinorum: quae res forsitan sit refricatura uulnus meum. sed iam quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto: longumq. illud tempus, cum non ero, magis me mouet, quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum uidetur. habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam. nam, dum illud tractabam, de quo antea*

antea scripsi ad te, quasi fouebam dolores meos: nunc omnia respuo: nec quidquam habeo tolerabilius, quam solitudinem: quam, quod eram ueritus, non obturbauit Philippus. nam, ut heri me salutauit, statim Romam profectus est. Epistolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, scripsi, misi ad te. curabis cum tua perferendā. eius tamen misi ad te exemplum, ut, si minus placeret, ne mitteres. Domestica quod ais ordine administrari, scribes, quae sunt ea: quaedam enim exspecto. Cocceius uide ne frustretur. nā Libo quod pollicetur, ut Eros scribit, non incertum puto. de sorte mea Sulpicio confido, & Egnatio scilicet. de Appuleio, quid est, quod labores? cum sit excusatio facilis. Tibi ad me uenire, ut ostendis, uide, ne non sit facile. est enim longum iter; discedentemq. te, quod celeriter tibi erit fortasse faciundum, non sine magno dolore dimittam. sed omnia, ut uoles. ego enim, quidquid feceris, id cum recte, tum etiam mea caussa factum putabo. Heri, cum ex aliorum litteris cognouissem de Antonij aduentu, admiratus sum, nihil esse in tuis: sed erant pridie fortasse scriptae, quam datae. neque ista quidem curo, sed tamē opinor propter praedes suos accurrisse. Quod scribis, Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui: primum tibi persuade, me istaec non curare, neque esse quidquam aut paruae curae, aut nouae loci: sed tamen quid simile? illa eos non adhibuit, quos existimauit quaesituros, nisi scissent, quid esset: num id etiam mihi periculi fuit? sed tamen faciat illa; quod ego. dabo meum testamentum legendum cui uoluerit: intelliget, non potuisse honorificentius a me fieri de Nepote, quam fecerim. nam quod non aduocaui ad obsignandum: primum mihi non uenit in mentem: deinde ea re non uenit, quia nihil attinuit. tute scis, (si modo meministi) me tibi tum dixisse, ut de tuis aliquos adduceres: quid enim opus erat multis? equidem domesticos iusseram: tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium. inde est natum, ut ad Publium: sed necesse neutrum fuit. hoc tu tractabis, ut tibi uidetur. Vale.

EXPLANATIO

DVM *recordationes fugio*} dum id ago, ut interitum filiae meae ne recorder. REFVGIO *a te admonendo*} non admoneo, inquit, te de fano, quod erigere mortuae filiae uolo; propterea quod sine filiae recordatione id facere non possum. recordatio autem illa, quasi morsu quodam, dolorem efficit. non scribo igitur, ut de fano illo mecum cogites, ne in filiae recordationem incidam. IGNOSCAS} quod de fano cogitem. EIVSMODI *est*} id, quod cogito. quasi dicat: siue reprehendi debet, siue laudari, eiusmodi est; uidelicet omnino fanum exstruatur. Tale illud, opinor, apud Terentium: Huiusmodi sum. FIERI *id oportere*} fanum est faciendum ijs, quos amore coniunctos amisimus. NEQVE *de genere*} cuius generis fanum faciam. CLVATII} placet mihi fanum ea forma, qua Cluatius descripsit. Videtur autē Cluatius hic architectus fuisse, aut certe huius generis intelligens. quod etiam infra apparet, ep. 35. DE *re*} fanum faciam, nec ne. DE *loco nonnumquam*} non dubito, cuius generis fanum faciam, non dubito, faciam, nec ne: dubito nonnumquam, ubi faciam. MONVMENTORVM} refertur ad litteras, non ad aedificia. Monumentorum autem, ab ingenijs omnium scriptorum, & Graecorum, & Latinorum. dabo, inquit, operam, quantum in me erit, ut & ab omnium ingeniis consecretur, & omni genere monumentorum. REFRICATVRA} dum. n. filiam consecrabo, illius recordatione dolor augebitur; & uulnus, ex illius interitu acceptum, quod iam sanari temporis medicina uidebatur, hac quasi refricatione recrudescet. SED *tamen &c.*} ut haec consecratio refricatura uulnus sit, consecrare tamen eam deliberatum est: idq. duabus de caussis: primum, quod secus facere non possum; cum hoc iam in animo meo filiae manibus quasi uouerim, atque promiserim: (ex quo inquit epist. 37. Hoc mihi debere uideor, neque leuari posse, nisi soluero. & epist. 42. Ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius uoti, obstrictum puto) deinde, quod huius uulneris dolor non diuturnus est futurus; cum non diu futuri simus in uita. itaque exiguū hoc tempus, dum doloris sensus in me erit, non tanti apud nos debet esse, quanti illud aeternum, quo scilicet ex his monumentis meae in filiam pietatis memoria durabit. DVM *illud tractabam, de quo antea scripsi ad te*} dum librum scribebam de Consolatione: de quo epistola 14. QVASI *fouebam dolores meos*} metaphora sumpta a partibus dolore affectis: quas dum fouemus, puluinis, aut sacculis adhibitis, leuatio quaedā doloris uidetur esse. PHILIPPVS} ep. 18. EPISTOLAM,} qua consolatorijs Bruti litteris respondit. QVAEDAM *enim exspecto*} quaedā. n. sunt, de quibus scire cupiam. NE *frustretur*} ne nostrā exspectationē fallat, ne faciat contra quā promisit, ne non soluatur, quod se esse soluturum dixit. ep. 19. VT *Eros scribit*} hic rationes Ciceronis administrabat. l. xv. NON *incertum puto*} non dubito, quin Libo nobis, ut pollicetur, pecuniā numeret. SVLPICIO *confido, & Egnatio scilicet*} qui promiserūt se esse praestaturos, ut sors ne pereat, hoc est, ut uniuersa pecunia, quam Cocceius & Libo mihi debent, ne amittatur. Vt illa duo uerba, Frustretur, & Pollicetur, non ad uniuersae pecuniae solutionē, sed, ut opinor, ad usurae pensionem referantur: itemq. illud ep. 13. Cocceium uelim appelles. LABORES?} de me apud Appuleium excusando, quod ad illius augurales cenas non eam. ep. 13. 14. 15. & 17. EXCVSATIO *facilis*} non subscribit caussam, cur sit excusatio facilis: sed eadem posuit ep. 14. his uerbis: De me excusando apud Appuleiū, dederam ad te pridie litteras. nihil esse negotij arbitror. quemcumque appellaris, nemo negabit. ADVENTV} significatur illud tempus, quo M. Antonius Roma profectus, ut in Hispaniam ad Caesarem iret, deinde, mutato consilio, reditu admodum celeri per Italiam cucurrit, & noctu urbem introiuit. cuius festinationis maxime caussa fuit, quod, cum tempus iam adesset eius pecuniae soluendae, quam pro emptis in auctione Cn. Pompeij bonis Caesari debebat, uerebatur, ne, ipso absente, praedes sui ueneren-

tur: itaque accurrit, ut eos liberaret. unde illud secunda actione in Antonium: Ne L. Plancus praedes suos uenderet. Apparet igitur, & quid haec dictio, Aduentu, significet: & quid illud, quod proxime sequitur, Propter praedes suos accucurrisse. NEQUE *ista quidem curo.*} infra idem iterat non ijsdem uerbis: Te, inquit, scire uolo, me neque isto nuncio esse perturbatum, nec iam ullo perturbatum iri. & paullo post item alijs uerbis eandem rem: Nondum uideris perspicere, quam me nec Antonius cõmouerit, nec quidquam iam eiusmodi possit commouere. *Neque ista quidem curo*: his de rebus non laboro. Et hoc dicit, quia, cum Antonius per Italiam cucurrisset, & noctu urbem introisset; homines, subito & inopinato aduentu, tamquam re inexspectata, & noua, suspensi, non sine metu caussam quaerebant: deinde, ut Cicero opinabatur, propter praedes suos eum uenisse cognitum est. Philip. 2. QUOD *scribis &c.*} querebatur Terentia, se a Cicerone non esse adhibitam ad obsignandum testamentum, cum ille nescio quos adhibuisset. ep. 18. ISTAEC} huiusmodi res. quasi dicat: maximarum rerum iacturam passus, de paruis iam non laboro, ut de obsignatione testamenti. PARVAE *curae, aut nouae*} paruae: parua. n. cura me afficere non potest, cum in maxima uerser. Nouae: auget: nam non solum, inquit, paruae curae nihil est loci, sed omnino nouae. QUID *simile?*} sensus est: Queritur Terentia, primum quod ad obsignandum meum testamentum ipsam nõ adhibuerim; deinde, quod eos adhibuerim, quos illa ad suum non adhibuerat. quid simile, inquit? illa, cum sciri nollet, quid in testamento esset, ad obsignandum eos non adhibuit, quos, nisi scissent quid esset, quaesituros existimauit: idq. erat argumento, aliquid in eo Terentiam scripsisse, quod Ciceronis e re minus esset. ego autem illos ipsos adhibui; propterea quod non fuit mihi timendum, quod illa timuit, ut ij, qui ad obsignandum adessent, quid esset in testamento, quaererent. quid enim ad me, si testamenti ratio nota illis sit? quasi dicat: nihil in meo testamento scripsi, quod celatum magnopere uelim: cum illa ualde uideatur uelle celatum esse id, quod scripsit in suo; quippe quae ad obsignandum eos nõ adhibuit, quos existimauit quaesituros, nisi scissent, quid inesset. ex quo fit, ut ego potius queri de illa debeam, & suspicari, ne quid in testamento scripserit contra uoluntatem meam, cum in occultanda scripti sententia maiorem, quam ego, diligentia adhibuerit. DE *nepote*} locus mihi obscurus, & fortasse deprauatus. NON *aduocaui*} ipsam. TUM} cum testamentum obsignare uellem. DE *tuis aliquos*} miror, cur dicat, Aliquos; cum certum obsignatorum numerum lex constitueret. unde illud ex edicto Verris, l. I V. Si de hereditate ambigitur; & tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis, quam e lege oporteat, ad me proferentur: secundum tabulas testamenti potissimum hereditatem dabo. IVSSERAM} mandaram tibi, ut de domesticis tuis aliquos adduceres ad meum testamentum obsignandum. INDE *est natum, ut ad Publium*} uult ostendere, casu esse factum, ut Silium, & Publium ad obsignandum testamentum adhibuerit. NECESSE *neutrum fuit*} quid enim ad me, utrum Silius & Publius, an alij ad obsignandum adhiberentur? Neutrum: neque ut ad Silium, neque ut ad Publium mitteretur. Hoc *tu tractabis*} hoc, de testamenti obsignatoribus, tractabis, cum Terentia, ne iniquius ferat, quod eam non aduocauerim ad obsignandum.

Cicero S. D. Attico 19.

EST *hic quidem locus amoenus, & in mari ipso, qui & Antio, & Circaeis adspici possit: sed incunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate, (si modo haec stabunt) illud, quasi consecratum, remanere possit. equidem iam nihil egeo uectigalibus, & paruo contentus esse possum. cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, & quidem ob hãc caussam maxime: nihil enim uideo, quod tam celebre esse possit: sed quos, coram uidebimus; ita tamen, ut hac aestate fanum absolutum sit. tu tamen cum Appella Chio confice de columnis. De Cocceio, & Libone quae scribis, approbo, maxime, quod de iudicatu meo responsum sit. si quid perspexeris, & tamen quid procuratores Cornificij dicant, uelim scire, ita ut in ea re te, cum tam occupatus sis, non multum operae uelim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conscripsit, idq. tibi placuisse, ne perturbarer. illis egi gratias. te tamen, ut iam ante ad te scripsi, scire uolo, me neque isto nuncio esse perturbatum, nec iam ullo perturbatum iri. Pansa si hodie, ut putabas, profectus est, posthac iam incipito scribere ad me, de Bruti aduentu quid exspectes, idest, quos ad dies. id, si scies ubi iam sit, facile coniectura assequere. Quod ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te, mi Attice, suscipe totum negotium. uides & officium agi meum quoddam, cui tu es cõscius, &, ut non nulli putant, Ciceronis rem. me quidẽ id multo magis mouet, quod mihi est & sanctius, & antiquius; praesertim cum hoc alterum neque sincerum, neque firmum putem fore. Vale.*

EXPLANATIO

HIc} Astute. ep. 39. INCVNDA *nobis ratio, &c.*} possum quidem, inquit, fanum hic facere: sed illud spectandum nobis est, ut id, quod faciemus, apud posteros habeat religionẽ: quod fortasse non assequerer, si in hac solitudine fanum fieret. faciundum igitur est loco celebri, ut in hortis Transtiberinis. quod enim in celebritate erit, posteri tuebuntur; quod in solitudine, contemnent. IN *omni mutatione dominorum*} apud omnes posteros, apud omnes meorum bonorum possessores. Mutatione dominorum: nam dominus mutatur, cum is, qui possedit, alicui sua bona uel moriens testamento legat, uel uiuens uendit.

uendit. Dominorum igitur, idest omnium, quicumque olim mea praedia uel hereditate, uel emptione possidebunt. Hoc.n. Cicero laborat in primis, ut fanum illud etiam posteris in honore esset. itaque ep. 34. Sepulcri, inquit, similitudinem poteram effugere, si in uilla facerem: sed commutationes dominorũ reformido. in agro ubicumque fecero, mihi uideor assequi posse, ut posteritas habeat religionem. Verebatur autem, ne, si fanum faceret in uilla, posteri ex fano rursus uillam facerent, ubi habitare possent. QVASI *consecratum* } tamquam templum aliquod publice consecratum. non enim Cicero Tulliolam, erecto templo, consecrare poterat, nisi collegium pontificum adhiberetur. id porro non solebat adhiberi, nisi ad eos consecrandos, quos publice populus in deorum numerum referri uellet. itaque Cicero fanum illud, quod uidebat consecrari non posse, dabat operam, ut quasi consecratum remaneret. Sed exsistet, qui ita dicat: Ciceronem improprie locutum, qui in his epistolis Fanum appellarit, quod consecrari non posset: cum re uera fanum id dicatur, quod a pontificum collegio consecratum sit, & in quo deus aliquis publice colatur. Non difficilis nodus; qui nullo negotio soluetur, nempe sic; si intelligemus id, quod res est, Ciceronem appellasse fanum, & fanum item ab alijs appellari uoluisse; ut, quod re uerã fanum non esset, saltem propter nomen in honore esset. itaque dicit ep. 35 Nollem illud ullo nomine, nisi fani, appellari. NIHIL *egeo uectigalibus* } ipse se explanat, cum infert, Paruo contentus esse possum. Et uult ostendere, cum uectigalibus iam nihil egeat, se non laborare de sumptu, qui propterea faciendus sit, ut fanum diuturna cum religione, & quasi consecratum remanere possit: quod cum ita sit, cogitare interdum de hortis trans Tiberim parandis, quamquam magno uenirent. OB *hanc caussam* } ut fanum celebri loco factum, religionem semper habeat. TV *tamen* } refertur ad illud, Coram uidebimus. quamquam, inquit, de hortis coram: tu tamen, quod ad columnas attinet, quibus ad fanum utemur, ne exspecta aduentum meum, sed confice, idest transige cum Appella Chio, eme eas ab Appella Chio. Nec dubito, quin columnas intelligat e Chio marmore, qui moneat Atticum, ut ea de re cum homine Chio conficiat. quod si e Chio marmore, sequitur ut eas maxime uoluerit, quae maculis essent uersicolorib., non solum ad elegantiam, sed etiam ad firmitudinem fani. nam huius generis columnas reliquis fuisse firmiores, scribit Plinius lib. XXXVI. cap. VI. DE *indicatu meo* } ut ego indicaueram illis esse respondendum. Hi pecuniam Ciceroni debebant. ep. 15. SI *quid perspexeris* } de Cocceio, & Libone. ET *tamen* } cogitabat epistolam ita claudere, Si quid prospexeris, uelim scire; sed, cum illud scripsisset, Si quid perspexeris, subito recordatus de Cornificij re, addidit, Et tamen quid procuratores Cornificij dicant: hoc est, Et tamen hoc quoque uelim scire, quid procuratores Cornificij dicant. Cornificij procuratores: eandem rem saepius declarare, putidum est. uide ep. 14. & 18. NE *perturbarer.* } quod Antonius repentino aduentu noctu urbem introisset. ep. 18. & 20. ISTO *nuncio* } quod audiuerim Antonium, qui ad Caesarem in Hispaniam iter habebat, mutato consilio praeter omnium exspectationem reuersum, noctu urbem esse ingressum. PROFECTVS } Roma; ut in Galliam eat, M. Bruto successurus. ep. 26. Diem autem profectionis fuisse III. Kal. Ianuarij, postea scripsit ipse ad Cassium ep. 17. l. 15. fam. DE *Terentia* } de Terentiae querellis, iniquo animo ferentis, quod eam ad obsignandum testamentum non adhibuerim. ep. 18. OFFICIVM *agi meum quoddam.* } nam, si dicat, eam, quae mihi uxor fuit, (diuortium.n. iam fecerant) ad obsignandum testamentum non aduocasse; uereor, ne in eo me homines reprehendant, quasi officio defuerim; cum ego illam non aduocauerim, quod in mentẽ non uenit. CVI *tu es conscius* } cui tu scis me non defuisse. tu.n. affuisti, cum testamentum faciebam. quo tempore scis me neque de aduocanda ad obsignationem testamenti, neque de excludenda uxore cogitasse; nihil astute fecisse; sed, quidquid fecerim, fecisse partim ex consilio tuo, partim etiam casu. unde illud epist. 19. Tibi placuit, ut mitterem ad Silium: inde est natum, ut ad Publium. VT *nonnulli putant, Ciceronis rem* } credunt.n. nonnulli, Terentiam, quod eam ad obsignationem mei testamenti non aduocauerim, Marcum filium in testamento minus liberaliter esse tractaturam. QVOD *mihi est & sanctius, & antiquius* } officium: quod magis, quam filij commodum, me mouet. HOC *alterum neque sincerum, neque firmum* } Terentia neque, ut opinor, cogitat de filij re, cum cogitare se simulet, (hoc est autem, quod Cicero appellat non sincerum: propterea quod, qui simulatione utuntur, non sincere agunt, sed malitiose) &, si cogitat, in sententia non permanebit. Notat malitiam Terentiae, cum dicit, Neque sincerum; leuitatem, cum addit, Neque firmum.

Cicero S. D. Attico. 20.

NONDVM uideris perspicere, quam me nec Antonius commouerit, nec quidquam iam eiusmodi possit commouere. De Terentia autem scripsi ad te ijs litteris, quas dederam pridie. Quod me hortaris, idq. a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam grauiter dolere: possum ne magis, quod totos dies consumo in litteris? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi, & sanandi animi caussa facio: tamen, si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis. Minus multa ad te scripsi, quod exspectabam tuas litteras ad eas, quas ad te pridie dederam. exspectabam antẽ maxime de fano, non nihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorẽ proximis litteris, Cn. Caepio, Seruiliae Claudij pater, uiuo ne patre suo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia uiuo ne C. Cotta, filio suo, mortua sit, an mortuo. pertinet ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus. Vale.

EXPLANATIO

ANTONIVS] absurdum est, iterare, quae diximus ep. 18. & 19. DOLERE] propter interitum filiae. SERVILIAE *Claudij*] uetus locutio. nam, subintelligitur, uxoris. exempla patent in antiquis & lapidibus, & scriptis. epist. 12.

Cicero S. D. Attico. 21.

LEGI *Bruti epistolam, eamq. tibi remisi, sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras. sed ipse uiderit. quamquam illud turpiter ignorat. Catonē primum sententiam putat de animaduersione dixisse; quam omnes ante dixerant, praeter Caesarem. & cum ipsius Caesaris tam seuera fuerit, qui tum praetorio loco dixerit; consularium putat leniores fuisse, Catuli, Seruilij, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellij, Volcatij, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M'. Acilij Glabrionis, Silani, Murenae, designatorum consulum. cur ergo in sententiam Catonis? quia uerbis luculentioribus, & pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante, quam consulerem, ipse iudicauerim. quae omnia quia Cato laudibus extulerat in caelum, perscribendaq. censuerat; iccirco in eius sententiam est facta discessio. hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit, Optimum consulem. quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cetera uero tibi quemadmodum rescripsit? tantum rogat de S. C. ut corrigas. hoc quidem fecisset, etiam si Ranio admonitus esset. Sed haec iterum ipse uiderit. De hortis, quoniam probas, effice aliquid. rationes meas nosti. si uero etiam a Faberio recedit; nihil negotij est. sed etiam sine eo posse uideor contendere. uenales certe sunt Drusi. fortasse & Lamiani, & Cassiani. sed coram. De Terentiano non possum commodius scribere, quam tu scribis, officium sit nobis antiquissimum, si quid nos fefellerit, illius malo me, quam mei paenitere. Quiae C. Lollij curanda sunt HS C̄. negat Eros posse sine me; credo, quod accipienda aliqua sit; & danda aestimatio. uellem tibi dixisset. si enim res est, ut mihi scribit, parata; nec in eo ipso mentitur: per te confici potuit. cognoscas, & conficias, uelim. Quod me in forum uocas; eo uocas, unde, etiam bonis meis rebus, fugiebam. quid enim mihi cum foro sine curia? in oculos incurrentibus ijs, quos aequo animo uidere non possum. Quod autem homines a me postulare scribis, ut Romae sim, neque mihi, ut absim, concedere, aut quatenus eos mihi concedere: iam pridem scito esse, cum unum te pluris, quam omnes illos, putem. ne me quidem contemno; meoq. iudicio multo stare malo, quam omnium reliquorum. neque tamen progredior longius, quam mihi doctissimi homines cōcedunt: quorum scripta omnia, quaecumque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti, & fracti animi non fuit. ab his me remedijs noli in istam turbam uocare, ne recidam. De Terentia, quod mihi omne onus imponis; non cognosco tuam in me indulgentiā. ista enim sunt ipsa uulnera, quae non possum tractare sine maximo gemitu. moderare igitur, quaeso, ut potes. neque enim a te plus, quam potes, postulo. potes autem, quid ueri sit, perspicere tu unus. De Rutilia, quoniam uideris dubitare, scribes ad me, cum scies, sed quamprimum, num Clodia, D. Bruto consulari, filio suo, mortuo, uixerit. id de Marcello, aut certe de Postumia sciri potest, illud autem de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro. De hortis, etiam atque etiam rogo. omnibus meis, eorumque, quos scio mihi non defuturos, facultatibus, sed potero meis, enitendum mihi est. sunt etiam, quae uendere facile possim: sed, ut non uendam, eiq. usuram pendam, a quo emero, non plus annum, possum assequi, quod uolo, si tu me adiuuas. paratissimi sunt Drusi. cupit enim uendere. proximos puto Lamiae. sed abest. tu tamen, si quid potes, odorare. ne Silius quidem quidquam utitur, & ijs usuris facillime sustentabitur. habe tuum negotium; nec, quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo, sed quid uelim, existima. Vale.*

EXPLANATIO

AD *ea, quae requisieras,*] σύνταγμα quoddam M. Brutus conscripserat; ut opinor, in Catonis laudem; (hanc enim coniecturam duco ex ijs, quae proxime sequuntur) idq. Attico legendum, & iudicandum miserat. Atticus, respondens, cum quaedam minus probaret, eorum rationem a Bruto requisiuit: ille nihil ad ea: tantum Atticum rogauit, ut, si quid incertius de senatusconsulto in Catonis sententiam facto protulisset, id corrigeret: cum in reliquis Attici sententiam minimi facere uideretur, nihil ad ea respondens, quae ille requisierat. quod Cicero Bruti in epistola obseruauit, & quasi ob eam rem illum reprehendens, Ad cetera uero, inquit infra, tibi quemadmodum rescripsit? Tantum rogat de S.C. ut corrigas. Deinde sequitur: Hoc quidem fecisset etiam si Ranio admonitus esset: hoc sensu: Rogat, ut corrigas eam partem, in qua est de senatusconsulto. in quo sane non prudenter fecit, qui corrigi a te S.C. uoluerit, cum id corrigere uel Ranio posset; quippe cum de eo S. C. cuiuis liceret ex actis cognoscere. curam igitur minimae rei, utpote quam uel Ranio scriba posset efficere, tibi commisit: ad cetera, quae requisieras, quae scilicet maioris erant ponderis, nihil rescripsit.

psit. Hoc est, cur Cicero Bruti epistolam dicat non prudenter rescriptam. DE *animaduersione* } de puniendis ijs, qui cum Catilina in patriam coniurauerant. PRAETER *Caesarem.* } immo & Caesar ante Catonem sententiam dixerat: erat enim Caesar praetor designatus, Cato autem tribunus pl. designatus: & praetores tribunos dignitate anteibant. itaque & apud Sallustium Cato sententiã dicit post Caesarem. est igitur accipiendum, Praeter Caesarem: non modo Caesar ipse, cui respondit Cato, sed omnes ante Catonem sententiam dixerant. omnes, autem non senatores, (nec enim ante tribunum pl. designatum priuatus senator sententiam dixisset) sed, Omnes, dixit de magistratibus ijs, qui tribunis dignitate praestabant. PRAETORIO *loco.* } praetor enim designatus erat Caesar, quo tempore de coniuratis sententiam dixit. IN *sententiam Catonis.* } subintelligitur, est facta discessio. REM *eandem* } poenam coniuratorum, quam & alij sua sententia comprehenderant, sed uerbis non iam luculentis, neque tam multis, quam Cato. RETVLERIM } ad senatum, de coniuratis. PATEFECERIM } coniurationem. COHORTATVS *sim* } senatum ad animaduersionem. ANTE *quam consulerem, ipse iudicauerim* } cum ad senatum retulissem de coniuratione deprehensa, non exspectaui, ut dicerent, &c. quid sibi uideretur esse faciendum, ostenderent: sed, antequam illos consulerem, idest sententiam rogarem, censui ipse de coniuratis supplicium esse sumendum. Hoc apparet ex oratione IV. in Catilinam. PERSCRIBENDAQ. *censuerat* } ut in publicis tabulis appareret, quid de coniuratis Cicero sensisset. QVONIAM *probas,* } quoniam meum consilium de hortis emendis tibi non displicet, hoc age, hoc cura, ut eos inuenias. In hortis autem fanum facere Tullius cogitabat, ut loci celebritas quasi honorem adderet monumento. ep. 19. RATIONES *meas nosti* } meae facultates, & meae rationes tibi notae sunt. nõ ignoras igitur, quanti hortos emere possimus. quod si etiam a Faberio aliquid possumus exigere, (debebat autem Faberius Ciceroni, ut supra ostendimus) nullo negotio hortos ememus. Et opinor mendum esse in uerbo Recedit: ac fortasse, ita corrigendum, Res cedit: uel, Procedit: quale illud Terentianum: Hac non procedit, alia aggrediamur uia. ETIAM *sine eo* } etiam sine Faberio, etiam si a Faberio nihil exigamus. CONTENDERE } conari, ut hortos uenales inueniam: quod, etiam sine Faberio, pecunia pro emptione deesse non possit. LAMIANI, *&* *Cassiani* } qui sunt Lamiae, & Cassij. DE *Terentia* } epist. 18. 20. & 21. OFFICIVM *&c.* } agamus cum Terentia, ut debemus; hoc est, demus operam, ut eam ne offendamus: idest: si non euenerit id, quod optamus; ut ea bono erga nos animo sit; malo illius me, quam mei paenitere. malo, inquit, ut id potius illius uitio, quam mea culpa contingat: malo accidere, ut ego potius de illa, quam de me ipso queri possim. non enim habebo, quamobrem mihi ipse succenseam, cui officium fuerit antiquissimum: habebo autem, cur de illa expostulem, quae, a nobis officiosissime tractata, non eam gratiam referat, quam debet. quamquam enim Cicero cum Terentia diuortium fecerat: tamen, numquam fore putans ut ea iam aetate prouecta iterum uellet nubere, (nupsit autem Crispo Sallustio, historiarum scriptori, deinde Valerio Messallae) id agebat, ut mulier pecuniosa Ciceronis filij rationem haberet in testamento. itaque mirandum non est, si in ijs epistolis, quae post diuortium scriptae sunt, laborare tamen uidetur, ut eam ne habeat offensiorem. uidebatur enim Terentia tulisse permoleste, quod a Cicerone ad obsignationem testamenti non esset adhibita. qua de re epist. 18. OVIAE *C. Lollij.* } subauditur, uxoris. figura antiqua, & optimis scriptoribus usitata. POSSE *sine me* } subintellige, curari. Sine me, nisi ego adsim. QVOD *accipienda aliqua sit, & danda aestimatio.* } Caesar, pulso ex Italia Pompeio, cum Romam reuertisset, fidesq. tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur, constituit, ut arbitri darentur, per eos fierent aestimationes possessionum, & rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent, atque eae creditoribus traderentur. hinc est, quod Cicero interdum dicit Accipere aestimationem, pro accipere a debitore possessionem, aut rem, lege Caesaris aestimatam. quo sensu posuit illud in epistola ad Paetum: Non eo sis consilio, ut, cum me hospitio recipias, aestimationem te aliquam putes accipere. quem locum interpretati sumus. ACCIPIENDA *aliqua, & danda aestimatio* } accipienda mihi possessio aliqua, & domus, aut res a debitoribus meis, & ea Ouiae, cui ipse debeo, tradẽda. Et posuit hic Cicero Aestimationẽ pro re aestimata, aestimata inquam ab arbitris Caesarianis, quanti ante ciuile bellum fuisset. DIXISSET } num aliqua sit accipienda, & danda aestimatio. SI *enim* } scribit mihi paratum esse, unde Ouiae soluam: sed id negat posse, nisi me praesente. PER *te* } tu enim meo nomine aestimationem accipere a debitoribus meis, & eandem Ouiae dare potuisti. IN *forum* } ad agendas caussas, & ad tractanda iudicia. BONIS *meis rebus* } ante obitum Tulliolae. Et uidetur subintelligere, Multo magis nunc fugio, cum meae res pessimo loco sint propter interitum filiae. QVID *enim &c.* } ratio, cur, etiam bonis suis rebus, uersari in foro noluisset. SINE *curia* } amisso senatu, cum senatus nullus sit. quasi dicat: cum dignitatem illam fortis & liberi senatoris amiserim; quid est, quod me in foro delectare possit? Et posuit forum pro iudicijs, curiam pro senatu, quod iudicia in foro fierent, senatus in curia haberetur. Figura est, quae a grammaticis appellatur μετωνυμία. NEQVE *tamen progredior longius* } Quoniam superiore membro nimium sibi uidebatur arrogasse, quasi se excusans intulit, Neque tamen quidquam facio, quod auctoritate doctissimorum hominum tueri non possim. IN *eam sententiam* } de consolatione. REMEDIIS } quae ego capio doctissimorum hominum scriptis & legendis, & in mea scripta transferendis. MIHI *omne onus imponis,* } omnem illius placandae curam in me reijcis. QVID *ueri sit* } audiuerat, Terentiam quippiam moliri, quod ipse minus uellet. id quid esset, Atticum dicit unum posse perspicere. DE *Rutilia,* } quaesierat, opinor, num ea filio mortuo uixisset. VT *non uendam &c.* } sunt, inquit, quae non inuitus possim uendere, ut habeam unde hortos emam: sed, si tu me adiuuas, possum assequi, quod uolo, ut nihil uendam, eique, a quo emero, usuram

rum tantummodo annuam pendam. QVOD *nolo* } quod ago, quod studeo, quod conor: quale illud in epistola ad Lentulum: Scripsi Aristotelico more, quemadmodum quidem uolui, tres libros in disputatione, ac dialogo de oratore. *Si tu me adiuuas* } si tuo studio consequi potes, ut pecuniam ab ijs, qui debent, exigamus. hoc enim non ad facultates Attici, sed ad operam & diligentiam pertinet. & refertur ad illud, Possum assequi. NON *plus annum* } tale illud est epist. 6. lib. 6. Num est hoc, non plus annum obtinere prouinciam? Dixisset etiam eleganter, Non plus annuam. PARATISSIMI } horti. supra, Venales certe sunt Drusi. PROXIMOS *puto Lamiae* } proximos, inquit, hortos Lamiae paratissimos esse puto. non enim dicit, proximos hortos puto esse Lamiae: sed proximos hortos Lamiae puto esse paratissimos: cum certum non haberet, horti Lamiae uenales essent, nec ne: quod ostendit insequens membrũ. Si quid potes, odorare, & multo magis epist. 21. Venales certe sunt Drusi, fortasse & Lamiani. ODORARE } num uenales sint horti Lamiae. NE *Silius quidem &c.* } etiam hortos Silij facile possumus habere: primum quod ille nihil utitur: (subintellige hortis) deinde quod usuris, quas nos ei in annum pendemus, facillime sustentabitur. Et uerbum, Sustentabitur, egestatem Silij declarat. HABE *tuum negotium*, } existima tuum esse negotium. haec res tibi curae sit, item ut si tua res esset. genus loquendi perlegans: quo & infra utitur, lib. 14. epist. 2. QVID *uelim* } habe rationem meae uoluntatis, non rei familiaris. noli cogitare, tantum sumptum meas facultates non ferre: cogita, me, maxime cupere: subaudi hortos, ac fanum. quasi dicat: Etiam si in hortos & in fanum maior impensa facienda sit, quam res mea familiaris postulat, tamen, quando me hanc rem tantopere uides uelle, adiuua, & tuam operam ac diligentiam praesta.

Cicero S. D. Attico. 22.

PVTARVM te aliquid noui; quod eiusmodi fuerat initium litterarum; quamuis non curarem, quid in Hispania fieret, tamen te scripturum: sed uidelicet meis litteris respondisti, ut de foro, & de curia. sed domus est, ut ais, forum. quid ipsa domo mihi opus est, carenti foro? occidimus, Attice, iam pridem nos quidem, sed nunc fatemur, postea quam unum, quo tenebamur, amisimus. itaque solitudinem sequor. & tamen, si qua me res isto adduxerit, enitar, si quo modo potero, (potero autem) ut praeter me nemo dolorem meum sentiat; si ullo modo poterit, ne tu quidem. Atque etiam illa caussa est non ueniendi. meministi, quid ex te Atedius quaesierit. quin etiam nunc molesti sunt: quid existimas, si uenero? De Terentia ita cura, ut scribis; meq. hac ad maximas aegritudines accessione non maxima libera. Et, ut scias me ita dolere, ut non iaceam, quibus consulibus Carneades, & ea legatio Romam uenerit, scriptum est in tuo annali. haec nunc quaero, quae caussa fuerit. de Oropo, opinor, sed certum nescio: &, si ita est, quae controuersiae: praeterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis? qui praefuerit hortis: qui etiam Athenis ATTICI fuerint illustres: quae etiam ex Apollodori puto posse inueniri. De Attica, molestum: sed, quoniam leuiter, recte esse confido. De Magala dubium mihi non erat. unde enim tam felix Ligus pater? nam quid de me dicam? cui ut omnia contingant, quae uolo, leuari non possum. De Drusi hortis, quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram, &, ut opinor, heri ad te scripseram: sed quanti quanti, bene emitur, quod necesse est. mihi, quoquo modo tu existimas, (scio enim, ego ipse quid de me existimem) leuatio quaedam est, si minus doloris, at officij debiti. Ad Sicam scripsi, quod utitur L. Cotta. si nihil conficeretur de transtiberinis, habet in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci, ad hanc rem tamen plus etiam satis. id uelim cogites. nec tamen ista pretia hortorum pertimueris. nec mihi argẽto iam, nec ueste opus est, nec quibusdam amoenis locis: hoc opus est. uideo etiam, a quibus adiuuari possim. sed loquere cum Silio: nihil enim est melius. mandaui etiam Sicae. rescripsit, cõstitutum se cum eo habere. scribat igitur ad me, quid egerit, & tu uidebis.

EXPLANATIO

QVAMVIS *non curarem &c.* } Atticus proximis litteris ita scripserat Ciceroni: Quamuis de Hispania non cures, tamen ad te sum scripturus. itaque putauit se Cicero in ijs litteris aliquid noui de Hispania esse reperturum, neque tamen reperit; propterea quod Atticus non in ijs litteris, quas tum dabat, intellexerat se esse scripturum de Hispania, sed in ijs, quas deinde daturus erat; cum scilicet de rebus Hispanicis noui aliquid Romam esset allatum. gerebat autem Caesar tum in Hispania bellum contra Pompeij filios. SED *uidelicet meis litteris respondisti,* } tantummodo litteris meis respõdisti, nihil praeterea, nihil de Hispania, aut alia de re. VT *de foro, & de curia* } uide supra ep. 21. DOMVS *est, ut ais, forum* } scripserat Atticus: cum Romae eris, si uersari in foro non libebit, quod quosdam homines aequo animo uidere non possis; at domi esse poteris, quae tibi erit pro foro. ita & ijs satisfacies, qui a te postulant ut Romae sis, neque tibi, ut absis concedunt: & assequeris quod tu uis, ut forum ne frequentes. IAMPRIDEM } cum libertatem amisimus. POSTEAQVAM *&c.* } posteaquam filiam amisi: quod erat unicum solatium in malis. PRAETER *me* } omnino, ut opinio mea fert, aptius quiddam, & concinnius accesserit ad sententiam, si legatur, Praeter te. ATQVE *etiam illa caussa &c.* } caussa, quae proxime sequitur. Sensus est: Praeter alias caussas, quibus ego adducor, ut Romam non

ueniam, (in ijs autem haec erat, quod neque curia, neque foro frui poterat, quemadmodum stante rep. solitus erat) etiam illa est, quod Caesariani, si uenero, molestissimi erunt, flagitantes id a me, quod Atedius, idest Caesar ex te quaesierat. Forte aūt hoc quaesierat Caesar ex Attico, cur Cicero tam infrequens esset in urbe: quem assiduum Romae esse, & in senatum uenire, summe cupiebat, quo scilicet, ea, quae agebantur, probare uideretur: quae quidem putabat fore minus inuidiosa, siquidem essent praesente, & assentiente Cicerone, optimo, & grauissimo ciue, constituta. MOLESTI *sunt*: } Caesariani. nam Caesar hoc tempore bellum in Hispania gerebat aduersus Pompeij filios. sed ipsius amici, & familiares, qui Romae erant, petebant a Cicerone quod Caesarem uelle sciebant, aut fortasse etiam quod a Caesare in mandatis habebant: petebant autem, quod supra proxime diximus, ut in senatum uenire, & ipsorum de rep. consilijs uellet interesse. Molesti, igitur in petendo. DE *Terentia* } epist. 18. 20. & 21. DOLERE } propter interitum filiae. VT *non iaceam* } ut aliquid tamen agam, ut inertiae prorsus me non dediderim: iacere enim dicuntur ij, qui prorsus nihil agunt, & ab omni rerum curatione uacant. unde illud lib. II. de officijs, Cum C. Marius septimum annum post praeturam iaceret. CARNEADES, *& ea legatio* } Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus ab Atheniensibus legati Romam uenerunt. ex historia. IN *tuo annali?* } significat eum Attici librum, quem ad Ciceronem misit, ut ex prooemio de claris oratoribus apparet. eius libri Cornelius Nepos in Attici uita mentionem facit his uerbis; Antiquitatem adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo uolumine exposuerit, quo magistratus ornauit. nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est, quae non in eo suo tempore sit notata. Et Cicero in Bruto: Eam utilitatem habuit Attici liber, quam requirebam; ut explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia uiderem. Et ibidem paullo post ex Attici persona: Eisq. nosmet ipsi ad ueterum annalium (sic enim lego) memoriam comprehendendam impulsi; atque incensi sumus. Et idem, nescio quo in loco, sed idem certe: Quem laborem nobis leuauit Attici nostri labor; qui annorum quingentorum memoriam uno libro colligauit. QVAE *caussa* } cur ea legatio Romam uenerit. DE *Oropo, opinor*, } recte opinabatur. nā Athenienses, afflicti bello Macedonico, summa in paupertate cum essent, non auaritia aut libidine adducti, sed necessitate impulsi, Oropum, urbem sibi subditam, diripiunt. Oropij querentes ad senatum Romam confugiunt. senatus iudicat eam iniuriam Oropijs non iure factam: mandat Sicyonijs, ut, caussa cognita, multam Atheniensibus, auctoribus iniuriae, pro damno dato irrogent. Sicyonij, cum ad iudicium Athenienses non affuissent, multam dixere talentorum quingentorum. sed senatus petentibus Atheniensibus, qui legatos eius rei caussa tres philosophos Romam miserant, omnia remisit, praeter talenta centum: quae tamen ne ipsa quidem pependerunt. Haec ex Pausaniae historia de Achaicis, Plutarchi Catone maiore, Gellio lib. 7. cap. 14. & lib. 17. cap. ultimo, Macrob. lib. I. cap. 5. SI *ita est* } si est, ut ea legatio Romam uenerit Oropi urbis caussa, inter ipsos Oropios, & Athenienses, qui legationem miserunt, quae controuersiae fuerint, scire uelim. QVI *praefuerit hortis* } qui Epicureorum princeps fuerit, quis primum locum inter Epicureos tenuerit. *Hortis*: gymnasio & scholae Epicuri. nam ut Lycaeum, Peripateticorum; Porticus, Stoicorum; Academia, Platonicorum: sic Horti, Epicureorum: Athenis enim aedes Epicuri uilla fuit. Plin. lib. 19. c. II. Iam quidam, hortorum nomine, in ipsa urbe delicias, agros, uillasq. possident. primus hoc instituit Athenis Epicurus, hortorum magister. usque ad eum moris non fuerat, in opidis haberi rura. APOLLODORI } subaudi, libris: figura graeca, qua Cicero etiam alibi usus est, ut cum dixit, ad Martis, in Scapulae, per Locustae. subintelligitur enim, aedem, hortos, fundum. DE *Attica* } Atticae significat aegrotationem. MAGALA } huius pater cum Ligus fuerit, ut proxime constat; uerisimile mihi fit, Magalam ipsum, Liguris filium, ex Aeliorum familia fuisse. nam Ligus Aeliorum cognomen fuit, ut ex oratione pro Sextio, & fastis consulum apparet. DVBIVM *mihi non erat &c.* } subintellige, quin ex eo morbo moriturus esset. deinde, caussam subscribens, intulit: Vnde enim tāta felicitas patri fuisset, ut tam probo filio diutius frueretur? quasi dicat: Mirabar, Ligurem non esse felicem, ut ex ijs rebus, quibus felicitatem metiri solemus, prorsus nullam amitteret. sed nimirum dij immortales eum filio priuarunt, ne tam felix esset. Et hoc dicit, ut ostendat, felices esse non posse, qui filios amittant; ad obitum filiae spectans, quam amissam lugebat. NAM *quid de me dicam?* } sensus est: Ligus, qui tum felix esse uidebatur, nunc, amisso filio, felix iam esse non potest. nam quid de me dicam? qui etiam si omnia consequar, quae uolo, tamen non modo felix esse, sed ne leuari quidem eo dolore possum, quem ex interitu filiae suscepi. QVANTI *quanti* } subintellige, liceant. Etiam si, inquit, hortos emam quantiuis, non male emero; siquidem, quod necessarium est, id quamquam magno pretio emptum, bene tamen emptum est. horti autem mihi ad fanum necessarij sunt. non possum igitur eos nisi bene emere, etiam si magno. LEVATIO } si fanum exstruo, leuatio quaedam est, si minus doloris, at eius officij, quod a me debetur. OFFICII *debiti* } simile illud est ep. 18. Iam quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto. L. COTTA } qui consul fuerat cum L. Torquato. ep. 20. AD *hanc rem* } ad fanum exstruendum loci satis erit. VIDEO *&c.* } uideo, qui possint hortos habentibus persuadere, ut mihi uendant. uideo, qui me possint adiuuare ad eam rem, quam uolo, consequendam. Et est ad Atticum tacita cohortatio, ut adiumento sit in ea re, prae qua uideat argentum, uestem, amoena loca nihil putari. NIHIL *enim est melius.* } Siliani, inquit, horti supra omnes placent. age igitur cum Silio, ut nobis uendat. MANDAVI *etiam Sicae* } ut cum Silio de hortis mihi uendendis loqueretur. CONSTITVTVM *&c.* } constituisse cum Silio, ut una loqueretur,

Cicero

Cicero S. D. Attico. 23.

Bene fecit A. Silius, qui transegerit. neque enim ei deesse uolebam, & quid possem, timebam. De Ouia, confice, ut scribis. De Cicerone, tempus esse iam uidetur: sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permutari ne possit, an ipsi ferendum sit: de totaq. re, quemadmodum, & quando placeat, uelim consideres. Publius iturus ne sit in Africam, & quando, ex Atedio scire poteris. quaeras, & ad me scribas, uelim. Et, ut ad meas ineptias redeam, uelim me certiorem facias, P. Crassus, Venuliae filius, uiuo ne P. Crasso, consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse uideor, an post. item quaero de Regillo, Lepidi filio, recte ne meminerim, patre uiuo mortuum. Cispiana explicabis, itemq. Praetiana. De Attica, optime: & ei salutem dices, & Piliae.

EXPLANATIO

QVI *transegerit* } qui hortos alij uendiderit. Quod sequitur, Deesse, refertur uel ad inopiam Silij, uel ad ipsius promissum; sed potius, opinor, ad inopiam Silij, hoc sensu: Ego, si hortos a Silio emissem, pecuniam ei grandiorem dedissem, quam cuiuis alij, habita scilicet eius inopiae ratione. neque enim, inquit, Ei deesse uolebam. Insequens membrum, Et, quid possem, timebam, sic explano: Et tamen uerebar, ne non tantam pecuniam ei pro hortis possem dare, quantam ad eius inopiam subleuandam uoluissem; uel, quantam ipse posceret. DE *Ouia, confice* } quid significet, hoc quidem ex loco non apparet; sed, ut saepe iam dixi, locus locum illustrat: locos autem ipsos inter se conferre, ut, quae similia sint, quae repugnantia, notentur, non solum diligentiae est, sed etiam iudicij. leuemus igitur, quoniam quidem hoc suscepimus, quamquam fortasse plus suscepimus, quam sustinere possimus, sed leuemus, quantum in nobis est, labore eos & quaerendi, & considerandi, qui suum studiũ ad has Ciceronis epistolas contulerint. Supra igitur, epist. 21. de Ouia his uerbis: Ouiae C. Lollij curanda sunt HS C. itaque uerbum, Confice, sic explano, cura ei HS C. quae deberi a me scis. eadem de re infra epist. 29. Cum Ouia, inquit, quaeso quidem ut conficiatur. TEMPVS *esse iam uidetur* } ut Athenas ad studia proficiscatur. QVANDO *placeat* } quando tibi uideatur, ut Athenas Ciceronem mittamus. PVBLIVS *&c.* } hac de re infra epist. 27. his uerbis: Publius, si aequinoctium exspectat, nauigaturus uidetur, mihi autem dixerat, per Siciliam. A TEDIO } supra epist. 4. cum dixit, Horum quid est, quod Atedio probare possimus? Caesarem significauit, nomine commutato. sed in hoc loco non est, ut, Atedium dici Caesarem, possit accipi; qui, quo tempore haec epistola scripta est, bellum in Hispania gerebat aduersus Pompeij liberos. Atedio, igitur accipiamus pro Publij amico, & familiari; quemadmodum & infra, epist. 27. P. CRASSVS *&c.* } habebat in manibus eum librum, quem de obitu filiae, se ipsum consolans, scripsit. ad eum igitur librum, quae ex Attico quaerit, pertinebat. fecit idem supra, epist. 20. & 21. Atticus autem & habebatur, & erat ἱστορικώτατος. CISPIANA. *& Praetiana explicabis.* } nomina, hoc est, debitam mihi a Cispio, & Praetio pecuniam. infra epist. 29. De nomine, inquit, tu uidebis cum Cispio. Hoc, quod attinet ad sententiam. quod ad genus loquendi, eadem, inquit, epistola, Si Faberianum, explicas, hortos emamus uel magno; sin minus, ne paruo quidem possumus. OPTIME. } subaudi, quod leuius aegrotat.

Cicero S. D. Attico. 24.

SCRIPSIT ad me diligenter Sica de Silio, seq. ad te rem detulisse: quod tu idem scribis. mihi & res, & condicio placet, sed ita, ut numerato malim, quã aestimatione. uoluptarias enim possessiones nolet Silius: uectigalibus autem ut his possum esse contentus, quae habeo, sic uix minoribus. unde ergo numeratos? HS DC exprimes ab Hermogene, cum praesertim necesse erit. & domi uideo esse HS DC, reliquae pecuniae uel usuram Silio pendemus, dum a Faberio, uel ab aliquo, qui Faberio debet, repraesentabimus. erit etiam aliquid alicunde. sed totam rem tu gubernabis. Drusianis uero hortis multo antepono: neque sunt umquam comparati, mihi crede. una me caussa mouet, in qua scio me τετυφῶσθαι: sed, ut facias, obsequere huic errori meo. Nam quod scribis ἐγγήραμα: actum iam de isto est: alia magis quaero. Vale.

EXPLANATIO

ET RES, *& condicio* } res, horti ipsi, quos Silius uendere uult. condicio, uel pecuniam dixerat Silius se esse accepturum pro hortis, uel pro pecunia, ex Ciceronis possessionibus aliquã, facta aestimatione, ut ne minoris esset possessio, quam acciperet, quam quanti essent horti, quos uenderet. Hanc conditionem respondet Cicero sibi placere, sed ita, ut numerare pecuniam malit, quam e suis praedijs ullum tradere. AESTIMATIONE } praedio aestimato, ut pretium hortorum aequet. Aestimatio enim

hic

hic accipitur pro re aestimata, ut in epistola ad Paetum, Quando tuas aestimationes uendere non potes. VOLVPTARIAS *&c.* } ratio, cur numerato malit, quam aestimatione. nam neque, inquit, uoluptarias possessiones accipere Silius a me uolet: & eas, quae fructuosae sunt, ego ei tradere non possum. VECTIGALIBVS } redditibus, fructibus. uectigal enim & publicum est, & id significat. quod ex possessionibus capitur. A FABERIO *repraesentabimus* } Repraesentare, Budaeus hoc loco dicit esse, praesenti pecunia soluere. non, ut alijs locis, ante diem soluere. non improbo eruditi hominis opinionem; quãquam ne cur probem quidem est. cur enim usitatam uerbi significationem sine caussa negligimus? sane mihi placet, ac uehementer quidem placet, ut hic, Repraesentare, ualeat ante diem soluere; contra Budaei sententiam, fateor; sed numquid apud me pluris esse debet ullius auctoritas, quam ratio, & ueritas ipsa? neque tamen illum, quem omnibus nostrae aetatis hominibus eruditione uideo praestitisse, ut male sentientem reprehendo; sed, quando interpretis partes suscepi, & praeter communem utilitatem nihil specto; quod meum officium est, quodq. mihi a principio ad hoc opus aggredienti propositum fuit, id facio, ut omnia libere exponam, cum hoc tamen, ne quid temere affirmem. sensum igitur cõsideremus, & enodatum, quam planissime poterit, explanemus. Siliani, inquit, horti, de quibus ad me scripsisti, placent, sed ita, ut numerato eos malim accipere, quam aestimatione. si autem numerato accipimus, unde pecunia? habebimus, infert, HS DC, ab Hermogene expressa; & DC item, quae domi sunt. erit igitur, unde sumamus HS MCC. quae autem reliqua pecunia erit, quae scilicet a nobis supra HS MCC Silio debebitur; ei pecuniae soluendae diem, puta annuam, uel bimam, praestituemus. interea Silio uel usuram pendemus. Quoniam autem hoc posuerat, Vsuram dependemus: ueritus, ne Attico uideretur insanire, qui hortos usque eo cuperet, ut etiam usuras subire uellet; quasi se excusans adiecit, Dum a Faberio repraesentabimus; hoc significans, diuturniorem usuram non futuram; cum putet se, pecunia a Faberio debitore sumpta, repraesentaturum, hoc est solutionem facturum ante diem reliquae pecuniae soluendae praefinitam. certe enim hortos, nisi praesenti pecunia potuisset, uel pendendis usuris emere cogitabat: quas putabat fore ut non diu penderet, cum speraret, hortorum pretium, pecunia a debitoribus suis exacta, breui se posse totum persoluere. quod confirmat illud ep. 21. Vt usuram ei pendam, a quo emero, non plus annuum; possum assequi, si tu me adiuuas. Simili sententia dixit, Repraesentare medicinam, in epistola ad Titium; &, Repraesentare diem, ad Tironem; &, Repraesentare libertatem, Philippica 11. &, Representare improbitatem, libro XVI. ad hunc ipsum. quibus ex locis cum de significatione huius uerbi liqueat unicuique uel negligenter consideranti; cumq. in eum, quem nos ostendimus sensum accipi hoc in loco non absurde possit uox illa, Repraesentabimus: non uideo cur assentiar Budaeo, docto alioqui uiro, & de litteris optime merito; cum praesertim, Repraesentare, pro praesentem pecuniam soluere, quo modo ipse explanat, nusquam apud eos, quos ego auctores in Latina lingua uehementer sequor, positum reperiam. DRVSIANIS } Drusinis, analogia requirit, ut a Bruto Brutinus: sed analogiam interdum consuetudo uincit. unde & Drusianae fossae nomen apud Tacitum l. 2. quam tamen Suetonius in Claudio Drusinam uocat. COMPARATI, } Drusianos hortos nemo umquam Silianis comparauit. quasi dicat: semper enim Siliani celebriores atque amoeniores habiti sunt. tale illud in Laelio, Hi nec comparantur Catoni. MOVET, } ut hortos desiderem. Quae autem haec erat caussa, cur tantopere hortos Cicero desideraret? nimirum illa, ut haberet ubi filiae fanum exstrueret. quam caussam, ut Attico notissimam, silentio praeterit. sed in ea fatetur se τετυφῶσθαι, idest insanisse. hortos enim adeo cupiebat, ut in ea re suam ipse quasi quandam insaniam agnosceret. ἐγγήραμα: } senectutis requies. uerbum, quod Atticus usurpauerat in epistola ad Ciceronem, suadens, opinor, ut de senectute cogitaret, ideoq. ne tantam pecuniam in hortos erogaret. ACTVM *iam de isto est, &c.* } hanc ego curam iam abieci: hoc mihi iam amplius curae non est: quiduis aliud potius quaero. quasi hoc dicat: de uita iam non cogito.

Cicero S. D. Attico. 25.

SICA, ut scribit, etiam si nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit x. kal. esse uenturum. cuius occupationib. ignosco: eaeq. mihi sunt notae. De uoluntate tua, ut simul simus, uel studio potius, & cupiditate, non dubito. De Nicia quod scribis: si ita me haberem, ut eius humanitate frui possem, in primis uellem illum mecum habere: sed mihi solitudo & recessus prouincia est. quod quia facile ferebat Sica, eo magis illum desidero, praeterea nosti Niciae nostri imbecillitatem, mollitiem. consuetudinem uictus. cur ego illi molestus uelim, cum mihi ille iucundus esse non possit? uoluntas tamen eius mihi grata est. Vnam rem ad me scripsisti, de qua decreui nihil tibi rescribere. Spero enim me a te impetrasse, ut priuares me ista molestia. Piliae, & Atticae salutem. Vale.

EXPLANATIO

CONFECERIT } de hortis. VENTVRVM } ad me.quod ex duabus insequentibus epistolis apparet. DE *Nicia* } hic est Nicias grammaticus, de quo Suetonius in libello de claris grammaticis : qui etiam docuisse uidetur Plancum Bursam.fam.ep.10.lib.9. VNAM *rem* } de Terentia scilicet. SPERO *enim &c.* } spero, inquit, me a te impetrasse, ut ipse me ista molestia priuares, hoc est ut hoc onus ipse susciperes. hoc enim Cicero Atticum iam antea rogauerat. quin ipsa uerba recitemus: Quod, inquit, ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te mi Attice suscipe totum negotium. Haec supra, epist. 19. Et in eandem sententiam ep.21. his uerbis: De Terentia, quod mihi omne onus imponis, non agnosco tuam in me indulgentiam. ista enim sunt uulnera, quae non possum tractare sine maximo dolore. moderare igitur, quaeso, ut potes.

Cicero S. D. Attico. 26.

DE Siliano negotio, etsi mihi non est ignota condicio, tamen hodie me ex Sica arbitror omnia cogniturum. Cottae quidem negas te nosse. sed ultra Silianam uilla est, quam puto tibi notam esse, uillula sordida, & ualde pusilla: nihil agri: ad aliam rem loci satis, nihil ad eam, quam quaero. sequor celebritatem. sed, si perficitur de hortis Silij, hoc est, si perficis; (est enim totum positum in te) nihil est scilicet, quod de dote Cotta cogitemus. De Cicerone, ut scribis, ita faciam: ipsi permittam de tempore: nummorum quantum opus erit, ut permutetur, tu uidebis. Ex Atedio, quod scribis, si quid inueneris, scribes. Et ego ex tuis animaduerto litteris, & profecto tu ex meis, nihil habere nos, quod scribamus. eadem quotidie: quae iam, iamq. ipsa contrita sunt: tamen facere non possum, quin quotidie ad te mittam, ut tuas accipiam. De Bruto tamen, si quid habebis. scire enim iam puto, ubi Pansam exspectet. si, ut consuetudo est, in prima prouincia, circiter Kalendas affuturus uidetur. uellem, tardius. ualde enim urbem fugio multas ob caussas. itaque id ipsum dubito, an excusationem aliquam ad illum parem: quod quidem uideo facile esse. sed habemus satis temporis ad cogitandum. Piliae, Atticae salutem. Vale.

EXPLANATIO

DE *Siliano negotio,* } de hortis Silij, de quibus supra. CONDICIO } uoluntas Silij de uenditione hortorum: ut in epistola, quam subsequitur proxima superior; Mihi, inquit, & res, & condicio placet. COTTAE } subintellige, uillam: de qua epist. 21. AD *aliam rem loci satis, nihil ad eum, quam quaero.* } non dubito, quin hoc ordine legendum sit: Ad aliam rem loci nihil, satis ad eam, quam quaero. nam, quo modo in uulgaris libris legitur, plane sententiam esse apparet Ciceronis sententiae contrariam. quorsum enim de emenda Cottae uilla cogitabat, si ad eam rem, quam quaerebat, loci nihil? sed, quid argumentor? en, quod nostram opinionem ita confirmet, ut nihil praeterea possit desiderari. Habet, inquit supra, in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci, ad hanc rem tamen plus etiam satis. DE *tempore.* } quando uelit discedere, ut Athenas eat studiorum caussa. supra, De Cicerone, inquit, tempus esse iam uidetur: sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permutari ne possit, an ipsi ferendum. DE *Bruto tamen,* } quia de Bruti aduentu iam ante Atticum rogarat, ut ep.14.18.& 19. iccirco dictionem, Tamen, uenuste usurpauit. quasi dicat: Quamuis hac de re saepius iam ex te quaesierim, tamen idem illud quaero. SCIRE *enim iam puto* } subaudi, te. cum autem scias, ubi Pansam exspectet; facile potes, quo tempore futurus Romae sit, coniectura consequi. ep.19. IN *prima prouincia* } Gallia: cui praefuit. Plutarchus, & Cicero epist.6.lib.6.fam. item in Oratore. VELLEM *tardius* } uellem, tardius adesset Brutus. nam si Kalendis Romae fuerit, ueniendum mihi erit, ut ipsi de aduentu gratuler: itaq., quod uellem, consequi non potero, ut in senatum ne ueniam: qui plerumque Kalendis habebatur. uide illud epist.5. Mihi etsi Kalendae uitandae fuerunt. *Tardius:* post Kalendas, hoc est post diem, quo senatus habebatur: quo die Romae esse Cicero noluisset, ne in senatum ueniret. MVLTAS *ob caussas* } ex quibus erat illa uel maxima, ne in senatum uenire necesse esset. AN *excusationem aliquam ad illum parem* } an Bruto me litteris excusem, & caussam aliquam afferam, cur Romam uenire non possim, epist.28. FACILE } facilem excusationem esse uideo. possum enim uel in morbum, uel in maerorem caussam conferre.

Cicero S. D. Attico 27.

DE Silio nihilo plura cognoui ex praesente Sica, quam ex litteris tuis. scripseras enim diligenter. si igitur tu illum conueneris, scribes ad me, si quid uidebitur. De quo putas ad me missum esse, sit missum, nec ne, nescio; dictum quidem mihi certe nihil est. tu igitur, ut coepisti: & , si quid ita conficies, (quod equidem non arbitror fieri posse) ut illi probetur; Ciceronem, si tibi placebit, adhibebis. eius aliquid interest, uideri illius caussa uoluisse: mea quidem nihil, nisi id quod tu scis, quod ego aestimo. Quod me ad meam consuetudinem reuocas, fuit meum quidem iam pridem remp. regere, quod faciebam: sed interea erat, ubi acquiescerẽ. nunc plane nec ego uictum, nec uitam illam colere possum: nec in ea re, quid alijs uideatur, mihi puto curandum. mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. Quod me ipse per litteras consolatus sum; non paenitet me, quantum profecerim. maerorem minui. dolorem nec potui, nec, si possem, uellem. De Triario, bene interpretaris uoluntatem meam. tu uero nihil, nisi ut illi uolent. amo illum mortuum: tutor sum liberis: totam domũ diligo. De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipijs pecuniam accipere uolet, eamq. ei solui, ut nunc soluitur, certe nihil est cõmodius. sin autem ita actum est ut ipsa mancipia abduceret; non mihi uidetur esse aequum. rogas enim me, ut tibi scribam, quid mihi uideatur. nolo enim negotij Quinctum fratrem quidquam habere: quod, uideor mihi intellexisse, tibi uideri idem. Publius, si aequinoctium exspectat, ut scribis Atedium dicere, nauigaturus uidetur. mihi autem dixerat, per Siciliam. utrum, & quando, uelim scire. Et uelim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum uisas, eiq. de mancipijs, quae tibi uidebitur, attribuas. Piliae, Atticae salutem. Vale.

EXPLANATIO

MISSVM *esse*, } a Terentia. ILLI } Terẽtiae. VIDERI } ut uideatur matris caussa uoluisse. QVOD *ego aestimo*. } ueteres libri diligenter inspiciendi. aliquot enim de caussis in mendi suspicionem adducor. AD *consuetudinem* } ad remp. administrandam. ERAT, *ubi acquiescerem*: } hoc significat; labores, quos olim reip. caussa susceperat, minus graues fuisse, cum haberet filiam, cuius in sermone, & suauitate conquiescere solitus esset: qua amissa, non esse cur eosdem labores susciperet, nulla iam alleuationis spe relicta. NEC *ego uictum, nec uitam illam colere possum* } non modo ferre rationem illam uiuendi non possem, sed ne uitam quidem ipsam uiuere illi similem. tantum, inquit, abest, ut genus illud uitae sequi nunc possim; ut etiam uitam me esse amissurum intelligam, si ita uelim uiuere, ut tum uiuebam. quasi dicat: non modo genus illud uitae colere non possem, sed nec uiuere quidem, si illam uitae rationem sequi uellem. QVID *alijs uideatur* } forte enim Atticus scripserat, reprehendi Ciceronem, quod in urbe non uiueret, quasi prorsus omissa reip. cura. quod antea quoque Atticum scripsisse, apparet ex illo loco ep. 21. Quod homines a me postulare scribis, ut Romae sim, neque mihi, ut absim, concedere: iampridẽ scio &c. MEA *mihi conscientia* } mei enim erga remp. animi cum ipse mihi optime sim conscius, de illorũ sermone non laboro. non enim absum, quod eam negligam; sed quod eiusmodi sunt tempora, ut, etiam si adsim, iuuare nihil possim. CONSOLATVS } in morte filiae scripsit librum de Consolatione ad se ipsum. ep. 14. & 20. NEC, *si possem, uellem* } esset enim inhumanum, amissa unica filia, & tali filia, non dolere. unde illud Crantoris in tertio Tusculanarum: Istuc, nihil dolere, non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. PRO *mancipijs* } mancipia Castricius ante uendiderat Quincto Ciceroni. eorum mancipiorum pretium, apparet, a Quincto non fuisse ad diem persolutum. EAMQ. *ei solui, ut nunc soluitur* } ostendit se condicionem eius uenditionis ignorare. si enim Castricius, inquit, a fratre meo pecuniam accipere uolet pro mancipijs, eamq. pecuniam ita solui, ut nunc soluitur; (dicit autem Nunc, quia debitores eo tempore pecuniam creditoribus ita soluebant, nõ ut pecuniam darent, sed ut pro pecunia possessiones, tanti aestimatas, quanti ante ciuile bellum fuissent: quod Caesar, & ut debitoribus consuleret, & ut metum nouarum tabularum tolleret, edicto constituerat, certe nihil est commodius. possessionem enim pro pecunia, quam debet, frater aliquam dabit. sin autem ita actum, & haec inter eos de mancipijs pactio facta est, ut Castricius, Quincto pretium mancipiorum intra certam non persoluente, ipsa mancipia, quae uendiderat, abduceret: hoc mihi non uidetur esse aequum. ut enim ad diem frater non soluerit, ideo tamen eum priuari mancipiis iniquum est, cum quidem solutionem, quam ciuilium bellorum difficultate afflictus necessario distulit, eam nunc facere paratus sit. TIBI *uideri idem* } tibi quoque uideri, non aequum esse, ut mancipia Castricius a fratre abducat, quod eorum pretium sibi ad diem non enumerarit. AEQVINOCTIVM } uernum. nam haec hieme scripta sunt: quod ita esse, proxima superior epistola significat, in qua Pansae in prouinciam Galliam proficiscentis, Brutiq. ex eadem prouincia decedentis mentio fit. Pansam autem III. Kal. Ian. ab urbe profectum esse, apparet ex epistola ad Cassium, altero epistolarũ uolumine. uernum igitur aequinoctiũ, non autumnale, significatur, primum ex argumento, quod posui, de historia sumpto; deinde ex illa clausula, Nauigaturus uidetur. certe. n. post uernum aequinoctium tutior est nauigatio, quam post

autumnale. non enim Publius aequinoctium, ut eo nauigaret, sed, ut post, exspectabat. uide, quae diximus ep. 15. l. x. ATEDIVM} ep. 13. NAVIGATVRVS} in Africam. supra ep. 23. LENTVLVM *puerum*} apparet, Ciceronem ei tutorem fuisse, cum inferat, De mancipijs quae tibi uidebitur, attribuas. mancipia. n. accipio, quae Cicero, sibi a Lentulo, pueri patre, cum reliquis bonis testamento commendata, tutorum more tuebatur. apertius indicat insequens epistola; si consideretur illud, Pueros attribue ei, quos, & quot uidebitur.

Cicero S. D. Attico. 28.

SILIVS, ut scribis, hodie. cras igitur, uel potius cum poteris, scribes, si quid erit, cum uideris. Nec ego Brutum uito, nec tamen ab eo leuationem ullam exspecto: sed erant caussae, cur hoc tempore istic esse nollem: quae si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Brutum: &, ut nunc est, mansurae uidentur. De hortis, quaeso explica. caput illud est, quod scis. sequitur, ut etiam mihi ipsi quiddam opus sit. nec enim esse in turba possum, nec a uobis abesse. huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius. & de hac re quid tui consilij sit, mihi persuasum est, & eo magis, quod idem intellexi tibi uideri, me ab Oppio, & Balbo ualde diligi. cum ijs communices, quantopere, & quare uelim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum: sint igitur auctores futuri, si qua etiam iactura facienda sit in repraesentando: (quod possum) adducito. tum enim illud desperatum denique intelliges, & quid inclinent ad hoc meum consilium adiuuandum. si quid erit, magnum est adiumentum: sin minus, quacumque ratione contendamus. uetus illud ἐγγήραμα, quemadmodum scripsisti, uel ἐντάφιον putato. De illo Ostiensi nihil est cogitandum, si hoc non assequimur. a Lamia non puto posse. Damasippi experiendum est. Vale.

EXPLANATIO

HODIE.} hoc subaudi: Tecum de hortis, quos ab eo emere uellemus, loquetur. id. n. Atticus ad Ciceronem scripserat. NEC *ego Brutum uito*, } respondet ad alteram partem epistolae ab Attico acceptae: in qua ille, ut opinor, ita scripserat; mirari se, cum Brutum uitaret, a quo leuationem aliquam posset exspectare. cui respondens Cicero, Nec ego, inquit, Brutum uito, nec tamen ab eo leuationem ullam exspecto. LEVATIONEM} doloris mei, ex interitu filiae suscepti. CAVSSAE} in ijs, ne in senatum uenire necesse esset. EXCVSATIO} quod istuc non ueniam, ad eum amplectendum ex prouincia reuersum. ep. 16. CAPVT *illud est, quod scis.*} caput, & prima caussa, cur hortos desiderem, illa est, quam tu scis, fanū uidelicet; cuius aedificandi scis consilium a me esse captum, & hortos ideo quaerere, ut celebri loco aedificetur. SEQVITVR, *&c.*} altera caussa, cur hortos uelit: Praeter fanum, mea etiam caussa hortos quaero. mihi. n. ipsi quiddam opus est: hoc est, locum me oportet habere, ubi esse possim. IN *turba*} Romae. neque Romae, inquit, esse possum, neque a uobis abesse. quod si hortos habebo, utrumque consequar, ut & Romae ne sim, & a uobis ne absim. abesse non uidebor, cum in hortis ero, qui urbem quā proxime sunt: & in urbe tamen non ero. ep. 31. l. 13. Nihil, inquit, aliud reperio, ubi & in foro non sim, & tecum esse possim. MIHI *persuasum est*, } tacite significat, suum consilium ab Attico probari, consilium, inquam, urbis fugiendae. *Persuasum*: non. n. Atticus aperte scripserat, se probare Ciceronis consilium. ueritus fortasse, ne id Caesarem offenderet, si casus tulisset ut in alienas manus litterae deuenirent: sed ipse de Attici sensu coniecturam faciebat. EO *magis &c.* } eo magis mihi persuasum est, de hac re quid tui consilij sit, quod tibi quoque intelligo uideri idem quod mihi, me ab Oppio & Balbo ualde diligi. quasi dicat. Quando illi me tam ualde diligunt, abesse possum, illis concedentibus. nam alioqui offenderentur, & de hac absentia mea litteras fortasse ad Caesarem iniquiores mitterēt. quod igitur intelligis, me ab Oppio & Balbo ualde diligi; eo magis mihi persuasum est, hac de re quid sentias. SI *expediatur illud Faberianum*} si debitam mihi a Faberio pecuniam exigo: quod facile consequar illis adiuuantibus, qui, Caesare concedente, omnia possunt. SINT *igitur auctores* } sententia non apparet, obscura a mendo. &, quāquam adiuti coniectura quiddam uidemus: quia tamen id eiusmodi non est, ut omnes tenebras discutiat, praetermitto. libros ueteres adiui, inspexi: nihil adiumenti. relinquo igitur, quod alii considerent. TVM *enim &c.* } connexa uerba cum superioribus. Neque patet sensus: sed conijcere possumus, hoc dici: Si Balbus & Oppius in expediendo nomine Faberiano adiutores esse noluerint; tum intelliges, exigendae a Faberio pecuniae nullam plane spem esse; & intelliges item, quid inclinent ad hoc meū consilium de fano adiuuandum. si enim nobis non fauebunt; id agentibus, ut hortorum emendorum caussa pecuniam a Faberio exigamus: certe intelligetur, nolle eos de emendis hortis, & de aedificando fano consilium a nobis captum adiuuare. SI *quid erit*, } a Balbo & Oppio studij & auxilij ad Faberianum nomen explicandum. SIN *minus &c.* } si in exigenda a Faberio pecunia fautores non erunt, consilium tamen de hortis ideo ne omittamus, sed quacumque ratione enitamur. QVACVMQVE *ratione* } nam de Faberiana pecunia nequaquam erit cogitandum, Balbo, & Oppio non adiuuantibus. De illo

illo Ostiensi, &c. } si non assequimur, ut Silianos hortos habeamus; quid agemus? de illo Ostiensi, hoc est de uilla; quam in Ostiensi habet Cotta, nihil est cogitandum: (forte, quia pusillum loci uidebatur. epist. 22. & 26.) Lamiam non puto posse adduci, ut hortos suos uendat: Damasippi experiendum est: subaudi, ut hortos habere possimus. & infra, epist. 32. Damasippum uelim aggrediare. de Lamianis autem hortis, epist. 22. & 26.

Cicero S. D. Attico. 29.

Quaero, quid ad te scribam: sed nihil est: eadem quotidie. Quod Lentulum inuisis, ualde gratum. pueros attribue ei, quot, & quos uidebitur. De Silij uoluntate uendendi, & de eo, quanti, tu uereri uideris, primum ne nolit, deinde ne tanti. Sica aliter: sed tibi assentior. quare, ut ei placuit, scripsi ad Egnatium. Quod Silius te cum Clodio loqui uult: potes id mea uoluntate facere; commodiusq. id est, quam, quod ille a me petit, me ipsum scribere ad Clodium. De mancipijs Castricianis, commodissimū esse credo, transigere Egnatium: quod scribis te ita futurum putare. Cum Ouia, quaeso, quidem ut conficiatur. Quoniam, ut scribis, nox erat, in hodierna epistola plura exspecto. Vale.

EXPLANATIO

Quos, *& quot* } non omnes, sed quos & quot uidebitur. neque enim omnia mancipia Lentulo puero attribuenda erant ministerij caussa. quae autem puero non attribuebantur, ea tamen illi operam nauabant, uel rure agro colēdo, uel in officinis aliquo artificij genere occupata, uel alijs pretio locata: comprobatur quod supra diximus, Ciceronem Lentulo puero tutorem fuisse, qui ei de mancipijs, quae uideretur, & quot uideretur, attribueret. De *Silij &c.* } scire Tullius auebat, num Silius hortos uellet uendere, & quanti uellet. cui Atticus rescribens, uereri se dixerat, primum ne Silius nollet uendere, deinde ne nollet eo pretio, quo Tullius emere uoluisset. Quanti } subaudi, uelit uendere. Ne *tanti* } uideris, inquit, uereri, ne Silius tanti nolit uendere, quanti nos uellemus. & dixit, Tanti, pro, tam paruo: quomodo etiam locutus est Coelius: cuius haec sunt uerba in epistola ad Ciceronē: Aut non erit istic bellum; aut tantum erit, ut uos, aut successores paruis additis copijs sustinere possint. & Caesar libro VI. his uerbis: Praesidij tantum est, ut ne murus quidem cingi possit, neque quisquam egredi extra munitiones audeat. & lib. III. de bello ciuili: Tantum nauium reperit, ut anguste XV. millia legionariorum militum, & quingentos equites transportare possent. & ipse in epistola ad Cassium: Si quae, inquit, sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis; nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius: sin maiora; considera, ne in alienissimum tempus cadat aduentus tuus. Quibus ex locis aperte cognoscitur, in uoce, Tantus, non semper magnitudinem inesse. quod nos exemplis ideo probare uoluimus, ne quis miretur, cur illud, Tanti, explanemus, tam paruo: quod fortasse cuipiam durius alioqui uideretur. Sica *aliter*, } Sica aliter dixerat: Sica non idem dixerat, quod tu: sed tibi assentior, uerenti primum ne Silius nolit, deinde ne tanti. Sica autem dixerat, & uelle Silium uendere, & non magno uēditurum. Vt *ei placuit* } opinabatur Sica, Egnatij opera Silianos hortos haberi posse: itaque Ciceroni suaserat, ut ad illū scriberet. Transigere *Egnatium* } in epistola superiore locutus est de mancipijs Castricianis. quem si quis cum interpretatione nostra legerit, facile, quid hic significetur, intelliget. *Transigere*: conficere cum Castricio: efficere, ut Castricius a Quincto fratre pecuniam accipiat pro mancipijs, quae illi uendiderat: quam Castricius accipere nolebat; cum a Quincto mancipia mallet abducere, quando is pecuniā sibi ad praestitutam diem non numerasset. Conficiatur. } curentur ei H-S C, quae debemus. supra epist. 21. & 22. Nox *erat* } Atticus in epistola sua ad Ciceronem hoc posuerat: Quoniam nox est, plura non scribo. Cui respondens Cicero, Quoniam, inquit, nox erat, & ideo breuiores litteras misisti; ijs, quas hodie mittes, plura exspecto.

Cicero S. D. Attico. 30.

Silium mutasse sententiam, Sica mirabatur. equidem magis miror, quod, cum in filium caussam cōferret, quae mihi non iniusta uidetur; (habet enim qualem uult) ais te putare, si addiderimus aliud, a quo refugiat, eum ab ipso id fuerit destinatum, uēditurum. Quaeris a me, quod summum pretium constituam; & quantum anteire istos hortos Drusi: accessi numquam: Coponianam uillam, & ueterem, & non magnam, noui; siluam nobilem, fructum autem neutrius: quod tamen puto nos scire oportere. sed mihi, utrius istorum, tempore magis meo, quam ratione, aestimandi sunt. possim autem assequi, nec ne, tu uelim cogites. si enim Faberianum uenderem, explicare uel repraesentatione non dubitarem, de Silianis, si modo adduceretur, ut uenderet: si uenales non haberet, transirem ad Drusum, uel tanti, quanti Egnatius illum uelle tibi dixit. magno etiā adiumento nobis Hermogenes potest esse in repraesentando. at concede mihi, quaeso, ut eo animo sim, quo is

debeat eße, qui emere cupiat. & tamẽ seruio ita cupiditati, & dolori meo, ut a te regi uelim. Egnatius mihi scripsit. is si quid tecum locutus erit, (commodißime enim per eum agi potest) ad me scribes: & id agendum puto. nam cum Silio non uideo confici posse. Piliae, & Atticae salutem. Haec ad te mea manu. uide, quaeso, quid agendum sit. Vale.

EXPLANATIO

SILIVM *mutasse sententiam, Sica mirabatur, &c.* } Silium nolle amplius hortos uendere, Sica mirabatur. ego autem eo magis miror, quod, cum ille dicat ideo se non uendere, quia filius nolit, ais tamen illum uenditurum, si nos praeter eum locum, quem ab ipso petijmus, alium petierimus, a quo refugiat, hoc est quem nolit uendere. NON *iniusta* } recte facit, si non uendit, quia filio uelit obsequi, roganti ne uendat; cum eum habeat, qualem uult, hoc est, plane ex animi sui sententia: ut reprehendendus nõ sit, qui tali filio obsequatur. SI *addiderimus aliud* } si petierimus a Silio, ut alium locum nobis uẽdat, non ut eum, quem antea petebamus. A QVO *refugiat* } a quo uendendo prorsus abhorreat: quem nulla condicione uelit uendere. CVM *ab ipso id fuerit* } cum is locus, quem addiderimus, ualde illius e re fuerit. tunc enim Silius locum antea nobis destinatum uendet, si petierimus ut alium, ipsi cariorem, uẽdat. Recte igitur dixit Cicero, Miror, quod ais &c. nam, si hortos ideo Silius uendere non uult, quia filio cupiat indulgere: ne hoc quidẽ artificio, quo uti uis, adducetur ut uendat. Dixit autem, Conferret, potius, quam, Conferat, ut ostendat Silium ea excusatione usum fuisse non illis ipsis diebus, quibus haec scribebat, sed aliquanto ante. QVOD *summum pretium constituam,* } quantum omnino pecuniae in hortos uelim impendere. QVANTVM *anteire istos hortos Drusi* } subintelligere, putem: hoc sensu: Quaeris a me, quantum hortos istos Silianos anteire Drusi hortos putem, pretio uidelicet. ACCESSI *numquam* } numquam accessi ad hortos Drusi: quae autem uilla ibi est, (Coponiana dicebatur, quod eam ante Drusum aliquis e Coponiorum gente possederat) eam noui, & eodem loco siluam nobilem. NEVTRIVS } neque siluae, neque uillae. quem fructum Drusus capiat aut e uilla, aut e silua, compertũ non habeo: quod tamen, puto, nos scire oportet. Et hoc adscribit propterea quod una cum hortis & uillam, & siluam Drusus uendere cogitabat. VTRIVS *istorum* } utrius hortos aestimem, uel Silij, uel Drusi; aestimare debeo, non quanti sint, sed quanti meum tempus postulare uidetur: hoc est, non ex ipsorũ fructu mihi aestimandi sunt, sed ex meo tempore; quod eiusmodi est, ut hortos omnino uelim emere, de pretio non laborem. *Vtrius istorum:* aestimandi sunt. POSSIM *autem assequi* } possum hortos emere. COGITES } potes enim hoc uel facile cognoscere; cum mea nomina tractes, & uidere possis, ecquae sit spes pecuniae a nostris debitoribus exigendae: quod ego absens non possum: itaque tu hoc uelim cogites. FABERIANVM } nomen Faberianum: quod mihi a Faberio debetur. cum enim debitam sibi a Faberio pecuniam exigere Cicero non posset, nomen illud alicui uendere cogitabat, ut praesentẽ pecuniam haberet ad emptionem hortorum. EXPLICARE *uel repraesentatione non dubitarem* } non dubitarem hortos emere, uel si repraesentandum sit: hoc est, uel si pretium nunc enumerandum sit, nulla temporis dilatione. Est est enim, Repraesentare; quod aliquando futurum est, id praecipere, ut, nulla interposita mora, statim fiat. Quoniam autem constituerat ita hortos emere, ut partem pecuniae solueret, reliquae pecuniae usuram penderet; (quod ipse ostendit epist 21. & 24.) nunc, si Faberianum nomen possit uendere, dicit se non cogitare de die, neque solutionis tempus uelle differre, sed repraesentaturum, hoc est non exspectaturum diem, quam constituerat, uniuersumq. pretium statim persoluturũ. DE *Silianis* } ad, Explicare, refertur. TRANSIREM *ad Drusum* } emerem a Druso. MAGNO *etiam &c* } adiuuabit enim repraesentationem Hermogenes, si soluet nobis H-S DC, quae debet, unde illud ep. 24. HS DC exprimes ab Hermogene, cum praesertim necesse erit. DOLORI *meo,* } ex interitu filiae suscepto. REGI } fortasse ego, cupiditate, & dolore prolapsus, hortos pluris emerem, quam quanti aequum esset: itaque uolo a te regi. LOCVTVS *erit* } de Drusi hortis. Supra ibidem: Transirem ad Drusum uel tanti, quanti illum Egnatius uelle tibi dixit. ID *agendum puto* } ad hortos Drusi spectare debemus. nam cum Silio non uideo confici posse. *Agendum:* curandum, cogitandum. QVID *agendum sit* } de tota hac re, idest de hortorum emptione.

Cicero S. D. Attico 31.

PVBLILIA *ad me scripsit, matrem suam cum Publilio loqui, eam ad me cum illo uenturam, & se una, si ego paterer. orat multis, & supplicibus uerbis, ut liceat, & ut sibi rescribam. res quam molesta sit, uides. rescripsi, me etiam grauius esse affectum, quam tũ, cum illi dixissem, me solum esse uelle; quare nolle me hoc tempore eam ad me uenire. putabam, si nihil rescripsissem, illã cum matre uenturam: nunc non puto. apparebat enim illas litteras non illius esse. illud autẽ, quod fore uideo, ipsum uolo uitare; ne illae ad me ueniant. & una est uitatio: & ego nollem: sed necesse est. te hoc nũc rogo, ut explores, ad quam diem hic ita possim esse, ut ne opprimar. ages, ut scribis, temperate. Ciceroni uelim hoc proponas, (ita tamen si tibi non iniquum uidebitur) ut sumptus huius peregrinationis (quibus, si Romae esset, domumq. conduceret, quod facere cogitabat, facile contentus futurus erat.) accommodet ad mercedes Argileti, & Auentini. & cum ei proposueris, ipse uelim*

lim reliqua moderere, quemadmodum ex his mercedibus suppeditemus ei quod opus sit. praestabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messallam, quos Athenis futuros audio, maiores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur. itaque uelim uideas, primum, conductores qui sint, & quanti; deinde, ut sit, qui ad diē soluat; & quid uiatici, quid instrumenti satis sit. iumento certe Athenis nihil opus sit, quibus autem in uia utatur, domi sunt plura, quam opus erat: quod etiam tu animaduertis. Vale.

EXPLANATIO

PVBLILIA } altera Ciceronis uxor, quam, post Terentiae diuortium, uirginem duxit: cum qua & ipsa postea diuortium fecit, quia laetari Tulliolae morte uidebatur. Plutarchus in Cicerone, Quinctilianus l.6. Dio lib.46. PVBLILIO } fratre Publiliae, Ciceronis uxoris nam mulieres familiae nomine appellabantur. AFFECTVM } dolore, quem ex obitu filiae capiebat. NON *illius esse* } apparet, a matre scriptas, aut dictatas. QVOD *fore uideo* } uideo fore, ut omnino ueniant: ego autem hoc uolo uitare. VNA *est uitatio: & ego nollem* } una tantum ratione uitare possum, ne illae ad me proficiscantur; si ego istuc ad ipsas ueniam: quod nollem: sed necesse est; quando haec est una uitatio. Infra clarius his uerbis. Cum scribas, uidendum mihi esse, ne opprimar; ex quo intelligam, te certum illius profectionis diem non habere: putaui esse commodius, me istuc uenire. NE *opprimar*. } a Publilia, & matre. & hoc dicit; quia, si scisset, quo die illae Roma profecturae essent, ut ad se uenirent; ipse ante illum diem Romam ad eas proficisci potuisset: quod facere cogitabat. Ne opprimar: ne ueniant cum de illarum aduentu nihil suspicer. CICERONI } filio. SI *tibi non iniquum* } fortasse enim tibi uidebitur, plus ei dandum esse, quam quod ex mercedibus Argileti & Auentini recipietur. sed, si tibi non iniquum uidebitur, hoc est, si putas cum his mercedibus contentum esse debere, propone ei, ut sumptus huius peregrinationis ad eas mercedes accommodet. PEREGRINATIONIS } Cicero filius Athenas iturus erat studiorum caussa. Dic, inquit, filio, me pro sumptu, quem Athenis facturus est, tradere ei mercedes Argileti, & Auentini. SI *Romae esset, &c.* } ut Athenis tantos sumptus faciat, quantos Argileti, & Auentini mercedes ferre poterunt. quibus sumptibus, si Romae uiueret, conducta etiam domo, contentus futurus erat: quanto magis, Athenis? ARGILETI, *& Auentini* } in Argileto, & Auentino locare uolebat Cicero insulas quasdam, eamq. mercedem assignare filio Athenas proficiscenti. epist.10.lib.9.& 4.lib.6. MODERERE } tractes quod attinet ad hanc locationem: uideas, quemadmodum ex his mercedibus suppeditemus ei, quod opus sit; hoc est, quod infra ostendit, conductores qui sint, & quanti; deinde, ut sit qui ad diem soluat. NEC *Bibulum, nec Acidinum, nec Messallam* } Calpurnium Bibulū, Manlium Acidinum, Valerium Messallam. hos adolescentes Athenas profecturos studiorum caussa, Cicero audierat. CONDVCTORES *qui sint, & quanti* } qui uelint conducere eas tabernas, aut domos, quas in Argileto, & Auentino uolumus locare. *Quanti*: quanti uelint conducere.

Cicero S. D. Attico. 32.

EGo, ut heri ad te scripsi, si & Siluis is fuerit, quē tu putas, nec Drusus facilem se praebuerit; Damasippum uelim aggrediare. is, opinor, ita partes fecit in ripa nescio quotenorum iugerum, ut certa pretia constitueret, quae mihi nota sunt. scribes ad me igitur, quid quid egeris; vehementer me sollicitat Atticae nostrae ualetudo; ut uerear etiam, ne qua culpa sit. sed & paedagogi probitas, & medici assiduitas, & tota domus in omni genere diligens me rursus id suspicari uetat. cura igitur plura enim non possum. Vale.

EXPLANATIO

IS FVERIT, *quem tu putas*, } difficilis in hortis uendendis. AGGREDIARE } ut mihi hortos uendat. RIPA } Tiberina. nam hortos Transtiberinos quaerebat Cicero, ut celebri loco fanum exstrueret. QVOTENORVM *iugerum* } Damasippus suos hortos in partes diuiserat: & qualibet parte nescio quotena iugera continebantur, certo cuiusque partis pretio. PLVRA *enim non possum* } de hoc ad te scribere; cum & de paedagogo, & de medico, & de tota domo, mihi certum sit.

Cicero S. D. Attico. 33.

EGo hic uel sine Sica (Tironi enim melius est) facillime possem esse, ut in malis: sed, cum scribas uidendum mihi esse, ne opprimar; ex quo intelligam, te certum illius profectionis diem non habere; putaui esse commodius. me istuc uenire, quod idem uideo tibi placere. cras igitur in Sicae suburbano: inde, quemadmodum suadēs, puto me in Ficulensi fore. quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse uenio, coram uidebimus. tuam quidem & in agendis nostris rebus, & in consilijs ineundis, mihiq. dandis, in ipsis litteris, quas mittis, beneuolentiam, diligentiam, prudentiam mirifice diligo.

EXPLA-

EXPLANATIO

VEL *sine Sica* } cuius consuetudine delectabatur: itaque epist.25. Niciam, inquit, uellem mecum habere. sed mihi solitudo & recessus prouincia est: quod quia facile ferebat Sica, eo magis illū desidero. TIRONI *enim melius est:* } caussa, cur sine Sica possit esse. Tironem, inquit, mecum habeo, qui iam prope conualuit. FACILLIME } libenter: ut illud in epistola ad Coelium: In maritimis facillime sum. Et libro II. de oratore: Et dici ornatissime possunt, & audiri facillime. Et ad hunc ipsum in sequenti libro: Locum habeo nullum, ubi facilius esse possim, quam Asturae. Et Terentius in Heaut. Dabo tibi puellam lepidam, quam facile ames. OPPRIMAT } subito aduentu Publiliae. uide supra epist.15. lib. 11.

Cicero S. D. Attico. 34.

TV tamen, si quid cum Silio, uel illo ipso die, quo ad Sicam uenturus ero, certiorem me uelim facias, & maxime cuius loci detractionem fieri uelit. quod enim scribis, extremi, uide; ne is ipse locus sit, cuius caussa de tota re, ut scis est, a nobis cogitatum. Hirtij epistolam tibi misi, & recentem, & beneuole scriptam. Ante, quam proxime discessi, numquam mihi uenit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur tantundem populo dandum esse: quod non magnopere moueret, nisi nescio quo modo, ἀλόγως fortasse, nollem illud ullo nomine, nisi fani, appellari. quod si uolumus; uereor, ne assequi non possimus, nisi mutato loco, hoc quale sit, quaeso considera. nam etsi minus urgeor, meq, ipse propemodum collegi: tamen indigeo tui consilij. itaque te uehementer etiam atque etiam rogo, magis quā a me uis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare. Vale.

EXPLANATIO

TV *tamen,* } quamquam, inquit, breui te uidebo: tamen, si quid de hortis cum Silio confeceris uel illo ipso die, quo ad Sicam uenturus ero; certiorem me uelim facias. AD *Sicam* } in eius suburbano. DETRACTIONEM } cum Silius dixisset, hortos suos se esse uendirurum, sed uelle quendam locū excipere. uide, inquit Cicero, ne uelit eum ipsum locum excipere in uenditione hortorum, cuius loci caussa hortos ipsos emere cogitamus. *Detractionem*: exceptionem. EXTREMI } extremi loci, extremorum hortorum, extremae partis hortorum. DE *tota re* } de hortis Silij emendis. VT *scis* } scis tu qua in parte hortorum fanum aedificare constituerim: itaque, si eam ipsam partem Silius in uenditione uellet excipere; cur hortos emeremus, caussa non esset. HIRTII *epistolam* } forte consolatoriam in morte Tulliolae. RECENTEM } ex Hispania, ubi erat Hirtius cum Caesare. & puto eam esse, de qua ep. 46. & epist.6. lib.16. Reghini quidam eo uenerunt, Roma sane recentes. & Phil. 1. Municipes Reghini complures ad me uenerunt, ex his quidam Roma recentes. QVOD *lege conceditur* } lex erat, quae sumptum sepulcrorum praefiniebat. supra eum sumptum si quis in sepulchrum impendisset, tantundem populo ut daretur, iubebat. QVOD *non magnopere mouere* } quasi dicat: Si uellem sepulchrum filiae facere, facerem operosissimum, & magnificentissimum; neque me in hoc moueret poena legis: sed fanū fieri uolo, non sepulcrum; idque, non tam propter legis multam, (nam haec me minus moueret, si de sepulcro cogitarem) quam ut locus, quasi consecratus, sempiternam religionem obtineat. Hoc aperte paullo post his uerbis: Fanum fieri uolo: neq. hoc mihi erui potest: sepulcri similitudinem effugere non tam propter poenam legis studeo, quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν. Recte: quod enim fani nomine appellatur, religionem habet, quod sepulchri, non item. APPELLARI } supra, epist. 19. lege quae diximus ad illud, Quasi consecratum. NISI *mutato loco* } constitueramus fanum in hortis Transtiberinis facere: sed mutandus locus est, si assequi uolumus, ut fani nomine appelletur. in hortis enim si faceremus, ubi multa multorum sunt sepulcra; sepulcrum & ipsum uideretur esse, sepulchriq. nomine potius appellaretur, quam fani. MINVS *urgeor* } dolore amissae filiae

Cicero S. D. Attico. 35.

FANVM fieri uolo; neque hoc mihi erui potest: sepulcri similitudinem effugere, non tam propter poenam legis studeo, quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν: quod poteram. si in ipsa uilla facerem: sed, ut saepe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. in agro ubicumque fecero, mihi uideor assequi posse, ut posteritas habeat religionem. hae meae tibi ineptiae (fatebor enim) ferendae sunt. non habeo, ne me quidem ipsum, quicum tam audacter communicem, quam te. si tibi res, si locus, si institutum placet, lege, quaeso, legem,

mihiq.

mihiq. eam mitte. si quid in mentem ueniet, quo modo eum effugere possimus; utemur. Ad Brutum si quid scribes, nisi alienum putabis, obiurgato eum, quod in Cumano esse noluerit propter eam caussam, quam tibi dixi. cogitanti enim mihi, nihil tam uidetur potuisse facere rustice. Et, si tibi placebit sic agere de fano, ut coepimus; uelim cohortere & exacuas Cluatium. nam etiã si alio loco placebit; illis nobis opera, consilioq. utendum puto. Tu ad uillam fortasse cras. Vale.

EXPLANATIO

ERVI } hoc mihi non potest ex animo euelli. PROPTER *poenam legis* } poena erat, ut, quo quis in sepulcrum plus insumpsisset, quam nescio quid quod lege cõcedebatur; tantundem populo daret. supra, ep. 34. COMMVTATIONES *dominorum* } ep. 19. de eadem re sic. Iucunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum illud, quasi consecratum, remanere possit. quo in loco uide nostram interpretationem. VT *posteritas habeat religionem* } ut posteri illud cum religione conseruent. quod in uilla fortasse non facerent: in qua fanum aedificatum nescio an eadem religione tuerentur. forte enim ex fano rursus uillam facerent studio habitandi. RES, *locus, institutum* } ut fanum fiat, ubi fiat, quale fiat. explano enim, Institutum, fani genus a nobis designatum. nam & supra, ep. 18. ubi plane idem dicit, Neque, inquit, de genere dubito; placet enim mihi Cluatij. neque de re; statutum est. n. de loco non numquam. EAM *effugere* } ne in legis poenam incidamus, si pecuniae plus in hoc monumentum erogabimus, quam quod lex concedit. SI *tibi placebit sic agere &c.* } coepimus agere de fano aedificando: nescio, an idem consilium tibi placeat, ut scilicet fanum filiae faciam pietatis ergo: sed, si placet, cohortare & exacue Cluatium architectum, ut in hac re suo nos consilio iuuare uelit.

Cicero S. D. Attico. 36.

A TE heri duas epistolas accepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die tabellario: accepiq. ab Aegypta litteras eodem die, Piliam, & Atticam plane belle se habere. tuae litterae mihi redditae sunt tertiodecimo die. Quod mihi Bruti litteras, gratũ. ad me quoque misit. eam ipsam ad te epistolam misi, & ad eam exemplum mearum litterarum. De fano, si nihil mihi hortorum inuenis; qui quidem tibi inueniendi sunt, si me tanti facis, quanti certe facis; ualde probo rationem tuam de Tusculano. quamuis prudens ad cogitandum sis, sicut es: tamen, nisi magnae curae tibi esset, ut ego consequerer id, quod magnopere uellem, numquam ea res tibi tam belle in mentem uenire potuisset. sed nescio quo pacto celebritatem requiro: itaque hortos mihi conficias, necesse est. maxima est in Scapulae celebritas, propinquitas praeterea ubi sis, ne totum diẽ in uillam. quare, antequam discedit, Othonem, si Romae est, conuenias peruelim. si nihil erit, etsi tu meam stultitiam consuesti ferre, eo tamen progrediar, ut mihi stomachere. Drusus enim certe uendere uult. si ergo aliud erit, non mea erit culpa, nisi emero? qua in re ne labar, quaeso prouide. prouidendi autem una ratio est, si quid de Scapulanis possumus. Et uelim me certiorem facias, quam diu in suburbano sis futurus. Apud Terentiam gratia opus est nobis, tuaq. auctoritate. sed facies, ut uidebitur. scio enim, si quid mea intersit, tibi maiori curae solere esse, quam mihi. Hirtius ad me scripsit, Sex. Pompeium Corduba exisse, & fugisse in Hispaniam citeriorem, Cnaeum fugisse nescio quo: neque enim curo: nihil praeterea. noui litteras Narbone dedit XIV. Kal. Mai. Tu mihi de Caninij naufragio, quasi dubia re, misisti. scribas igitur, si quid erit certius. Quod me a maestitia auocas, multum proficies, si locum fano dederis. multa mihi εἰς ἀποθέωσιν in mentem ueniunt: sed loco ualde opus est. quare etiam Othonem uide. Vale.

EXPLANATIO

AD *uillam* } in suburbano. nam infra, Velim certiorem me facias, quam diu in suburbano sis futurus quo se contulit rationum caussa. deinde easdem rationes cogitauit se posse Romae conficere, si se domi includeret: itaque in urbem redijt. ep. 42. & 43. TVAE *litterae mihi redditae sunt tertiodecimo die.* } Hoc totum librarius, aut quicumque ille fuit, qui Ciceronis epistolas retulit in uolumina, translatum ex alia epistola, per ignorantiã hic intexuit. cum enim Cicero esset in Antiati, Atticus Romae, uel in suburbano; simile ueri non est, tredecim dies eum, qui Attici litteras tulit, tantulo in itinere cõsumpsisse. sed esto: consumpserit nec opinata re impeditus: quid? non hanc tarditatem Cicero tenui saltem significatione attigisset? at ne litteram quidem posuit. itaque redeo ad illud, membrum esse ex alia epistola, translatum in hunc locum ignorantia eorum, qui Ciceronis epistolas in unum congesserunt. BRVTI *litteras* } ad Atticum scriptas. RATIONEM *tuam de Tusculano.* } consilium tuum, ut fanum in Tusculano faciamus, si in hortis non possumus. epist. 42. & 43. CELEBRITATEM } ut fanum celebri loco fiat. celebriores autem horti, quam Tusculanum, utpote qui propius urbem essent. IN *Scapulae* } subintelligitur, hortis: ut illud, epist. 42. Ex Apollodori puto posse inueniri: subaudi, hortis. Scapula hic decesserat, relictis aliquot heredibus: a quibus, Cicero sperabat fore, ut uenirent

horti Scapulani. PROPINQVITAS *praeterea, ubi sis* } praeter celebritatem hoc habent commodi, quod proxime Romam sunt. VBI *sis* } ubi sine incommodo esse possis: ut in ijs facile esse possis. NE *totum diem in uillam* } ne totum diem ponam, in uillam proficiscens; ne mihi semper totus dies sit in itinere consumendus, animi caussa dum ad uillam me confero. quasi dicat: Si quando urbis satietas me capit; ad aliquam mearum uillarum ire soleo: quae ita longe absunt, ut totum diem in uia ponam. quod si Scapulae hortos habebo; libentius in hortos exibo propter propinquitatem. eodem loquendi genere supra usus est, cum dixit: Itinera ita facit, ut multos dies in opidum ponat, epist. 18 lib. XI. OTHONEM } unum ex ijs, quos Scapula heredes reliquerat. SI *nihil erit*, } si nihil erit, quod emamus; tibi tamen non desinam molestus esse, ut aliquid inuenias, usque eo, ut meam stultitiam stomachere. Deinde incipit molestus esse, & infert: Drusus enim certe uendere uult: ut tua culpa futura sit, si nihil emamus: quãdoquidem uenales certe sunt horti Drusiani. SI *ergo aliud erit* } si, praeter Drusi hortos, aliquid inueniemus, quod uenale sit; id nisi emero, nõ mea erit culpa, sed tua. nam ego quidem, quod ad me attinet, saepissime te admonebo. Drusianos autem hortos Atticus minus probabat: itaq. aliud quaerebat. Paullo infra: De Drusi, inquit, hortis, quamuis ab ijs abhorreas, ut scribis; tamen eo confugiam, nisi quid inueneris. NE *labar* } ne, prolapsus cupiditate, multo pluris emam, quam quanti sint. Supra ep. 30. Cõcede, inquit, mihi, ut eo animo sim, quo is debeat esse, qui emere cupiat. & tamen seruio ita cupiditati, & dolori meo, ut a te regi uelim. PROVIDENDI *autem una ratio est, si quid de Scapulanis possumus* } quaerit aliquis caussam, cur haec una sit prouidendi ratio. respondeo sic: quia sperabat fore, ut Scapulani horti in auctione uenirent. quod si ita esset; labi non poterat, neque eos multo pluris emere, quã quanti essent. itaq. infra, epist. 39. De hortis, inquit, Scapulanis hoc uidetur effici posse, aliud tua gratia, aliud mea, ut praeconi subijciantur. id nisi fit, excludemur. APVD *Terentiam &c.* } Terentiam iam dimiserat: quippiam fortasse nunc significat de dote reddenda. CORDVBA *exisse*, } hac de re Hirtius lib. 6. commentariorum, haud ita procul ab extremo. NESCIO *quo* } Carteiam: ut auctor est idem Hirtius lib. 6. comm. fere in extremo. CANINII *naufragio* } de quo etiam epist. 45. his uerbis: Volo etiam scire de naufragio Caniniano quid sit. εἰς ἀποθέωσιν } ad consecrationem filiae. ETIAM *Othonem uide* } etiam: quasi, iterum: nam dixerat iam, Othonem conuenias peruelim. iterum, inquit, te admoneo de Othone conueniendo. nam, Vide, ualet conueni, & alloquere. ut illud libro 4. epist. 12. Grauiter se acturum cum Aquillio, confirmauit. uidebis ergo hominem. Et l. 12. epist. 14. Septimium uide. Et ibidem: Appuleium praediatorem uidebis.

Cicero S. D. Attico 37.

NON dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum. sed homo nequam, qui tuum commodum non exspectarit, cum ob eam unam caussam missus esset. nunc quidem, nisi quid te tenuit, suspicor esse in suburbano. at ego hic, scribendo dies totos, nihil equidem leuor, sed tamen aberro. Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato. quod Balbus minor nuper satis plane, Dolabella obscure, hic apertissime. ferrem grauiter, si nouae aegrimoniae locus esset. sed tamen quid impurius? o hominem cauendum: quamquã quidem. sed tenendus dolor est. Tu, quoniam necesse nihil est, sic scribes aliquid, si uacabis. Quod putas oportere prouideri iam animi mei firmitatem, grauiusq. quosdam scribis de me loqui, quam aut te scribere, aut Brutum: si, qui me fractum animo, & debilitatũ putant, sciant, quid litterarum, & cuius generis conficiam; credo, si modo homines sint, existiment me, siue ita leuatus sim, ut animum uacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse; siue hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima, doctoq. homine dignissima, laudari etiam oportere. sed, cum ego faciam omnia, quae facere possim ad me adiuuandum; tu effice id, quod uideo te nõ minus, quam me, laborare. hoc mihi debere uideor, neque leuari posse, nisi soluero, aut uidero me posse soluere, id est locum, qualem uolo, inuenero. Heredes Scapulae si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor factis, liceri cogitant: nihil est scilicet emptori loci. sin uenibunt: quid fieri possit, uidebimus. nam ille locus publicatus, qui est Treboni, & Cusinij, erat ad me allatus. sed scis aream esse. nullo pacto probo. Clodiae sane placent; sed non puto esse uenales. De Drusi hortis, quamuis ab ijs abhorreas, ut scribis; tamen eo confugiam, nisi quid inueneris. aedificatio me non mouet. nibil enim aliud aedificabo, nisi id, quod etiam si illos non habuero. Κῦρος mihi sic placuit, ut cetera Antisthenis, hominis acuti magis, quam eruditi. Vale.

EXP ANATIO

NOSTRO *cognato.* } fratris mei, & sororis tuae filio. qui erat in Hispania cum Caesare aduersus Pompeij liberos bellum gerente, & Ciceroni patruo detrahebat. fuisse autem in Hispania, constat non solum ex proxime sequentibus uerbis, sed etiam ex illis ep. 8. Cum a fratre familiaritate & omni gratia uinceretur. DOLABELLA *obscure*, } manifestum est, subintelligi uerbum, scripsit. scripsit autem ex Hispania. nam ei bello interfuit; ut aperte indicat illud 11. Philippica: Ter depugnauit Caesar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania. omnibus his pugnis affuit Dolabella, in Hispaniensi etiam uulnus accepit. Postea, cum in Italiam reuertisset, coram de Quincti maledictis & iniurijs cum

Cicerone

Cicerone locutus est epist. 9. lib. 13. FIRMITATEM, } nam imbecilliore animo uidebatur esse, qui filiae mortem tam diu lugeret. Quod putas, inquit, cogitandum mihi iam esse de animi mei firmitate. ADIVVANDVM; *tu effice &c.* } adiuuandum: dolore liberandum: quippe qui etiam consolatorium librum scripsit ad se ipsum. *Effice*: ut hortos habeam, ut, erecto monumento, filiam consecrare possim. Hoc *mihi debere uideor* } uideor fanum filiae debere, neque posse liberari, nisi id, quod debeo, soluero. Idem supra, Quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto. ep. 18. & 42. QVALEM *uolo* } mihi appositus uideatur ad filiam consecrandam. ISTOS *hortos* } Scapulanos. PARTIBVS *quattuor factis, liceri cogitant* } quattuor enim erant coheredes, Otho, Mustella, Crispus, Virgilius. ep. 42. h. lib. & 3. lib. 13. PVBLICATVS } ut publice uendatur. Et quod addit, Qui est Trebonij, & Cusinij: tũ non erat, sed fuerat: sicut & hortos Scapulae appellat, iam mortui. ERAT *ad me allatus* } optio mihi delata est emendi. SCIS *aream esse* } scis in eo aedificati nihil esse, quo maiore impensa fanum esset exstruendum. nam, si aedificati aliquid esset, ueteris aedificij materia ad fani constructionem utens, sumptum facerem multo minorem. PLACENT } horti. AEDIFICATIO } scribis, te abhorrere a Drusi hortis, quod minor in ijs, quam tu uelles, aedificatio sit. id, inquit Cicero, me non mouet. nam ego nihil ibi cogito aedificare, praeter fanum: quod omnino aedificaturus sum, etiam si illos non habuero. aedificationem autem uoluisset Atticus esse maiorem in hortis Drusi, ut in fanum deinde minus insumeretur; quippe quod ex ipsa aedificatione fieri posset, impensa multo minore, quam si materia fieret importata.

Cicero S. D. Attico. 38.

TABELLARIVS *cum ad me sine litteris tuis uenisset, existimaui, tibi eam caussam non scribendi fuisse, quod pridie scripsisses ea ipsa, ad quae rescripsi hac epistola. exspectaram tamen aliquid de litteris Asinij Pollionis. sed nimium ex meo otio tuum specto. quã quam tibi remitto, nisi quid necesse erit, necesse ne habeas scribere, nisi eris ualde otiosus. De tabellarijs facerem, quod suades, si essent ullae necessariae litterae, ut erant olim, cum, breuioribus diebus, tamen quotidie respondebant tempori tabellarij. & erat aliquid, Silius, Drusus, alia quaedam. nunc, nisi Otho exstitisset, quid scriberemus, non erat. id ipsum dilatum est: tamen alleuor, cum loquor tecum absens, multo etiam magis, cum tuas litteras lego. sed quoniam, & abes; (sic enim arbitror) & scribendi necessitas nulla est, conquiescent litterae, nisi quid noui exstiterit. Vale.*

EXPLANATIO

SVADES } suades, ut certos tabellarios instituam. RESPONDEBANT *tempori* } ibant, redibant ad utrumque nostrum, ea ipsa, qua exspectabantur, hora. ERAT *aliquid &c.* } erat quod scriberemus de Silio, de Druso, alijs praeterea de rebus. ID IPSVM *dilatum est* } scribere solebamus de Othone, idest de hortis Scapulanis. nunc etiam hoc argumentum litterarum ad aliquod tempus est ereptũ. abes enim, (erat autem in suburbano, ut patet ex ep. 36.) & Othonem, qui Romae est, de hortis colloqui non potes. ita sequitur, ut nec scribere de eo quidquam possis, donec in urbem redieris. TAMEN *alleuor* } etsi ad scribendum argumenti nihil habeo, quando idipsum de Othone dilatum est: scribo tamen, quia doloris acerbitatem minus sentio, cum tecum quasi loqui uideor.

Cicero S. D. Attico. 39.

QVALIS *futura sit Caesaris uituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit uitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. itaque misi librũ ad Muscam, ut tuis librarijs daret. uolo enim eum diuulgari: quod quo facilius fiat, imperabis tuis.* συμβουλευτικὸν *saepe conor: nihil reperio: & quidem mecũ habeo &* Ἀριστοτέλους, *&* Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον: *sed quid simile? illi, quae & ipsis honesta essent, scribebant, & grata Alexandro. ecquid tu eiusmodi reperis? mihi quidem nihil in mentem uenit. Quod scribis te uereri, ne & gratia, & auctoritas nostra hoc meo maerore minuatur: ego, quid homines aut reprehendãt, aut postulent, nescio. ne doleam? qui potest? ne iaceam? quis umquam minus? dum tua me domus leuabat, quis a me exclusus? quis uenit, qui offenderetur? Asturam sum a te profectus. legere isti laeti, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quam ego scripsi. quam bene, nihil ad rem. sed genus scribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere posset. triginta dies in hortis fui. quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desiderauit? nunc ipsum, ea lego, ea scribo, ut ij, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quam ego laborem. si quis requirit, cur Romae non sim: quia discessus est: cur non sim in his meis praediolis, quae sunt huius temporis: quia frequentiam illam non facile ferrem. ibi sum igitur, ubi is, qui optimas Baias habebat, quotannis hoc tempus consumere solebat. cum Romam uenero, nec uultu, nec oratione reprehendar. hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi. constantia, & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. De hortis Scapulanis hoc uidetur effici posse, aliud tua gratia, aliud nostra, ut praeconi subijciantur. id nisi fit, excludemur. sin ad tabulam uenimus, uincemus facultates Othonis nostra cupiditate. Nam quod ad*

me de Lentulo scribis, non est in eo. Faberiana modo res certa sit, tuq. enitare, quod facis: quod uolumus, consequemur. Quod quaeris, quam diu hic: paucos dies: sed certum non habeo: simul ac constituero, ad te scribam: & tu ad me, quamdiu in suburbano sis futurus. quo die ego ad te haec misi, de Pilia, & Attica mihi quoque eadem, quae scribis, & scribuntur, & nunciantur. Vale.

EXPLANATIO

CAESARIS *uituperatio* } liber a Caesare scriptus contra Catonem, Ciceronis libro laudatum. Infra ep. 40. Hirtij epistola quasi *πρόπλασμα* uidetur eius uituperationis, quam Caesar scripsit de Catone. Laudationem suam Cicero inscripsit, Cato; uituperationem Caesar, Anticatones. PERSPEXI *ex eo libro* } ex Hirtij libro contra Catonem scripto coniiciebat Cicero, qualis esset futura Caesaris uituperatio. cum enim in suo libro Hirtius collegisset uitia Catonis, sed cum maximis Ciceronis laudibus; Caesar autem eum librum uidisset, (neque enim aliter putandum est; cum Hirtius cum Caesare esset, in Hispania bellum gerente) magno id erat argumento, eas Ciceronis laudes Caesarem probasse. alioqui exire librum passus non esset; neque Hirtio permisisset, ut ad Ciceronem mitteret. ex eo coniecturam Cicero capiebat, Caesarẽ acerbius in se nihil scripsisse in suo libro, cuius laudes in alieno probasset. *συμβουλευτικὸν saepe conor:* } saepe conor aliquid ad Caesarem scribere de ordinanda republica. *συμβουλευτικὸν.* consilij plenum, quod deliberationem contineat. EIVSMODI } nam, si dixero, quae mihi honesta sint; illi grata non erunt: rursus si, quae illi grata; mea persona minus digna uidebuntur. DVM *tua me domus leuabat,* } si, dum tuae domi fui, nemo est a me exclusus; nemo umquam ad me uenit; quin comiter & humaniter acciperetur: quid est; cur me quisquam dicat dolore uictum iacere? quando neque, dum apud te fui, quemquam seuerius accepi; neque, dum Asturae, cessaui, sed & multa scripsi, & eius generis, quod certe abiecto animo facere nemo posset. LEVABAT } delectabat. nam domi suae Cicero non sine summo dolore potuisset esse, quae memoriam amissae filiae repraesentaret. eademq. caussa Tusculanum, quasi admonitionem Tulliolae, refugiebat: ut infra epist. 44. NVNC *ipsum* } similiter locutus est epist. 3. lib. 7. & 9. lib. 8. & 16. h. lib. DISCESSVS } post xvi. Kal. Februarij, senatores plerique Roma discedebant: quod senatus reliquis Ianuarij diebus per legem Pupiam haberi non poterat, ac ne Februario quidem toto, nisi perfectis, aut reiectis legationibus. Ad Appium lib. 3. fam. In ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras. HVIVS *temporis* } apti ad oblectandũ. hilaritatis enim tempus illud erat, quo senatores, laxati a curis, animi caussa exibant. IS, *qui optimas Baias habebat* } qui se tamen huc, suis Baijs omissis, quotannis conferebat; quod hunc recessum amaret, Baianam illam frequentiam fugeret. quem significet, diuinare non facile est. ALIVD *tua gratia, aliud nostra,* } partim tua gratia, partim nostra. EXCLVDEMVR } uerebatur, ne heredes Scapulae hortos Scapulanos praeconi non subijcerent, sed ipsi inter se licerentur, omnibus exclusis. Si igitur, inquit, praeconi non subijciuntur, ego excludor. & supra ep. 37. Heredes Scapulae si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor factis liceri cogitant; nihil est scilicet emptori loci. SIN *ad tabulam uenimus* } sin praeconi subijcientur, & auctio fiet. nam, Tabulam, posuit pro auctione; quod auctionis signum tabula figebatur. In oratione pro Caecina, Aebutio, inquit, negotium datur. adest ad tabulam, licetur Aebutius. OTHONIS } Scapulae heredis, qui & ipse ad hortorum emptionem animum adiecerat. Quamquam, inquit, locuples sit Otho; tamen mea cupiditatas efficiet, ut eum in auctione uincã. infra ep. 42. De Othone, diffido, fortasse quia cupio: sed tamen maior etiam res est, quam facultates nostrae, praesertim aduersario & cupido, & locuplete, & herede. & epist. 46. Difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede. & ep. 29. Si Faberius nobis nomen illud explicat: noli quaerere, quãti: Othonem uincas uolo. DE *Lentulo &c.* } quod scribis, uidendum esse, ut a Lentulo exigamus: res in eo non est: id parui refert: magis laborandũ de pecunia Faberiana: quam si exigimus, quod uelim enitare; consequemur quod uolumus, ut hortos habeamus. Faberiani nominis cum alibi supra, tum ep. 28. mentionem facit his uerbis: Cum ijs communices, quantopere, & quare uelim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum.

Cicero S. D. Attico 40.

NIHIL *erat, quod scriberem: scire tamen uolebam, ubi esses: si abes, aut absuturus es, quando rediturus esses. facias igitur me certiorẽ. Et quod tu scire uolebas, ego quando ex hoc loco: postridie idnum Lanuuij constitui manere, inde postridie in Tusculano, aut Romae. utrum sim facturus, eo ipso die scies. Scis, quam sit φιλαίτιον συμφορά, minime in te quidem: sed tamen auide sum affectus de fano: quod nisi, non dico, effectum erit, sed fieri uidero; audebo hoc dicere, & tu, ut soles, accipies: incursabit in te dolor meus, is iure ille quidẽ, sed tamen feres hoc ipsum, quod scribo, ut omnia mea fers, ac tulisti. omnes tuas consolationes unam hanc in rem uelim conferas. si quaeris, quid optem: primum Scapulae, deinde Clodiae, postea, si Silius nolet, Drusus aget iniuste, Cusinij, & Treboni. puto Terentium esse dominum, Rebilum fuisse certo scio. sin autem tibi Tusculanum placet, ut significasti quibusdam litteris: tibi assentiar. hoc quidem utique perficies, si me leuari uis; quem iam etiam grauius accusas, quam patitur tua consuetudo: sed facis summo amore, & uictus*

fortasse

fortasse ultio meo. sed tamen, si me leuari uis, haec sum ma leuatio, uel, si uerum scire uis, una. Hirtij epistolam si legeris, quae mihi quasi πρόπλασμα uidetur eius uituperationis, quam Caesar scripsit de Catone; facias me, quid tibi uisum sit, si tibi erit commodum, certiorem. Redeo ad fanum. nisi hac aestate absolutum erit, quam uides integram restare; scelere me liberatum non putabo. Vale.

EXPLANATIO

QVAM *sit* φιλαίτιον συμφορά. } quam sit querula res calamitas: quam facile querantur, qui in calamitate sunt. Tacite Atticum hortatur, ut de fano maiorem adhibeat diligentiam; cum sciat, quã sit φιλαίτιον συμφορά. quod apertius paullo post: Nisi fanum fieri uidero, incursabit in te dolor meus. MINIME *in te quidem* } minime ego quidem tecum queror: minime ego te accuso, quod hortos adhuc non inueneris; sed tamen ita auide sum affectus de fano, ut, nisi id fieri uidero, incursaturus in te sit dolor meus. OMNES *tuas &c.* } si me consolari uis, locum fano reperi. haec est una mei consolandi ratio. Paullo post: Si me leuari uis, haec est summa leuatio, uel, si uerum scire uis, una. AGET *iniuste,* } iniquum pretium poscet pro suis hortis. ep. 48. DOMINVM } hortorum Trebonij, & Cusinij. ep. 37. TVSCVLANVM *placet* } ubi fanum fiat. ep. 36. & 47. PERFICIES } ut locum habeamus aliquem, ubi fanum exstruere possimus. πρόπλασμα } praefigmentum, qualis, inquit, futura sit Caesaris uituperatio de Catone, perspicitur ex ea epistola, quam ad me Hirtius misit. Forte enim Hirtius in epistola idem faciebat, quod in libro suo, ut Catonem uituperaret cum laude Ciceronis. uide illud ep. 39. Perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit. SCELERE *me liberatum non putabo* } scelerati putantur, qui uota non soluunt. item Cicero scelere se adstrictum putabat, donec fanum, quod filiae manibus promiserat, non fecisset. infra ep. 42. Ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius uoti, obstrictum puto. supra ep. 18. Quasi uoto quodam, & promisso me teneri puto.

Cicero S. D. Attico. 41.

NVLLVM *a te desideraui diem litterarum. uidebam enim quae scribis: & tamen suspicor, uel potius intelligebam, nihil fuisse, quod scriberes ad v. id. uero & abesse te putabam, & plane uidebam, nihil te habere. ego tamen ad te fere quotidie mittam. malo enim frustra, quam te non habere, cui des; si quid forte sit, quod putes me scire oportere. itaque accepi vi. id. litteras tuas inanes. quid enim habebas, quod scriberes? mihi tamen illud, quidquid erat, non molestum fuit, nihil aliud scire me, noui te nihil habere. scripsisti tamen nescio quid de Clodia. ubi ergo ea est, aut quando uentura? placet mihi res sic, ut secundum Othonem nihil magis. sed neque hanc uendituram puto: delectatur enim, & copiosa est: & illud alterum quam sit difficile, te non fugit. sed obsecro enitamur, ut aliquid ad id, quod cupio, excogitemus. Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in Tusculanum, aut domum, inde fortasse Arpinum. cum certum sciero, scribam ad te. Venerat mihi in mentem monere te, ut id ipsum, quod facis, faceres. putabam enim commodius te idem istud domi agere posse, interpellatione sublata. Vale.*

EXPLANATIO

VIDEBAM *enim, quae scribis:* } cum uiderem quae scribis, te scilicet esse occupatissimum; nullum a te desideraui diem litterarum, hoc est, numquam desideraui, numquam exspectaui tuas litteras, & tamen etiam, te non habere quod scriberes, intelligebam. MITTAM }. aliquem ex meis, qui tibi a me litteras afferat; ut habeas, cui tuas ad me dare possis. NIHIL *aliud scire me, noui te nihil habere.* } scire me, noui te nihil habere, praeterea nihil. SCRIPSI *tamen* } rectius, ut ego existimo, Scripsisti tamen. quamquam, inquit, essent inanes tuae litterae; nescio quid tamen de Clodiae hortis habebant. RES *&c.* } horti Clodiae. uellem, inquit, Scapulanos hortos emere; secundum eos, Clodiae cuperẽ. SECVNDVM *Othonem* } hortorum Scapulae pars ad Othonem heredem peruenerat; ideo dicit, Secundum Othonem, pro secundum hortos Scapulae. quo modo & infra paullo post, Malim primum Othonis, deinde Clodiae; eosdem Scapulae hortos significans. ILLVD *alterum quam sit difficile,* } Scapulanos hortos habere, scis difficile esse. Cur difficile? quod & magni pretij res erat; & eorum hortorum quam partem Otho habebat, tantum aberat, ut uellet uendere, ut etiam a coheredibus reliquas partes emere cogitaret. difficile igitur erat Othonem in emptione uincere, qui & cupidus erat, & locuples, & heres. ep. 43. & 45. EXCOGITEMVS } si neque Clodiae, neque Othonis hortos consequi possumus; enitamur, ut aliud quippiam ad fanum excogitemus. Quod idem infra his uerbis: Si ista minus confici possunt, effice quiduis. AVT *domum* } Romam. supra epist. 40. VT *id ipsum, quod facis, faceres:* } ut domi te includeres rationum caussa. contulerat enim se Atticus in suburbanum, ut rationes suas

commo-

commodius posset conficere, interpellatione sublata. deinde uenit in mentem, idem illud Romae posse facere, si se domi includeret. itaq. fecit. epistola 43. 44. 45. & 46. COMMODIVS } Romae, quam in suburbano.

Cicero S. D. Attico. 42.

EGO postridie iduum, ut scripsi ad te ante, Lanuuij manere constitui, inde aut Romae, aut in Tusculano. scies ante utrumque. Quod scies recte illam rem fore leuamento; bene facis; cum id esset, mihi crede, perinde, ut existimare tu non posses. res indicat, quantopere id cupiam, cum tibi audeam confiteri, quem id non ita ualde probare arbitrer. sed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus? immo uero etiam adiuuandus. De Othone, diffido, fortasse quia cupio: sed tamen maior etiam res est, quam facultates nostrae, praesertim aduersario & cupido, & locuplete, & herede. Proximum est, ut uelim Clodiae. si ista minus confici possunt, effice quiduis: ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius uoti, obstrictum puto. uidebis etiam Trebonianos: etsi absunt domini. sed, ut ad te heri scripsi, considerabis etiam de Tusculano: ne aestas effluat: quod certe non est committendum. Vale.

EXPLANATIO

QVOD *scies recte illam rem &c.* } deprauatus locus: neque scripti libri dissentiunt ab impressis. quod si coniecturis locus esset, quas ego probare non soleo, nisi cum ad litteram admodum accedunt; legerem sic: Quod scribis, reri te, illam rem fore leuamento: bene facis, quamquam id esset, mihi crede, perinde, ut existimare tu nō posses, ut, Illam rem, fanum intelligas: & uerbum, Esset, referas ad dictionem Leuamento. In epistola ad Paetum similiter fere locutus est, cum inquit: Gaudeo perspectam tibi esse curam meam ualetudinis tuae: sed mihi crede, non, ut est reapse, ex litteris perspicere potuisti. PERINDE, *ut existimare tu non posses.* } maiori leuamento, quam tu existimare posses. DIFFIDO, } me posse eum uincere in hortorum licitatione. ep. 39. ADVERSARIO } Othone: qui & se eosdem Scapulae hortos a coheredibus suis emere uoluisset. infra ep. 46. Difficile certamen cum cupido, cu m locuplete, cum herede. ISTA } ut neque Scapulae possim, neque Clodiae hortos habere. MAIORE *religione &c.* } fanum, filiae manibus promissum, donec faciam, maiore me religione obstrictum puto, quam qui uota non persoluunt. ep. 18. & 19. TREBONIANOS } hortos, de quibus ep. 37. & 40. DOMINI } unum dominum nominat infra, in ep. 40. sed hic numero multitudinis unus est; quia, dominus quisnam esset, ignorabat. ut ep. 41. NE *aestas effluat* } considerandum tibi & de hortis, & de Tusculano: ut, si hortos nō inuenis, Tusculano utamur: ne aestas effluat: hoc est, ut omnino fanum hac aestate absoluatur. ep. 40. & 26. lib. 13.

Cicero S. D. Attico 43.

ET Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς de me scripsisse, facile patior, (fecit enim humane) & te eius epistolam ad me non misisse, multo facilius: tu enim etiam humanius. Illum librum, quem ad me misit de Catone, propterea uolo diuulgari ab tuis, ut ex istorum uituperatione sit illius maior laudatio. Quod per Mustellam agis; habes hominem ualde idoneum, meiq. sane studiosum iam inde a Pontiano. perfice igitur aliquid: quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori? quod per quemuis heredem potest effici. sed Mustellam id perfecturum, si rogaris, puto. Mihi uero & locum, quem opto, ad id, quod uolumus, dederis, & praeterea ἐγγύγραμμα. Nam illa Silij, & Drusi non satis οἰκοδεσποτικά mihi uidentur. quid. n. sedere totos dies in uilla ista? igitur malim primum Othonis, deinde Clodiae. si nihil fiet, aut Drusus ludus est suggerendus, aut utendum Tusculano. Quòd domi te inclusisti, ratione fecisti: sed quaeso confice, & te uacuum redde nobis. Ego hinc, ut scripsi antea, postridie idus Lanuuium, deinde postridie in Tusculano. contudi enim animum, & fortasse uici, si modo permansero. scies igitur fortasse cras, summum perendie. Sed quid est quaeso? Philotimus nec Cartini Pompeium teneri, (qua de re litterarum ad Clodium Patauinum missarum exemplum mihi Oppius, & Balbus miserant, se id factum arbitrari) bellumq. narrat reliquum satis magnum. solet omnino esse Fuluiaster: sed tamen, si quid habes, uolo etiam scire de naufragio Caniniano, quid sit. Vale.

EXPLANATIO

συμπαθῶς } ad indicandam similem animi affectionem accommodate. scripserat enim Hirtius, Ciceronis casum se dolere, de filiae morte. TV *enim etiam humanius* } nam, si illam epistolam misisses, meum

meum dolorem quasi tractando renouasses. ILLIVS *librum* } ep.38.& 45.ILLIVS *maior laudatio* } Catonis.AGIS,}de hortis.ep.46.& 50.A PONTIANO } a quo tempore eius amicum, uel affinem defendi Pontianum. VT *aditus sit emptori?* } ut in auctione ueneant.nam ad emptionem aditus est omnibus,cum quid per praeconem uenditur.uerebatur autem,ne coheredes ipsi inter se licerentur, omnibus exclusis.supra ep.37.Heredes,inquit,Scapulae si istos hortos liceri cogitant;nihil est scilicet emptori loci.sin uenibunt;quid fieri possit,uidebimus. & ep. 41. De hortis Scapulanis hoc uidetur effici posse,ut praeconi subijciantur.id nisi fit,excludemur.sin ad tabulam uenimus, uincemus facultates Othonis nostra cupiditate. PER *quemuis heredem* } ex quattuor heredibus Scapulae si unus modo, quilibet,adnitetur,ut horti Scapulani praeconi subijciantur;perficiat. MVSTELLAM } qui erat unus ex heredibus.ep.3.lib.13. ἐγγύγραμμα } ubi in senectute uiuam. οἰκοδεσποτικά. } non satis officio patris familiae conuenire.fortasse quia non essent ita fructuosi horti,ut Scapulani.fructum enim & utilitatem spectare debet paterfamilias. IN *uilla ista?* } sine fructu. OTHONIS } hortos,quos heres Otho cupit.ep.43. DRVSO *ludus est suggerendus* } aliquod malitiae genus est excogitandum, ut suos nobis hortos Drusus uendat aequiore pretio. pro hortis suis iniqua postulabat Drusus.quod indicare uidetur illud: Si Silius nollet,Drusus aget iniuste,ep.40.& quoniam,uenditorem artificio decipere cum uolumus, aliquem subornamus, qui pretium non nisi minimum promittat,ut ille sua spe deiectus ad aequiora descendat,& nobiscum transigat multo minoris,quam quanti prius dixerat;aut hoc,aut quippiam huius generis significat, cum dicit,Druso ludus est suggerendus. VTENDVM *Tusculano* } fanum in Tusculano faciundũ. ep.36.& 40. DOMI *te inclusisti,* } ut rationes conficeres.quod intelligit & supra ep.41.cum dicit:Venerat mihi in mentem monere te,ut idipsum,quod facis,faceres.putabam enim, commodius te idem istud domi agere posse interpellatione sublata.& infra ep.48.Velim scire,quid tibi restet. aut iam ne cõfeceris.CONTVDI *enim animum,* } cum abhorreret a Tusculano,quod quasi admonitio uideretur amissae filiae;suspensus & incertus per aliquot dies ancipiti consilio pependit,utrum Lanuuio in Tusculanum,an Romam se conferret:itaque epistola 40.Postridie inquit, Iduum Lanuuij constitui manere, inde postridie in Tusculano, aut Romae. & epistola 41. Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in Tusculanum,aut domum. & ibidem : Ego postridie Iduum Lanuuij manere constitui, inde aut Romae, aut in Tusculano. & epistola 26. libro 13. Proficiscar hinc : quo autem Lanuuio? conor equidem in Tusculanum;sed faciam te statim certiorem.Tandem uicit animum repugnãtem,& in Tusculanum profectus est.ep.41.& 42.CONTVDI *animum:*}pugnaui cum animo meo,& uici. Idem ep.45.Vincam,opinor,animum: Lanuuio pergam in Tusculanum. SI *modo permansero* } si modo in hac sententia permanebo,ut in Tusculanum eam.NEC *Cartini &c.* } narrabat Philotimus, tantum abesse ut Pompeius Cartini teneretur,ut etiam bellum esset adhuc satis magnum. *Cartini :* rectius puto, Carteiae:nam,Cartini,mendosa dictio uidetur;cum in Hispania,qui hoc nomine appelletur,locus omnino sit nullus.Carteia autem in extrema Baetica opidũ est ad mare Ibericum,quo Cn. Pompeius Magni filius ex fuga se recepit,magno proelio uictus a Caesare ad Mundam.auctor est,qui librum scripsit de bello Hispaniensi.TENERI}quia sine copijs exire non audebat:ad extremũ,seditione concitata,Carteiẽsium xxx naues longas occupauit,& profugit,auctor idem.QVA *de re &c.* }Clodius Patauinus acceperat litteras ex Hispania,Põpeium Carteiae teneri.SE *id factum arbitrari* } cum dicerent; quod in litteris ad Clodiũ missis esset scriptum,se id arbitrari,uere scriptum esse,ut Põpeius Carteiae teneretur.FVLVIASTER} Fuluio similis:solet Fuluium imitari,qui pro Pompeio facile mentiebatur.solet esse mendax pro Pompeio:itaq. nõ uidetur ei magnopere credendũ.ep.7.l.10. NAVFRAGIO *magna Caniniano*} ep.36.

Cicero S. D. Attico. 44.

EGo hic duo magna συντάγματα absolui; nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum. tu mihi,etiam si nihil erit, quod scribas, quod fore ita uideo;tamen id ipsum scribas uelim, te nihil habuisse, quod scriberes, dum modo ne his uerbis. De Attica,optime. ἀκηδία tua me mouet: etsi scribis nihil esse. In Tusculano eo commodius ero,quod & crebrius tuas litteras accipiebam, & te ipsum non numquam uidebam.nam ceteroqui ἀνεκτότερα erant Asturae:nec,quae refricant,hic me magis angunt.etsi tamen, ubicumque sum,illa sunt mecum.De Caesare uicino scripseram ad te,quia cognoram ex tuis litteris.eum σύνναον Quirini malo,quam Salutis.Tu uero peruulga Hirtium. id.n. ipsum putaram,quod scribis ut, cum ingenium amici nostri probaretur, ὑπόθεσις uituperandi Catonis irrideretur. Vale.

EXPLANATIO

EGo *hic*}Asturae adhuc erat,statim discessurus.DVO *magna συντάγματα* } duos libros Academicos,& quinque de Finibus: quae scripsit Caesare in Hispania bellũ gerente contra Pompeij liberos. ABERRARE}ep.37.Ego hic scribendo dies totos nihil equidem leuor,sed tamẽ aberro.OPTIME} quod ualet. supra de Atticae inualetudine. ἀκηδία } torpedo.scripserat enim Atticus,insolita quadam torpedine se teneri: quam graeco uerbo ἀκηδίαν nominauerat.est autem unum ex indicijs,quae morbum praenunciare dicit Hippocrates. ETSI *scribis nihil esse*}etsi scribis nullius periculi rem esse.ἀνεκτότερα}dolor ex interitu filiae tolerabilior Asturae,quam in Tusculano.Vt etiam ep.26.l.13.Locum habeo nullum, ubi facilius

cilius esse possim, quam Asturae. ERANT } quia discedere statim cogitabat, ideo dicit, Erant, licet adhuc esset Asturae. NEC *haec,* } si esset in Tusculano, ut quibusdam placuisse uideo ; cum illis arbitrarer particulam, Nec, mendosam esse, & affirmationem requiri potius, quam negationem. sed, cum dixerit Cicero, Ego hic duo magna σαωτάγματα absolui: apparet, cum Asturae adhuc esse. MAGIS *angunt &c.* } magis autem angunt in Tusculano, ex filiae recordatione: itaque ἀνιχτήρια hic erant. ETSI *tamen* } pro Quamquam. Cicero dixit Tamen etsi in epistola ad Plancium: Sed tamen etsi antea scripsi, quae existimaui scribi oportere; tamen hoc tempore breuiter commouendum putaui, ne quo periculo te proprio existimares esse. Quod si, Tamenetsi, pro tametsi ponitur: cur, Etsi tamen, reijciamus? praesertim cũ idem Cicero &, Etiam si, dixerit &, Si etiam, eodem sensu: ut in oratione de haruspicum responsis: Cuius si etiam uim, & grauitatem illam singularem ac paené diuinam assequi posses: tamen non dubito, quin ea tela &c. explano igitur. Etsi tamen, tametsi; uel, quod usitatius est, tametsi. ILLA } quae refricant dolorem. in Tusculano, inquit, magis angor: sed ubique tamen angor. ubique enim refricat amissae filiae recordatio, quamquam magis in Tusculano. DE *Caesare uicino &c.* } in colle Quirinali & Quirini templum erat, & Salutis aedes, Salutis augurium dicta. cum autem in Quirini templo statua Caesaris posita esset, cum hac inscriptione, θεῷ ἀνικήτῳ, ut scribit Dio l. 43. facere ominatur Cicero & ait, eum σύνναον Quirini malo, quam Salutis: idest, Salutis in templo Caesarem esse nolo, ut scilicet seruari ne possit; in Quirini uolo, ut ob tyrannidem, quemadmodum ille, crudeliter a ciuibus occidatur. Vicino autem intelligit Attici. & paullo post per iocum, Domum, inquit, tuam pluris uideo futuram uicino Caesare. Domum enim Atticus habebat in colle Quirinali, ab auunculo hereditate relictã, ut in ipsius uita Nepos tradit: & habebat prope Quirini templum, ut in primo de legibus scriptũ est: & P. Victor in VI. regione statim post templum Quirini collocat aedes Attici, eademq. in regione Salutis aedem statuit in colle Quirinali. unde illud ep. 1. l. 4. Tuae uicinae Salutis. σύνναον *Quirini* } infra ipse se explanat (ep. 28. l. 13.) cum dicit, hunc Quirini contubernalem. HIRTIVM: } librum ab Hirtio scriptum contra Catonem. AMICI *nostri* } Hirtij.

Cicero S. D. Attico. 45.

VINCAM, opinor, animum, & Lanuuio pergam in Tusculanum. aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est: (nam dolor idem manebit, tantum mediocrius) aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc ueniam, an ad decem annos. neque enim ista maior admonitio, quam quibus assidue conficior & dies, & noctes. quid ergo, inquies, nihil litterae? in hac quidem re, uereor, ne etiam contra. nam essem fortasse durior. exculto enim animo nihil agreste, nihil inhumanum est. Vale.

EXPLANATIO

VINCAM, *opinor, animum* } Tusculanum fugiebat; quod eius loci, ubi Tulliola perierat, adspectus renouare dolorem uideretur: itaque ep. 43. Contuli animum, & fortasse uici. & ep. 26. l. 13. Conor equidem in Tusculanum. non dixit Cogito. sed Conar, ut inuitus, & animo repugnante. Sic & Plautus locutus in Mil. Nunc hoc mihi ignoscas, quaeso. Pe. uincam animum meum. Et in Pseu. Quo pacto possim animum uincere? Et in Trin. Tu si animum uicisti, potius quam animus te est, quod gaudeas. FVNDO *illo* } Tusculano. MANEBIT } aeternus erit. erit quidem dolor meus uitae aequalis, tantum aliquanto leuior: dies enim mitigabit. quod si Tusculanum, quasi admonitionem filiae, refugio: aut eo mihi numquam eundum est: (nam dolor idem manebit) aut, si iturus aliquando sum, nescio quid intersit, utrum nunc eam, an ad decem annos? ADMONITIO } Tusculanum. cuius adspectus admonitio quaedam amissae filiae uidebatur. non est, inquit, grauioris dolor, quem ex Tusculani conspectu capio, quam qui me dies noctesq. conficit. QVIBVS *assidue &c.* } quae erant istae admonitiones, quibus assidue Cicero conficiebatur? uirtutes Tulliolae.

Cicero S. D. Attico. 46.

TV igitur, ut scripsisti, nec id incommodo tuo. uel binae enim poterunt litterae. occurram etiam, si necesse erit. ergo id quidem, ut poteris. De Mustela, ut scribis. etsi magnum opus est. eo magis delabor ad Clodiam. quamquam in utroque Faberionum nomen explorandum est. de quo, nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus, & quidem, ut res est, emere nos uelle, nec posse sine isto nomine, nec audere incerto. sed quando Clodia Romae futura est, & quia tanti rem aestimas; eo prorsus specto; non quid illud malim; sed & magna res est, & difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede. etsi de cupiditate nemini concedam: ceteris rebus infirmiores sumus. sed haec coram. Hirtij librum, ut facis, diuulga. De Philotimo, idem & ego arbitrabar, Domum tuam pluris uideo futuram uicino Caesare. Tabellarium meum hodie exspectamus. nos de Pilia, & Attica certiores facit. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

TV *igitur*,} subaudi, ad me uenies. VEL *binae*} prius quam ad me uenias, uel binas uterque dare litteras poterimus. OCCVRRAM} ueniam ipse ad te, si tu ad me minus commode poteris. MAGNVM *opus est*} ut Scapulanos hortos habeamus: primum, quod emptori esse aditum heredes no lunt. (ep.37.) deinde, quod, etiam si permittant, mihi tamen in auctione certamen impendet cũ Othone, idest, cum cupido, cum locuplete, cum herede. ep.46. AD *Clodiam*} ut potius de Clodianis hortis cogitem. EXPLORANDVM *est*} uidendum, quid de eo nomine sperare possimus; sine quo neutrum possemus, neque Scapulae hortos emere, neque Clodiae. CVM *Balbo*} quo adiuuante, nomen Faberianum facile potuisset expediri: quod, absente Caesare, cum Oppio remp. administrabat; &, quae illi egissent, Caesar omnia probabat. supra ep.28. Communices, inquit, cum Balbo, & Oppio, quantopere, & quare uelim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum. NEC *audere incerto*} non audeo hortos emere, incerto illo nomine, hoc est, nisi certus sim pecuniam a Faberio futuram. QVIA *tanti rem aestimas*} hic aliquis exponeret: quia scribis, Clodiae tibi hortos ualde probari. ego malo sic: quia scribis, Clodiae hortos multo minoris esse, quam Scapulae: adductus in hanc sententiam ab ipso Cicerone; qui se ipse interpretatur ep.29. lib.13. A Clodia, inquit, sperare uideor ob eam caussam, quod & multo minoris sunt, & Dolabellae nomen iam expeditum uidetur. At relatiuum, Tanti, numquid potest ad paruitatem referri? potest: & exemplum est ep.38. interpretatione nostra satis illustratum. ILLVD} hortos Scapulanos. MAGNA *res est*,} magni pretij. CVM *cupido &c.*} Othonem intelligit, unum ex coheredibus; qui & ipse eosdem hortos cupiebat. ep.39. & 41. HIRTII *librum*} in quo colligit uitia Catonis. ep.38. & 43. ARBITRABAR} eum esse mendacem, & illa, quae dixit de Pompeio, uera non esse. ep.43. Solet omnino esse Fuluiaster. PLVRIS *uideo futuram*} uideo fore ut pluris aestimetur. Iocatur. VICINO *Caesare*} non quod ille prope te habitet, sed quod eius statua sit in templo Quirini, a quo templo non longe abest tua domus. ep.43.

Cicero S. D. Attico. 47.

DOMI te libenter esse, facile credo: sed uelim scire, quid tibi restet, aut ix ne confecerim. ego te in Tusculano exspecto, eoq. magis, quod Tironi statim te uenturum scripsisti, & addidisti, te putare opus esse. sentiebã omnino, quãtum mihi praesens prodesses; sed multo magis post discessum tuum sentio. quamobrem, ut ante ad te scripsi, aut ego ad te totus, aut tu ad me, quot licebit. Vale.

EXPLANATIO

CONFECERIS} rationes. ep.41. & 42. TOTVS} cum uniuersa familia. QVOD *licebit*} quot, in antiquis libris: & mandaui meis, ut ita imprimerent. ego, Quotus, ut dicat, Tu ad me, quotus licebit. pro, cũ tot comitibus, quot mea uilla poterit recipere. unde illud apud Horatium in epistola ad Torquatum:

„ Tu quotus esse uelis, rescribe; &, rebus omissis,
„ Atria seruantem postico falle clientem.

Quotus esse uelis, dixit, idest, quot comites uelis tecum adducere. Et Martialis: Dic, quotus es, quanti cupias cenare: eodem sensu.

Cicero S. D. Attico. 48.

HERI non multo post, quam tu a me discessisti, puto, quidam urbani, ut uidebantur, ad me mãdata, & litteras attulerunt a C. Mario C. F. cum multis uerbis agere mecum per cognationem, quae mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi, aui sui, ut se defenderem: caussamq. suam mihi perscripsit. rescripsi, patrono illi nihil opus esse, quoniam Caesaris, propinquis eius, omnis potestas esset, uiri optimi, & hominis liberalissimi: me tamen ei futurum. O tempora: fore, cum dubitet Curtius consulatum petere? Sed haec hactenus. De Tirone mihi curae est: sed iam sciam, quid agat. heri enim misi, qui uideret: cui etiam ad te litteras dedi. Epistolam ad Caesarẽ tibi misi. Horti quam in diem proscripti sint, uelim ad me scribas. Vale.

EXPLANATIO

COGNATIONEM,} quia Ciceronis auus amitam C. Marij septies consulis in matrimonio habuerat. L. 3. de legibus. QVEM *scripsissem*} Cicero scripsit, uersibus librũ de C. Mario, eumq. inscripsit, Marius. l.1. de legibus. L. CRASSI, *aui sui*} L. Licinij Crassi, oratoris eloquentissimi, qui consul fuit cũ Q. Mutio Scaeuola. Aui sui: materni. etiam ep.8. l.13. appellat eum L. Crassi nepotem. VT *se defenderem*}

contra eos, qui negabant C. Marij nepotem esse. Est autem hic Erophilus ille Equarius medicus, de quo mentionem facit Valerius c. 16. l. 9. quem Caesar extra Italiam relegauit, doctus non C. Marij nepotem esse, sed Erophilum quendam Equarium. cui deinde post mortem Caesaris uncum esse impactum, quod de trucidando senatu cogitasset, scribit Cicero Philipp. 1. quod etiam significat in ep. 8. l. 14. PROPINQVI *eius* } C. Marius, ille septem consularibus insignis, uxorem duxit Iuliam Caesaris amitam, ideo propinquum eius Caesarem appellat. Plutarchus in Mario, & Caesare, & Suetonius in Iulio; qui, eam a Caesare pro Rostris laudatam, scriptum reliquit: quod & Plutarchus tradidit. O TEMPORA, *&c.* } scripserat Atticus aut sic, aut in hanc fere sententiam: Curtius consulatum uellet, sed dubitat petere. O tempora, inquit Cicero cum indignatione: fore, cum dubitet Curtius consulatum petere? quasi dicat: Curtius igitur consulatum uellet? infimi igitur homines de consulatu cogitant? o tempora. FORE } uerbum per se positum, & est figura ἀποσιώπησιν quam appellat Quinctilianus: quam fere solemus usurpare, cum quid indignantes pronunciamus: quale illud apud Virgilium, Me ne incepto desistere, uictam? EPISTOLAM *ad Caesarem tibi misi,* } ut mihi rescriberes, quid & tibi, & istis uideretur. Illa epistola Caesarem Cicero ad Parthicum bellum cohortabatur. ep. 2. & 34. HORTI } Scapulani: quorum auctio futura erat. paullo post: De Virgilio, ut scribis, hoc tamen uelim scire, quando auctio.

Cicero S. D. Attico. 49.

VT me leuarat tuus aduentus, sic discessus afflixit. quare, cum poteris, id est cum Sexti auctioni operam dederit, reuises nos. uel unus dies mihi erit utilis, quid dicam, gratus? ipse Romam uenirem, ut una essemus, si satis consilium quadam de re haberem. Vale.

EXPLANATIO

SEXTI *auctioni* } Sex. Peducaeus, Attici amicissimus, quippiam in auctione uenditurus erat, Attico auctionem curante amicitiae caussa. ep. 50. h. lib. & 2. l. 13. QVID *dicam, gratus?* } nedum gratus.

Cicero S. D. Attico 50.

TIRONEM habeo citius, quam uerebar. uenit etiam Nicias: & Valerium hodie audiebam esse uenturum. quamuis multi sint, magis tamen ero solus, quam si unus esses. sed exspecto te a Peducaeo utique. tu autem significas aliquid, etiam ante uerum id quidem, ut poteris. De Virgilio, ut scribis, hoc tamen uelim scire, quando auctio. Epistolam ad Caesarem mitti, uideo tibi placere. quid quaeris? mihi quoque idem maxime placuit, & eo magis, quod nihil est in ea, nisi optimis ciuis, sed ita optimi ut tempora, quibus parere omnes πολιτικοὶ praecipiunt. sed scis nobis esse uisum, ut isti ante legerent. tu igitur id curabis. sed, nisi plane ijs intelliges placere, mittenda non est. id autem utrum illi sentiant, an uero simulent, tu intelliges. sed mihi simulatio pro repudiatione fuerit, τοῦτο δὲ μυλώσῃ. De Caerellia quid tibi placeret, Tiro mihi narrauit: debere non esse dignitatis meae: perscriptionem tibi placere: hoc metuere, alterum in metu non ponere. sed & haec, & multa alia coram. sustinenda tamen, si tibi uidebitur, solutio est nominis Caerelliani, dum & de Metone, & de Faberio sciam. Vale.

EXPLANATIO

SI *unus esses.* } si te unum haberem, minus solus essem, quam cum multos habeo. maiorem enim ex tuo unius, quam ex multorum sermone delectationem capio. A PEDVCAEO } post auctionem Peducaei. ut ep. 30. l. 13. Ab ea igitur. ETIAM *ante* } non nihil significas, te esse uenturum etiam ante Peducaei auctionē. QVANDO *auctio.* } hortorum Scapulanorum. nam Virgilius unus ex coheredibus Scapulanis, quod infra, ep. 26. l. 13. non obscure perspicitur. scribit enim sic: De Virgilij parte ualde probo. sic ages igitur. & quidem id erit primum, proximum Clodiae. ep. 48. Horti quam in diem proscripti sint, uelim ad me scribas. VT *tempora,* } ut postulant tempora. nihil enim scripsi in epistola, nisi quod optimum ciuem deceret, sed ut temporibus tamen paruerim. quasi dicat: non plane tamen, quod sentiebā, edidi. quid agas? tempora ita ferunt. De eadem epistola paullo ante: ISTI } Caesariani. SIMVLATIO } nam, si eos simulare senseris, pro eo accipiam, quasi epistolam repudiarint. DE *Caerellia* } cui debebat. ep. 21. l. 13. haec est, quam epistolarum, quae Familiares uocantur, l. 13. commendat P. Seruilio. PERSCRIPTIONEM } solutionem. perscribemus enim in tabulis, cui data pecunia sit. HOC *metuere* } uereris, ne sit contra dignitatem meam, si ego diutiu debeam. ALTERVM } perscriptionem. non metuis, ne non sit, unde soluamus. Ita locutus ep. 21. l. 14. SVSTINENDA *solutio* } uidendum nobis est, ut ne Caerelliae prius soluamus, quam de Metone & Faberio, debitoribus nostris, sciamus; uidelicet, an possint & ipsi nobis soluere, & id quando uelint.

Cicero S. D. Attico. 51.

L. TVLLIVM *Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. ab eius sororis uiro litteras accepi, Montanum Planco debere, quod praes pro Flaminio sit, HS xx; de ea re nescio quid te a Montano rogatum. sane uelim, siue Plancus est rogandus, siue qua re potes illum iuuare, iuues. pertinet ad nostrum officium. si res tibi forte notior est, quam mihi; aut si Plancum rogandum putas, scribas ad me uelim; ut, quid rei sit, & quid rogandum, sciam. De epistola ad Caesarem quid egeris, exspecto. De Silio, non ita sane laboro. tu mihi aut Scapulanos, aut Clodianos efficias, necesse est. sed nescio quid uideris dubitare de Clodia; utrū, quando ueniat, an, sint ne uenales? Sed quid est, quod audio, Spintherē fecisse diuortiū? De lingua latina securi es animi, dices, qui talia conscribis. ἀπόγραφα sunt: minore labore fiunt: uerba tantum affero, quibus abundo. Vale.*

EXPLANATIO

PROFECTVS *est.* } Athenas. PRAES *pro Flaminio* } ep. 16. l. 14. QVID *egeris*, } num ostenderis ijs, quibus scis ostendi me uelle. DE *Silio* } de hortis Silij, supra. SPINTHEREM } opinor intelligi filium P. Cornelij Lentuli, eius, quem ab assecla quodam Spintheris cognomen sumpsisse Valerius tradit. nam pater iam perierat, ut in libro de claris oratoribus. & Spintheris cognomine filiū quoque Plutarchus appellat in Caesare. ep. 10. l. 13. & xi. l. 14. SECVRI *es animi*, } non laboras. Libros de philosophia his temporibus Cicero scribebat: quorum argumentum & sententias fere sumebat a Graecis; uerbis utebatur non admodum consuetudine tritis, cum Graecorum uerborum uim exprimere Latinis uerbis cogeretur, idq. consequi non posset usitatis: ut in eo nimium libertatis assumens, de lingua Latina minimum laborare uideretur. TALIA } de philosophia. quos autem libros, nō scribit: quod, tam prope cum essent, ut non modo per litteras, sed etiam praesentes saepe colloquerentur, nominare uidebatur esse minus necessarium. *ἀπόγραφα sunt* } haec quae scribo, non scribo cum labore, cum e Graecorum libris descripta transferam in meos. VERBA *tantum affero* } uerba affero de meo, res mutuor a Graecis.

Cicero S. D. Attico. 52.

EGo, etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui uideor. Hic nobiscū sunt Nicias, & Valerius. hodie tuas litteras exspectabamus matutinas. erunt fortasse alterae pomeridianae; nisi te Epiroticae litterae impedient: quas ego non interpello. Misi ad te epistolas ad Martianum, & ad Montanū. eas in eundem fasciculum uelim addas, nisi forte iam dedisti. Vale.

EXPLANATIO

EPIROTICAE *litterae* } quas in Epirum scribis tuorum negotiorum caussa. Forte autem, Litterae, abundat. aptius certe ad breuitatem, Ciceroni in his epistolis familiarem, uideretur. FASCICVLVM } quem in Epirum mittis, ut ex Epiro deinde Athenas deferantur. nam Athenis erant Martianus, & Montanus cum Cicerone filio. DEDISTI } fasciculum, in Epirum perferendum.




IN · EPISTOLARVM M · TVLLII · CICERONIS AD T · POMPONIVM · ATTICVM LIBRVM . XIII.

PAVLLI . MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.



D Ciceronem ita scripsisti, ut neque seuerius, neque temperatius scribi potuerit, nec magis, quam quemadmodum ego maxime uellem. prudentissime etiam ad Tullios. quare aut ista proficient, aut aliud agamus. De pecunia uero, uideo a te omnem diligentiam adhiberi, uel potius iam adhibitam : &, si efficis, a te hortos habebo. nec uero ullum genus possessionis est, quod malim, maxime scilicet ob eam caussam, quae suscepta est; cuius festinationem mihi tollis, quoniam de aestate polliceris, uel potius recipis : deinde etiam ad κατάστασιν, maestitiamq. minuendam nihil mihi reperiri potest aptius. cui rei cupiditas impellit me interdum, ut te hortari uelim. sed me ipse reuoco. non enim dubito, quin, quod me ualde uelle putes, in eo tu me ipsum cupiditate uincas. itaque istuc iam profecto habeo. Exspecto, quid istis placeat de epistola ad Caesarem. Nicias te, ut debet, amat, uehementerq. tua sui memoria delectatur. Ego uero Peducaeum nostrum uehementer diligo. nam & quanti patrem feci, totum in hunc: ipsum per se aeque amo, atque illum amaui: te uero plurimum, qui hoc ab utroque nostrum fieri uelis. Si hortos inspexeris, et, si de epistola certiorem me feceris, dederis mihi quod ad te scribam: sin minus, scribam tamen aliquid : numquam enim deerit. Vale.

EXPLANATIO



CICERONEM } filium. SEVERIVS } obiurgans eum, quod immoderatos sumptus faceret. quod indicat illud, ep. 46. Turpe est nobis illum, qualiscumque est, hoc primo anno egere: post moderabimur diligentius. MAGIS, *quam quemadmodum* } dictio, Quam; uidetur abundare. sic infra, Nec in hac quidem re quidquam magis, ut uellē, accidere potuit. TVLLIOS } Martianum, & Montanum, qui cum Cicerone filio Athenis erant. quod illud ostendit, epist. 50. l. 12. L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est: epist. 52. ibidem. Et illud : Misi ad te epistolas ad Martianum, & Montanum. AVT *ista proficient* } ista, haec diligentia, qua tu in litteris tuis ad Ciceronem & ad Tullios usus es. Proficient: ut Cicero in sumptibus sit restrictior. DE *pecunia* } a debitoribus exigenda, ut hortos emere posset. OB *eam caussam, quae suscepta est* } ob fanum, quo filiam consecrare deliberatum est. CVIVS *festinationem mihi tollis* } non uis me festinare, neque pateris ut ego te urgeam, cum hac aestate nos,

nos, quod uolumus, habituros affirmes. Istis *placeat* } istis: Caesarianis. placeat: mittenda sit ad Caesarem, necne. epist. 49. Nicias } hic erat apud Ciceronem. ep. 25. & 52. l. 12. Quanti *patrem feci* } cuius quaestor Cicero fuero fuerat in Sicilia, auctore Pediano. Et *si de epistola* } ad Caesarem: de qua paullo ante.

Cicero S. D. Attico. 2.

Gratior mihi celeritas tua, quam ipsa res. quid enim indignius? sed iam ad ista obdurui-mus, & humanitatem omnem exsuimus. Tuas litteras hodie exspectabam, nihil equidem ut ex ijs noui: quid enim? uerumtamen. Oppio, & Balbo epistolas deferri iubebis: & tamē Pisonem sicubi de auro. Faberius si uenerit, uidebis, ut tantum attribuatur, si modo attribuetur, quantum debetur. accipies ab Erote. Ariarathes Ariobarzanis filius Romam uenit. uult, opinor, regnum aliquod emere a Caesare. nam, quo modo nunc est, pedē ubi ponat in suo, non habet. omnino eum Sextius noster parochijs publicis occupauit: quod quidem facile patior. uerumtamen, quod mihi, summo beneficio meo, magna cum fratribus illius necessitudo est, inuito eum per litteras, ut apud me diuersetur. ad eam rem cum mitterem Alexandrum, has ei dedi litteras. Cras igitur auctio Peducaei: cum poteris ergo: etsi impediet fortasse Faberius: sed tamen, cum licebit. Dionysius noster grauiter queritur, & tamen iure, a discipulis abesse tam diu. multis uerbis scripsit ad me, credo item ad te. mihi quidem uidetur etiam diutius abfuturus. ac nollem: ualde enim hominem desidero. Vale.

EXPLANATIO

Celeritas *tua*, } in scribendo. Res *ipsa* } quam scripsisti: qua nihil potest esse indignius. Humanitatem *omnem* } omnem sensum humanitatis: ut iam neque dolere ullo damno, neque laetari ullo commodo possimus. id autem ob interitum filiae; qua amissa, nihil iam in reliqua uita sibi esse curandum statuebat. Verumtamen. } exspectabam. & est figura, qua usus est ep. 8. & 12. l. 14. & in ep ad Tiro. ē his uerbis: Confice professionem. etsi haec pecunia ex eo genere est, ut professione non egeat. uerumtamen. Epistolas } quibus eos Cicero rogabat, ut exactionem Faberiani nominis adiuuarent. nam & supra, ep. 28. l. 12. Cum Oppio, inquit, & Balbo communices, quantopere, & quare uelim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum. Et *tamen* } quamquam ad Oppium & Balbum scripsi de Faberio: tu tamen sicubi Pisonem poteris conuenias, ut cum eo de auro colloquaris. Et, opinor, hoc intelligit, ut ad emptionem hortorum auream pecuniam a Pisone argentario mutuam sumeret usura pendenda. uel, ut argentea pecunia Pisoni daretur, Piso aut eam redderet. Pisonem autem argentarium fuisse, indicat illud ep. 5. l. 12. Ad Aulum scripsi, ut ea, quae bene nossem de auro, Pisoni demōstrarem. quo etiam loco de permutatione agitur. & infra ep. 4. Si quid poteris, inquit, cum Pisone conficies: Aulus enim uidetur in officio futurus. utrobique enim Auli mentio: & utrobique eius opera apud Pisonem Cicero uidetur uti. de Pisone autem ep. 4. 10. 12. huius lib. & 10. l. 14. Attribuatur, } numeretur, soluatur. Attributam pecuniam Pedianus dicit esse, quam in stipendium militum ex aerario deprompiam tribuni aerarij quaestoribus adnumerabant. Idem fere M. Varro. sed a rebus publicis transferri ad priuatas, docet illud ep. 3. l. 16. Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum. quae quamquam explicata sunt; tamen, quod & Dolabellae nomen in his est, & attributio est mihi nominum ignota, conturbor. item illud in epistola ad Tironem fam. lib. 16. De attributione conficies: de repraesentatione uidebis. De domesticis rebus hactenus. de publicis omnia mihi certa, quid Octauius, quid Antonius. Accipies *ab Erote* } cognosces ab Erote, quantum nobis a Faberio debeatur. is enim Ciceronis rationes procurabat. epist. 15. & 18. lib. 15. & 2. & 14. lib. 16. Ariobarzanis *filius* } eius, quem a Mithridate fuisse expulsum legitur in oratione pro lege Manilia. Eum *Sextius noster parochijs publicis occupauit* } ei Sextius noster & domum iam, & omnia ad uictum necessaria de publico curauit. *Parochijs*: praebitionibus: & parochus, qui huic muneri praeerat, ut sumptu publico siue legatos, siue alios muneribus ornaret, aut etiam aleret. & dixit, Occupauit, quasi, ante me cepit, ut ego cum frustra sim inuitaturus. quale illud in Tusculanis, opinor, quaestionibus: Occupaui te fortuna, atque cepi, omnesq. aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses. legendus Acron in illud Horatij, Proxima Campano Ponti quae uillula tectum Praebuit, & parochi, quae praebent ligna, salemq. Summo *beneficio meo* } nam Ariobarzanem, eius fratrem, Cappadociae regem, praesentibus insidijs nec opinantem liberauerat, regnumq. ei seruauerat, ut in epistola ad senatum, & in ea, quam eodem libro ad Catonem scripsit. ep. 20. l. 5. & fam. ep. 2. & 4. l. 15. Cum *fratribus illius* } unum Ariobarzanem seruauit, ut ipse ad senatum & ad Catonem scribit: & unum ibi nominat Ariobarzanis fratrem Ariarathem: ut hic uideatur, Fratre, legendum potius, quam Fratribus. sed, repugnantibus antiquis libris, nihil muto. Apud *me* } domi meae: cum tamen ipse abesset. sic locutus ep. 5. l. 15. Auctio *Peducaei* } cui Atticus dare operam uolebat. ep. 48. l. 13. Cum *poteris ergo* } ad me uenies. Faberius } exactio nominis Faberiani. A discipulis } quos Romae habebat. & fortasse is est, qui Cicerones filios docuerat: de quo supra.

Cicero

Cicero S. D. Attico. 3.

A Te *litteras exspectabam, non dum scilicet: nã has mane rescribebam. Ego uero ista nomina sic probo, ut nihil aliud me moueat, nisi quod tu uideris dubitare. illud enim non accipio in bonam partem, quod ad me refers. quid? ipse negotium meum gererem, nisi consilio tuo? sed tamen intelligo, magis te id facere diligentia, qua semper uteris, quam quod dubites de nominibus istis. etenim Coelium non probas: plura non uis. utrumq. laudo: his igitur utendum est. praes aliquando factus esset, in his quidem tabulis. a me igitur omnia, quod dies longiores: teneamus modo, quod uolumus. puto fore istam etiam a praecone diẽ, certe ab heredibus. De Crispo, & Mustela uidebis: & uelim scire, quae sit pars duorum. De Bruti aduentu eram factus certior. attulerat enim ab eo Aegypta libertus litteras. misi ad te epistolam, quia commode scripta erat. Vale.*

EXPLANATIO

Nondvm *scilicet*, } litteras equidem a te exspectabam, sed nondum tamen. qui enim tabellarij a te mane discedunt; (erat autem Atticus Romae, Cicero in Tusculano, ut propiuqui maxime essent: epist. 12.) mane certe huc peruenire non possunt, multo etiam minus, qui meridie. Ista *nomina* } de quibus ad me scribis. Cicero, cum pecuniam non haberet, unde hortos emeret, Attico mandauerat, ut aliquid uenderet. Atticus in uenditione non pecuniam accepit ab eo, qui emit, sed nomina, ita tamen, si ea nomina Cicero probasset, ad quem de ea re scripturus erat. Videris *dubitare* } quod & plura sint nomina, ut exigi deinde omnia, nisi magna molestia, non possint; & in istis nominibus non bonum nomen Coelius uideatur. Ad *me refers* } Atticus ad Ciceronem retulerat de nominibus illis, ut faceret ipse quod liberet; hoc est, ut illa uel acciperet, uel reijceret, quandoquidem ipsius res ageretur. Ipse } si ipse adessem, & meum negotium gererem. Vtrvmqve *laudo* } utamur, inquit, his nominibus. nam neque mihi plura uidentur: & Coelium probo. Factvs *esset* } Germani in suis libris, Factus es: ego, Factus esses: hoc sensu: nisi haec nomina haberemus, tu aliquando praes factus esses pro me, & quia dixerat, Aliquando, incertum tempus & incertam rem significãs: definit, & tempus remq. exprimit, cum infert, In his quidem tabulis. in his quidem tabulis, quas in hortorum emptione facturus sum, pro me certe spopondisses, nisi haec haberemus nomina, quae hortorum uenditoribus dari possent. A me *igitur omnia* } fient. ego te de sponsione non rogabo: ipse per me omnia conficiam. Qvod *dies longiores:* } malim sic, Quod dies longior est: ut intelligatur dies nominum exigendorum, quam scripserat Atticus abesse longius, quam oporteret. Teneamvs *modo, quod uolumus, &c.* } contingat modo, quod optamus, ut scilicet hortos assequamur. nam, quod ad diem nominum attinet, quam scribis longiorem esse: puto fore, ut praeco, qui Scapulanos hortos in auctione uenditurus est, non praesentem pecuniam ab emptore poscat, sed diem largiatur solutionis faciendae non minus longam, quam ea dies est, ad quam haec nomina exigentur. quod si istam diem praeco non concedet; non dubito, quin ab heredibus eam impetremus. itaque utamur his nominibus: neque te ista dies moueat; cum aeque longa futura sit ea, quam ad hortorum pretium persoluendum si minus praeco, heredes certe dabunt. Videbis } ut in auctione Scapulanorum hortorum, quantum poterint, nos adiuuent. Erat enim ex coheredibus: quod insequens membrum declarat. Pars *duorum* } quae pars hortorum ad Crispum, quae ad Mustelam pertineat. ep. 5. Epistolam } mihi a Bruto missam.

Cicero S. D. Attico. 4.

Habeo *munus a te elaboratum decem legatorum. & quidem puto. nam filius anno post quaestor fuit, quam consul Mummius. sed quoniam saepius de nominibus quaeris quid placeat: ego quoq. tibi saepius respondeo, placere. Si quid poteris cum Pisone, conficies: Aulus enim uidetur in officio futurus. uelim ante possis: si minus, utique simul, cum Brutus ueniet in Tusculanum. magni interest mea, una nos esse. scies autem, qui dies is futurus sit, si puero negotiũ dederis, ut quaerat. Spurium Mummium putaram in decem legatis fuisse: & uidelicet: etenim* ευλογον *fratri fuisse: fuit enim ad Corinthum.*

EXPLANATIO

Habeo *munus &c.* } infra epist. 16. ita scribit: Si unde potes, erues, qui decem legati Mummio fuerint. Polybius non nominat. eorum nomina Atticus inuenit, inuenta misit ad Ciceronem. Habeo, igitur, inquit, munus a te elaboratum decem legatorum. Et hic quoque perspicuum est, lapsum esse in ordine qui has epistolas retulit in uolumina: cum infra de nominibus decem legatorum Atticum urget, hic autem ea se dicat accepisse. Et *quidem puto* } puto eos fuisse, quos tu scribis. Nam *filius &c.*

dixerat

dixerat olim Hortensius Ciceroni, in decem legatis cum L. Mummio ad bellum Achaicum profectis Tuditanum fuisse; cum Tuditanum proauum suum intelligeret, Cicero autem de auo dictum acciperet. sed Atticus proauum fuisse ostendit, eius patrem, quem Cicero significari ab Hortensio putauerat. Respondet igitur ad epistolam Attici, in qua ille scripserat, in decem legatis fuisse Tuditanum Hortensij proauum; cum Cicero eius filium, Hortensij auum, intelligi putasset. Sensus est: Puto plane fuisse decem legatos, quos ad me scripsisti, & fuisse in ijs Tuditanum Hortensij proauum. ego autem Tuditano eius filio intellexeram: quem in decem legatis non fuisse, nunc quidem facile credo; cum quaestor fuerit anno post, quam quaestor Mummius: ut simile ueri non sit, legatum Mummij fuisse, cum adhuc esset adolescens. uide epist. 6. 31. 32. & 33. MVMMIVS } L. Mummius Achaicus, qui consul fuit cum L. Cornelio Lentulo, clarus euersa Corintho. DE *nominibus quaeris quid placeat* } de nominibus legatorum a te scriptis. *Placere*: ostendit sibi placere legatorum nomina, cum dixit, Et quidem puto. CONFICIES :. } de auro epist. 1. AVLVS *&c.* } Aulus in eo nos adiuuabit. VELIM *ante possis*; } cuperem, ante Bruti aduentum liceret tibi in Tusculanum ad me uenire. VT *quaerat* } ut quaeras de familiaribus, aut de seruis Bruti, quo die sit uenturus in Tusculanum. ET *uidelicet*: } & uidelicet puto ita esse. cum enim ad Corinthum fuerit, & fuerit consulis frater; consentaneum est, cum in decem legatis, quos frater habuerit, fuisse.

Cicero S. D. Attico 5.

MISI tibi Torquatum. colloquere tu quidem cum Silio, ut scribis, & urge. illam diem negabat esse mense Maio, istam negabat. sed tu, ut omnia, istuc quoque ages diligenter. De Crispo, & Mustela scilicet cum quid egeris. Quoniam ad Bruti aduentum fore te nobiscum polliceris, satis est praesertim cum hi tibi dies in magno nostro negotio consumantur.

EXPLANATIO

TORQVATVM } librum Torquati nomine inscriptum: de quo epist. 32. Torquatus Romae est. iussi, ut tibi daretur. VRGE. } ut hortos suos nobis uendat. ILLAM *diem &c.* } intelligit hortos Scapulanos, cum dicit Illam diem: cum, Istam, Silianos: & diem intelligit solutionis. Silius enim concedebat, ut hortorum suorum emptor mense Maio pretium persolueret: heredes Scapulae tam lōgam diem non concedebant. ideoq. Atticum Cicero hortatur, ut urgeat de Silianis. DE *Crispo, & Mustela* } hoc est de hortis Scapulanis: uterque enim heres erat Scapulae. ep. 3. ADVENTVM } cum in Tusculanum ueniet. IN *magno nostro negotio* } de hortis scilicet.

Cicero S. D. Attico. 6.

DE aquaeductu probe fecisti. columnarium, uide, ne nullum debeamus. quamquam mihi uideor audisse a Camillo, commutatam esse legem. Pisoni, quid est, quod honestius respondere possimus, quam solitudinem Catonis? nec coheredibus solum Herennianis, sed etiam, ut scis (tu enim mecum egisti) de puero Lucullo: quam pecuniam tutor (nam hoc quoque ad rem pertinet) in Achaia sumpserat. sed agit liberaliter, quoniam negat se quidquam facturum contra nostram uoluntatem. coram igitur, ut scribis, constituerimus, quēadmodum rem explicemus. Quod reliquos coheredes: conuenisti, plane bene. Quod epistolam meam ad Brutū poscis, non habeo eius exemplum, sed tamen saluum est, & ait Tiro te habere oportere, &, ut recordor, una cum illius obiurgatoria tibi meam quoque, quam ad eū rescripseram, misi. Iudiciali molestia ut caream, uidebis. Tuditanum istum, proauum Hortensij, plane non noram; & filium, qui tum non potuerat esse legatus, fuisse putaram. Mummium fuisse ad Corinthum, pro certo habeo. saepe enim hic Spurius, qui nuper est, epistolas mihi pronunciabat uersiculis facetis ad familiares missas a Corintho. sed non dubito, quin fratri fuerit legatus, non in decem. atque hoc etiam accepi, non solitos maiores nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarij, ut nos, ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potius, M. Lucullum, & L. Muraenam, & ceteros ad L. Lucullum misimus. illudq. εὐλογώτατον, illum fratri in primis eius legatis fuisse. Vale.

EXPLANATIO

DE *aquaeductu* } non in agro, sed in urbe. COLVMNARIVM *&c.* } tributum, quod in singulas columnas domum sustentantes exigeretur, propterea quod opulentiam significarent habitantium. Caesar lib. 3. de bello ciuili: Acerbissime imperatae pecuniae tota prouincia exigebantur. multa prae-

terea generatim ad auaritiam excogitabantur. in capita singula seruorum ac liberorum tributum impo nebatur. columnaria, hostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, uecturae imperabantur. VIDE, *ne nullum* } malo, Vllum. ut dicat: uide, ne in columnarium ullum uectigal incidamus: uide, ut omnino columnarij debitionem effugiamus. Forte quippiá cum columnis Atticus aedificabat Romae Ciceronis nomine: ut de columnario deinde pendendo non sine caussa Cicero timeret. LEGEM } qua columnarium antea pendebatur. PISONI *&c.* } argentario, pecuniam, Catoni pupillo, aut eius tutoribus creditam, repetenti. COHEREDIBVS } Catonis creditoribus. DE *puero Lucullo* } si de pecunia, quam Luculli pueri tutor in Achaia sumpsit, Piso aget. erat autem, ut est in prooemio libri 3. de finibus, unus e tutoribus Cicero. CVM *illius obiurgatoria* } qua Brutus eum obiurgauerat, quod interitum filiae mollius ferret, quam uirum deceret. itaque ipse Brutum solans in morte matris, Est, inquit, alienum tanto uiro, ut es tu, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse. me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua a nimio maerore deterruit. cum enim mollius tibi ferre uiderer, quam deceret uirum, praesertim eum, qui alios consolari soleret; accusasti me per litteras grauioribus uerbis quam tua consuetudo ferebat. IVDICIALI *molestia ut caream* } scripserat Atticus, esse qui eius patrocinium in iudicijs desiderarent uidebis, inquit Cicero, ne quis mihi molestus sit, ut eum in iudicio defendam. nam iudiciali molestia omnino cupio carere. ISTVM } quem tu scribis in decem Mummij legatis fuisse. FILIVM } istius Tuditani filium fuisse putaram in decem: sed uidelicet assentior tibi, qui patrem scribis fuisse; cum filius, qui tum erat adolescens, legatus esse non potuerit. MVMMIVM *fuisse ad Corinthum* } cum Lucio fratre, qui eam deleuit. ep. 4. SPVRIVS } nepos, ut opinor, Spurij Mũmij, quem dicit ad Corinthum fuisse, cum fratre. NVPER *est*, * *Epistola &c.* } tale quippiam desideratur, Mortuus: ut, Qui nuper est mortuus, legatur, quod in antiquo libro legitur. MISSAS } a Sp. Mũmio. QVIN *fratri fuerit legatus, non in decem* } proficiscentibus ad bellum legati dabantur: postea, ut uicta prouincia componeretur, decem legati decernebantur. in oratione pro Cornelio Balbo, C. Caesarẽ, inquit, senatus & genere supplicationum amplissimo ornauit, & numero dierũ nouo. idem in angustijs aerarij uictorem exercitum stipendio affecit: imperatori decem legatos decreuit. Et de prouincijs consularibus: Actum est de decem legatis: quos alij omnino non dabant, alij exempla quaerebant, alii tempus differebant, alii sine ullis uerborum ornamentis dabant. Et in epistola ad Lentulum: Stipendium Caesari decretum est, & decem legati. quamquam Caesari, ob multas de Gallis uictorias, dignitatis caussa decem legati decreti sunt, non ut Gallia, in qua bellum adhuc gerebat, in prouinciae formam redigeretur. Fuit igitur Mummius in primis fratris legatis, in decem non fuit. ILLVM *fratri* } Sp. Mummium L. Mummio. IN *primis eius legatis* } in ijs, quos primum eduxit.

Cicero S. D. Attico. 7.

OPERAM tuam multum, qui & haec cures, & mea expedias, & sis in tuis multo minus diligens, quam in meis. Sextius apud me fuit, & Theopompus pridie: uenisse a Caesare narrabat litteras: hoc scribere, sibi certum esse Romae manere; caussamq. eam adscribere, quae erat in epistola nostra, ne se absente leges suae negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. est εὔλογον: *idq. eram suspicatus. sed istis mos gerendus est; nisi placet hanc ipsam sententiam nos persequi & Lentulum cũ Metella fecisse diuortium. haec omnia tu melius. rescribes igitur quidquid uoles, dummodo quid. iam enim non reperio, quid te rescripturum putẽ, nisi forte de Mustela, aut si Silium uideris. Brutus heri uenit in Tusculanum post horam decimam. hodie igitur me uidebit: ac uellem, cum tu adesses. misi equidem ei nunciari, te, quoad potuisses, exspectasse eius aduentum, uenturumque, si audisses, meque, ut facio, continuo te certiorem esse facturum. Vale.*

EXPLANATIO

HAEC *cures,* } haec, quae ad me scripsisti. nam Attici litteris respondet. A CAESARE } in Hispania bellum gerente contra Pompeii liberos. IN *epistola nostra* } intelligit epistolam, quam ad Caesarem scripsit: quam tamen, ut opinor, non misit, quod in ea Caesaris amici, qui Romae erant, nimium multa mutari uellent. ep. 27. & 28. argumentum autem illius epistolae hoc fuit, ut Caesar remp. constitueret; quae minus firma uideretur, legibus, quas ipse tulerat, neglectis; deinde ad Parthicum bellũ proficisceretur. ep. 33. LEGES *suae* } ut de iudicijs, de sumptibus, de praemijs eorum, qui plures filios suscepissent. quas leges tulit post bellum Africanum. Dio lib. 43. EST εὔλογον } uelle Caesarem Romae manere propter eam caussam. IDQ. *eram suspicatus &c.* } ego item existimaueram, fore, ut Caesar maxime propter eam caussam Romae uellet manere, ne se absente leges suae negligerentur: idq. scripsi in epistola ad Caesarem. SED *istis mos gerendus est* } quibus eam epistolam mitti non placet. epist. 28. NISI *placet &c.* } nisi tu in hac opinione es, ut hanc ipsam sententiam persequamur, hoc est, ut omnino scriptam epistolam ad Caesarem mittamus. ET *Lentulum cum Metella fecisse diuortium.* } refertur ad illud, Sextius narrabat. DE *Mustela, aut si Silium uideris* } de hortis Scapulanis, & Silianis.

hoc

hoc supra ita saepe narratur, ut hic putidum uideatur explanare. Misi *equidem ei nunciari*, } pro, significaui, ut ei nunciaretur. infra epist. 10. Hodie Spintherem exspecto: misit enim Brutus ad me. Et ad Brutum, epist. 16. lib. x 1. fam. Mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Et epist. 9. ad Tironem: Curio misi, ut medico honos haberetur. Raro tamen cum infinitiuo iunctum inuenitur: & abundare potest, Nunciari.

Cicero S. D. Attico. 8.

Plane nihil erat, quod ad te scriberem. modo enim discesseras, & paullo post triplices remiseras. uelim cures fasciculum ad Vestorium deferendum: & alicubi des negotium, qui quaerat, Q. Faberij fundus num quis in Pompeiano, Nolano uenalis sit. Epitomen Bruti Coelianorum uelim mihi mittas, & a Philoxeno Παναιτίου περὶ προνοίας. Te idibus uidebo cum tuis. Vale.

EXPLANATIO

Triplices *remiseras*. } modo a me discesseras, & paullo post ego ad trinas litteras miseram, tuq. ad omnia respondeas: ut iam, quod scribam, nihil plane sit. *Triplices*: non dicit, trinas, sed triplices, quasi, tribus meis epistolis respondentes. Et cum dicit, Paullo post triplices remiseras; plus dicit ad ostendendam argumenti inopiam, quam si dixisset, Paullo post trinas ad te miseram. quod enim tribus epistolis Cicero scripsisset, colligere eadem illa, & in quartam conijcere potuisset; quod facere nōnumquam solemus. ita scribendi sententiam habuisset. cum autem non modo ipse ad Atticum trinas misisset, sed Atticus ad omnia respondēs triplices remisisset: iam plane, quod scriberet, reliquum nihil erat. Coelianorum } uide illud ep. 7. lib. 12. In Bruti epitoma Fannianorum. A philoxeno } mitte Panaetij librum de prouidentia, a Philoxeno sumptum.

Cicero S. D. Attico. 9.

Commodum discesseras heri, cum Trebatius uenit, paullo post Curtius, hic salutandi caussa, sed mansit inuitatus. Trebatium nobiscum habemus. hodie mane Dolabella. multus sermo ad multum diem. nihil possum dicere ἐκτενέστερον. nihil φιλοστοργότερον, uentum est tamen ad Quinctum. multa ἄφατα, ἀδιήγητα, sed unum eiusmodi, quod, nisi exercitus sciret, non modo Tironi dictare, sed ne ipse quidem auderem scribere. sed hactenus, ἀλλὰ πῶς ad me uenit, cum haberem Dolabellam, Torquatus, humanissimeque Dolabella, quibus uerbis secum egissem, exposuit. commodum enim egerā diligentissime. quae diligentia grata est uisa Torquato. A te exspecto, si quid de Bruto. quamquā Nicias confectum putabat, sed diuortium nō probari. quo etiā magis laboro idem, quod tu. si quid est enim offensionis, haec res mederi potest. mihi Arpinum eundem est. nā & opus est constitui a nobis illa praediola: & uereor, ne exeundi potestas non sit, cum Caesar uenerit: de cuius aduentu eam opinionem Dolabella habet, quam tu coniecturam faciebas ex litteris Messallae. cum illuc uenero, intellexeroq. quid negotij sit; tum, ad quos dies rediturus sim, scribam ad te. Vale.

EXPLANATIO

Dolabella } confectum enim bellum erat in Hispania: cui Dolabella interfuit, & ante Caesarem in Italiam reuertit. ἐκτενέστερον } cum maiore significatione beneuolentiae. Et subintelligi perspicuum est, illius sermone. Ventum *est tamen ad Quinctum* } pro, Tamen, rectius mea sententia legeretur, Tandem, sensu non obscuro. Multa ἄφατα, ἀδιήγητα } dicebat Dolabella a Quincto filio dicta contra Ciceronem in Hispania: quod & antea litteris idem Dolabella obscure significauerat. epist. 37. libro 12. Exercitus } Caesaris in Hispania. non, inquit, secreto, aut inter paucos mihi male dixit Quinctus, sed ita palam, ut exercitus omnis cognosceret. & cum alia in me coniecit ἄφατα, ἀδιήγητα, } tum unum eiusmodi, quod ego, nisi exercitus id sciret, non dico Tironi dictare, sed ipse scribere non auderem. Sed *hactenus* } reprimat se. nam cum ostendisset, illud maledictum a Quincto in se collatum ita turpe esse, ut scribendum non uideretur, sed scribere tamen se uelle, quando id exercitui notum esset uniuerso: uictus acerbitate rei, scribendi consilium omisit, & intulit, Sed hactenus, figura utens sententiam terminante. Secum *egissem*, } de re Torquati. ut apud Caesarem aliquid ageret Dolabella Torquati caussa; cum Torquatus ipse gratia minus posset, qui Pompeianus fuisset. intelligo autem Aulum Torquatum: nam Lucius frater perierat, ut in Bruto legitur: quem librum ante hoc tempus scriptum esse, uel id aperte indicat, quod in eo libro Marcellum ait Mitylenis uiuere, hic autem occisum esse tradit. epist. sequenti. Si *quid de Bruto* } quid significat? Bruti nouas nuptias. nam, dimissa Claudia, Appij filia, de qua in familiaribus epistolis lib. 3. ep. 4. Porciam duxit Catonis Vticensis filiam: cuius & Plutarchus in Bruto, & Catone Vticensi, & Valerius Maximus

lib.3.mentionem fecerunt. NICIAS } qui erat apud Ciceronem.ep.23.& 52.lib.12. CONFECTVM *putabat* } de Porciae nuptijs.& confectum sane est ante Caesaris aduentum. nam infra, Porciae laudationem, scribit, esse mittendam Domitio,& Bruto; Domitio,quod filius esset; Bruto, quod affinis, ex Porciae coniugio.ep.37.& 45. DIVORTIVM } Claudiae. LABORO *idem, quod tu* } ut Porciam ducat, Catonis filiam.in quo fallitur Plutarchus,qui Brutum ait eam uxorem accepisse a Catone auunculo:cũ haec scripta sint post deuictos in Hispania liberos Põpeij, id est post obitum Catonis. OFFENSIONIS } si quid apud homines offendit,quod Claudiam repudiarit. HAEC *res* } nuptiae Catonis filiae. quos enim offendit Claudiae diuortio,eos sibi reconciliabit Porciae coniugio. Et non ita multo post eadem de re,Bruto,inquit,quamprimum agendum puto,praesertim si statuit. sermunculum enim omnem aut restinxerit,aut sedarit.erat enim Catonis nomen maxime populare,quod nemo umquam a libertate cõstantius stetisset,usque eo,ut sibi mortem consciscere maluerit,quam seruire. IN *Arpinum* } erat enim in Tusculano,cum haec scripsit. CONSTITVI } ut fructus redderent uberiores. Fuit faciendum, inquit paullo post,ut constituerem mercedulas praediorum. EXEVNDI } si manerem hic ad Caesaris aduentum,cum ex bello Hispaniensi Romam uictor redibit,tum mihi in Arpinum ire minus liceret, ne ille suspicaretur idcirco me longius discedere, quod uictorem aequo animo uidere non possem. eundum igitur,ante quam ueniat. DE *cuius aduentu* } ad quam diem affuturus esset. ILLVC } in Arpinum. QVID *negotij sit* } in constituendis praediolis.

Cicero S. D. Attico. 10.

MINIME miror, te & grauiter ferre de Marcello, & plura uereri periculi genera. quis enim hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec uidebatur natura ferre, ut accidere posset? omnia igitur metuenda. sed illud παρὰ τὴν ἱστορίαν *tu, praesertim me reliquum consularem. quid tibi Seruius, quid uidetur? quãquam hoc nullam ad partem ualet scilicet, mihi praesertim, qui non minus bene actum cum illis putem. quid enim sumus? aut quid esse possumus? domi ne, an foris? quod nisi hoc mihi uenisset in mentem, scribere ista nescio quae; quo uerterem me, non haberem. ad Dolabellam, ut scribis, ita puto faciendum,* κοινότερα *quaedam, &* πολιτικώτερα. *faciendum certe aliquid est. ualde enim desiderat. Brutus si quid, curabis ut sciam. cui quidem quamprimum agendum puto, praesertim si statuit. sermunculum enim omnem aut restinxerit, aut sedarit. sunt enim, qui loquantur etiam mecum. Sed haec ipse optime, praesertim si etiam tecum loquetur. Mihi est in animo proficisci XI. Kal. hic enim nihil habeo quod agam, ne hercule illic quidem, nec usquam, sed tamen illic. Hodie Spintherem exspecto. misit enim Brutus ad me: per litteras purgat Caesarem de interitu Marcelli: in quem, ne si insidijs quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspicio. nunc uero, cum de Magio cõstet, non ne furor eius omnem caussam sustinet? plane, quid sit, non intelligo. explanabis igitur. quamquam nihil habeo, quod dubitem, nisi, ipso Magio quae fuerit caussa amentiae; pro quo quidem etiam sponsor factus est. nimirum id fuit. soluendo enim non erat. credo enim petiisse a Marcello aliquid, & illum, ut erat, constantius respondisse.* οὐ γὰρ ἦν εἶδος. *Vale.*

EXPLANATIO

DE *Marcello*, } quem P. Magius Chilo in Atheniensium portu interfecerat. exstat de eius interitu Sulpicij epistola ad Ciceronem. NEQVE *acciderat antea* } numquam enim acciderat, ut clarissimus uir ab homine taeterrimo, ueteri amico, & comite, nullam ob caussam occideretur. cum autem nunc acciderit, quod nemini in mentem uenisset timere: nullum iam est periculi genus, quod metuẽdum non sit. παρὰ τὴν ἱστορίαν, } scripserat Atticus Ciceroni,ut se diligentissime custodiret, praesertim reliquum consularem. hoc,inquit,est praeter historiam; contra ueritatem. quid enim? Ser. Sulpicius non & ipse consularis? TV: } posuisti in epistola tua. uel coniunge sic: παρὰ τὴν ἱστορίαν, tu praesertim,reliquum consularem. ut sit, Tu praesertim, qui errare non soles in historia. RELIQVVM *consularem* } subintelligitur, ut omni diligentia tuear, atque conseruem. Hoc *nullam ad partem ualet* } haec cautio, atque haec diligentia, quam in tuenda salute adhiberi uis, quem fructum afferet, mihi praesertim, qui in uita iam quod agam nihil habeo,neque domi, neque foris? Equidem sic existimo, non minus bene actum cum illis, qui perierunt, quam nobiscum, qui fortunae beneficio conseruati sumus. QVID *enim sumus?* } non est de pluribus sententia, sed de ipso tantum. nam infert, Quod nisi hoc mihi uenisset in mentem, scribere ista nescio quae; quo me uerterem, non haberem. κοινότερα, & πολιτικώτερα } subaudi, mittenda. Puto, inquit, quemadmodum tu scribis, librum aliquem ad Dolabellam nobis esse mittendum, qui contineat non τὰ φιλοσοφικά, sed potius κοινότερα quaedam, & πολιτικώτερα. quod eius generis scripta magis uiderentur Dolabellae conuenire,qui nõ in studiis doctrinarum,sed in republica, & in communi quodam litterarum genere uersatus esset. VALDE *enim desiderat* } ep.13.Volo Dolabellae ualde desideranti:non reperio,quid:& simul αἰδέομαι Τρῶας. BRVTVS *si quid;* } si Porciam in matrimonium duxerit. Plutarchus in Bruto. Si *statuit* } si statuit eam ducere,puto ei faciundum esse,ut quamprimum ducat. SERMVNCVLVM } eorum, qui diuortium Claudiae reprehendebant. nam & supra: Nicias confectum putabat, sed diuortium

non

non probari. Restinxerit, *aut sedarit* } hoc est, quod dixit in epistola proxima superiore: Si quid est offensionis, haec res mederi potest. nam populum non tam offendit Claudiae dissidio, quam delectabat Porciae nuptijs. Qui *loquantur etiam mecum* } Claudiae diuortium improbantes. Ipse } Brutus. haec, inquit, ipse optime statuet, praesertim si utetur consilio tuo. mecum enim hac de re loqui non poterit, qui in Arpinū cogito XI. Kal. Quinct. XI. *Kal.* } Quinctiles. profectus tamen est triduo post, nempe IIX. Kal. ut scribit ep. 21. & 34. *Sed tamen illic* } illic tamen quiddam est, quod agam. quid autē illud erat? ut scilicet sua praediola constitueret. lege in ea, quae hanc antecedit, & ea, quae consequitur epistola. Spintherem } hic est, de quo ep. 51. lib. 12. & 10. lib. 14. a patre Spintheris cognomen accepit. Misit } significauit. ut illud ad Tironem: Curio misi, ut medico honos haberetur. & ad Brutū: Mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. De *interitu Marcelli* } erant enim, qui suspicabantur, M. Marcellum a P. Magio fuisse occisum auctore Caesare. Cum *de Magio constet* } cū constet, P. Magium, qui Marcellum uulnerauerat, paullo post flagitium agnouisse, seq. ipsum, sibi e scelere iratum, interfecisse: res indicat, eius facti caussam non in Caesarem, sed in Magij furorem conferēdam. Non *intelligo* } cur Brutus Caesarem purget. apparet enim, aliquid in Caesarem dici. quod quale sit, uelim explanes. Quamquam *&c.* } ego, inquit, quod ad me attinet, non dubito, quin Magius amētia impulsus Marcellum interfecerit inscio Caesare: sed illud cogito, quaenam illi tātae amentiae caussa potuerit esse, ut talem uirum, amicum suum, etiam sponsorem occideret. Nimirum *id fuit* } nimirum propter eam sponsionem Marcellum Magius interemit. cum enim una cum Marcello Romam rediret, & creditoribus non haberet unde solueret; credo, petijsse aliquid a Marcello sponsore suo, illum autem non quidem cum opprobrio, sed constanter respondisse, negantem se daturum: ex eo Magium in iram, & amentiam prolapsum, illum occidisse. Hoc Cicero, coniecturam secutus, opinabatur: sed Valerius Maximus lib. 9. aliam ponit eius amētiae caussam: cuius uerba subscribemus. Consternatum, inquit, Magij Chilonis amentia pectus, qui M. Marcello datum a Caesare spiritum sua manu eripuit, uetus amicus, & Pompeianae militiae comes, indignatus aliquos sibi amicorum ab eo praeferri. urbem enim a Mitylenis, quo se contulerat, repetentem, in Atheniensium portu pugione confodit, protinusq. ad irritamenta uaesaniae suae trucidanda tetendit. }

Cicero S. D. Attico. II.

Credebam *esse facile: totum est aliud, postea quam sum a te disiunctior: sed fuit faciendum, ut & constituerem mercedulas praediorum, & ne magnum onus obseruantiae Bruto nostro imponerem. post hac. n. poterimus cōmodius colere inter nos in Tusculano: hoc autem tempore, cum ille me quotidie uidere uellet, ego ad illum ire non possem, priuabatur omni delectatione Tusculani. tu igitur, si Seruilia uenerit, si Brutus quid egerit, etiam, si constituerit quando obuiā, quidquid denique erit, quod scire me oporteat, scribes. Pisonem, si poteris, conuenias. uides, quam maturum sit. sed tamen, quod commodo tuo fiat. Vale.*

EXPLANATIO

Credebam *esse facile:* } longius abesse a te. nam haec scripsit Arpini, quo se ex Tusculano contulerat. Postea *quam sum a te disiunctior* } postea quam huc ueni, e Tusculano profectus. ubi minus eram a te disiunctus, quam nunc sum. nam Roma multo propius abest Tusculanum, quam Arpinum. Fuit *faciendum* } ueniendum omnino huc fuit. Mercedulas *praediorum* } supra: Mihi Arpinum eundum est: nam opus est constitui a nobis illa praediola. *Mercedulas*: uectigal, quod ex praediorum locatione capiebat: ut epist. 30. libro 12. Ciceroni, uelim hoc proponas, ut sumptus huius peregrinationis accommodet ad mercedes Argileti, & Auentini. & ep. 18. lib. 15. Ab Erote quaeras, ubi merces insularum. Constituerem } certiores atq. uberiores redderem. Onus *obseruantiae Bruto nostro imponerē.* } cum. n. uterq. esset in Tusculano, Brutusq. Ciceronem quotidie uidere uellet; Cicero autem ad illum quotidie ire non posset; sequebatur, ut Brutus ad Ciceronem. quod Cicero nolebat, indignum existimans, Brutum ad se quotidie domū uenire. Exiui igitur, inquit, e Tusculano, ne Bruto nostro quotidie ad me ueniendi onus imponerem. *Obseruantiae*: obseruare est assidue cum aliquo esse honoris caussa. unde illud in prima epistola: Dies fere nullus est, quin hic Satyrus domum meam uentitet. obseruat L. Domitiū maxime: me habet proximum. Et Phil. 11. Custoditus sum a te, tu a me obseruatus in petitione quaesturae. Commodius *colere inter nos* } nā hoc tēpore minus commode poterant. itaq. ep. 23. Nunc, inquit, cū ita simus affecti, ut non possimus plane simul uiuere; (intelligis. n. profecto, quo maxime posita sit *συμβίωσις*) facile patiebar nos potius Romae una esse, quā in Tusculano. Priuabatur *&c.* } mecum esse quotidie uolebat, nec id poterat suo commodo, cum ei ueniendum ad me esset. ita nullā delectationē capiebat ex Tusculano. Venerit } Romam. Egerit } de nuptijs. ep. 9. Quando *obuiam* } Caesari proficiscatur, ex Hispaniensi bello reuertenti. Conuenias } uide illud ep. 2. Pisonem sicubi de auro. Quam *maturum* } aurum enim a Pisone quaerebat, ut Scapulanos hortos, quos in auctione coheredes uenditari erant, possent emere. *Maturum*: quia dies auctionis instabat. quod infra paullo apertius, his uerbis: De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus: dies adest.

Cicero S. D. Attico. 12.

VALDE me momorderunt epistolae tuae de Attica nostra: eaedem tamen sanauerunt. quod. n. te ipse consolabare eisdem litteris, id mihi erat satis firmum ad leniendam aegritudinem. Ligarianam praeclare uendidisti. post hac quidquid scripsero, tibi praeconium deferam. Quod ad me de Varrone scribis; scis, me antea orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere. postea autẽ quam haec coepi φιλολογώτερα, *iam Varro mihi denunciauerat magnam sane, & grauem* προσφώνησιν. *biennium praeterijt, cum ille* Καλλιππίδης *assiduo cursu cubitum nullum processerit. ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut* αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, *si modo potuissem. nam hoc etiam Hesiodus adscribit,* αἴκε δύναι. *nunc illam* περὶ τελῶν σύνταξιν, *sane mihi probatam, Bruto, ut tibi placuit, despondimus, idq. eum non nolle mihi scripsisti. ergo illam* ἀκαδημικὴν, *in qua homines nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. etenim sunt* Ἀντιόχεια, *quae iste ualde probat. Catulo, & Lucullo alibi reponemus, ita tamen, si tu hoc probas: deq. eo mihi rescribas, uelim. De Brinniana auctione accepi a Vestorio litteras. ait, sine ulla controuersia rem ad me esse collatam (Romae uidelicet, aut in Tusculano me fore putauerunt) ad VIII. Kalen. Quinct. dices igitur uel amico tuo, uel Othoni coheredi meo, uel Labeoni nostro, paullum proferant auctionem; me circiter nonas in Tusculano fore. cum Pisone Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus. dies adest.*

EXPLANATIO

DE *Attica* } quod eam significabant aegrotare. ep. 13. 15. 17. 21. & 22. CONSOLABARE } cum caussam scriberes, cur eius inualetudinem putares forte non diuturnam. AEGRITVDINEM } dolorem & molestiam meam ex Atticae morbo susceptam. Et est aegrotatio in corpore, aegritudo in animo. ipse Tusculanarum quaestionum l. 3. VENDIDISTI } metaphora sumpta de ijs, qui, quod uendere cupiunt, prius laudant, quo libentius ematur ex quo illud Horatij: Laudat uenales, qui uult extrudere, merces. Vendidisti, inquit, praeclare oratiunculam meam pro Q. Ligario: hoc est, ita meam orationem laudasti, ut alij, tuam auctoritatem, tuumq. iudicium secuti, eam probare coeperint, aeque atq. ij, qui uenditori, suas merces laudanti, fidem adhibentes, bonum saepe putant esse, quod uitiosum est. infra epist. 13. Ligarianam, inquit, praeclare auctoritas tua commendauit. scripsit enim ad me Balbus, ac Oppius, mirifice se probare. PRAECONIVM *deferam* } perstat in translatione. nam praecones in auctione uendebant. dicit igitur, Praeconium, idest uendendi munus. Cum aliquid, inquit, a me scriptum emittere uoluero, rogabo te, ut id ante, quam emittatur, tua auctoritate commendes: ut scilicet alij deinde probent, quod a te, tali uiro, prius esse laudatum senserint. DE *Varrone* } Varronem desiderare a me, ut scilicet meis eum scriptis intexam. epist. 14. NVSQVAM } quod neque in orationibus personae loquentes inducuntur: & in libris, qui rationem oratoriam complectantur, scis Varroni locum non esse, ex eloquentia minus claro. in oratorijs quidem libris ideo ei locus non fuerat, quod ab ijs, qui disputant, mentio cuiusquam fieri non potuit, nisi eius, qui illis notus, aut auditus esset. ep. 16. lib. 4. DENVNCIAVERAT *&c.* } dixerat, se magnum quiddam uelle ad me mittere. προσφώνησιν } libri destinationem, dedicationem, ut nunc loquimur, expressit Graeco uerbo, quod Latino non potuit. de hoc autem libro, Academicarum quaestionum in primo, sic loquitur Varro: Intemperantis esse arbitror, scribere, quod occultari uelit. sed habeo opus magnum in manibus; quod iampridem ad hunc ipsum (Ciceronem autem dicebat) quaedam institui, quae & sunt magna sane, & limantur a me politius. & Cicero: Ista quidem, inquam, Varro iam diu exspectans, non audeo tamen flagitare. & in epistola: Exspectabam omnino iam diu, meq. sustinebam; ne ad te prius ipse scriberem, quam aliquid accepissem, ut possem te remunerari quam simillimo munere: sed cum tu tardius id faceres; hoc est, ut ego interpretor, diligentius; teneri non potui, quin coniunctionem studiorum, amorisq. nostri, quo possem litterarum genere declararem. προσφώνησις autem illa Varronis, ut opinor, opus fuit de lingua latina, quod Ciceroni inscriptum postea emisit. Καλλιππίδης } tragoediarum scriptoris percelebris, Agesilai aetate, cuius nimium motum in scena reprehensum, ut etiam a Mynisio histrione simia sit appellatus, ostendit Aristoteles in Arte poetica: quo in libro bis eum nominat: inde Graecum adagium in eos, qui satagunt, & nihil agunt. Suetonius in Tiberio, & Plutarchus in Apophthegmatis. Καλλιππίδην igitur Varronem appellat, quod, assidue scribendo, nihilo tamen processisset magis, quam Καλλιππίδης in cursu. PARABAM } reddere aliquid pro eo, quod ille dedisset, & reddere pari mensura, aut etiam, si modo potuissem, cumulatiore. HESIODVS } uersus Hesiodi est, Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, αἴκε δύναι. Quo uersu eadem mensura iubet reddere, qua acceperis, & cumulatiore, si possis. In primo de officijs: Quod si, inquit, ea, quae acceperis utenda maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio prouocati facere debemus? Et de claris oratoribus: Illud Hesiodum laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. αἴκε δύναι: proximo superiore uersiculo, cum hemistichium Hesiodi posuisset, adscripsit, Si modo potuissem: siquidem etiam

Hesiodus non hoc modo dicit, αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον, sed adscribit, αἴ κε δύνηαι. DESPONDIMVS, } constituimus Bruto mittere. ILLAM, ἀκαδημαϊκήν } libros duos Academicarum quaestionum: quorum, Catulus, priorem inscripserat; Lucullus, alterum; quod duorum dierum sermonem, a Catulo & Lucullo habitum, exponerent. postea, cum eos libros a Catulo & Lucullo ad Varronem transferre uellet; non solum ut Attico satisfaceret, roganti ut Varronem suis scriptis insereret; sed etiam, quod ἀκατάλληλον uideretur, inducere loquentes de philosophia Catulum, & Lucullum, homines illos quidem nobiles, sed earum rerum, quae in ijs libris disputarentur, minime peritos: ex duobus libris contulit in quattuor, eosq. ad Varronem misit; cum quidem, Catuli, & Luculli omni prorsus mentione sublata, partes ei Antiochinas dedisset, sibi sumpsisset Philonis. sed accidit uel hominum negligentia, uel temporũ iniuria, ut ex quattuor libris ad Varronem primus dumtaxat, ac ne is quidẽ integer, ad nostram aetatem perueniret. ex duobus autem, quos primum scripserat, Catulo, & Lucullo inscriptis, de quorum salute multo minus Tullium laborasse, quam de posterioribus ad Catonem, credibile est; (quippe, cum dicat paullo post: Multo haec erunt splendidiora, breuiora, meliora) nescio quo modo Lucullũ aequior fortuna seruauit. NVLLO modo philologi } infra ep. 16. In his rebus ἀτριψία. & ep. 19. Ἀντιόχεια } cum ij libri sententiam Antiochi de Academia complectantur; Varro autem partes Antiochinas ualde probet; recte ad eum transferentur, ep. 16. & 19. REPONEMVS } alijs libris eos ornabimus. SI tu hoc probas } ut ad Varronem transferamus. DE Brinniana auctione } Brinnius suorum bonorum heredes aliquot instituerat, in ijs Ciceronem. eorum bonorum auctionem coheredes facere uolebant, more in omnibus fere hereditatibus usitato, in quibus scilicet plures heredes essent: ut, omni hereditate in pecuniam redacta, suam quisque partem capere facilius posset. AIT, sine ulla controuersia rem ad me esse collatam ad IIX. Kal. Quinct. } ait, IIX. Kal. Quinct. coheredum omnium sententia magistrum auctionis me esse cõstitutum. in auctionibus enim hoc seruabatur, ut ex ijs, quorum res in auctione ageretur, unus auctionem gubernaret ac moderaretur, qui scilicet, quanti quaeque res uenire deberet, ipse statueret arbitratu suo, socijs non repugnantibus. in epistola prima, Vna, inquit, agebant & ceteri creditores, in quibus erat & Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant magistrum fore, si bona uenirent, L. Pontius. Et Quinctilianus l. 6. ubi de risu agit, Ciceronis dictum ponit in Plaetorium, Fonteij accusatorem: Plaetorij matrem, dum uixit, ludum, postquam mortua esset, magistros habuisse. Et ludum per translationem ait esse dictum, magistros per ambiguitatem; quod ad Plaetorij matrem, dum uixit, infames feminae conuenire solitae; post mortem, eius bona uenibant. PVTAVERVNT } putauerunt me Romae fore, aut in Tusculano, ut suo commodo me conuenire & colloqui de auctione possent; cum ignorarent me Arpini fore usque ad nonas: quo uenturos credibile non est; cum Arpinum Roma distet multis millibus passuum. AMICO tuo } Egnatio. ep. 44. PROFERANT auctionem } ultra III. idus: qui erat auctionis dies. Puto, inquit, circiter nonas me in Tusculano fore. ibi me conuenire, & meã de auctione sententiam poterunt cognoscere. quod si a nonis ad III. idus, hoc est ad auctionis diem, minus inter esse spatij uidetur, quam ipsi uellent; paullum proferant auctionem. infra ep. 14. Obire, inquit, auctionis diem facile poterunt. (est enim III. idus) si me in Tusculano postridie nonas mane conuenerint. quod latius uolent proferre diem, poterunt uel biduum, uel triduum, uel ut uidebitur: nihil enim interest. CVM Pisone Erotem habes. } nunc & Piso, & Eros Romae sunt. cum Pisone igitur, si potes, confice de auro; & ab Erote cognosce, quantum nobis & a Faberio, & ab alijs debeatur. supra epistola secũda, Pisonem, inquit, sicubi de auro. Faberius si uenerit, uidebis ut tantum attribuatur, si modo attribuetur, quantum debetur. accipies ab Erote. Ita hũc locum, alioqui obscurum, ille locus illustrat, illum autem nostra interpretatio. DE Scapulanis hortis } quos emere cupiebat, ut in ijs filiae monumentum posset aedificare. & superiore proximo uersiculo & de Pisone & de Erote Atticum admonuit horũ hortorum caussa. DIES adest } dies auctionis; quo Scapulani horti in auctione uenibunt. supra, huius auctionis tempus significans, Pisonem, inquit, conuenias. uides, quam maturum sit.

Cicero S. D. Attico. 13.

COMMOTVS *tuis litteris, quod ad me de Varrone scripseras, totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtuliq. ad nostrum sodalem, & ex duobus libris contuli in quattuor. grandiores sunt omnino, quam erant illi; sed tamen multa detracta. tu autem mihi peruelim scribas, qui intellexeris illum uelle. illud utique scire cupio, quem intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι, nisi forte Brutum. id hercle restabat. sed tamen scire peruelim. libri quidem ita exierunt, (nisi forte me communis φιλαυτία decipit) ut in tali genere ne apud Graecos quidem simile quidquam. tu illam iacturam feres aequo animo, quod illa, quae habes de Academicis, frustra descripta sunt. multo tamẽ haec erunt splendidiora, breuiora, meliora. nunc autem ἀπορῶ, quo me uertam. uolo Dolabellae ualde desideranti. non reperio, quid: & simul αἰδέομαι Τρῶας: neque, si aliquid, potero μέμψιν effugere. aut cessandum igitur, aut aliquid excogitandum. sed quid haec leuia curamus? Attica mea, obsecro te, quid agit? quae me ualde angit. sed crebro regusto tuas litteras: in his acquiesco: tamen exspecto nouas. Vale.*

EXPLA-

EXPLANATIO

ABSTVLI, *transtuliq.* } abstulit a Catulo, & Lucullo, transtulit ad Varronem. & appellat eos nobilissimos homines, quod honoribus, & rebus gestis Varroni praestabant. MVLTA *detracta*} quamquam hi libri grandiores sint, quam erant illi ad Catulum, & Lucullum : tamen in illis multa erant, quae in hos non contuli. QVI *intellexeris illum uelle* } intelligere te scribis, Varronem uelle, ut ego eum meis ornem scriptis. nunc mihi peruelim scribas, quo modo intellexeris hoc illum uelle. epist. 18. Exspecto, inquit, quid ad ea, quae scripsi ad te: primum, qui intellexeris eum desiderare a me, cum ipse homo πολυγραφώτατος numquam me lacessisset. ζηλοτυπεῖσθαι } nam & hoc Atticus adscripserat, intellexisse, nescio quem a Varrone ζηλοτυπεῖσθαι, eorum, quos Cicero in suis libris intexuisset. epist. 18. BRVTVM } cui opus de Finibus despонderat. ID *hercle restabat* } εἰρωνικῶς, quasi dicat : inuidia exsistit inter pares: at Varro neutiquam Bruto comparandus: cur igitur illi inuideat? Sic pro Quinctio: Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerunt, ut te in ius adducerent. Eadem ironia Terentius utens tem Aeschinum inducit in Adelphis: qui lenoni dicenti, Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium, Periurus, pestis; tamen tibi a me nulla est orta iniuria: respondet: Nam hercle etiã id restat. Imitatus est fortasse Demosthenem, qui ἐν τῷ κατὰ φιλ. β. ἀλλ' ἰδιάζθη τί δία, inquit, τοῦτο γὰρ ἴδ' ὑπόλοιπον. *Libri &c.* } facile assentior, ueritatis caussa, ijs, qui libros de finibus ad Brutum intelligi putant. certe enim quattuor Academicos ad Varronem significare non potest, qui nondum exierant. nam, si exissent, Atticus eos legisset: non legisse autem, aperte indicat illud, Haec erunt splendidiora, breuiora, meliora: & praeterea tota epistola, & sequentes etiam, quibus Atticus consulit, num quattuor Academicos ad Varronem mittat, quos tamen iam perfecerat, Varrone partes Antiochinas in ijs defendente: sed, inquit, etsi nomina iam facta sunt; tamen uel induci, uel mutari possunt. ILLAM *iacturam* } quos enim libros de quaestionibus Academicis prius scripseram, Catulum uidelicet, Lucullum, eos uides frustra a te esse de scriptos: siquidem haec ad Varronem posteriora intelliges esse splendidiora, breuiora, meliora. BREVIORA } erit, cui Cicero uideatur eadem de re non idem dicere. quo modo enim haec ait fore breuiora, qui paullo ante de ijsdem libris hoc scripserit, Grandiores sunt omnino, quam erant illi? Non iniuria dubitabatur. certe enim grandiores, & breuiora, uoces inter se sunt non modo cohaerentes, sed etiã contrariae, & plane repugnant in sententia. sed refer hanc ad genus narrandi, illam ad operis magnitudinem : tolletur omnis dubitatio. significat enim : cum in his libris plura dixerit, quam in illis, quod attinet ad res; pressius tamen esse locutum, & breuitatem magis adamasse. ἀπορῶ, *quo me uertam &c.* } dubius sum, quid agam. nam scribere aliquid uellem, quod Dolabellae desideranti possem mittere: quid autem mittam, non reperio ego enim nunc τὰ φιλοσοφούμενα persequor: quae non uidentur eius personae conuenire; cũ is in philosophiae studio minime uersetur. praeterea, αἰδέομαι τρῶας, hoc est, uereor ne reprehendar a bonis, si quid scripsero in gratiam Dolabellae, qui cõtra remp. arma tulit Caesarem secutus. uersus est, quo utitur Hector apud Homerum, Troianorum & Troianarum reprehensionem timens, nisi cum Achille fortiter pugnauerit.

,, αἰδέομαι τρῶας, καὶ τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Dubius igitur, inquit, sum, dem ne ex meis scriptis aliquid Dolabellae, nec ne. nam & Dolabellae caussa uolo: & idem bonorum accusationem timeo. supra epist. 10. Ad Dolabellam, inquit, ut scribis, ita puto faciendum, κοινότερα quaedam, & πολιτικώτερα. faciendum certe aliquid est. ualde enim desiderat. SI *aliquid, &c.* } si aliquid ad Dolabellam misero, non potero bonorum reprehensionem effugere. AVT *cessandum igitur, aut aliquid excogitandum* } aut mihi a scriptione desistendum est: aut, si desistere nolo, excogitandum aliquid, quod Dolabellae dem, quod scilicet ab eius persona uideatur esse nõ alienum. scribere enim si pergo, & ad eum nihil mitto; offendetur, quod alios meis inseram scriptis, ipsum desiderantem non inseram. aut igitur nihil omnino scribendum; aut excogitandum, quod illi mittam. Quod enim dixerat, Non reperio, quid; intulit, Aliquid excogitandum. ANGIT } quod infirma est. ep. 12. & 15. REGVSTO } crebro, inquit, tuas litteras in manus sumo, ijs legendis acquiesco; quia scribis te de ea recte sperare. epist. 17. NOVAS } quae significent, illam aut iam conualuisse, aut aegrotare minus grauiter. Idem infra his uerbis : Attica nostra quid agat, scire cupio. etsi tuae litterae (sed iam nimis ueteres sunt) recte sperare iubent. tamen exspecto recens aliquid. uel Nouas, diem Atticae periculosum : quem exspectandum, fortasse Atticus scripserat.

Cicero S. D. Attico 14.

BRINNII *libertus, coheres noster, scripsit ad me, uelle, si mihi placet, coheredes, & Sabinum Albium ad me uenire. id ego plane nolo. hereditas tanti non est. & tamen obire auctionis diem facile poterũt, (est enim III. idus) si me in Tusculano postridie nonas mane conuenerint. quod si laxius uolent proferre diem, poterunt uel biduum, uel triduum, uel ut uidebitur. nihil enim interest. quare, nisi iam profecti sunt, retinebis homines. De Bruto, si quid erit, de Caesare, si quid scies praeterea, scribes. Illud etiam atque*

etiam

etiam consideres uelim, placeat ne tibi mitti ad Varronem, quod scripsimus; etsi etiam ad te aliquid pertinet. nam scito, te ei dialogo adiunctum esse tertium. opinor igitur consideremus. etsi nomina iam facta sunt: sed uel induci, uel mutari possunt. Vale.

EXPLANATIO

AD *me uenire.* } in Arpinum: ut ijs de auctione meam sententiam ostendam. in epistola proxima superiore. HEREDITAS *tanti non est* } ut eius caussa hanc molestiam hic subire debeam: cum huc uenerim, ut constituendis praediorum meorum mercedibus operam darem, non ut occupatus curanda auctione detinerer. IN *Tusculano* } ubi ad nonas futurus sum. ep. 12. 18. DE *Bruti* } de nouis nuptijs. ep. 10. CAESARE } de eius reditu ex Hispania. ep. 22. QVOD *scripsimus:* } quattuor libros Academicos. TE *ei dialogo adiunctum esse tertium* } infra ep. 19. Tu es tertius in sermone nostro. NOMINA } Varro, Cicero, Atticus: qui in ijs libris colloquebantur.

Cicero S. D. Attico 15.

QVID agit, obsecro te, Attica nostra? nam triduo abs te nullas acceperam: nec mirum; nemo enim uenerat: nec fortasse caussa fuerat. itaque, ipse quid scriberem, non habebam. quo autem die has Valerio dabam, exspectabam aliquem meorum: qui si uenisset, & a te quid attulisset, uidebam non defuturum, quid scriberem. Vale.

EXPLANATIO

CAVSSA *fuerat.* } cur quisquam ueniret, cur quemquam ad me mitteres; quod rem, de qua scriberes, non haberes.

Cicero S. D. Attico. 16.

NOS, cum flumina, & solitudinem sequeremur, quo facilius sustentare nos possemus, pedem e uilla adhuc egressi non sumus: ita magnos, & assiduos imbres habebamus. Illam Academicen σύνταξιν totam ad Varronem traduximus: modo fuit Catuli, Luculli, Hortensij: deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον uidebatur, quod erat hominibus non ignota, non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in ijs rebus ἀτριψία; simul ac ueni ad Catonem, Brutumq. transtuli. ecce tuae litterae de Varrone. nemini uisa est aptior Ἀντιόχεια ratio. sed tamẽ uelim scribas ad me, primum placeat ne tibi aliquid ad illum; deinde, si placebit, hoc ne potissimum. Quid Seruilia, iam ne uenit? Brutus ecquid agit, ecquando? De Caesare quid auditur? Ego ad nonas, quemadmodum dixi. Tu cum Pisone, si quid poteris. Vale.

EXPLANATIO

SVSTENTARE *nos* } afflictos, & debilitatos tum ex ruinis reip. tum ex interitu filiae. ep. 20. E VILLA } Arpinati: erat enim Arpini, cum haec scripsit: & paullo post, in Tusculanum dicit se esse rediturum ad nonas: idemq. ep. 12. TRADVXIMVS } ep. 13. HORTENSII } nam interfuit dialogo, quem secundo libro, Catulo audiente, Lucullus & Cicero habuerunt. HOMINIBVS } homines sciebant, Catulũ, Lucullum, Hortensium esse non illos quidem rudes, sed earum rerum, quae in ijs libris agerentur, ignaros. ep. 12. BRVTVMQ. } erat enim Antiochius. ep. 25. TVAE *litterae* } quibus ad me scribis te intellexisse, Varronem desiderare, ut ego eum meis scriptis insererem. ep. 13. NEMINI *&c.* } epist. 19. Vt legi tuas de Varrone, tamquam ἕρμαιον arripui. aptius nihil esse potuit ad id philosophiae genus, quo ille maxime mihi delectari uidetur. & ep. 14. PLACEAT *ne tibi &c.* } iam transduxit libros Academicos ad Varronem: sed consulit Atticum, primum placeat ne aliquid ad illum mitti; deinde, si placebit, hos ne potissimum de Academia libros. nam, si Attico aliter uisum esset, rursus Academiam a Varrone ad alios transduxisset, nominibus mutatis, ut ait ep. 13. quo item loco, Academiam cum dixisset Catulo se abstulisse, & Lucullo, ad Varronemq. transtulisse; rogat Atticum in epistolae clausula, num ei placeat ad Varronem mitti quod scripserat. & ep. 19. Dandos ne putes, inquit, hos libros Varroni, etiam atque etiam uidebis. cum eos libros in eadem epistola dixerit se iam ad Varronem transtulisse. Perspicuũ igitur est, Academicas quaestiones Varroni non ita libenter Ciceronem dedisse: cum de eo, quod iam scripserat, crebro Atticum consulat, num mitti placeat. aperte etiam ep. 19. Mihi, inquit, quaedam occurrunt: subaudi, cur Academia Varroni danda non sit. & ep. 25. Saepe mihi occurrit uultus eius, querentis

rentis fortasse uel hoc, meas partes in his libris copiosius defensas esse, quam suas. VENIT ? } Romā. ECQVID *agit, ecquando?* } de Porciae nuptijs: dictum accipio, ut supra. DE *Caesare* } de eius reditu ex Hispania. uide ep. 20. AD *nonas* } in Tusculano futurus sum. ep. 12. CVM *Pisone* } conficies. conficies autem quid? de auro. uide illud, Pisonem sicubi de auro, ep. 2.

Cicero S. D. Attico. 17.

DE VI. exspectabam Romā aliquid. non imperassem igitur aliquid tuis. nunc eadem illa, quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit, & quid a Caesare. sed quid ista, quae minus curo? Attica nostra quid agat, scire cupio. etsi tuae litterae (sed iam nimis ueteres sunt) recte sperare iubent. tamen exspecto recens aliquid. Vale.

EXPLANATIO

DE VI. } de sexto Kalendas. TVIS } ut a te mihi litteras referrent, cum ab alijs exspectarem. EADEM } cum scribendi sententiam non habeam; eadem nunc ad te scribam, quae antea scripsi; haec scilicet; quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit; hoc est, num Porciam cogitet uxorem ducere, aut si iam duxit. QVID *a Caesare* } quid afferatur de eius aduentu. epist. 10. & 12. QVID *agat* } ut ualeat. epist. 14.

Cicero S. D. Attico. 18.

VIDES, propinquitas quid habet. nos uero conficiamus hortos. colloqui uidebamur, in Tusculano cum essem: tanta erat crebritas litterarum. sed id quidem iam erit, ego interea admonitu tuo perfeci sane argutulos libros ad Varronem: sed tamen exspecto, quid ad ea, quae scripsi ad te: primum qui intellexeris eum desiderare a me, cum ipse homo πολυγραφώτατος numquam me lacessisset: deinde, quem ζηλοτυπεῖν: multo, Hortensium minus, aut eos, qui de rep. loquuntur. plane hoc mihi explices uelim: in primis, maneas ne in sententia, ut mittam ad eum, quae scripsi; an nihil necesse putes. sed haec coram. Vale.

EXPLANATIO

CONFICIAMVS *hortos* } emamus hortos: ut & habeam non modo tibi fanum aedificare, sed etiā ubi ipse esse possim; & ab urbe tamen longe ne absim. ep. 36. l. 12. Maxima, inquit, est in Scapulae celebritas, propinquitas praeterea ubi sis; ne totum diem in uillam. IAM *erit* } iam ero in Tusculano. erat enim Arpini. DESIDERARE *a me* } ut ad ipsum ex meis scriptis aliquid mittam. ep. 12. & 19. NVMQVAM *me lacessisset* } nihil umquam ad me misisset. QVEM ζηλοτυπεῖν. } epist. 13. MVLTO *Hortensium minus, &c.* } sensus est: Scribe ad me, cuinam inuideat Varro. nisi forte Bruto. quod si Bruto non inuidet multo minus Hortensio; aut ijs, quos in libros de rep. induxi: siquidem omnes mortui, ideoq. extra inuidiam. Videtur propter breuitatem subobscura sententia. nam ante illud, Multo Hortensium minus, apparet aliquid desiderari: & sane desideratur: quod autem desideratur, hoc est: Nisi forte Brutum. id enim Cicero omittit, quod apertius paullo ante scripserat, his uerbis: Illud utique scire cupio, quem intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσαι: nisi forte Brutum. Hortensium autem Cicero inscripserat eum librum, quo philosophiam laudauit: ut l. 2. de Diuinatione. itemq. eum incluserat in eum dialogū, qui secundo Academicorum libro explicatur. VT *mittam ad eum, quae scripsi* } ut mittam ad eum quattuor libros Academicos. CORAM } iam enim ero in Tusculano: quo tu ad me uenies, ut de his rebus coram. ep. 14. & sequenti.

Cicero S. D. Attico. 19.

COMMODVM discesserat Hilarus librarius IV. Kal. cui dederam litteras ad te, cum uenit tabellarius cum tuis litteris pridie datis: in quibus illud mihi gratissimum fuit, quod Attica nostra rogat te, ne tristis sis, quodq. tu ἀκίνδυνα esse scribis, Ligarianam, ut uideo, praeclare auctoritas tua commendauit. scripsit enim ad me Balbus, ac Oppius, mirifice se probare, ob eamq. caussam ad Caesarem meam se oratiunculam misisse.

misisse. hoc igitur idem tu mihi antea scripseras. In Varrone ista caussa me non moueret, ne uiderer φιλένδοξος. sic enim constituebam, neminem includere in dialogos eorum, qui uiuerent: sed, quia scribis & desiderari a Varrone, & magni illum aestimare; eos confeci, & absolui, nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra: Academicã omnem quaestiones libris quattuor. in eis, quae erant contra ἀκαταληψίαν, praeclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea ipse respondeo: tu es tertius in sermone nostro. si Cottam, & Varronem fecissem inter se disputantes, ut a te proximis litteris admoneor; meum κωφὸν πρόσωπον esset. hoc in antiquis personis suauiter fit, ut & Heraclides in multis, & nos sex de rep. libris fecimus, sunt etiam de oratore nostri tres, mihi uehementer probati. in eis quoque eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Iulius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. puero me hic sermo a me inducitur, ut nullae esse possent partes meae. quae autem his temporibus scripsi. Ἀριστοτέλειον morem habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. ita confeci quinqne libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni daremus. ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quod omnes illi decesserant. haec Academica, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. sane in personas non cadebant. erat enim λογικώτερα, quam ut illi de ijs somniasse umquam uiderentur. itaque, ut legi tuas de Varrone, tamquam ἕρμαιον arripui. aptius esse nihil potuit ad id philosophiae genus, quo ille maxime mihi delectari uidetur, easq. partes, ut non sim consecutus, ut superior mea caußa uideatur. sunt enim uehementer πιθανὰ Antiochia: quae diligenter a me expreßa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum: si modo is est aliquis in nobis. sed tu, dandos ne putes hos libros Varroni, etiam atque etiam uidebis. mihi quaedam occurrunt: sed ea coram. Vale.

EXPLANATIO

NE *tristis sis,* } propter ipsius inualetudinem. ἀκίνδυνα non periculosa: quod scribis eam non periculose aegrotare. COMMENDAVIT: } cum enim eam a te laudari Balbus ac Oppius cognouisset, auctoritate tua permoti probare & ipsi cœperunt. epist. 12. Ligarianam, inquit, praeclare uendidisti. NE *uiderer φιλένδοξος* } constituerat Cicero neminem includere in dialogos, eorum, qui uiuerent; ideoq. Varronem intexere nusquam poterat: sed, commotus Attici litteris, qui scripserat Varronem & desiderare, & magni aestimare, mutato consilio in libros illum Academicos induxit, Antiochi sententiam de Academia explicantem. φιλένδοξος: amator illustrium uirorum. scripserat enim Atticus, non semper Ciceroni quaerendos esse Catulos, & Lucullos, Africanos, & Laelios, aut huiusmodi uiros, quibus sermonem tribueret in suis libris; ne nimis ambitiosus in claros uiros uideretur; sed etiam dandum esse aliqud ijs, qui minus illustres essent; proptereaq. de Varrone cogitandum: ne si semper in suis dialogis disputantes fecisset homines gloria praestantes, ut in tribus oratorijs libris, sex de rep. duobus Academicis, φιλένδοξος uideretur. Respondet: Academicas quaestiones ad Varronem non ideo transtuli, ne uiderer φιλένδοξος, (nam ista caussa me non moueret: si quidem iccirco ego de Varrone minus cogitabam, non quod essem φιλένδοξος, uerum quia constituebam, eorum, qui uiuerent, neminem in dialogos includere) sed quia scribis, & desiderare illum, & magni aestimare. EOS } dialogos de Academia: quod per appositionem explanat, inferens, Academicam omnem quaestionem. ACADEMICAM *omnem quaestionem libris quattuor.* } hoc totum suspicor abundare, ut glossema superiorum uerborum. COLLECTA } quae enim Antiochus contra Philonis opinionem colligere solitus erat, asserentis nihil posse comprehendi; ea Cicero Varronem fecit explicantem in libris Academicis. IPSE *respondeo* } ideo dicit in epistola ad Varronem: Tibi dedi partes Antiochinas; quas a te probari, intellexisse mihi uidebar: mihi sumpsi Philonis. COTTAM, } L. Aurelium Cottam, L. Torquati in consulatu collegam, insignem iudicijs inter tres ordines communicatis. IN *antiquis personis* } cum ijs, qui multis annis ante nos fuerunt, sermonem tribuimus: nullas loquendi partes ipsi assumimus: idq. suauiter, & uenuste fit. quod seruauit Heraclides, idemq. nos in de rep. HERACLIDES } cognomento Ponticus, siue Pompicus a mollitie, Platonis, & deinde Aristotelis auditor, cuius scripta non exstant. ep. 5. l. 3. ad Q. fr. & in Tusc. 5. & Laertius. Ἀριστοτέλειον *morem* } in quo ita disputatur, ut eius sententia, qui illam disputationem scribit, principem locum obtineat. ITA *confeci* } Ita, Aristotelico more. in primo enim & secundo libro cum Torquato, in tertio & quarto cum Catone, in Quincto cum Pisone disputat, & ita disputat, ut penes ipsum sit principatus. SOMNIASSE } usque adeo Catulus, Lucullus, Hortensius earum rerum, de quibus in duobus Academicis differebant, imperiti, ignariq. erant, ut de ijs ne somniasse quidem umquam uideri possent. ep. 12. & 16. DE *Varrone* } ut eum desiderantem meis libris intexerem. ep. 16. AD *id philosophiae genus* } ad Antiochiam rationem, quae in ijs libris explicatur, aptius nihil esse potuit, quam Varronis persona. ep. 12. EASQ. *partes* } quas ego mihi sumpsi. recte, inquit, cecidit, ut Antiochia Varroni dederim, quae sunt uehementer πιθανὰ, partes Philonis mihi sumpserim. facile enim hac ratione sum consecutus, ne superior mea caussa uideretur. quo maiorem a Varrone gratiam inibimus. VEHEMENTER πιθανὰ } quae Varro narrat in ijs libris, ab Antiochio audita, sunt ad persuadendum aptiora, quam illa, quae ego contra Antiochum ex Philonis sententia disputo: ut hoc queri non possit, meas partes in his libris copiosius defensas esse, quam suas. epist. 25. OCCVRRVNT } cur nou dandos putem. ep. 22. & 24. CORAM } nam in Tusculano iam ero. quod & in proxima superiore epistola, & in ea, quae proxime sequitur, significat. Tusculanum autem ita propinquum Romae erat, ut eo saepe ad Ciceronem Atticus excurreret.

Cicero S. D. Attico. 20.

A Caesare litteras accepi consolatorias: datas prid. Kal. Mai. Hispali. De urbe augēda quid sit promulgatum, non intellexi. id sane scire uelim. Torquato nostra officia grata esse, facile patior: eaq. augere non desinam. De uxore Tuberonis, & priuigna, neque possum iam abdere, (est enim res peruulgata) neque Tuberonem uolo defendere: mirifice est enim φιλαίτιος. theatrum quidem sane bellum habuisti. ego, etsi hoc loco facillime sustentor, tamen te uidere cupio: itaque, ut constitui, adero. Fratrem credo a te esse conuentum, scire igitur studeo, quid egeris. De fama nihil sane laboro. etsi scripseram ad te tunc stulte. nihil melius. curandum enim non est: atque hoc: in omni uita sua quemque a recta conscientia transuersum unguem non oportet discedere. uiden', quam φιλοσόφως? an tu nos frustra existimas haec in manibus habere? δεδῆχθαι te nollem, quod nihil erat. redeo enim rursus eodem. quid quam ne me putas curare in toto, nisi ut ei ne desim? id ago scilicet, ut iudicia uidear tenere. μὴ γὰρ αὐτοῖς. uellem tam domestica ferre possem, quam ista contemnere. putas autem me uoluisse aliquid, quod perfectum non sit? non licet scilicet sententiam suam: sed, tamen, quae tum acta sunt, non possum non probare: & tamen non curare pulchre possum, sicuti facio. sed nimium multa de nugis.

EXPLANATIO

Consolatorias, } in Tulliolae morte. ep. 22. Hispali } quo Caesar iuit post Pompeij filiū acie uictum, ut est in libro de bello Hispaniensi. Vrbe *augenda* } ut a ponte Miluio secundum montes Vaticanos Tiberis duceretur. sic enim fiebat, ut, Vaticanis montibus cis Tiberim inclusis, & ea fossa, qua prius Tiberis decurrisset, exsiccata, magnam in amplitudinem urbs explicaretur. ep. 33. & 35. Promvlgatvm } scriptum in lege proposita. nam Promulgare ualet legem proponere, facta potestate, ut intercederet, si quis uellet: nemine intercedente, ex promulgatione ad populum ferebatur. Nostra *officia* } quod eum Dolabellae de meliore nota commendauerim. ep. 9. De *uxore Tuberonis, & priuigna* } de rixa inter uxorem & priuignam Tuberonis orta. Neqve *Tuberonem uolo defendere* } qui eam rixam aluerit, cum exstinguere deberet. Theatrvm } habuisti: quod, tamquam in theatro, spectare posses cum uoluptate. quid autem spectare? rixam scilicet inter uxorem Tuberonis, & priuignā. Nihil *melius* } stulte ad te scripseram, nihil esse melius fama: hoc est, nihil apud nos pluris esse debere, quam ut homines de nobis honorifice loquantur. nunc de fama nihil laboro: curandum enim nō est. Atqve *hoc &c.* } de fama curandum non est: at hoc quidem est curandum: in omni uita sua quemque a recta conscientia transuersum unguem non oportet discedere. ad duas enim dictiones, Atq. hoc, subintelligitur, Curandum. malim autem, Quemquam, pro, Quemque. Qvam *φιλοσόφως* } quā philosophice tecum agam. & refertur ad illud, quod proxime dixit, In omni uita sua quemque a recta conscientia transuersum unguem non oportet discedere. est enim philosophica sententia. Haec *in manibus habere?* } libros de philosophia tractare? Nam hoc tempore philosophiam Cicero Latinis litteris explicabat. *Δεδῆχθαι te nollem* } nollem te momordisset. quod scripsi nihil me laborare de fama; ego enim in toto nihil curo, nisi ut ei ne desim. Qvod *nihil erat* } nihil putes licet, quod supra scripsi de fama. nollem, inquit, te me mordisset id, quod scripsi de fama: quod nihil erat. Eodem } ad id, quod institueram scribere de fama. In *toto* } re ipsa. Id *ago scilicet* } εἰρωνεία: quasi hoc dicat: Non id ago, ut iudicia uideat tenere, ut in iudicijs uidear regnare: itaque, quod attinet ad iudicia, non curo famam: sed, si summam uideas cogitationum & actionum mearum, curare me diceres: a recta enim conscientia transuersum unguem non discedo: ita ne famae quidem desum: siquidem recte uiuentes infamia non sequitur. ad speciem igitur nihil ago, ut uidear laborare de fama, sed in toto, hoc est re ipsa, famae non desum; cum ita uiuo, & ita animatus sum, ut nemo me in officio boni uiri possit reprehendere. Μὴ γὰρ αὐτοῖς } neque enim ipsis: subaudi, quidquam tribuo. & uidetur locus ex uetere poeta: quem Cicero suo more, ut Attico satis notum, non totum recitat. Domestica } quae sunt domestica, quae dicit se non posse ferre? interitus filiae, Quinctorum in se maledicta, patris, & filij. ep. 9. l. xi. & 37. l. 12. Ista } urbana. Perfectvm } rectum, & honestum. Sententiam *suam* } ostendere: sed tamen hoc, quod dicam, uere dictum puta: quod iudicijs olim operam dederim, non possum non probare: eadem tamen non curare pulchre possum.

Cicero S. D. Attico. 21.

Ad Hirtium dederam epistolam sane grandem, quā scripseram proxime in Tusculano huic, quā tu mihi misisti, rescribam alias: nunc alijs malo. Quid possū de Torquato, nisi aliquid a Dolabella? quod simul ac, cōtinuo scietis: exspectabā hodie, aut summū cras ab eo tabellarios: qui simul ac uenerint, mittētur ad te. A Quincto exspecto. proficiscēs n. e Tusculano VIII. Kal. ut scis, misi ad eum tabellarios. Nunc, ad rem ut redeam,

inhibere illud tuum, quod ualde mihi arriserat, uehementer displicet. est enim uerbum totum nauticum. quamquam id quidem sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, cum inhiberi essent remiges iussi. id non esse eiusmodi didici heri, cum ad uillam nostram nauis appelleretur. non enim sustinent, sed alio modo remigant. id ab ἐποχῆς *remotissimum est. quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. dices hoc idem Varroni, si forte mutauit. nec est melius quidquã, quã ut Lucullus*

Sustineat currum, ut bonu' saepe agitator, equosque. semperq. Carneades προβολὴν *pugilis, & retentionem aurigae similem facit* ἐποχῇ. *inhibitio autem remigum motum habet, & uehementiorem quidem, remigationis nauem conuertentis ad puppim. uides, quanto hoc diligentius curem, quam aut de rumore, aut de Pollione. De Pansa etiam, si quid certius. credo enim palam factum esse de Critonio, si quid esset. Certe ne de Metello, & Balbino? dic mihi, placet ne tibi primum edere iniussu meo? hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is, qui Platonis libros solitus est diuulgare; ex quo* λόγοισιν Ἑρμόδωρος. *quid illud? rectum ne existimas cuiquam quidquam ante, quam Bruto? cui te auctore* προσφωνῶ. *scripsit enim Balbus ad me, se a te quintũ de finibus librum descripsisse: in quo non sane multa mutaui, sed tamen quaedam. tu autem commode feceris, si reliquos continueris; ne &* ἀδιόρθωτα *habeat Balbus, &* ἕωλα *Brutus. sed haec hactenus: ne uidear* περὶ μικρὰ σπουδάζειν. *etsi nunc quidem maxima mihi sunt haec: quid est enim aliud? Varroni quidem quae scripsit te auctore, ita propero mittere, ut iam Romam miserim describenda. ea si uoles, statim habebis: scripsi enim ad librarios, ut fieret tuis, si uelles, describendi potestas. ea uero continebis, quoad ipse te uideam, quod diligentissime facere soles, cum a me tibi dictum sit. Quo modo autem fugit me, tibi dicere? mirifice Caerellia, studio uidelicet philosophiae flagrans, describit a tuis. istos ipsos de finibus habet, ego autem tibi non firmo, (possum falli, ut humanus) a me non habere. numquam enim ab oculis meis abfuerunt. tantum porro aberat, ut binos scriberent: uix singulos confecerunt. tuorum tamen eo nullum delictum arbitror: idemq. te uolo existimare. a me enim praetermissum est, ut dicerem eos exire non dum uelle. Hui quam diu de nugis. de re enim nihil habeo, quod loquar. De Dolabella tibi assentior. coheredes, ut scribis, in Tusculano. De Caesaris aduentu, scripsit ad me Balbus, non ante kal. Sext. De Attica optime, quod leuius, ac leuius, & quod fert* εὐκόλως. *Quod autem de illa nostra cogitatione scribis, in qua nihil tibi credo ea, quae noui: ualde probo hominem, domum, facultates: quod caput est, ipsum non noui: sed audio laudabilia de Scrofa. etiam proxime accedit, si quid hoc ad rem.* ἀγχιστεὺς *est etiam, quam pater. coram igitur, & quidem propenso animo ad probandum. accedit n. quod patrem, ut scire te puto, plus etiam, quam non modo tu, sed quam ipse scit, amo, idq. & merito, & iam diu. Vale.*

EXPLANATIO

QVID *possum de Torquato* } scribis, ut significem tibi de Torquati negotio: quid possum significare, nisi aliquid a Dolabella cognouero? nam illud negotium Dolabellae Cicero commendauerat. epist. 9. QVOD *simul ac* } simul ac scripserit ad me Dolabella quid egerit cum Caesare de Torquati re; continuo perscribam. SCIETIS } tu, & Torquatus. AB ἐποχῆς } ab assensionis retentione. Inhibitio, inquit, non idem est, quod Retentio. nam, retinere, illud est, quod aurigae faciunt, equorum cursum adductis habenis sistentes. inhibere autem, non cum remiges nauem sistunt, sed cũ, alio modo remigantes, eam conuertunt ad puppim. Acad. qu. l. 2. IN *libro* } in secundo Academicorum. NEC *est melius quidquam, &c.* } in II. Academicarum quaestionum libro, contra se ipsum ex Luculli persona sic loquitur Cicero: Nihil me laedit, inquit. ego enim, ut agitator callidus, prius quam ad finem ueniam, equos sustinebo; eoq. magis, si locus is, quo ferentur equi, praeceps erit. sic me ante sustinebo: nec diutius captiose interroganti respondebo. Hic, ut opinor, Atticus Ciceronem monuerat, ut pro, Equos sustinebo, scriberet, Equos inhibebo. eumq. Cicero secutus, locum mutauit. deinde cum, Inhibere, non idem esse, quod sustinere, didicisset; Attico scripsit, ut restitueretur, Sustinebo. NEC *est &c.* } uerbum, inquit, Inhibere, quod ualde arriserat, in istum locum uideo non recte uenire: nec est melius quidquam, quam ut dicatur, sustinere currum, equosq.. Quoniam autem illa, quae ex Academicarum secũdo recitaui, sunt ex Luculli persona, qui futurum dicit, ut ad interrogationes soritarum non minus assensionem sustineat, quam sustinere equos soleat agitator callidus: iccirco in hac epistola Cicero, Nec est, inquit, melius quidquam, quam ut Lucullus sustineat currum, ut bonus saepe agitator, equosq. hoc est: Melius nihil esse potest, quam ut Lucullus sustinere se dicat siue currum, siue equos, quemadmodum saepe sustineat: bonus agitator. Illud autem, Sustineat currum, ut bonus saepe agitator, equosq.: sentio uersum esse ex uetere poeta: quem Cicero integrum sumpsit, quod ad sententiam faciebat. quod & alibi eum fecisse animaduertimus. atque illud, quod supra posui ex secundo Academicarum; Ego enim, ut agitator callidus, equos sustinebo; ex eo uersu esse sumptum, nemo non uidet. προβολὴν *pugilis* } προβολὴν ait esse id, quod pugiles in pugna faciunt, cum, feriendi caussa, brachia protendunt. AVT *de rumore, aut de Pollione.* } scripserat enim Atticus rumoris esse nescio quid, praesertim de Asinio Pollione, qui cum Caesare bellum gesserat in Hispania contra Pompeij liberos. DE *Pansa etiam* } de Pansa etiam curo: si quid certius, ut id ad me perscribas. CREDO *enim &c.* } utinam Attici epistolas ad Ciceronem haberemus. quam multa paterent, quae nunc, tamquam in tenebris abdita, non uidemus. hic certe, quid de Pansae negotio significetur, si quis ex ingenio uelit quaerere; frustra sit diligens. SI *quid esset* } scribe, subauditur. CER-

TI *ne &c.* } certe ne ita est, ut ad me scripsisti, de Metello Balbino? DIC *mihi &c.* } leuiter cum Attico queritur, quod Balbo quinctum de Finibus librum dederit describendum. FACIEBAT } quod tu facis, cum iniussu meo mea diuulgas. uenditabat ille quidem Platonis libros, numquam tamen eos edidit insciente domino. λόγοισιν Ἑρμόδωρος } uerbis lucratur Hermodorus. quod tum in ore hominum frequentissimum fuit. CVIQVAM } dari. nam quinctum librum Balbo dederat ante, quam Bruto, ad quem opus mittebatur. ἀδιόρθωτα } imperfecta, non plane correcta. nam, quaedam dicit se mutasse in quincto, postquam eum Balbus ab Attico describsciat. recte igitur ἀδιόρθωτα. & ep. 22. Nolebam, inquit, aut obsoletum Bruto, aut Balbo inchoatum dari. quo loco Inchoatum posuit pro rudi, & impolito: & ἀδιόρθωτα hic in eam sententiam usurpauit. sic enim est legendum. ἕωλα obsoleta, nimis uetera. nam si & Balbus, & alij eos libros habebunt ante, quam Brutus: ἕωλα certe erunt, cum illi dabuntur, eoq. minus grata. QVAE *scripsi* } quattuor Academicos significat. ME *tibi dicere?* } id quod sequitur, Caerelliam describere libros Academicos. CAERELLIA } cum hac Ciceronem libidinis commercium habuisse, Q. Fusius Calenus in oratione sua apud Dionem obiecit, lib. 46. A ME } a librarijs: ut paullo post: Ad te scripseram, Caerelliam quaedam habere, quae nisi a te non potuerit. IN *Tusculano.* } me conuenient, ut de auctione Brinniana colloquantur. epist. 12. & 13. ADVENTV } redibat ex Hispania deuictis Pompeij liberis. LEVIVS } aegrotat. ep. 12. & 13. COGITATIONE } cuinam in matrimonio collocetur, cum fere iam sit nubilis. NIHIL *tibi credo &c.* } quippe cum ipse nouerim. credimus autem ea, quae non nouimus. HOMINEM } hoc refer ad genus, non ad mores. infert enim, Ipsum non noui. DE *Scrofa* } sic alibi, Audiui de socero meo. ACCEDIT } cum prope Attici aedes habitaret: ut, si Atticam uxorem haberet, ad soceri non longinquas aedes commode iret. opinor enim, cum unicam filiam Atticus haberet, eum apud se habitare cum filia uolebat. quod fere nunc quoque fit. εὐγενέστερος } nobilior. quod ad genus attinet, ob maternos affines.

Cicero S. D. Attico. 22.

DE Varrone, non sine caussa, quid tibi placeat, tam diligenter exquiro. occurrunt mihi quaedam: sed ea coram. te autem ἀσμενέστατα *intexui, faciamq. id crebrius. proximis enim tuis litteris primum, te id non nolle, cognoui. De Marcello, scripserat ad te Cassius antea,* τὰ κατὰ μέρος *Seruius. rem acerbam. ad prima redeo. Scripta nostra nusquam malo esse, quam apud te, sed ea tam feras dari, cum utrique nostrum uidebitur. ego & librarios tuos culpa libero, neque te accuso, & tamen aliud quiddam ad te scripseram, Caerelliam quaedam habere, quae nisi a te non potuerit, Balbo quidem intelligebam satisfaciendum fuisse: tantum nolebam, aut obsoletum Bruto, aut Balbo inchoatum dari, Varroni, simul ac te uidero, si tibi uidebitur, mittam. quid autem dubitarim, cum uidero te, scies. Attributos quod appellas, ualde probe. Te de praedio Auiae exerceri, moleste fero. De Bruto nostro, perodiosum: sed uita fert. mulieres autem uix satis humane quae inimico animo ferant, cum utraque officio pareat. Tullium scribam, nihil fuit, quod appellares. nam tibi mandassem, si fuisset. nihil enim est apud eum positum nomine meo. sed est quiddam apud illum meum. id ego in hanc rem statui conferre. itaque & ego recte tibi dixi, ubi esset: & tibi ille recte negauit. hoc quoque ipsum continuo adoriamur. locum hominibus non sane probo, quod est desertior: sed habet* εὐλογίαν. *utrum hoc quoque, ut censueris; quippe qui omnia. Ego, ut constitui, adero: atque utinam tu quoque eodem die. sin quid; multa enim; utique postridie. etenim coheredes: a queis sine te opprimi, malitia est. Alteris iam litteris nihil ad me de Attica. sed id quidem mihi in optima spe pono. illud accuso, non te, sed illam, ne salutem quidem. at tu & illi, & Piliae plurimam: nec me tamen irasci iudicaris. Epistolam Caesaris misi, si minus legisses. Vale.*

EXPLANATIO

QVID *tibi placeat,* } num ad eum mittendi uideantur quattuor Academici. ep. 20. OCCVRRVNT } cur mittendi non sint. INTEXVI } nam ei dialogo tertius adiunctus est. epist. 13. & 19. CREBRIVS } ut te in meis libris intexam. DE *Marcello* } de Marcelli interitu. epist. 10. SERVIVS } Sulpicius. cuius epistolam de interitu Marcelli significat. ea legitur epist. lib. 4. ad Sulpicium. CVLPA *libero,* } quod meorum librorum copiam fecerint paullo ante, Tuorum, inquit, nullum delictum arbitror. a me enim praetermissum est, ut dicerem, eos exire nondum uelle. ALIVD *quiddam* } & tamen, quasi te accusans, scripseram, Caerelliam quaedam habere, quae nisi a te non potuerit. epist. 21. SATISFACIENDVM } ut quinctum de Finibus librum describeret. Erat autem Balbi apud Caesarem summi ponderis auctoritas: ut non sine caussa dicat, Balbo quidem intelligebam satisfaciendum fuisse. ep. 21. AVT *obsoletum Bruto, aut Balbo inchoatum* } nolebam, libros de Finibus exire, antequam ego eos ad Brutum, cui desponderam, misissem: ne scilicet, cum mitterem, obsoleti uiderentur, quos iam multi ante legissent. INCHOATVM: } nolebam eorum librorum Balbo copiam fieri, quod inchoati, & rudes, nequedum perfecti essent. ep. 21. MITTAM } quattuor Academicos. ep. 21. QVID *autem dubitarim* } cur dubitarim, mittendi essent, nec ne; scies, cum te uidero. epist. 19. ATTRIBVTOS } assignatos tibi a me,

me, quos exigeret. APPELLAS } ut pecuniam numerent. epist. 19. lib. 5. DE *praedio auiae* } de praedio, quod ad te hereditate peruenerat auiae tuae morte. epist. 2. lib. 1. PERODIOSVM } opinor de diuortio: de quo supra. TVLLIVM *scribam* } hic est M. Tullius cognomento Laurea, de quo in epistola ad Rufum, & Plinius. TIBI *mandassem* } apud Tullium scribam pecuniae quiddam Cicero posuerat, Atticoq. dixerat. Atticus, qui a Cicerone haberet in mandatis, ut, nominibus exigendis, quantamcumque posset ei pecuniam cogeret; arbitratus eam pecuniam apud Tullium positam nomine uoti, adiuit ad eum: petijt, quod apud eum Cicero posuisset uoti nomine, sibi daret. tum ille, uoti nomine quidquam apud se positum, negauit. NOMINE *uoti* } ad fanum, quod filiae uouerat. epist. 18. & alibi. IN *hanc rem* } in fanum. DIXI, *ubi esset* } dixi, apud Tullium me pecuniae nescio quid habere. CONTINVO *adoriamur* } hanc quoque pecuniam quamprimum exigamus. HOMINIBVS } ad fanum probo: ad hominum habitationem non probo. εὐλογίαν } quod probemus. uide epistolam sequentem. QVI *omnia* } qui omnia ad te refero, nihil constituens nisi de consilio tuo. ADERO } in Tusculano. SIN *quid; multa enim &c.* } sin quid te Romae detinebit, multa enim possunt; utique postridie mecum sis. etenim coheredes eo die aderunt, idest postridie nonas. epist. 15. MALITIA *est* } nam, si me illi ante aduentum tuum opprimerent, astute factum ab illis uideretur: ut, te absente, facilius mihi de hereditate imponerent. IN *optima spe pono* } te enim de ea nihil scribente, in spem uenio, aut leuiter aegrotare, aut fortasse etiam iam conualuisse. ep. 19. EPISTOLAM *Caesaris* } quam Caesar ad Ciceronem misit ex Hispania, consolans de obitu filiae. epist. 20. INDICARIS } multo rectius, quam, ut alii, Iudicaris: ut referatur ad Atticum.

Cicero S. D. Attico. 13.

ANTEMERIDIANIS *tuis litteris heri statim rescripsi: nunc respondebo uespertinis. Brutus, mallem, me accerseret. nam & aequius erat, cum illi iter instaret & subitum, & longũ: & mehercule nunc, cum ita simus affecti, ut non possimus plane simul uiuere, (intelliges enim profecto, quo maxime posita sit* συμβίωσις*) facile patiebar, nos potius Romae una esse, quam in Tusculano. libri ad Varronem non morabantur. sunt enim defecti, ut uidisti: tantum librariorum menda tolluntur. de quibus libris scis me dubitasse: sed tu uideris. item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarij. Mea mandata, ut scribis, explica. quamquam ista retentione omnes ait uti Trebatius: quid tu istos putas? nosti domum, quam confice* εὐλόγως*. incredibile est, quam ego ista non curem. omni tibi asseueratione affirmo, quod mihi credas uelim, mihi maiori offensioni esse, quam delectationi, possessiunculas meas. magis enim doleo, me non habere cui tradam, quam habere, qui utar. atque illud Trebatius se tibi dixisse narrabat. tu autem ueritus es fortasse, ne ego inuitus audirem. fuit id quidem humanitatis: sed, mihi crede, iam ista non curo. quare da te in sermonem, & perseca, & confice, excita, compella, loquere, ut te cum illa Scaeua loqui putes. ne existimes eos, qui non debita consectari soleant, quod debeatur, remissuros. de die tantum uideto, & id ipsum bono modo. Vale.*

EXPLANATIO

MALLEM, *me accerseret* } significas, Brutum in Tusculanum ad me uenturum. mallem, Romam me accerseret. ITER } cum ire obuiam Caesari constituisset, ex Hispania redeunti. epist. 10. LONGVM } cum Caesari obuiam ire longissime uelles. epist. 39. Aueo scire, qualis ei totius itineris summa fuerit. AFFECTI } uterque curis de republica, ipse uero etiam interitu filiae. VIVERE } refertur ad iucunditatem, remissionemq. animorum: quale illud epist. 15. lib. 4. Rosiae uixi cum Axio. & epist. 20. libro 14. Cum Pansa uixi in Pompeiano. QVO *maxime posita* } posita est enim in iucunditate. cum autem iucunde non liceat uiuere, nulla potest esse συμβίωσις. NON *morabantur:* } quattuor Academici ad Varronem non impediunt, quo minus Romam uenire possim. SVNT *enim defecti* } uerbum, Defecti, sententia non patitur, ac ne linguae quidem Latinae consuetudo. quod si, Perfecti, aut Descripti, recte. DVBITASSE } num ad Varronem mitterentur. epist. 22. QVOS *Bruto mittimus* } libros de Finibus. ISTA *retentione* } ut debitam pecuniam non omnino soluant, sed aliquid retineant: &, Ista, a Caesare permissa; ut debitoribus subueniret; quorum etiam caussa legem de aestimatione tulerat: libro 3. de bello ci. ISTOS } Caesarianos: qui, quod omnibus iure conceditur, eo magis utentur potentiae caussa. intelligit autem, opinor, coheredes, quibus partem suam uendi ab Attico cupiebat. DOMVM } ex hereditate. CONFICE } uende meam scilicet partem. εὐλόγως } honesta condicione, non optima, sed tolerabili. ISTA } facultates, & opes: quae multi curant. CVI *tradam* } quod & de filio desperaret, amissa republica. uel, Cui tradam, cui tradenda uideantur. quasi filium non probaret. & certe non fuit, quem tanti patris filium agnosceres. Plinius. QVAM *habere* } subaudi, laetor: ut ad duo uerba, Offensioni, & Delectationi, duo item membra referantur. ILLVD } de retentione. IN *sermonem* } cum coheredibus. PERSECA } ut res, si non perficiatur, saltem aliqua ratione terminetur. iam enim rei familiaris iacturam non curo. CVM *ill* Scaeua

Scaeua } cum quo soles admodum libere loqui. Eos } Caesarianos. Consectari } in rapinis, uel in auctionibus de Pompeianorum bonis, uel quouis modo. Remissuros } non esse usuros retentione, quae illis communis omnium uideatur. De *die* } de retentione recusandum nobis non est: de die, quam illis ad soluendum permitti uelimus, uidendum: neque id ipsum tamen uehementer est agendum. confici enim prorsus uolo; si non licebit, qua die uolumus; ea, qua licebit. Bono *modo* } leuiter, non acriter. itidem locutus est ad Quinct. fratrem libro 2. ἀμφιλαφίαν illam tuam bono modo desidero.

Cicero S. D. Attico. 24.

Quid est, quod Hermogenes mihi Clodius, Andromenem sibi dixisse, se Ciceronem uidiße Corcyrae? ego enim audita tibi putaram. nil igitur ne ei quidem litterarum? an non uidit? facies ergo ut sciam. Quid tibi ego de Varrone rescribam? quattuor διφθέραι sicut in tua potestate. quod egeris, id probabo. nec tamen αἰδέομαι Τρῶας: quid enim? sed, ipsi quam res illa probaretur, magis uerebar. sed quoniam tu suscipis, in alteram aurem. Vale.

EXPLANATIO

Ciceronem } Marcum filium. Litterarum? } dedit Cicero, subaudi. An *non uidit?* } an potius eum Andromenes non uidit? Facies *&c.* } cognosces ex ipso Andromene, num eum Corcyrae uiderit. De *Varrone* } de mittendis ad Varronem quattuor Academicis. Quattuor διφθέραι } μετωνυμία: ut illud Virgilianum: Nunc pateras libate Ioui. posuit enim continens pro contento, quattuor libros Academicos significans: nam διφθέραι, librorum opercula. In *tua potestate* } quia, mittendi sint ad Varronem Academici, nec ne, ad te refero. ep. 19. & 22. Nec *tamen αἰδέομαι Τρῶας* } nō equidem uereor, ne quemquam offendam, si Academicos ad Varronem mittam: sed, ipsi quam res illa probaretur, ueritus sum: ideoq. dubitaui, utrum mitterem: uerum hoc in tua potestate est, mittatur, nec ne. Et illud, αἰδέομαι Τρῶας, non arbitror hic ad Pompeianos, aut ad Caesarianos pertinere, potius generatim esse positum, hoc sensu, Nec tamen sermones hominum reformido. illud autem, epist. 13. Et simul αἰδέομαι Τρῶας, ad Pompeianos spectat. Res *illa* } quattuor Academici. Tu *suscipis* } tuo periculo Academicos ad Varronem mitti uis. & ita promittis fore, ut illi probentur, ut in te recipias. In *alteram aurem* } dormio. securi animi sum de Academicis; quando tu hoc suscipis, fore ut Varroni placeant.

Cicero S. D. Attico 25.

De retentione, rescripsi ad tuas accurate litteras scriptas. conficies igitur, & quidem sine ulla dubitatione, aut retractatione. hoc fieri & oportet, & opus est. De Andromene, ut scribis, ita putaram: scisses enim, mihiq. dixisses. Tu tamen ita mihi de Bruto scribis, ut de te nihil. quando autem illum putas? nam ego Romam pridie idus. ita uolui Bruto scribere: sed quoniam tu te legisse scribis, fui fortasse ἀσαφέστερος, me ex tuis litteris intellexiße, nollo eum me quasi prosequendi sui caußa Romam nūc uenire. sed quoniam iam adest meus aduentus; fac quaeso, ne quid cū idus impediant, quo minus suo commodo in Tusculano sit. nec enim ad tabulam eum desideraturus eram. in tali enim negotio cur tu unus non satis es? sed ad testamentum uolebā: quod iam malo alio die; ne ob eam caußam Romam uenisse uidear. scripsi igitur ad Brutum, iam illud, quod putaßem, idibus, nihil opus eße. uelim ergo totum hoc ita gubernes, ut ne minima quidem re ulla Bruti commodum impediamus. Sed quid est tandem, quod perhor rescas, quia tuo periculo iubeam libros dare Varroni? etiam nunc, si dubitas, fac, ut sciamus. nihil est enim illis elegantius. uolo Varronem, praesertim cum ille desideret: sed est, ut scis,

δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο.

ita mihi saepe occurrit uultus eius, querentis fortaße uel hoc, meas partes in ijs libris copiosius defensas esse, quam suas: quod mehercule intelliges non esse, si quando in Epirum ueneris. nam nunc Alexionis epistolis cedimus: sed tamen ego non despero probatum iri Varroni: & id, quoniam impensam fecimus in macrocola, facile patior teneri. sed etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet. quare, si addubitas, ad Brutum transeamus: est enim is quoque Antiochius. o Academiam uolaticam, & sui similem, modo huc, modo illuc. sed, quaeso, epistola mea ad Varronē ualde ne tibi placuit? male mihi sit, si umquam quidquam tam enitar. at ego ne Tironi quidem dictaui, qui totas περιοχὰς persequi solet, sed Spintheri syllabatim. Vale.

EXPLANATIO

De *retentione,* } uide supra. Ita *putaram* } non esse uerum, quod Clodius eum sibi dixisse narrabat, Ciceronem filium ab eo uisum Corcyrae. Scisses } Andromenes tibi dixisset, tuq. mihi. Tu *tamen &c.* } quasi cum admiratione. Nihil, inquit, de te scribis, nihil de Bruto: cum ego de utroque

que ex tuis litteris exspectem. ILLVM } in Tusculanum exiturum. ROMAM } cogito. haec enim scripsit Arpini. QVONIAM *tu te legisse scribis* } potest hoc ea figura concludi, quae dicitur παράληψις. & hoc ideo dicit, quasi Atticum iudicare uelit, num illud ad Brutum sit obscure scriptum. ideo infert, Fortasse: quod ipse certum nesciret, num fuisset obscurior. hoc, inquit, uolui scribere, me ex tuis litteris intellexisse, nolle eum &c. NEC *enim ad tabulam eum desideraturus eram* } Brutum cupiebam idibus esse Romae, non ut auctioni interesse, sed ut ad obsignandum testamentum adhibere possem. AD *testamentum* } ueteres facto testaméto obsigńatores ex lege adhibebát in Verré l.4. adhibebát. auté amicos fere, aut homines auctoritate praestátes: quo magis ratū haberetur id, quod anulis claror ūuirorū esset obsignatū. uide ep.2.l.7. & apud Valeriū Maximū, testamentū Anci Carseolani Pompeium Magnum signasse, legitur lib.7. MALO *alio die* } nolo, ut constitueram, idibus testamentum obsignare, sed alio die; ne uidear ideo Romam uenisse, (uenturus autem erat pridie idus, ut paullo ante scripsit) ut Brutum ad obsignationem testamenti adhiberem, post aduentum meum uno tantum die. TOTVM *hoc ita gubernes* } fac quaeso, ut Brutus suo commodo in Tusculano sit, de idibus nihil cogitet: quod iam opus nihil est. QVIA *tuo periculo* } ad proximam epistolam superiorem Atticus responderat & de Andromene, & de Academicis ad Varronem. de quibus cum Cicero ita scripsisset; Quoniam tu suscipis, in alteram auté: Atticus respondens quodam modo refugere uisus est, ut ipsius periculo mitterentur. ad id igitur Cicero, Quid est, inquit, quod perhorresca, quia tuo periculo iubeam libros Varroni dari? SI *quando in Epirum ueneris* } ubi soles esse otiosus. nunc enim te Alexionis epistolae occupatum habent. quas te nolo abijcere, tuis de rebus ex Epiro scriptas, (sic enim opinor) ut meos libros legas. leges autem, si quando in Epirum ueneris. IN *macrocola* } in chartas regias, in quas ex archetypo Academicos libros transtulerat. impensam, inquit, iam fecimus in chartas: facile igitur patior, a nobis propositum teneri, ut Academiam Varroni demus: ne, si ad alium, mutato consilio, mittendam censuerimus, rursus mihi impensa facienda sit in alia macrocola. Plinius lib.13. cap.12. SI *addubitas* } utrum Varroni Academiam demus. AD *Brutum transeamus* } demus eam Bruto. quod etiam constituerant, antequā de Varrone consilium caperet ab Attico admonitus. epist.14. ANTIOCHVS } probat Antiochi partes, quas Varro defendit in Academicis: ut eas a Varrone ad ipsum transferre non absurde possimus. SVI *similem* } libri Academici a Cicerone scripti; cum modo ad hunc, modo ad illum mitterentur, similes plane uidebantur Academiae; quae, cum affirmaret nihil sciri posse, non constare uideretur in sententia: quoniam, si dicis, nihil sciri posse; dicis idem, affirmari nihil posse. quod si affirmari nihil dicis posse: cur hoc affirmas, nihil sciri posse? inconstans igitur Academiae ratio. EPISTOLA *mea ad Varronem* } epistola illa, quae legitur lib.9. ad Varroné, hoc principio, Etsi minus flagitare. quam scripsit, ut cum quattuor Academicis mitteret. SPINTHERI } seruo amanuensi, & ostendit, quam diligenter scripta sit epistola ad Varronem, cum eam Spintheri syllabatim dictauerit.

Cicero S. D. Attico. 26.

DE Virgilij parte ualde probo. sic ages igitur. & quidem id erit primū. proximum Clodiae. quod si neutrum meus, ne turbem, & irruam in Drusum. intemperans sum in eius rei cupiditate, quam nosti. itaque reuoluor identidem in Tusculanum. quiduis enim potius, quam ut non hac aestate absoluatur. Ego, ut tempus est nostrum, locum habeo nullum, ubi facilius esse possim, quam Asturae. sed quia qui mecum sunt, credo, quod maestitiam meam non ferunt, domum properant: etsi poteram remanere, tamen, ut scripsi tibi, proficiscar hinc, ne relictus uidear. quo autem Lanuuio? conor equidem in Tusculanum: sed faciam te statim certiorem. tu litteras conficies. equidem, credibile non est, quantum scribam die: quin etiam noctibus: nihil est enim somni. heri etiam effeci epistolam ad Caesarem: tibi enim placebat. quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putares. ut quidem nunc est, nihil sane est necesse mittere. sed id quidem, ut tibi uidebitur. mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuuio, nisi forte Romam: sed cras scies.

EXPLANATIO

DE *Virgilij parte* } hanc epistolam, cum in ordinem libri superioris inseri deberet, detrusit in hunc locum ignorantia librariorum. argumentum est uel maximum, quod Asturae epistolam scribit, & inde Lanuuium cogitat: Lanuuio in Tusculanum uellet, sed ab eo refugere uidetur, ne dolorem ex Tulliolae morte susceptum locus renouaret: propterea quod in Tusculano perierat. itaque dicit, Conor equidem in Tusculanum: quasi, animo repugnante. colligamus nunc, quae scribit superiore libro. primum epist.40 Postridie, inquit, iduum Lanuuij constitui manere, inde postridie in Tusculano, aut Romae. utrum sim facturus, eo ipso die scies. & epist.43. Ego hinc postridie idus Lanuuium, deinde postridie in Tusculano. contudi enim animum, & fortasse uici, si modo permansero. & epist.45. ibidem. Vincam, opinor, animum: Lanuuio pergam in Tusculanum. Sūt & alia argumenta: quae omitto, ne perspicua in re sim nimius. DE *Virgilij parte* } Virgilius unus erat ex coheredibus Scapulanis, qui fortasse Attico dixerat, se suam partem Scapulanorum hortorum Ciceroni concessurum; ut ei locus esset, si fortasse coheredes non in auctione hortos uendere, sed inter se liceri

ceri

ceri cogitarent. unde illud epist. 37. l. 12. Heredes Scapulae si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor factis liceri cogitant: nihil est scilicet emptori loci. & illud epist. 43. lib. 12. Perfice aliquid: quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori? quod per quemuis heredem potest effici: sed Muste iam id perfecturum, si rogaris, puto. & epist. 3. lib. 12. de parte Crispi & Mustelae uult ab Attico certior fieri, cum eam sibi uendi cuperet. VALDE *probo* } quod dicas te tentaturum, num Virgilius, quae pars hortorum Scapulanorum ad ipsum pertinet, eam partem nobis uelit attribuere. ep. 50. lib. 12. de Virgilio, inquit, ut scribis. ID *erit primum, proximum Clodiae* } Scapulanos hortos primum cupio; secundum eos, Clodiae. Idem scribit epist. 40. lib. 12. Si quaeris, quid optem: primum Scapulae, deinde Clodiae. & ep. 41. e. l. Nescio quid de Clodia scripsisti, ubi ergo ea est, aut quando uentura? placet mihi res sic, ut secundum Othonem nihil magis. & epist. 43. e. l. Malim primum Othonis, deinde Clodiae. & ep. 51. e. l. Tu mihi aut Scapulanos, aut Clodianos efficias, necesse est. METVO *ne turbem, & irruam in Drusum* } hortos cupio usque ad intemperantiam. itaque, nisi tu mihi Scapulanos, aut Clodianos efficies, Drusianos emam. & ut ostendat, in eius rei cupiditate se propemodum insanire, moram non ferre, communibus uerbis non contentus, usurpauit trãslata, ad significationem haud paullo plus afferentia. EIVS *rei* } fani, cuius caussa hortos quaero; ut sit, ubi aedificari possit. REVOLVOR *identidem in Tusculanum:* } saepe uenit in mentem, facere fanum in Tusculano, si hortos non inueniam. mihi enim, omnino illud hac aestate absoluere, deliberatum est. epist. 23. De fano, inquit, si nihil mihi hortorum inuenis, ualde probo rationem tuam de Tusculano. sed nescio quo pacto celebritatem requiro: itaque hortos mihi cõficias, necesse est. & epist. 42. l. 12. Considerabis etiam de Tusculano; ne aestas effluat: quod certe non est committendum. & ep. 40. e. lib. VT *tempus est nostrum,* } quasi dicat, Ne Asturae quidem facile sum: sed, ut tempus est nostrum, sed, ut in malis, facilius tamen sum, quam ubiuis. & cum dixit, Nostrum tempus, potius ad mortem filiae respexit, quam ad reip. calamitatem. supra, ἀνεκτώτερα erant Asturae. FACILIVS } libentius: ut illud in epistola ad Coeliam: Quod in maritimis facillime sum, mouet suspicionem me uellet nauigare. & alibi. CONOR } ut inuitus, & contra uoluntatem. abhorrebat enim a Tusculano. uide ep. 43. lib. 12. TV *litteras conficies* } dicit hoc, Tu ad me uelim saepe scribas. EPISTOLAM *ad Caesarem:* } haec est epistola, de qua lib. 12. epist. 46. 50. & 51. & lib. 13. epist. 17. 28. & 30. NIHIL *sane est necesse mittere* } nam uidetur erga nos ita, ut uolumus, esse animatus: ut necesse non uideatur, ei me hac assentatoria epistola blandiri. In epistola, quae proxime sequitur: Quod aliud argumentum epistolae nostrae, nisi κολακία fuit? NISI *forte Romam* } nam si Lanuuio Romam me conferam, ipse epistolam mecum afferam.

Cicero S. D. Attico. 27.

EPISTOLAM ad Caesarem, nobis uero semper rectissime placuit, ut isti ante legerent. aliter enim fuissemus & in hos inofficiosi, & in nosmet ipsos, si illum offensuri fuimus, paene periculosi. isti autem ingenue, mihiq. gratum, quod, quid sentirent, non reticuerũt: illud uero optime, quod ita multa mutari uolunt, ut mihi de integro scribẽdi caussa non sit. quamquam de Parthico bello quid spectare debui, nisi quod illum uelle arbitrabar? quod enim aliud argumentum epistolae nostrae, nisi κολακία, fuit? an, si ea, quae optima putaram, suadere uoluissem, oratio mihi defuisset? totis igitur litteris nihil opus est ubi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα uel non magnum molestum futurum sit; quid opus est παρακινδυνεύειν? praesertim cum illud occurrat, illum, cum antea nihil scripserim, existimaturum, me, nisi toto bello confecto, nihil scripturum fuisse. atque etiam uereor, ne putet, me hoc quasi Catonis μείλιγμα esse uoluisse. quid quaeris? ualde me paenitebat: nec in hac quidem re quidquã magis ut uellem accidere potuit, quam quod σπουδὴ nostra non est probata. incidissemus etiam in illos, in eis in cognatum tuum. sed redeo ad hortos. Plane illuc te ire, nisi tuo magno commodo, nolo: nihil enim urget. quid quid erit, operam Faberio uonamus. de die tamen auctionis, si quid scies. Eum, qui e Cumano ueneras, quod & plane ualere Atticam nunciabat, & litteras se habere aiebat, statim ad te misi. Vale.

EXPLANATIO

ISTI *ante legerent:* } Isti: Caesariani. ante: quam ad ipsum mitterem. ep. 50. lib. 12. & 1. lib. 13. QVAMQVAM *de bello Parthico &c.* } quamquam non est, cur illam partem reprehendant, quae est de bello Parthico. quod enim hortatus Caesarem sum, ut id bellum susciperet, nihil spectaui, nisi quod illum arbitrabar uelle. sciebam enim, quod ego suaderẽ ut faceret, id ipsum iam in animo habere. quod si ita est; quamobrem eam partem isti non probant? Maluissent autem Caesaris amici, ut potius ei Cicero cõmorationis urbanae suasor esset, ne se amplius fortunae committeret, confectis iam omnibus ciuilibus bellis, & Pompeianis partibus plane deletis. QVID *spectare debui?* } Ciceronem, cum illa ad Caesarem scripsit de bello Parthico debuisse spectare incertos bellorum euentus, communemq. Martem, Caesaris amici dicebant. quod si fecisset, Caesari potius urbanum otium, quam bellicam fortunam, laudasset.

Ego, inquit, cum illa scripsi, quae isti non probarit; ipsius uoluntatẽ sum secutus, (quid enim aliud spectare debui, nisi quod illum uelle arbitrabar?) quem ad bellum Parthis inferendum ualde scirem sua sponte esse propensum. Totis *igitur &c.* } prorsus non mittenda est illa epistola. ἐπίτευγμα *magnum* } quod lucrum illa epistola Cicero sequebatur? Caesaris beneuolentiam. Επίτευγμα *uel non magnum mo lestum futurum sit* } uel minima enim apud Caesarem offensiuncula mihi esset permolesta: itaque periclitari nolo. Me *nisi toto &c.* } me exspectasse exitum Hispaniensis belli, deinde scripsisse: quasi antea ideo non scripserim, quod de Pompeianorum uictoria sperauerim. Quasi *Catonis* μείλιγμα } ne putet me ob eam caussam hanc sibi epistolam misisse, ut hoc quasi munere eum placarem, alienatum eo libro, quem scripsi de laudibus Catonis. Valde *me paenitebat* } paenitebat me, eam epistolam scripsisse: & plane cupiebam, istis non probari; ut caussam haberem non mittendi. accidit igitur ut uolebam, quod studium in ea scribenda a nobis positum non probarunt. In *illos,* } qui apud Caesarem sunt. qui, ex illa epistola nacti occasionem calumniandi, operam darent, ut me in odium Caesaris adducerẽt. Cognatum *tuum* } Q. Ciceronem, Pomponiae, quae Attici soror erat, filium. quem de Cicerone patruo apud Caesarem detrahere solitum, supra ostendimus, ep. 37. lib. 12. & 9. lib. 13. Illuc } ad hortos uidẽdos. hoc insequens epistola primo uersu declarat. Quidquid *erit* } siue futurũ est, ut Scapulanos hortos emamus; siue etiam non est: pecuniam exigamus a Faberio debitore. Auctionis } hortorum Scapulanorum. sic & ep. 50. lib. 12. De Virgilio, ut scribis. hoc tamen uelim scire, quando auctio. Erat enim auctio futura hortorum Scapulanorum. quod indicat illud epist. 23. Puto fore istam etiam a praetore diem, certe ab heredibus. de Crispo, & Mustela uidebis: & uelim scire, quae sit pars duorum. Erat autem Mustela Scapulae heres, itemq. Crispus. & de Mustela perspicuum est ep. 29.

Cicero S. D. Attico. 28.

Hortos quoniam hodie eras inspecturus, quid uisum tibi sit, cras scilicet. De Faberio autem, cum uenerit. De epistola ad Caesarem, iurato mihi crede, non possum: nec me turpido deterret, etsi maxime debeat. quam enim turpis est assentatio, cum uiuere ipsum turpe sit nobis? sed ut coepi, non me hoc turpe deterret: (ac uellem quidem: essem enim, qui esse debebam) sed in mentem nihil uenit. nam, quae sunt ad Alexandrum hominum eloquentium, & doctorum suasiones, uides quibus in rebus uersentur. adolescentem incensum cupiditate uerißimae gloriae, cupiẽtem sibi aliquid consilij dari, quod ad laudem sempiternam ualeret, cohortantur ad decus. nõ deest oratio. ego quid possum? tamen nescio quid e quercu exculpseram, quod uideretur simile simulacri. in eo quod non nulla erant paullo meliora, quam ea, quae fiunt, & facta sunt, reprehenduntur. quod me minime paenitet. si enim peruenissent istae litterae; mihi crede, nos paeniteret. quid? tu non uides, ipsum illum Aristotelis discipulum, summo ingenio, summa modestia, postea quam rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse? quid, tu hanc de pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis laetaturum putas? ille uero potius nõ scripta desideret, quam scripta non probet. postremo, ut uolet. abijt illud, quod tum me stimulabat, quod tibi dabam πρόβλημα ἀρχιμήδειον. *multo mehercule magis nunc opto casum illum, quam tum timebam, uel quemlibet. Nisi quid te aliud impediet, mihi optato ueneris. Nicias a Dolabella magno opere accersitus, (legi enim litteras) etsi inuito me, tamen eodem me auctore profectus est. Hoc manu mea. Vale.*

EXPLANATIO

Cras *scilicet.* } ex tuis litteris cognoscam. Volebat antẽ Atticus hortos Scapulanos diligentius inspicere, ut, quoniam eorum auctio futura erat, ante cognosceret, quanti a Cicerone recte possent emi. De *Faberio* } de exigenda a Faberio pecunia, pro emptione hortorũ. De *epistola ad Caesarem &c.* } quod me hortaris, ut epistolam aliquam ad Caesarem conficiam, eiq. proponam quod ad laudem sempiternam ualeat: iurato mihi crede, non possum: non quod me turpitudo deterreat, (etsi maxime deterrere debebat: scribere enim ad Caesarẽ sine assentatione nihil possum: porro, cum nobis uel ipsum uiuere turpe sit, libertate amissa; quanto est turpius, ei, quo eripiente amisimus, assentari?) sed quia prorsus nihil uenit in mentem quod ad illum scribam. Idem ep. l. 12. Vellem *quidem &c.* } uellem, me turpitudo deterreret. essem enim qui esse debebam: hoc est, in seruitute non uiuerem, sed ab hac turpi uita uel morte me uoluntaria uindicarem, Catonis exemplo. Hominum *eloquentium, & doctorum* } ut Aristotelis, & Theopompi. ep. 39. lib. 12. Verissimae *gloriae* } non enim uera gloria incensus Caesar est, sed falsa, & inani, quam ex interitu reip. quaesiuit. Ego *quid possum?* } ad ueram gloriam cohortanti uerba non deessent: sed id quidem tuto non possum. hoc autem erepto argumento, praeterea quod scribam non reperio. Tamen *nescio quid &c.* } scripseram tamen nescio quid, & mehercule cum labore, ut quasi e quercu uiderer exculpere, quae est arbor durissima. Simile *simulacri* } uult ostendere; quemadmodum e quercu simulacrum facere difficile sit, duriore materia, quam ut circumcidi, aut expoliri possit; ideoq. potius simulacri quiddam simile, quam simulacrum efficiatur; sic se, cum ad Caesarem scriberet, argumento admodum angusto, (neque enim, quod & ipsi honestum esset, & Caesari gratum, scribere licebat; itaque difficili in loco uersabatur, ut quasi e quercu uideretur exculpere) perfectũ opus non potuisse facere, sed fecisse nescio quid, quod operis tamen simile uideretur; more fabro-

Vu rum

rum lignariorum, qui e quercu non perfectum simulacrum formant; quod propter ligni duritiem difficillimum est, sed quod simulacri simile sit. significat epistolam ad Caesarem, de qua ep. 48. lib. 12. & 26. lib. 13. REPREHENDVNTVR } a Caesarianis, qui Romae sunt: a quibus, placuit nobis, ut epistola legeretur, antequam eam ad Caesarem mitteremus. ep. 27. lib. 13. QVOD *me minime paenitet* } quod mihi est minime molestum. PERVENISSENT } ad Caesarem. HVNC *de pompa, Quirini contubernalem,* } Caesarem: cuius simulacrum, quasi alicuius dei, per pompam inter deorum signa gestatum est in ferculo. quod Suetonius declarat his uerbis: Non honores modo nimios recepit, ut continuũ consulatum, perpetuam dictaturam, statuam inter reges, sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali thensam, & ferculum circensi pompa, templa, ara, simulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, Lupercos. Et Dio lib. 43. *καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν, ἄλλην τέ τινα εἰκόνα ἐς τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν, Θεῷ ἀνικήτῳ, ἐπιγράψαντες.* hac sententia: Decreuerunt, ut eburnea Caesaris statua, & cursus etiam solidus, quo die cursus equorum in circo spectantur, inter deorum imagines in pompa gestaretur; & ut alia praeterea statua in Quirini templo poneretur, cum hac inscriptione, Deo inuicto. Ideoq. eum appellat Cicero Quirini contubernalem: & supra ep. 44. lib. 12. Graeco uerbo *σύνναον*, quod in eodem templo simul habitarent. idq. etiã Suetonius significat, cum dicit, Simulacra iuxta deos. HVNC: } qui deorum in numero habeatur; cum & imago eius inter deorum imagines per pompam sit uecta, & eiusdem statua, quasi dei, Quirini in templo collocata. POTIVS *non scripta desideret, &c.* } malo ab illo desiderari, quae scripta non sint, quam non probari, quae scripta sint. POSTREMO, *ut uolet* } iam nõ laboro, quo animo erga me sit: abijt illa cura, quae me antea stimulabat: cum hoc quaerebam, qua ratione & Caesarem mihi conciliarem, & personam tamen optimatis sustinerem. quod tibi quoque dabã cogitandum, ut consilio me iuuares. eaq. tunc erat quasi Archimedis quaestio, obscura scilicet, & inexplicabilis. ep. 3. lib. 12. CASVM *illum* } interitum meum: significat enim illud tempus, cum in Italiam reuertit, Pompeio in Pharsalica deuicto. quo tempore sollicitus erat de salute sua, maxime timens, ne Caesar in eos, qui Pompeium secuti essent, foret acerbior. hinc illae libro XI. plenae doloris & desperationis epistolae. MIHI *optato ueneris* } scripserat enim Atticus, se uelle ad illum, si uideretur, proficisci. PROFECTVS *est* } cum aliquot dies cum Cicerone fuisset. epist. 51. & 52. lib. 12.

Cicero S. D. Attico. 29.

CVM quasi alias res quaererem de philologis e Nicia, incidimus in Talnam. ille de ingenio nihil nimis, modestum, & frugi. sed hoc mihi non placuit. se scire aiebat ab eo nuper petitam Cosciam, Quinctii filiam uetulam sane, & multarum nuptiarum: non esse probatum mulieribus, quod ita reperirent, rem non maiorem DCCC. *hoc putaui te scire oportere. De hortis ex tuis litteris cognoui, & Chrysipo, in uilla, cuius insulsitatem, bene noram, uideo nihil, aut pauca mutata. balnearia tamen laudat maiora. de minoribus ait hiberna effici posse. tecta igitur ambulatiuncula addenda est: quam ut tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, prope dimidio minoris constabit isto loco. ad id autem, quod uolumus.* ἀφίδρυμα, *nihil aptius uidetur, quam lucus, quem ego noram: sed celebritatem nullam tum habebat: nunc audio maximam. nihil est, quod ego malim. hoc* τὸν τῦφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον. *Reliquum est, si Faberius nobis nomen illud explicat; noli quaerere, quanti: Othonem uincas uolo. nec tamen insaniturum illum puto: nosse enim mihi hominũ uideor. ita male autem audio ipsum esse tractatum, ut mihi ille emptor nõ esse uideatur; quid enim pateretur? sed quid argumentor? si Faberianum explicas, emamus uel magno: sin minus, ne paruo quidem possumus. Clodiam igitur: a qua ipsa ob eam caussam sperare uideor, quod & multo minoris sunt, & Dolabellae nomen iam expeditum uidetur, ut etiam repraesentatione concludam. De hortis satis. Cras aut te, aut caussam: quam quidem futuram Faberianam: sed si poteris. Vale.*

EXPLANATIO

DE *philologis* } de peritis ad disputandum. epist. 12. & 19. lib. 13. IN *Thalnam* } in sermonem de Thalna. DE *ingenio &c.* } ingenium Thalnae Nicias laudabat, sed non supra modum: frugi hominem, & modestum dicebat esse. HOC *mihi non placuit* } quod eius rem audiui non maiorẽ esse DCCC. HOC *putaui te scire oportere* } forte, quod Atticus illam sibi affinitatis, aut amicitiae iure deuinctam, cogitabat Thalnae in matrimonio collocare. DE *hortis* } Scapulanis: quos Atticus inspexerat. ep. 27. lib. 13. ET *Chrysippo* } & Chrysippi sermone. hortis enim cum Attico inspectis, ad Ciceronem profectus est. erat autem architectus, fueratq. Cyri architecti libertus. ep. 9. lib. 14. & in epist. fam. epist. 14. lib. 7. IN *uilla* } quae in hortis est. INSVLSITATEM } insulsa placere non solent. recte igitur & uenuste Insulsitatem tribuit uillae, quae nihil haberet, cur placere posset. contraque, cum de uilla loquitur eleganti, Salis, inquit, satis est. in epistola ad Paetum. VIDEO *nihil, aut pauca mutata* } putabam dominos in uilla multa mutasse, a quo tempore nos eam uidimus: sed, ut e Chrysippi sermone intelligo, nihil, aut pauca mutata: ut eedem sit insulsitas. LAVDAT *maiora.* } ut bina essent in ea uilla balnearia, maiora, & minora; maiora, inquit, Chrysippus laudat; de minoribus ait ea posse effici, quibus per hiemem utamur.

Ad *id, quod uolumus*, ἀφίδρυμα } ad fanum filiae dedicandum. Celebritatem *nullam* } quo enim tempore ego illum noui, non frequentabatur. τὸν τῦφον, *&c.* } obsequere cupiditati meae. τῦφος enim ualet elatio: quae ad cupiditatem transfertur: unde illud libro primo de Diuinatione: Ducem ei praecepisset, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elarumq. cupiditate respexisse. Et ad hunc ipsum epistola xi. libri i. In hoc genere sic studio efferimur, ut abs te addiiunandi, ab alijs prope reprehendendi simus. Si *Faberius &c.* } si Faberius soluit quam nobis pecuniam debet: noli quaerere, quanti horti uendantur: eme quouis pretio: uince Othonem in certamine licitationis. Erat enim Atticus Ciceronis nomine licitaturus. Othonem autem, qui & ipse eosdem hortos cupiebat, aduersarium in auctione timebant. unde illud ep. 46. l. 12. Difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede. & ep. 39. l. 12. & 31. & 33. h. lib. Insaniturum } Insanire dicuntur, qui aliquam rem multo pluris emunt, quam quanti sit. unde Insana cupiditas, in Verrem. Tractatum } in re minus nota. Vt *mihi &c.* } ut hortos empturus non uideatur. Quid *enim pateretur?* } imperfecta sententia. abiecit enim, recordatus in Faberiano nomine totum esse. Si *Faberianum explicas* } si pecuniam exigis a Faberio. epist. 24. lib. 12. Clodiam *igitur* } aggrediamur. uideamus, inquit, de hortis Clodiae, ep. 46. lib. 12. Multo *minoris sunt* } quam Scapulani. Et epist. 46. lib. 12. de ijsdem hortis: Quia tanti rem aestimas, eo prorsus specto. Et *Dolabellae nomen* } & Dolabella, quam pecuniam debet, iam eã nobis soluet. debebat autem ex dote Tulliolae. Repraesentatione } hortos Scapulanos emissem, die sumpta. Clodiae uero si emimus; de die nihil cogito; repraesentare possum: cum & multo minoris sint, quam Scapulani: & Dolabellae nomen iam expeditum uideatur. *Repraesentatione*, igitur explano, solutione facienda ante illud tempus, quod in emptione Scapulanorum hortorum cogitaram. de quo epist. 3. his uerbis: Quod dies longior est: (sic enim puto legendum) teneamus modo quod uolumus: puto fore istam etiam a praecone diem, certe ab heredibus. Cras *aut te, &c.* } concisa sententia, nec satis omnibus aperta. explanemus igitur; ut consulatur etiam ijs, quorum acies ad intelligendum est obtusior. Cras, inquit, aut te exspecto, aut caussam cur non ueneris. caussam autem, quae te moretur, hanc puto fore, ut pecuniam exigas a Faberio. sed, si poteris, omnino uelim uenias.

Cicero S. D. Attico. 30.

Ciceronis epistolam tibi remisi. o te ferreum, qui illius periculis non moueris. me quoque accusat. eam epistolam tibi misissem. nam illam alteram de rebus gestis eodem exemplo puto. In Cumanum hodie misi tabellarium. ei dedi tuas ad Vestorium, quas Pharnaci dederas. Commodum ad te miseram Demeam, cũ Eros ad me uenit. sed in eius epistola nihil erat noui, nisi, auctionem biduum. ab ea igitur, ut scribis: & uelim, confecto negotio Faberiano: quem quidem negat Eros hodie. cras mane putat, a te colendus est. iste autem κολακίαι *non longe absunt a scelere. te, ut spero, perendie. Si unde potes, erues, quid decem legati Mummio fuerunt. Polybius non nominat. ego memini, Albinum cõsulerem, & Sp. Mummium: uideor audisse ex Hortensio, Tuditanum: sed in Libonis annali, XIV annis post praetor est factus Tuditanus, quam consul Mummius. non sane quadrat. uolo aquem Olympiae, aut ubi uisum* πολιτικὸν σύλλογον, *more Dicaearchi, familiaris tui. Vale.*

EXPLANATIO

Ciceronis *epistolam &c.* } Quincti filij ad Atticum. O te *ferreum* } cum ironia. Periculis { de quibus tam multa scribit. Me *quoque* } cum scribat non modo tua, sed mea quoque culpa factum esse, ut in Hispaniam ad bellum ire coactus sit. Eam *epistolam* } ad missam a Quincto. Misissem } nisi te cras exspectarem. quod proxime dixit. Eodem *exemplo* } puto ijsdem uerbis scripsisse ad te de rebus a se gestis, quibus ad me scripsit. Qvas *Pharnaci dederas* } ad me perferendas; ut ego eas deinde ad Vestorium curarem. In *eius epistola* } in epistola, quam is attulit a te scriptam. Avctionem *biduum* } auctionem hortorum Scapulanorum biduum futuram. sic & l. 4. ep. 12. Idibus auctionem Larini uideo, & biduum praeterea. Ab *ea igitur* } ad me uenies. Confecto *negotio Faberiano* } exacta a Faberio pecunia. Qvem *quidem &c.* } negat Eros Faberium hodie Romae futurum. unde illud epist. 28. De Faberio, cum uenerit. & epist. 2. Colendvs } Faberius. obserua eum diligenter, ut assiduitate & studio tandem exprimas debitam ab eo pecuniam. κολακίαι } assentationes: in quibus turpitudo, & prope scelus est. Perendie } uidebo. Non *sane quadrat.* } si enim praetor est factus XIV. annis, quam consul Mummius; apparet, quo tempore consul Mummius ad oppugnandam Corinthum est profectus, adolescentem fuisse, ut legatus esse non potuerit. ep. 6. & 33. Volo *aliquem &c.* } hoc ne Atticus quidem intellexit; ut apparet ex epistola, quae post proximam sequentem legitur.

Cicero S. D. Attico. 31.

V KAL. *mane accepi a Demea litteras pridie datas, ex quibus aut hodie, aut cras te exspectare deberem. sed, ut opinor, idem ego, qui exspecto tuum aduentum, morabor te. non enim puto tam expeditum Faberianum negotium futurum, etiam si est futurum, ut non habeat aliquid morae. cum poteris igitur: quoniam etiamdum abes. Dicaearchi, quos scribis, libros sane uelim mihi mittas: addas etiam* καταβάσεως. *De epistola ad Caesarem,* κιτρικά. *atque id ipsum, quod isti aiunt illum scribere, se, nisi constitutis rebus, non iturum in Parthos; idem ego suadebam in illa epistola; utrum liberet, facere posse, auctore me. hoc enim ille exspectat uidelicet, neque est facturus quidquam, nisi de meo consilio. obsecro, abijciamus ista, & semiliberi saltem simus: quod aßequemur & tacendo, & latendo: Sed aggredere Othonem, ut scribis. confice, mi Attice, istam rem. nihil enim aliud reperio, ubi & in foro non sim, & tecum esse possim. quanti autem, hoc mihi uenit in mentem. C. Albanius proximus est uicinus. is ∞ iugerum de M. Pilo emit, ut mea memoria est, HS CXV. omnia scilicet nunc minoris: sed accedit cupiditas: in qua, praeter Othonem, non puto nos ullum aduersarium habituros. sed eum ipsum tu poteris mouere, facilius etiam, si Canium haberes. o gulam insulsam. pudet me patris. rescribes, si quid uoles.*

EXPLANATIO

MORABOR *te:*] morae caussam afferam. retinebit enim te negotium Faberianum. CVM *poteris igitur*] uenies, cum per negotia licebit. QVONIAM *etiam dum abes*] quoniam nondum in uiam te dedisti; &, cum haec ad te afferetur epistola, etiam dum Romae eris: ideo illud scripsi, ut uenias cum poteris. DICAEARCHI *quos scribis libros,*] libros de anima. epist. 32. καταβάσεως] librum, quem scripsit Dicaearchus περὶ τῆς εἰς τροφωνίου καταβάσεως. de quo Athenaeus libro XIII, κιτρικά.] κίτρος auis est ita leuis, ut, quamcumque in partem uentus flauerit, in eam auferatur. κιτρικά igitur μεταφορικῶς dixit, pro, leuia, & inania. non recte, inquit, isti meam ad Caesaré epistolam reprehendunt; & ea, quae dicunt, minimi sunt ponderis, plane κιτρικά. nam, quod illum aiunt scribere, se, nisi constitutis rebus, non iturum in Parthos: idem ego suadebam in illa epistola. ep. 6. & 26. AVCTOR *me*] ego enim suasi, ut & res constitueret, & Parthis bellum inferret. AGGREDERE *Othonem.*] uelim, quod scribis te facturum, Othonem moneas, ne contra nos liceatur; quo facilius ad hortos peruenire possimus. Idem paullo post. ISTAM *rem*] hortos Scapulanos: quorum auctio futura erat. ET *tecum esse possim*] propter uicinitatem, hoc est, quod dicit ep. 28. l. 12. De hortis, quaeso, explica caput illud est, quod scis. sequitur, ut etiam mihi ipsi quiddã opus sit. nec enim esse in turba possum, nec a uobis abesse. huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius. QVANTI *autem*] quanti putem nos emere posse Scapulanos hortos, ita ratiocinor: cũ C. Albanius proximus uicinus ∞ iugerum HS CXV de M. Pilio emerit; nunc, iacentibus omnium rerum pretijs, debere Scapulanos hoc multo minoris esse. NVNC *minoris*] ob ciuilem calamitatem, & reip. perturbationem. ACCEDIT *cupiditas*] cuius caussa pluris hortos aestimare debemus, quam quanti sint. MOVERE] ut nobis hortos concedat. CANIVM] Attici & Othonis amicum. O GVLAM *insulsam*] Othonis, qui hortos tam auide appetat uoluptatis modo caussa.

Cicero S. D. Attico. 32.

ALTERAM *a te epistolam cum hodie accepißem, nolui te una mea contentum. Tu uero age, quod scribis, de Faberio. in eo enim totum est positum id, quod cogitamus. quae cogitatio si non incidißet, (mihi crede istuc, ut cetera) non laborarem. quamobrem, ut facis, (istuc enim addi nihil potest) urge, insta, perfice. Dicaearchi* περὶ ψυχῆς *utrosque uelim mittas, &* καταβάσεως τριπολιτικὸν *non inuenio, & epistolam eius. quam ad Aristoxenum misit. tres eos libros maxime nunc uellem: apti eßent ad id, quod cogito. Torquatus Romae est. iussi, ut tibi daretur. Catulum, & Lucullum, ut opinor, antea. his libris noua prooemia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur. eas litteras uolo habeas. & sunt quaedam alia. Et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexit, credo, quia διὰ σημείων scripseram. de C. Tuditano enim quaerebam, quae ex Hortensio audieram fuiße in decem, cum uideo in Libonis praetorem L. Popilio P. Rupilio cos. annis XVI ante, quam praetor factus est, legatus eße potuißet: nisi admodum sero quaestor est factus: quod non arbitror. uideo enim curules magistratus eum legitimis annis perfacile cepisse. Postumium autem, cuius statuam in Isthmo meminisse te dicis, sciebam fuisse. is autem est, qui cum Lucullo fuisse; quem tu mihi addidisti, sane ad illum σύλλογον personam idoneam. uidebis igitur, si poteris, ceteros; ut possumus πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις. Vale.*

EXPLA-

EXPLANATIO

DE *Faberio*, } expedi nomen Faberianum: sine quo hortos consequi non possumus. QVOD *cogitamus* } intellige, hortos. NON *laborarem* } de pecunia a Faberio exigenda. ISTVC } ad istam diligentiam. VTROSQVE } utrumque sermonem de mortalitate animorum. duos enim sermones, alterum Corinthi, alterum Mitylenis habitum ternis libris explicauit. Cicero Tus. 1. καταβάσεως librũ περὶ τῆς εἰς τροφώνιον καταβάσεως. ep. 31. πολιτικὸν } Dicaearchi librũ: cuius mẽtio apud Atheneanum l. 4. ARISTOXENVM } Aristotelis discipulum, philosophum, & medicum nobilissimum, maximeq. in musica praestantem. Suidas. Cicero de orat. l. 3. Tusculana prima. AD *id, quod cogito* } quaestiones: quas scribere in animo habebat. quarum libro primo, Dicaearchi utitur sententia contra immortalitatem animorum. TORQVATVS } liber Torquati nomine inscriptus; ut de Senectute, Cato; de Amicitia, Laelius. ep. 5. CATVLVM, *& Lucullum* } Academicos libros, quos primum scripserat: quorum alterum, Catulus, alterum, Lucullus, inscripserat. uide illud ep. 11. Ἀκαδημαϊκὴν *&c. Eas litteras* } ea prooemia. quandoque enim Litterae pro scriptis ponuntur, ut libro 1. Meis omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus. Διὰ σημείων } per notas. sic enim Cicero dixit l. 2. de Diuin. IN *Libonis* } in bonis annali. ep. 29. LEGATVS *esse potuisset.* } cum admiratione dictum: ut significet, non putare se Tuditanum consuli Mummio XIV. annis ante, quam praetor factus est, legatum esse potuisse, fuisset enim admodum adolescens: utpote XII. annis ante praeturam, quae legibus dabatur anno aetatis XXXIX. consulatus autem Popillij & Rupilij a consulatu Mummij: distat annorũm XIV. interuallo. NISI *admodum sero &c.* } annus petendae quaesturae certus lege non erat, certi autem curulium magistratuũ, aedilitatis XXXVI. praeturae XXXIX. consulatus XLII. ut inter curules magistratus biennium necessario interesset. eos autem magistratus legitimis annis capere, in primis erat honorificum; quod Cicero saepe de seipso gloriatur. nam repulsam multi ferebant; ut honores consequi non possent anno legitimo. quod si quis aedilitatem non suo anno, sed serius cepisset; magistratus quoque reliquos serius capiebat. eorum enim tempus necessario protrahebatur, cum inter omnes biennij spatium oporteret esse. Recte igitur, Nisi admodum sero quaestor est factus. nam, si factus est quaestor admodum sero, ut anno trigesimo octauo, aut quadragesimo: potuit esse legatus Mummij Tuditanus & XIV. annis ante praeturam, nec tamen adolescens. quod si quaestor mature factus est, puta XXIIX, aut XXX. aetatis anno: necesse est legatus fuerit admodum adolescens. CVRVLES *magistratus* } de curulibus magistratibus in suo libro plenius. curulis autem magistratus praetura fuit. quam si Tuditanus cepit anno legitimo, hoc est uno & quadragesimo; eiusq. praeturae annus, quae fuit Popillio & Rupilio cos. annis XIV. distat a consulatu Mummij: sequitur, ut legatus consulis Mummij fuerit annum agens sextum & uigesimũm. quod non quadrat. non enim, illa aetate qui sunt, ijs honorem legationis demandare moris est. SCIEBAM *fuisse* } in decem legatis. CVM *Lucullo fuit* } consul, anno ab V. C. DCIII. ADDIDISTI } confirmans id quod sciebam. AD *illum* σύλλογον *&c.* } dignum, qui in illa ciuium collectione numeretur. VIDEBIS *igitur ceteros* } scribes qui praeterea in decem Mummij legatis fuerint. πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις } ex personarum dignitate quasi pompam agere.

Cicero S. D. Attico. 33.

NEGLIGENTIAM *miror. semel ne putas mihi dixisse Balbum, & Faberium, professionem relatam? quin etiam eorum iussu miseram, qui profiterentur: ita enim oportere dicebant. professus est Philotimus libertus. nosti credo librarium: sed scribit, & quidem confectum. Ad Faberium, ut tibi placet, litteras misi. cum Balbo autem puto te aliquid fecisse* H. *in Capitolio. In Virgilio mihi nulla est* δυσωπία. *nec enim eius caussa sane debeo: &, si emero, quid erit, quod postulet? sed uidebis, ne is cum sit in Africa, ut Coelius. De nomine tu uidebis, cum Cispio: sed, si Plancus destinat, tum haberes difficultatem. Te ad me uenire uter que nostrum cupit: sed ista res nullo modo relinquenda est. Othonem quod speras posse uinci, sane bene narras, de aestimatione, ut scribis, cum agere coeperimus: etsi nihil scripsit nisi de modo agri. Cum Pisone, si quid poteris. Dicaearchi librum accepi:* καταβάσεως *exspecto. negotium dederis. reperies ex eo libro, in quo sunt S. C. Cn. Cornelio, & L. cos. De Tuditano autem, quod putas,* εὔλογον *est, tum illum; quoniam fuit ad Corinthum. non enim temere dixit Hortensius, aut quaestorem, aut tribunum mil. idq. potius fuisse credo. sed tu de Antiocho scire poteris. uide etiam, quo anno quaestor, aut tribunus mil. fuerit: si neutrum, eodem in praefectis, aut contubernalibus fuerit, modo fuerit in eo bello. De Varrone loquebamur: lupus in fabula. uenit. n. ad me, & quidem id temporis, ut retinendus esset: sed ego ita egi, ut non sciderem paenulam. memini enim tui: & multi erant, nosq. imparati. qui refert? paullo post. C. Capito cum C. Carinate. horum ego uix attigi paenulam: tamen remanserunt. cecidit belle. sed casu sermo a Capitone de urbe augenda, a ponte Muluio Tiberim duci secundum montes Vaticanos, campum Martium tuum aedificari, illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum. quid ais? inquam. at ego ad tabulam, ut, si recte possem, Scapulanos hortos. caue facias, inquit: nam ista lex perferetur: uult enim Caesar. Audire me, facile passus sum: fieri autem, moleste fero.*

sed

sed tu quid ais? quamquam quid quaero? nosti diligentiam Capitonis in rebus nouis perquirendis. non concidit Camilo. facies igitur me certiorem de idibus. ista.n. me res adducebat, eo adiunxeram ceteras: quas consequi tamen biduo, aut triduo post facile potero, te tamen in uia confici minime uolo. quin etiam Dionysio ignosco. De Bruto quod scribis, feci ut ei liberum esset, quod ad me attineret. scripsi enim ad eum heri. idibus Mai. eius opera mihi nihil opus esse. Vale.

EXPLANATIO

NEGLIGENTIAM *miram*] Balbi, & Faberij, qui non semel, sed saepe mihi dixerint, professionē in tabulas publicas relatam. PROFESSIONEM] omnium bonorum. OPORTERE] ut aliquem mitterem, qui profiteretur, si ego de illa caussa Romam ire nollem. LIBERTVS.] hoc fortasse glossema fuit. satis enim Attico notus erat Philotimus. LIBRARIVM] eum, qui cuiuslibet professionem in tabulas publicas referebat. SED *scribis, & quidem confectum*] sed scribis, librarium te nosse: & addis etiam, de professione confectum. LITTERAS *misi*] admonens eum, & rogans, ut pecuniam nobis debitam persolueret. ALIQVID *fecisse H.*] aliquid fecisse hodie. sic enim interpretor antiquam notam: &, *Fecisse*, de nomine Faberiano. ut, Balbo adiuuante, pecunia exigeretur a Faberio. simile illud est, uel potius idem est. ep. 28. l. 12. Cum Oppio & Balbo communices, quantopere & quare uelim hortos: sed ita posse, si expediatur illud Faberianum. Er supra, In utroque Faberianum nomen explorandum est. de quo nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus, & quidem, ut res est, emere nos uelle, nec posse sine isto nomine, nec audere incerto. Scripserat autem Atticus Ciceroni, se esse eo die cum Balbo locuturum in Capitolio. IN *Virgilio &c.*] Othonis herede. ep. 29. *δυσωπία*] stulta uerecundia. fortasse, quod ab aliquo ex coheredibus partem hortorum emere cogitaret. DEBEO] ut eius caussa ne emā. QVOD *postulet*] quod me emisse queratur. VIDEBIS *cum Cispio*] ne Cispius nobis satisfaciat. de quo nomiuē ep. 23. l. 12. Cispiana, inquit, explicabis. DESTINAT] statuit hortos emere. DIFFICVLTATEM] in auctione magnnm haberemus aduersarium. ISTA *res*] actio Scapulanorum hortorum. POSSE *uinci*] in certamine licitationis. ep. 29. DE *aestimatione &c.*] hortorum Scapulanorum. SCRIPSIT] fortasse Caesar. ut in lege non praefinierit, quo ne quis plus iugerum emeret, sed de modo agri, id est quo ne quis plns haberet. CVM *Pisone si quid poterit*] conficies. & de auro intelligendum. uide illud, Et tamen Pisonem sicubi de auro. DICEARCHI *librum*] librum posuit pro uolumine. nam Dicaearchi duos sermones de anima, quos intelligit, non uno libro, sed ternis explicatos manifestum est ex prima quaestione Tusculana. etiam ep. 28. l. 13. ita locutus est, ut pro toto opere Librum usurparet: scribit enim sic: Librum tibi celeriter mittam de Gloria: cum duos libros significaret. *καταβάσεως*] librum hoc titulo. DEDERIS] cui uidebitur ex tuis seruis, ut quaerat decem L. Mummij legatis in eo libro, in quo sunt eius anui S.C. quo ipse Mummius cum Cn. Cornelio consul fuit. L.] Mummio, qui Corinthum euertit, anno urbis DCLIX. AMIOCHO] seruo tuo litterato. scies autem, si ei negotium dederis, ut quaerat. DE *Varrone loquebamur:*] nisi fallor, hoc est principium epistolae. saepe enim, quae distribuenda erant in epistolas, Tiro, Ciceronis libertus, siue alius quis, ita coniunxit, taedio fortasse crebrae distentionis, ut iam non internoscantur. quae res lectori nonnihil interdum tenebrarum effundit. Cum loqueremur, inquit, de Varrone, superuenit. id enim significat, lupus in fabula, adagium satis notum, ac usque iam contritum. ID *temporis*] elegans loquendi modus, pro eo tempore; ut, id aetatis, pro ea aetate: & similia. VT *retinendus esset*] cum scilicet hora cenae uel aduentaret, uel iam adesset. ITA *egi, ut non scinderem paenulam*] ut remanerent, ualde non rogaui. qui enim retinere aliquem cupiunt, abeuntem apprehensa ueste retinent; ut remanere cogatur, ne in illa contentione scindatur uestis. MEMINI *enim tui.*] sic in Bessarionis libro: recte, feci, inquit, quod memini te solere; qui sic interdum ad cenam inuitas, ut paenulam tamen non scindas. QVID *refert?*] Varrone omisso, eiusq. comitibus, quia cenae apparatus non erat is, ut commode eos, ac laute possem accipere, nihil tamen egi: nam remanserunt, quamquam leuiter inuitati, Capito, & Carinas. C. CAPITO] Ateiae gentis. hic Caesaris maxime studiosus fuit. ep. 15. lib. 16. & ep. 29. l. 13. fam. Fuit alter Capito, non Ateiae, sed Fonteiae gentis, M. Antonij amicissimus, de quo Plutarchus in Antonio, & Horatius sat. 5. l. 1. C. CARINATAE] Albiae gentis, ut ex Tacito cognoscitur. Bessarionis liber praenomen, C. non habet. quod siue omittatur, siue ponatur, puto esse hunc C. Albium Carinatem, qui cum P. Ventidio consul fuit; cum Carinas in locum Caesaris Octauiani, qui abdicauerat, Vētidius autem in locum Pedij, qui mortuus est in magistratu, successissent. porro Octauianus, & Pedius, interfectis Hirtio, & Pansa, consules facti erant. In scriptis libris gemina, r, legitur Carrinas: sed Varro l. 7. in extremo, unica r scribendum ostendit; cum deducat a loco, nimirum a Carinis. CECIDIT *belle*] iocosa ironia. cecidit, inquit, cōtra quam uolebam, cum remanserint ij, quorum uix attigi paenulam; Varro autem abierit, cum quo egeram quidem ut remaneret, ita tamen, ut paenulam non scinderē. DE *urbe augenda*] de pomerio proferendo, quod post exactos reges unus protulerat L. Sulla. Miror, autem, de pomerio a Caesare prolato nihil Suetoniū, nihil Tacitū, alioqui diligentissimos in historia, tradidisse: quod tamen & hic Cicero, & infra in ep. 35 plane significat, & Gellius l. 13. c. 14. & Dio l. 43. declarat his uerbis: *ταυτά τε ἐποίει, καὶ νόμους ἐσέφερε. τό τε πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐπεξήγαγε.* Nec uero quis credat,

dat, quoties pomerium proferretur, toties murorum ambitum una prolatum esse. nam, ut ostendit Dionysius l. 4. mansere ueteres muri, a Seruio rege conditi, sed ita permisti priuatarum aedium multitudine, uix iam ut ipsius Dionysij aetate agnoscerentur. quibus uero nunc Roma saepta moenibus est, ea condidit Aurelianus Imperator: partem, a Gothis euersam, Belisarius, Iustiniani dux, restituit festinanter, dum Gallorum ad urbem reditum exspectat: itaque non aequalem ambitum uidemus, cum Belisarius, ne longior mora interponeretur, priuatas etiam aedes ad continuanda moenia reciperet. A ponte *Muluio Tiberim duci secundum montes Vaticanos*, } hunc locum uix intelligere uidetur posse, qui Romae non fuerit, & ipsa loca diligenter non inspexerit. Satis constat, extra pomerium fuisse campum Martium, quo populus ad comitia conuenire solitus est. post campum Martium, interfluente Tiberi, campus Vaticanus sequebatur: quod totum spatium a collibus Vaticanis ad Tiberim, hortis excultũ amoenissimis, frequentabatur a ciuibus Romanis animi caussa: ijq. horti Transtiberini uocabantur. cogitabat Caesar pomerium proferre, & in urbem campum Martium includere; Tiberim autem, obducta uetere fossa, ita flectere, ut radices Vaticanorum montium allueret; campum autem illum Vaticanum, qui cis Tiberim futurus esset, quasi Martium campum efficere, id est, ut in eo, sublatis hortis, comitia fierent, quae fieri solita essent in campo Martio. non enim centuriata comitia, quae Seruius rex instituit, intra pomerium fieri licebat. propterea, prolatis pomerij finibus ultra campum Martium, quẽ Caesar aedificari uolebat, alium campum, aequata planitie, qui populum caperet, comitijs habendis dicare opus erat. *A ponte Muluio:* qua Tiberis hodieq. fluit. *Duci:* moneo lectorem, in antiquo Bessarionis libro, & in alijs, quos quidem ego uiderim, legi, Pauci, non, Duci. quod etsi manifeste corruptum est, testimonium tamen antiquitatis notum esse uolo: ut studiosorum omnium coniecturae locus relinquatur. *Secundum montes Vaticanos:* iuxta Vaticanos montes, ut ad imas radices decurreret. Vaticani montes, & quidquid agri ab ea parte ultra Tiberim est, ad Etruriam olim pertinuit: quae uero cis Tiberim, usque ad Circeios, ad Latium, longitudine L. millium passuum: postea producti sunt ad Lirim amnem Latij fines, ut esset longitudo circiter LXXX millium passuum. Erant igitur olim extra pomerium, id est extra urbem, Vaticani montes: nunc in ijs habitat Pontifex Max. in arce illa amplissima, Pontificum singulorum opibus aucta, cum qua D. Petri templum augustissimum coniunctum est. Tum *aedificari*, } ut augeretur urbs, exstructis aedibus in campo Martio, in quo tunc aedificari minimum esset. Antiquus liber, Cum, mendose; nec tamẽ omnino placet, Tum: uidetur enim otiosa fere particula. malim, Totum: si modo est in aliquo uetere libro, Tum. sin, ut in Bessarionis libro, item est in omnibus, Cum: non displiceret, Hunc: ut inuicem respondeant, Campum Martium aedificari, illum autem campum Vaticanum fieri quasi Campum Martium. Mansit eadem tamen diutissime, quae fuerat antea, Martij campi planities, nec Tiberis alueus est immutatus, quamquam prolato a Caesare pomerio. Quasi *Martium campum* } cum in eius locum succederet. Quasi, dixit, quia re uera non est Martius, sed Vaticanus campus; fit autem quasi Martius, quia, sicut in Martio comitia habebantur, item in Vaticano, pomero ultra Martium campum prolato, futurum erat, ut comitia haberentur. At *ego ad tabulam*, } iturus eram, ut emerẽ Scapulanos hortos, si recte, id est aequo pretio possem. Tabula proponebatur inscriptis nominibus earum rerum, de quibus auctio futura erat. Ista *lex* } pomerium igitur non nisi lata lege proferri poterat. Ista lex, dixit, quia promulgata iam erat. ep. 20. Perferetur } perlata est, prolatum enim a Caesare pomerium, ex Gellio, & Dione, iam probaui. perlatum autem ab ipso Caesare consule crediderim: cum dixerit Dio, νόμους ἐσήνεγκε, καὶ πωμήριον πλεῖον ἐξήγαγε. Vult *enim Caesar* } legem a se, nemine intercedente, perferri. quod factum est. quis enim contra Caesaris uoluntatem auderet? Audire *me, facile passus sum:* } sic in antiquo Bessarionis libro: nec obscura sententia in quibusdam tamen uulgatis libris legitur, Aude rem. facile passus sum. quod uitiosum opinor. nam opponit Cicero uerbis facta: & ait: Audiui sine molestia: sin, quod audiui, fiet, moleste feram. Non *concedit Camillo* } aeque, ut Camillus, diligenter nouas res perquirit. Camillo maxime, post Atticum, Cicero cõfidebat. itaque belli ciuilis initio, dubius animi, utrum uxorem, & filiam, in urbe relinqueret, an eas euocaret, ita scribit ep. 14. l. 14. ad uxorem: His de rebus uelim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus uobis uidebitur, consideretis. Facies *igitur me certiorem de idibus.* } an idibus, ut putamus, auctio sit futura. nam, si auctio in eum diem non proscribitur, argumento est perlatum iri legem de augenda urbe: quis enim, cum eam legem perlatum iri uideat, quae hortos, ut ibi quasi Martius campus fiat, solo aequari necesse erit, de hortis emendis cogitet? falsum est quod a Capitone audiui: itaque accuram. auctionis enim caussa Romae esse uelim. sin autem proscribitur; falsum est scilicet, quod de lege perferenda, Tiberiq. secundum Vaticanos montes ducendo, a Capitone audiui. Romae autem, auctionis maxime causa idibus esse uelim. Quas *consequi tamen &c.* } aliarum rerum caussa non refert, idibus ne Romae sim. siquidem eas nihilo minus biduo post, aut triduo conficiam. at uero hortorum auctio si omnino idibus fiat, aduolandum est, ut de lege cognoscam. Te *tamen &c.* } etiam si ego differam aduentum meum, te tamen ad me uolo uenire; ne, cum tanti calores sint, (haec enim scripta uidentur exeunte Iunio) itineris labore conficiaris. Et hoc dicit, quia scripserat Atticus se uelle ad eum. ep. 31. Ignosco } si ad me uenit. Idibus *Maij* } manifestum mendum. nec dubito, quin legendum sit, Idibus Iulij: uel, Idibus, mense subaudito. nam, de Maio absurdum est intelligi: cum e Tusculano profectus esset Arpinũ IIX. Kal. Quinct. & recurrere nobis Brinnianae auctionis caussa cogitaret, nonis inquam Quinctilibus.

Cicero S. D. Attico. 34.

Asturam ueni VIII. *Kal. Iul. uitandi enim caloris caussa (Lanuuij tres horas acquieueram.) tu uelim, si graue non erit, efficias, ne ante nonas mihi illuc ueniendum sit. id potes per Egnatium Maximum. illud inprimis cum Publilio me paene absente conficies: de quo quae fama sit, scribes. id populus curat scilicet. non mehercule arbitror: etenim haec decantata erat fabula: sed complere paginam uolui. quid plura? ipse enim adsum, nisi quid tu prorogas: scripsi enim ad te de hortis. Vale.*

EXPLANATIO

IIX. *Kal. Iul.* } profectus e Tusculano. ep. 21. TRES *hora acquieueram* } quam ob caussam Arpinum, angustijs temporis exclusus, eo die peruenire non potui, & Asturae mansi. EFFICIAS } cum heredibus Brinnianis, coheredibus meis. ep. 12. Dices, inquit, uel amico tuo, uel Othoni coheredi meo, uel Labeoni nostro, paullum proferant auctionem: me circiter nonas in Tusculano fore. ILLVC } in Tusculanum. EGNATIVM *Maximum.* } fortasse interpungendum hoc modo: Egnatium. Maximum illud in primis &c. ILLVD *in primis:* } diuortium fecerat cum Publilia: nunc de dote agebatur: de cuius solutione ep. 1. & 5. l. 16. PVBLILIO } fratre Publiliae: quae Ciceronis uxor fuerat. ME *paene absente* } epist. 46. Te, inquit, spero cum Publilio confecisse. me absente omnia cum illis transigi malo. *Paene*: quia te uera non aberat, cum circum uillulas suas, quae prope Romam sunt, erraret, Romam etiam aliquando se conferret. DE *quo* } de diuortio Publiliae scribes; inquit, num populus me reprehendat. NON *mehercule arbitror* } non mehercule arbitror populum hoc factum reprehendere; quippe Publiliae nuptias improbauerat: ut omnibus essem quasi fabula, quod aetate prouectus puellam uirginē duxissem. Hoc & Calenus ei per contumeliam exprobrat apud Dionem l. XLVI. HAEC *decantata erat fabula* } populus multa ridicule dixerat de Publiliae matrimonio: diuortium igitur non improbabit. IPSE *enim adsum* } in Tusculano. iam, inquit, adest meus aduentus. ep. 25. SCRIPSI *enim ad te de hortis* } ut de hortorum auctione certiorem me faceres. quam si scribes prorogari; futurum est, ut meum aduentum ego item prorogem.

Cicero S. D. Attico 35.

O Rem indignam: gentilis tuus urbem auget; quam hoc biennio primum uidit: & ei parum magna uisa est, quae et ipsum capere. hac potuerit. hac de re igitur exspecto litteras tuas. Varroni, scribis, te, simul ac uenerit. dati igitur iam sunt; nec tibi integrum est: (hui, si scias quanto periculo tuo) aut fortasse litterae meae te retardarunt: sed eas nondum legeras, cum proximas scripsisti: scire igitur aueo, quo modo res se habeat. Vale.

EXPLANATIO

GENTILIS *tuus* } nouum hominem significat, cui Caesar urbis augendae negotium dederat: qui si Attici gentilis, ergo Pomponiae gentis, aut Caeciliae fuit; in quam adoptatus erat Atticus ab auunculo Caecilio. VRBEM *auget* } uide ep. 33. & 20. QVAM *hoc biennio primum uidit:* } his uerbis nouitatem hominis demonstrari quis non uidet? VISA *est* } quod eius consilio Caesar adductus, de urbe augenda consilium inierit. ETIAM *ipsum capere* } quod turpe est: utinam urbs tam fuisset angusta, ut eum non cepisset. SIMVL *ac uenerit* } subaudi, Daturum quattuor Academicos. quod significat insequens uerbum. quo modo & alibi locutus est Cicero. DATI *igitur iam sunt* } dies enim iam praeterijt, quo tum Romae affuturum scripseras. NEC *tibi integrum est* } adempta tibi facultas est deliberandi, utrum dandi sint; siquidem iam dedisti. QVANTO *periculo tuo* } quia Varroni fortasse non probabuntur: tu autem dixisti fore, ut probarentur. Ad hanc sententiam facit illud ep. 24. Ipsi quam res illa probaretur, uerebar: sed, quoniam tu suscipis, in alteram aurem. LITTERAE *meae* } quibus scripsi, ut Academicos Varroni dares tuo periculo. HAS *proximas* } quibus significas te daturum, simul ac uenerit. QVO *modo res se habeat* } num Academicos Varroni dederis.

Cicero S. D. Attico. 36.

De Bruti amore, uestraq. ambulatione; etsi mihi nihil noui affers; sed idem, quod saepe; tamen hoc audio libentius, quo saepius: eoq. mihi iucundius est, quod tu eo laetaris; certiusq. eo est, quod a te dicitur. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

AMORE } erga me.

Cicero S. D. Attico. 37.

HAS alteras hodie litteras. De Xenonis nomine, & de Epiroticis XL, nihil potest fieri nec commodius, nec aptius, quam ut scribis. id erat locutus mecum eodem modo Balbus minor. Noui nihil sane, nisi Hirtium cum Quincto acerrime pro me litigasse: omnibus eum locis facere, maximeq. in conuiuijs: cum multa de me, tum redire ad patrem: nihil autem ab eo tam ἀξιοπίστως *dici, quam alienissimos nos esse a Caesare: fidem nobis habendam non esse, me uero etiam cauendum.* φοβερὸν ἄν, *nisi uiderem scire regem, me animi nihil habere. Ciceronem uero meum uexari, sed id quidem arbitratu suo. Laudationem Porciae gaudeo me ante dedisse Leptae tabellario, quam tuas acceperim litteras, eam tu igitur, si me amas, curabis, si modo mittetur, isto modo mittendam Domitio, & Bruto. De gladiatoribus, de ceteris, quae scribis* ἀνεμοφόρητα, *facis me quotidie certiorem. Velim, si tibi uidetur, appelles Balbum, & Offilium de auctione proscribenda. equidē locutus sum cum Balbo. placebat. puto conscripta habere Offilium omnia. habet & Balbus; sed Balbo placebat, propinquum diem, & Romae: si Caesar moraretur, posse in diem differri. sed is quidem adesse uidetur. totum igitur considera. placet enim Vestorio. Vale.*

EXPLANATIO

HAS *alteras* } ad te mitto. DE *Xenonis nomine,* } Atticus debitam sibi a Xenone pecuniam, & HS insuper XL, quae in Epiro habebat in nominibus, solui uolebat Ciceroni filio, qui erat Athenis, ut Romae tantundem ipse postea exigeret ex nominibus Ciceronis. uide epist. 16. l. 14. & 1. & 6. l. 16. CVM *Quincto* } fratris filio, omnibus locis; maximeq. in conuiuijs mihi male dicente. REDIRE *ad patrem* } etiam de patre detrahere. & uenuste, Redire, quasi domum. REGEM } Caesarem. ANIMI } aduersus ipsum. CICERONEM *meum uexari* } filium meum a Quincto filio. ARBITRATV *suo* } Quincti filij. LAVDATIONEM } mortuos Romani ueteres in funere laudabant, praesertim ortos illustri familia. laudabant autem non modo propinqui, sed & amicitia coniuncti. Cicero Porciam laudauit, Catonis sororem, laudatione non habita, sed scripta. PORCIAE } quae L. Domitij Ahenobarbi uxor fuerat. Plutarchus in Catone Vticensi. QVAM *tuas acceperim litteras* } quibus monebas, ut quaedam corrigerem. gaudeo igitur me eam Leptae tabellario iam dedisse ad te perferendam: laborem enim correctionis effugiam, cum ad te missam corrigere non sit integrum. correxit tamen, ab Attico remissam. ep. 46. ISTO *modo* } ut est a me scripta, omissa, quam tu adhiberi uelles, correctione. MITTENDAM } Romae. n. non erant, Caesari longe obuiam profecti, quasi uictoriam Hispaniensem gratulaturi. DOMITIO } Porciae filio, ex L. Domitio Ahenobarbo. ep. 46. & Philippica 2. BRVTO } Porciae affinitate coniuncto; cum ea Catonis esset soror, ipse autem Catonis alteram filiam haberet in matrimonio, de cuius nuptijs ep. 12. & Seruiliae filius esset, quae Catonis uterina soror erat. BALBVM } qui Caesaris, ut puto, coheredis res curabat. ep. 50. OFFICIVM } ut coheredem. AVCTIONE } Cluuianorum bonorum. Cluuius enim Puteolanus heredes scripserat T. Hordeonium, & Ciceronem, alios item, ut patet ep. 5. l. 16. inter coheredes autem de auctione conuenerat; ut, bonis in pecuniam redactis, suum quisque capere facilius posset. ep. 45. OMNIA } Cluuiana bona, quae in auctione uenibūt. PROPINQVVM *diem* } auctionē proscribi non longe a Caesaris aduentu, sed propinquo die; ut post aduentum fieri statim posset; quod si Caesar moraretur; futurum, ut eū diem, in quem proscripta esset auctio, prorogare possemus, quoad ille in urbem se recepisset. Romae autem proscribi auctionem, non Puteolis, Balbo placebat. PLACET *enim Vestorio* } Balbi sententiam Vestorius probabat, ut Romae auctio proscriberetur.

Cicero S. D. Attico. 38.

ANTE lucem conscriberem contra Epicureos, de eodem oleo, & opera exaraui nescio quid ad te, & ante lucem dedi. deinde cum somno repetito, simul cum Sole experrectus essem, datur mihi epistola a sororis tuae filio, quam ipsam tibi misi, cuius est principium non sine maxima contumelia: sed fortasse οὐχ ἐπέσχεν. *est autem sic. EGO enim non probo, quidquid non belle in te dici potest. posse uult in me multa dici non belle, sed ea se negat approbare, hoc quidquam potest esse impurius? iam cetera leges, (misi enim ad te) indicabisque. Bruti nostri quotidianis, assiduisq. laudibus, quas ab eo de nobis haberi, permulti mihi renunciaue runt, commotum istum, aliquando scripsisti aliquid ad me: credo, & ad te, idq. ut sciam, facies. nam, ad patrem de me quid scripserit, nescio: de matre quam pie? VOLVERAM, inquit, ut quamplurimum tecum essem, conduci mihi domum: & id ad te scripseram: neglexisti. ita minus multum una erimus.*

non ego istam domum uidere non possum : qua de caussa, scis. Hanc autem caussam pater odium matris esse dicebat. nunc me iuua, mi Attice, consilio, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, id est utrum aperte hominem asperner, ac respuam, ἢ σκολιαῖς ἀπάταις : ut enim Pindaro, sic δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν, omnino moribus meis illud aptius, sed hoc fortasse temporibus. tu autē, quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato. equidē uereor maxime, ne in Tusculano opprimar. in turba haec essent faciliora. utrum igitur Asturae? quid? Caesar subito. iuua me, quaeso, consilio: utar eo, quod tu decreueris. Vale.

EXPLANATIO

CONTRA *Epicureos,* } Tusculanam secundam, quam scripsit de tolerando dolore, contra Epicuri sententiam, qui summum malum ponebat in dolore. FORTASSE οὐκ ἐκλείπειν } fortasse lapsus est per ignorantiam, cum non intelligeret contumeliosum esse quod scribebat. ISTVM } Q. Ciceroné, sororis tuae filium. Commotum, autem, cum praesens praesentem audiret. Brutus enim tunc erat apud Caesarem; cum ex Hispania redeunti longe obuiam processisset: ut eum de Ciceronis laudibus praedicantem Quinctus, cum Caesare ex eodem bello reuertens, audire posset. SCRIPSISTI } mendosa dictio: & omnes in mendo consentiunt antiqui libri. equidem sententiam uideo; neque enim est obscura: sed immutare uerba non ausim sine uetustis exemplaribus; ne plus ipse mihi sumam, quam quantum alijs licere uolo. IDQ. *ut sciam* } num ad te quoque scripserit Quinctus, significabis. Πότερον &c. } utrum iuste agam. Graeca uerba significant, utrum iustitiae murum altum adscendens uitam traducam. hic enim subaudiendum, ἀναβὰς διαβιῶ, ex Platone, qui l. 2. πολιτείας hoc Pindicaricum & ipse usurpat. est igitur : Vtrum iustitiam tuear: hoc est, utrum aperte Quinctum filium asperner, ac respuam, sicuti iustum est; an obliqua fraude utens dissimulem. ἀτρέκειαν εἰπεῖν } uere ut dicam. usitatum loquendi genus apud Graecos, ἀντὶ τοῦ ὡς ἀτρέκειαν εἰπεῖν. ILLVD *aptius* } illud, quod primum posuit de iustitia seruanda. SED *hoc* } obliqua fraude uti, & dissimulare. IDEM *mibi &c.* } sequar consilium, & sententiam tuam. OPPRIMAR } ne ueniat ad me Quinctus filius, dum in Tusculano sum. ego autem alicubi mallem, ubi maior esset hominum frequentia. nam in turba facilius dissimularem. ep. 39. Illum, inquit, hic excipere nolo. ASTVRAE? } melius esset Quinctum excipere? sed quid? Caesar uidetur Asturae cum illo iam affuturus. iuua me igitur cōsilio. Asturam autem postea Caesar cum uenisset, apud Ciceronem cenauit. ep. 4. lib. 14.

Cicero S. D. Attico. 39.

O INCREDIBILEM uanitatem: ad patrem, domo sibi carendum propter matrem, plenam pietatis. hic autem iam languescit, & ait tibi illum iure iratum. sed utar tuo consilio. σκολιὰ enim tibi uideo placere. Romam, ut censes, ueniam, sed inuitus. ualde enim in scribendo haereo. Brutum, inquis, eadem. scilicet : sed nisi hoc esset, res me ista non cogeret. nec enim inde uenit, unde mallem: neque diu abfuit : neque ullam litteram ad me. sed tamen scire aueo, qualis ei totius itineris summa fuerit. Libros mihi, de quib. ad te antea scripsi, uelim mittas, & maxime φαίδρον περὶ ψυχῶν & ΠΠΑΔΔΟΣ. Itane nunciat Brutus, illum ad bonos uiros ἐγγύαλα? sed ubi eos? nisi forte suspendit. hic autem, ut fultū est? ubi igitur φιλοτέχνημα illud tuum, quod uidi in Parthenone? Abalam, & Brutum. sed quid faciam? illud optime, quod ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, bene de nostro. at ego uerebar, ne etiam Brutus eū diligeret. ita enim significarat ijs litteris, quas ad meas. at uellem aliquid degustasse de fabulis. sed coram, ut scribis. etsi quid mihi auctor es, aduolo ne, an maneo? equidem & in libris haereo, & illum hic excipere nolo, ad quem, ut audio, pater hodie ad Saxa Acrimonia uirum, quam inimicus ibat, ut ego obiurgarem. sed ego ipse κίτρωμα. itaque posthac. tu tamen uide, quid de aduentu meo censeas; & τὰ ὅλα. cras si perspici potuerint, mane statim ut sciam. Vale.

EXPLANATIO

VANITATEM: } Quincti filij; qui ad patrem scripserit, domo sibi carendum propter matrē: at quam matrē? plenā pietatis. HIC *autem* } Quinctus pater. LANGVESCIT } filio placari coepit. SED *utar &c.* } non agam acerbe cū Quincto filio, sed in congressu acceptā iniuriā dissimulabo. tibi. n. ita uideo placere. IN *scribendo haereo.* } totus in scribendo sum. scribebat autē quaestiones Tusculanas. BRVTVM *&c.* } Brutū ais eadē de rep. sentire. bene est. sed, nisi hoc esset; id est, nisi recte sentire; non ego, ut ei reditū gratularer, Romā redirem. neq. n. ista res tanti esset, ut me cogere posset: uerū ideo ueniā, quia recte sentientē libenter uideo. VNDE *mallem* } mallem, uictoribus Pompeij liberis obuiam iuisset, quam Caesari. TOTIVS *itineris* } obuiam Caesari longe prodierat, cum eodemq. reuertebat. ep. 1. l. 14. φαίδρον &c. } de hoc libro, cuius uideo corruptum esse titulum, certi nihil esse potest. ILLVM } Caesarem ad bonos uiros ἐγγύαλα ferre, hoc est, uenire Romā eo cōsilio, ut rēp. cōstituat. VBI *eos?* } inueniet? SVSPENDIT? } nisi forte Brutus simulat. FVLTVM *est?* } qui poterit hic simulatā personā sustinere? Trāslata uerba, Suspēdit, Fultum est.

φιλο-

φιλοτέχνημα} tuum illud iactantiae plenum, a te positum Athenis in Parthenone templo. posuerat autem Atticus nomina Athalae & Bruti, uindicum libertatis: a quibus utrisque Brutus genus ducebat, paternum a Bruto, qui Tarquinium eiecit, maternum a Seruilio Ahala, qui Q. Melium regnum appetentem occidit: ut ad imitationem praeclari facinoris accendi Brutus deberet, Caesaremq. tyrannum interficere. QVID *faciam*? } etiam si nunc uiuant Ahala, & Brutus, quid faciant contra tam potentem tyrannum? OMNIVM *flagitiorum auctor*, } Hirtius potius, quam Caesar. nam is ad Caesarem Quincto filio aditum aperuit; (ep. 20. l. XI.) ut quaecumque flagitia Quinctus committit, Caesaris gratia fretus, Hirtio adscribi iure possint. BENE *de nostro* } bene sentit de propinquo nostro, id est de Quincto filio. AT *uellem &c.* } uellem, Brutus aliquid de fabulis degustasset: certe Quinctum filium nō amaret. sermones autem, quos & de ipso habuerat Quinctus acerbissimos, & item de Attico auunculo, Fabulas appellat; quod a ueritate nihilo minus abessent, quam fabulae, quibus fictae res & commenticiae narrantur. ILLVM *hic excipere* } Quinctum filium. hoc & in proxima epistola superiore, his uerbis: Vereor, ne in Tusculano opprimar. in turba haec essent faciliora. utrum igitur Asturae? PATER *hodie* } iturus erat. SAXA *Acrimonia* } loci nomen ignoti. antiquiores libri Acrunoma. EGO *ipse κίπφωμα* } leue quiddam sum, qui obiurgauerim fratrem filio iratum, a quo sum grauiter offensus. itaque posthac non obiurgabo. QVID *de aduentu meo censeas* } ibidem paullo ante: Quid mihi auctor es, aduolo, an maneo.

Cicero S. D. Attico. 40.

EGO uero Quincto epistolam ad sororem misi. cū ille quereretur filio cum matre bellum, & se ob eam caussam domo cessurum filio diceret; dixi, illum cōmodas ad matrem litteras, ad te nullas. ille alterum mirabatur: de te autem suam culpam, quod saepe grauiter ad filium scripsisset de tua in illum iniuria. quod autem relanguisse se dicit; ego ei, tuis litteris lectis, σχολιαῖς ἀπάταις significaui me non fore. tum enim mentio Canai. omnino, si id consilium placeret, esset necesse. sed, ut scribis, ratio est habenda grauitatis, & utriusque nostrum idem consilium esse debet: etsi in me grauiores iniuriae, & certe notiores. si uero etiam Brutus aliquid afferet, nulla dubitatio est. sed coram. magna enim res, & multae cautionis. cras igitur, nisi quid a te commotus. Vale.

EXPLANATIO

EGO *uero &c.* } Quincto fratri epistolam misi, a te scriptam ad sororem: ut uideret, quae scriberes. DOMO *cessurum* } uide ep. 19. ILLVM } Quinctum filium. ALTERVM *mirabatur* } mirabatur, filium cōmodas ad matrem litteras misisse, a qua paullo ante sciret illum fuisse alienissimum. SVAM *culpam* } quod filius nullas ad te litteras misisset, in eo suam ipse culpam frater agnoscebat, qui saepe grauiter ad filium de tua in illum iniuria scripsisset. DICIT } frater, qui se aiebat filio paene placatum. ep. 38. ME *non fore* } sicuti fueram: non fore inquam iratum Quincto filio. id autem simulaui, ex tuis litteris, in quibus uidi σχολιᾶ tibi placere. ep. 39. MENTIO *Canai* } de Canai filia Quincto filio collocanda. sic enim explano, ex epistola sequenti. ID *consilium* } ut Quinctus filius uxorem duceret. ESSET *necesse* } ut placaretur ei re uera, non simulate. nostrarum enim discordiarum opinio ualde illi ad uxorem inueniendā obesset. GRAVITATIS } leues enim uideri possimus, si, acceptis a Quincto filio grauissimis iniuriis, statim ei nos totos remittamus. VTRIVSQVE *nostrum* } debemus uterque aut placari, aut iniuriarum memoriam retinere; cum utrumque ille offenderit: etsi me quidem grauius, & apertius. ep. 37. AFFERRET } de Quincto filio a nobis non alieno. NVLLA *dubitatio* } quin placatos Quincto filio nos praebeamus. CRAS } in urbem ueniam. COMMOTVS } de meo ueniendi consilio.

Cicero S. D. Attico. 41.

VENIT ille ad me, καὶ μάλα κατηφής. & ego, σὺ δέ τι σκυθρωπός? rogas? inquit. quod iter instet, & iter ad bellum, idq. tum periculosum, tum etiam turpe. quae uis igitur? inquam. aes, inquit, alienum, & tamen ne uiaticum quidem. hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia: nam tacui. at ille: sed me maxime angit auunculus. quidnam? inquam. quod mihi, inquit, iratus est. cur pateris? inquam. malo enim ita dicere, quam, cur committis? non patiar, inquit: caussam enim tollam. & ego, rectissime quidem: sed, si graue non est, uelim scire, quid sit caussae. quia dum dubitabam, quam ducerem, non satisfaciebam matri, ita ne illi quidem. nunc nihil mihi tanti est: faciam, quod uolunt. foeliciter uelim, inquam; teq. laudo. sed quando? nihil ad me, inquit, de tempore, quoniam rem probo. at ego, inquam, censeo, prius, quam proficiscaris, ita patri quoque morem gesseris. faciam, inquit, ut censes. Hic dialogus sic conclusus est. Sed heus tu, diem meum scis esse III non. Ian.? aderis igitur. scripseram iam: ecce tibi, orat Lepidus, ut ueniam (opinor augures nihil habere) ad templum effandum Saturni ἀπαντῶν. uidebimus te igitur. Vale.

EXPLANATIO

VEnit *ille ad me,* } Quinctum filium intelligit. Qvod *iter instet* } quod mihi eundum cito sit ad bellum. Tvm *periculosum, tum etiam turpe* } periculosum, quia Parthos, gentem bellicosam, & iam Romanis cladibus insignem; turpe, propter aes alienum, & inopiam uiatici. Qvae *uis igitur* } te ad huiusmodi bellum extrudit inuitum? Aes *alienum* } in urbe. quod quia non est unde dissoluam, appellationes creditorum fugiens ad bellum ire cogor. Svmpsi *quiddam de tua eloquentia:* } te sum imitatus, tacere solitum in ijs rebus, quae tibi minus placent. argute, silentium Attici uocat eloquentiam. Tacvi } quod ad uiaticum ego quidem nihil ei pecuniae conferre uellem. Avnncvlvs } Atticus. Qvam *ducerent* } uxorem. Rem *probo* } uxorem ducam arbitratu matris, & auunculi: de tempore ipsi statuant. Censeo *prius, quam proficiscaris* } censeo prius uxorem ducas, quam ad bellum proficiscaris. Patri *quoque* } non solum matri, & auunculo. Aderis *igitur* } uenies in Tusculanum, ut natalem meum una celebremus. Scripseram *iam* } cum hoc scripsissem, ecce tibi litterae a M. Lepido consule, quibus orat &c. Vt *ueniam* } Romam, quod augur sim. Avgvres *nihil habere* } quod opponant. nam, si quid obijcerent, quo minus liceret effari templum Saturni; ego non accerserer. Ad *templum effandum* } effati templa dicuntur, cum ab auguribus effantur qui in his fines sunt. & Fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sint finem. haec Varro. Seruius autẽ ubi illud Virgilianum explanat, Sic effatus uestigia pressit, Proprie, inquit, effata sunt augurum preces: unde ager post pomeria uocabatur effatus, ubi captabantur auguria. Et Liuius l. x. in pugna ad Luceriam facta Iouis Statoris aedem scribit uotam, ut Romulus ante uouerat: sed fanum tantum, id est locus templo effatus, sacratus fuerat. Et Gellius ex augurum libris pomerium ita definit: Pomerium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicij. eodemq. cap. Auentinum montem, inquit, neque Ser. Tullius rex, neque Sulla, neque postea Caesar, cum pomerium proferret, intra effatos urbis fines incluserũt. Cicero autem l. 2. de legibus: Vrbẽ, agros, & tẽpla liberata & effata habento. Et pro domo sua: Nec institutas caerimonias persequi, nec uerbum ullum sollemne potuit effari. Neque solum in templorum dedicationibus, sed etiam in foederibus uerbum, Effari, animaduertimus usurpatum. ut apud Liuium libro 1. Fetialis M. Valerius patrem paratum Sp. Fusium facit, uerbena caput, capillosq. tangens: foedus multis uerbis, quae longo effata carmine non operae est referre, peragit. Satvrni ἀστρόν } Saturni immitis, siue implacabilis: tale enim eius astrum, ut inter astrologos omnes conuenit. Videbimvs *te igitur* } Romae.

Cicero S. D. Attico. 42.

EGo uero utar prorogatione diei: tuq. humanissime fecisti. qui me certiorem feceris, atque ita, ut eo tempore acciperem litteras, quo non exspectarem, tuq. ut ab ludis scriberes. sunt omnino mihi quaedam agenda Romae: sed consequemur biduo post. Vale.

EXPLANATIO

VTar *prorogatione diei* } cũ Atticus Ciceroni scripsisset, auctionẽ hortorum Scapulanorũ ultra idus esse reiectã; respondet, se non iturum Romam qua cõstituerat die, sed usurum prorogatione diei. supra, ep. 33. Facies, inquit, me certiorẽ de idibus. ista. n. me res adducebat: eo adiunxeram ceteras; quas consequi tamen biduo, aut triduo post facile potero. & fortasse fuit haec epistola ante proximam superiorẽ collocanda. Ab *ludis* } cum alij spectaculis operam dant, tu ad me scripsisti. humanitatẽ igitur tuã agnosco. uel, Ab ludis, cum tu simul cum Attica spectares. spectauit. n. Attica, ut in epistola sequenti; nec, puto, sine patre. Consequemvr *biduo post* } conficiemus: Idem scribit ep. 33. his uerbis: Ista me res Romam adducebat, eo adiunxeram ceteras; sed consequi tamen biduo, aut triduo post facile potero.

Cicero S. D. Attico. 43.

SVaves tuas litteras: etsi acerba pompa: uerumtamen scire omnia non acerbum est, uel de Cotta. populum uero praeclarum, quod propter malum uicinum ne Victoriae quidem plauditur. Brutus apud me fuit: cui quidem ualde placebat, me aliquid ad Caesarem annuccram: sed pompam uideret. Tu autem ausus es Varroni dare. exspecto, quid iudicet. quando autem perleget? De Attica probo. est quiddam, etiam animum leuari tum spectatione, tum etiam religionis opinione, & fama. Cottam mihi uelim mittas. Libonem mecum habeo, & habueram ante Cascam. Brutus mihi T. Ligarij uerbis nunciauit, quod appelletur

L. Curfidius in oratione Ligariana, erratum esse meũ, sed, ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. sciebam, Curfidium pernecessarium Ligariorum; sed eum uideo ante esse mortuum. da igitur, quaeso, negotium Pharnaci, Antaeo, Saluio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur. Vale.

EXPLANATIO

ACERBA *pompa* } acerbum, quod scripsisti de pompa. pompam autem intelligit Circensem, qua Caesaris signum inter deorum signa gestatum est decreto senatus. Dio historiarum libro XLIII. & Suetonius in Iulio. VEL *de Cotta* } uel id, quod scribis de Cotta percrebescere. Percrebuerat enim, ut ait Suetonius in Iulio, L. Cottam XV. uirum sententiam dicturum proximo senatu, ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse uinci, Caesar rex appellaretur, quae caussa coniuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Idem in secundo de diuinatione legitur, ita scriptum: Sibillae uersus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur: quorum interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur, eum, quem re uera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salui esse uellemus. PROPTER *malum uicinum &c.* } cum in pompa signum Victoriae, quae apud Romanos ut dea colebatur, per ora populi ueheretur, populus contra consuetudinem plausum non dedit, ne Caesari dare uideretur, cuius signum prope Victoriae signum gestabatur: sed Cicero circuitione utens, Victoriae malum uicinum Caesarem appellat. NE *Victoriae quidem* } cui maxime plaudi soleret. ALIQVID *ad Caesarem* } scribere. SED *pompam uideret* } opinor hoc intelligi: Non uidetur ad eum esse scribendum, qui iam colatur ut Deus, cum in sollenni pompa inter deorũ statuas eius quoque statua gestetur. quidquid enim scripsero, fastidiet. In eandem sententiam scripsit ep. 28. Quid, tu, inquit, hunc de pompa Quirini cótubernalem, his nostris moderatis epistolis laetaturum putas? Est autem antiquis scriptoribus usitata locutio: ut apud hunc ipsum lib. 3. de officijs: Male Curio, cum caussam transpadanorum aequam esse dicebat; semper autem addebat, Vincat utilitas. potius diceret, non esse aequã, quia non esset utilis reipublicae &c. pro dicere debebat. & alibi. TV *autem &c.* } respondet ad aliam partem epistolae ab Attico acceptae. Tu tamen ausus es Varroni dare quattuor Academicos, quamquam ego saepe ad te scripserim me dubitare, nõ essent dandi. ep. 21. 22. 25. & 33. PROBO } quod eam ludis interesse uolueris. SPECTATIONE } ludorum. RELIGIONIS } quia uideret deorum simulacra in Circensi pompa gestari. Circenses autem ludos Caesar dedit, & in Circensi pompa, quae ante ludos ducebatur, ferculo tamquam deus simul cum alijs dijs gestatus est. Suetonius de Caesaris ferculo: Dionysius de Circensi pompa. COTTAM *&c.* } tres libros intelligit, cum dicit, Cottam, Libonem, Cascam. & de Libonis annali, quem scribit secũ habere, ep. 30. & 33. ANTE *Cascam* } ante Libonem Cascã habueram. T. LIGARII } fratris eius, pro quo est oratio. PHARNACI, *Antaeo, Saluio* } librarijs tuis. TOLLATVR } idq. factum. nam, in oratione Ligariana Curfidius nusquam appellatur.

Cicero S. D. Attico. 44.

FVIT apud me Lamia post discessum tuum, epistolamq. ad me attulit missam sibi a Caesare: quae quamquam ante data erat, quam illae Diocharinae, tamen plane declarabat, illum ante ludos Romanos esse uenturum. in qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet, ne ue committeret, ut frustra ipse properasset. prorsus ex his litteris non uidebatur esse dubium, quin ante eam diem uenturus esset: idemq. Balbo, cum eam epistolam legisset, uideri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos uideo, sed quam multos, fac, si me amas, sciam. de Babio poteris, & de altero uicino Egnatio. Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda: currentem tu quidem: sed cum Dolabella uiuendum esse istis diebus uides. quod nisi me Torquati caussa teneret; satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem, & ad tempus redire. Lamia quidem a Balbo, ut uidebatur. audiuerat, multos nummos domi esse numeratos, quos oporteret quamprimum diuidi: magnum pondus argenti: auctionem, praeter praedia primo quoque tempore fieri oportere. scribas ad me uelim, quid tibi placeat. equidem, si ex omnibus esset eligendum, nec diligentiorem, ne officiosiorem facile delegissem Vestorio, ad quem accuratissimas litteras dedi: quod idem te fecisse arbitror mihi quidem hoc satis uidetur. tu quid dicis? unum enim pungit, ne negligentiores esse uideamur: exspectabo igitur tuas litteras. Vale.

EXPLANATIO

QVAM *ille Diocharinae:* } probo coniecturam uiri optimi, & in primis eruditi, Petri Antonij Montagnani, qui legendum existimat, Illae Diocharinae: ut litterae, uel epistolae significentur, a Diochare scriptae, Caesaris liberto, qui nominatur epist. 6. lib. XI. AD *ludos omnia pararet* } cum aedilis esset. aediles autem sollemnes ludos curabant: unde illud Ciceronis: Sunto aediles curatores: urbis, annonae, ludorumq. sollemnium: lib. 3. de legibus, sexto in Verrem, tertio ad Quinctum fratrẽ: alibi. de Lamiae uero aedilitate, in ep. fam. ep. 16. lib. XI. ANTE *eam diem* } qua ludi Romani committi solerent. DIES *feriarum* }

feriarum }

feriarum } diutius possum quasi feriari, quando auctionem Brinnianam scribis esse dilatam, cuius caussa Romam cogitaueram. Neque dubium est, Brinnianam auctionem intelligi, cum inferat, Quam diu feriari possim, de Egnatio scire poteris. quem coheredibus Brinnianis amicum & familiarem fuisse, iam ante ostendit ep. 34. scribit enim sic. Tu uelim, si graue non erit, efficias, ne ante nonas mihi illuc ueniendum sit. id potes per Egnatium Maximū. & ep. 12. De Brinniana auctione accepi a Vestorio litteras. ait, rem ad me collatam ad III. Kal. Quinctilis. dices igitur uel amico tuo, uel Othoni coheredi meo, uel Labeoni nostro, paullum proferant auctionem; me circiter nonas in Tusculano fore. idemq. ep. 18. TORQVATI *caussa* } ut agam de eius re cum Dolabella. uide ep. 9. & 21. PVTEOLOS } ut cretionem Cluuij Puteolani, (ep. ad Thermum, lib. XIII.) & rationem testamenti cognoscerem. hoc autem ei curandum erat, qui sciret se a Cluuio heredem institutum. ep. 46. huius libri, & 5. l. 16. AD *tempus* } ut aduenientem Caesarem possim excipere. Et infra ep. 46. Puteolos, inquit, non fuit eundum, cum ob ea, quae ad te scripsi, tum quod Caesar adest. REDIRE. } Lanuuium. MVLTOS *nummos* } a Cluuio relictos. DOMI } Cluuij. DIVIDI } coheredibus. AVCTIONEM } bonorum Cluuianorū. ep. 37. PRAETER *praedia* } exceptis praedijs Cluuianis: forte, ut integrum esset Caesari, si quod eorum concedere amicis, aut familiaribus uellet. Et infra in epistola proxima: Etiam de hortis Cluuianis egi cum Balbo. liberalius: se enim statim ad Caesarem scripturum. Horti enim auctionem non subibant, cum inter praedia numerarentur. & uidetur unus ex coheredibus Caesar fuisse: cuius res Balbus curabat. QVID *tibi placeat* } utrum auctioni Cluuianae Vestorium praeficiam, an ipsi nostrum negotium curemus, ne negligentiores esse uideamur. IDEM *te fecisse* } scripsisse ad Vestorium, de auctionis curatione. erat autem is hoc tempore Puteolis, hoc est in patria. epist. 17. lib. 4. & 48. huius libri. Hoc *satis uidetur* } satis esse puto, me, & te ad illum diligenter scripsisse: non necesse autem esse, ut ipse Puteolos eam. NEGLIGENTIORES } qui nostram rem non agamus, alteri mandantes. POLLEX } Puteolis profectus.

Cicero S. D. Attico 45.

POLLEX quidem, ut dixerat, ad idus Sext. ita mihi Lanuuij pridie iduum praesto fuit. sed plane pollex, non index. cognosces igitur ex ipso. Balbum conueni: (Lepta enim de sua ui in curatione laborans, me ad eum perduxerat) in eo autem Lanuuino, quod Lepido tradidit. ex eo hoc primum. Paullo ante acceperā eas litteras, in quibus magnopere confirmat, ante ludos Romanos. legi epistolam. multa de meo Catone: quem saepissime legendo, se dicit copiosiorem factum; Bruti Catone lecto, se sibi uisum disertum. Ex eo cognoui cretionem Cluuij, (o Vestorium negligentem) liberam, testibus praesentibus sexaginta duobus. metuebam, ne ille arcessendus esset: nunc mittendum est, ut meo iussu decernat. idem igitur Pollex. Etiam de hortis Cluuianis egi cum Balbo. liberalius: se enim statim ad Caesarem scripturum. Cluuium autem a T. Hordeonio legare & Terentiae HS ↀↀↀ, & sepulcro, multisq. rebus, nihil a nobis. subaccusa quaeso Vestorium. quid minus probandum, quam Plotium unguentarium per suos pueros omnia tanto ante Balbo, illum mihi ne per meos quidem? De Cosinio doleo. dilexi hominem. Quinctio delegabo, si quid aeri meo alieno superabit, et emptionibus; ex quibus mihi etiam aes alienum faciendum puto. De domo Arpini nihil scio. Vestorium, nil est, quod accuses. iam enim obsignata hac epistola, noctu tabellarius noster uenit, & ab eo litteras diligenter scriptas attulit, & exemplum testamenti. Vale.

EXPLANATIO

AD *idus Sext.* } non dixerat, se mihi praesto fore pridie iduum, sed ad idus Sext. in quo non fefellit. fuit. n. pridie. PLANE *pollex, non index.* } nullas a Vestorio litteras attulit, ut cognoscere quidquam possem de cretione Cluuij. itaq. fuit plane pollex, non index. Iocus in ambiguitate nominis. pollex. n. etiam digitus in manu: quem index pone sequitur. COGNOSCES *igitur ex ipso* } ex ipso Pollice, quem ad te mitto, cognosces, cur ei Vestorius nihil dederit litterarum. ep. 46. Tu uelim e Pollice cognoscas rationes nostras sumptuarias. ex quo apparet, a Cicerone ad Atticum iuisse. DE *sua ui in curatione laborans,* } ut aliqua sibi curatio daretur munerum regionum, hoc est, ludorū, qui apparabantur in Caesaris aduentum per omnes urbis regiones. in epistola ad Leptam, De curatione, inquit, aliqua munerū regionum cum Oppio locutus sum. nam Balbum, posteaquam tu es profectus, non uidi. & Suetonius in Iulio: Edidit spectacula uarij generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim urbe tota. Quod aūt legitur, Vi in; ego, ut dicam quod sentio, (quamquam possum falli ut humanus) corruptam suspicor lectionem. nec uero uerbum Vis quot modis accipiatur, ignoro. sed hic, ut quidem ego existimo, locū nō habet. Alberti Tertij liber habet, Re sua in ratione laborans. IN *eo autē Lanuuio,* } pater meus impresserat in suis libris, Meo autem Lanuuio: alij, Me autem Laniuio: ego, In eo autem Lanuuino, nulla prope mutatione, correctionem indicante sententia, uel ipso potius Cicerone, cuius haec sunt uerba ep. 48. Cum mihi Balbus nuper in Lanuuino dixisset, se, & Oppium scripsisse ad Caesarem, me legisse libros cōtra Catonem, & uehementer probasse: conscripsi de his libris epistolā Caesari. Lanuuinum aūt, praediū in agro Lanuuino: ut Formianum, Pompeianum, & similia. supra, ep. 8. lib. 9. De Lanuuino, statim, ut audiui Phameam mortuum, optaui, ut id aliquis emeret meorū. & ep. XI. lib. 9. Ex *eo hoc primum* } cognoui. quid

quid autem est, quod ex Balbo primum cognouit? eum tradidisse Lepido Lanuuinum. ACCEPERAM } Lamia paullo ante mihi ostenderat eas litteras, in quibus hoc Caesar magnopere confirmat, se ante ludos Romanos affuturum. ep. 21. LEGI *epistolam* } Balbo a Caesare missam. MEO *Catone* } intelligit librum a se scriptum de laudibus Catonis. epist. 38. lib. 12. BRVTI *Catone* } Brutus Catonis auunculi consilium, qui se interfecerat, edito libro reprehendit. Plutarchus. DISERTVM } his uerbis Caesar ostẽdebat, Ciceronis consilium sibi non placere, qui Catonem laudaret; Bruti placere, qui reprehenderet, res enim in Bruto, in Cicerone uerba laudat. CRETIONEM *Cluuij* } a Cluuio testamento nominatam. est enim Cretio testatoris, cum ita testatur, ut cretionis mentionem faciat, id est adiri iubeat hereditatẽ suorum bonorum cum sollemni cretione: qua de re Vlpianus. Est & heredum Cretio: cum hereditatem cernunt, id est adeunt. NEGLIGENTEM } qui de Cluuij cretione nihil ad me per Pollicem scripserit. LIBERAM, } Cluuio nihil cuiquam homini, aut cuiquam rei a Cicerone herede, aut etiam a ceteris coheredibus, legante, excepto tamen Hordeonio, a quo legebat Terentiae, sepulcro, multisq. rebus. TESTIBVS *praesentibus* } ut, cum cernerent, idest adirent hereditatem coheredes, testes adessent LXII. id in testamento Cluuij scriptum erat, LXII. } ex hoc testium numero de mendo suspicari cogor. quae res enim est, quae ultra decem, aut etiam uiginti testes requirat? in quo quidem testamento septem si adessent, qui anulo suo obsignarent; satis erat. Nec uero tam offendor numero, quã numeri parte. quorsum enim ad sexaginta, duos addere? METVEBAM } si cretio libera non esset. quam fuisse liberam, ex Balbo cognoui, Pollice nullas ea de re Vestorij litteras afferente. ILLE } Vestorius. ARCESSENDVS } ad me Lanuuium, ut cum eo de cretione loquerer, quam non esse liberam suspicabar. sed, cum sit libera, Cluuio nihil a me legante: arcessendus non est. NVNC } cum liberam esse cretionem audiam. MITTENDVM *est*, } significandum ei per litteras, uel per Pollicem. hoc enim sensu saepe accipitur hoc uerbum, ut in ep. ad D. Brutum: Mitte ad Brutum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Et ad Tironem: Curio misi, ut medico honos haberetur. MEO *iussu cernat.* } tamquam procurator meus hereditatis partem, Cluuij testamento mihi relictam, adeat. IDEM *igitur Pollex.* } ad Vestorium Puteolos remittẽdus. ep. 46. Idem Pollex remittendus est, ut ille cernat. DE *hortis Cluuianis* } ut eos mihi, quando eorum auctio futura non esset, (ep. 44.) a Caesare impetraret. EGI *cum Balbo* } hic interpunge. nam quod sequitur, Liberalius, per se consistit: ut sit Liberalius respondit. CLVVIVM *autem*, } refertur ad uerbũ, Cognoui. AT *Hordeonio* } uno ex coheredibus. plures enim erant, ut ep. 5. lib. 16. LEGARE *Terentiae*, } sic locutus pro Cluentio: Grandem ei pecuniam legat a filio, si qui natus esset: ab secundo herede nihil legat. Et in Topicis: Paterfamilias uxori ancillarum usumfructum legauit a filio. Similiter, Soluere ab aliquo dicebant. ep. 21. lib. V. Homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me soluere. ep. 17. lib. VII. Quinctus frater laborat, ut ubi, quod debet, ab Egnatio soluat. HS ꟾↃↃↃ } scutatos mille quingentos. A NOBIS. } a me. ita cretio, quod ad me attinet, libera. SVBACCVSA } leuiter accusa, quasi molli brachio obiurga. NE *per meos quidem.* } per Pollicem, qui puteolis redierat sine Vestorij litteris. unde illud supra Plane Pollex, non index. DE *Cosinio* } mortuo. QVINCTO *delegabo*, } Delegare dicimur, cum id, quod nostrum est, ad alium transferimus: ut de Oratore libro 2. Haec ipsa, quae nunc ad me delegare uis, ea semper in te praestantia fuerunt. Et ad hunc ipsum epist. 13. libro 12. Balbi regia condicio est delegandi. Cum igitur, inquit, aes meum alienum dissoluero, & emero ea, quae mihi emenda sunt; tum, si quid pecuniae supererit, tradam Quincto fratri: sed puto fore, ut etiam aes alienum mihi sit faciendum ex emptionibus: tantum abest, ut pecuniam sperem speraturam, TESTAMENTI } a Cluuio scripti.

Cicero S. D. Attico. 46.

POSTEA QVAM abs te Agamemno, non ut uenirem, (nã id quoque fecissem, nisi Torquatus esset) sed ut scriberem, tetigit; omisi ea, quae manibus habebam, abieci; quod iusseras, edolaui. Tu uelim e Pollice cognoscas rationes nostras sumptuarias. turpe est enim nobis, illum, qualiscumque est, hoc primo anno agere: post moderabimur diligentius. Idem Pollex remittendus est, ut ille cernat. Plane Puteolos non fuit eundum, cum ob ea, quae ad te scripsi, tum quod Caesar adest. Dolabella scribit, se ad me postridie iduum. o magistrum molestum. Lepidus ad me heri uesperi litteras misit Antio. nam ibi erat. habet enim domum, quam nos uendidimus. rogat magnopere, ut sim Kalẽdis in senatu: me & sibi, & Caesari uehementer gratum esse facturum. puto equidem nihil esse. dixisset enim tibi fortasse aliquid Oppius: quoniam Balbus est aeger: sed tamen malim uenire frustra, quam desiderari, si opus esset: moleste ferrem postea: itaque hodie Antij, cras ante meridiem domi. tu uelim, nisi te impediuisti, apud nos pridie Kal. cũ Pilia. Te spero cum Publilio confecisse. equidem Kalendis in Tusculanum recurram, me enim absente omnia cum illis transigi malo. Quincti fratris epistolam ad te misi, non satis humane illam quidem respondentem meis litteris, sed tamen quod tibi satis sit. ut equidem existimo. tu uidebis. Heri nescio quid in strepitu uideor exaudisse, cum diceres te in Tusculanum uenturum: quod utinam, iterum utinam, tuo tamen commodo. Lepta me rogat, ut, si quid sibi opus sit, accurram. mortuus enim Babulius. Caesar opinor ex uncia: etsi nihil adhuc: sed Lepta ex triente, ueretur autem, ne non liceat tenere hereditatem, ἀλόγως omnino, sed ueretur tamen. is igitur si acciderit, accurram: sin minus, haud ante, quam necesse erit. Tu Pollicem, cum poteris.

EXPLA-

EXPLANATIO

NISI *Torquatus esset* } cuius caussa hic me tenet.ep.44. QVOD *iusseras, edolaui* } rude opus edolatur primum,deinde politur.a ligno ad scripta Cicero transtulit. ILLVM } Marcum filium . QVALISCVMQVE *est* } hoc dicit,quia Marcus filius,qui se Athenas contulerat studiorum caussa, tátos sumptus faciebat,ut assignata pecunia non sufficeret.ideoq. etiam Atticus leuiter eum litteris castigauerat: quod indicat illud epist. 1. Ad Ciceronem ita scripsisti,ut neque seuerius, neque temperatius scribi potuerit. MODERABIMVR } modum illius sumptibus statuemus. VT *ille cernat*. } ut Vestorius meo iussu hereditatem adeat.supra, Mittendum,inquit,est,ut meo iussu cernat. idem igitur Pollex. PVTEOLOS *non fuit eundum* } respicit ad illud, quod scripserat epist.44.Nisi me Torquati caussa teneret: satis erat dierum,ut Puteolos excurrere possem,& ad tempus redire. OB *ea,quae ad te scripsi* } ob Torquati caussam,& Dolabellae consuetudinem. MAGISTRVM *molestum* } *magistrum:* sic etiam appellat eum in fam. epist.7. lib.9. quia docebat Ciceronem, quonam modo se gereret aduersus Caesarem, & quibus maxime rebus posset illius animum recolligere. *Molestum:* quod apud Ciceronem frequentior erat, quam ille,otij cupidus,uoluisset. ROGAT } consul.n.iam erat,Caesaris loco. KALENDIS } Septẽbris mensis.nam hanc epistolam scriptam esse mense Sextili,ex proxima superiore cognoscitur. NIHIL *esse* } nullam rem esse,cuius caussa necesse sit me adesse in senatu. AEGER } podagra laborabat.nam,in epistola ad Leptam,quam hoc ipso tempore scriptam manifestum est,Balbum,inquit, posteaquam tu es profectus,non uidi.tantis pedum doloribus afficitur,ut se conueniri nolit. DOMI } Romae. sic epist.41. lib.12.Ego me hinc postridie exiturum puto,sed aut in Tusculanum,aut domum. KALENDIS *in Tusculanum recurram.* } dimisso senatu,statim in Tusculanum recurram. CVM *illis* } cum Publilio, & sorore,ac matre. TRANSIGI } de dote reddenda.nam & cum Publilia,quam duxit,dimissa Terentia,diuortium fecerat.agebatur igitur de dote reddenda.ep.34.Illud in primis cum Publilio, me paene absente, conficies. QVOD *tibi satis sit* } in qua tamen ea de te scripta sint,quae tibi satisfacere possint. ACCVRRAM } Romam. OPINOR *ex uncia* } puto Caesarem Babulij heredem esse ex uncia: etsi de hoc nihil adhuc intellexi.Vniuersa hereditas nomine assis, aut librae significatur. heres igitur ex uncia dicitur is, ad quem duodecima pars omnium bonorũ pertinet: heres ex triente,ad quem quarta. SI *acciderit* } ut ego eum in hoc negotio Caesaris amicis,meis familiaribus,commendem.Valebat autem gratia Tullius apud eos,qui apud Caesarem multum poterant.itaque eundem Leptam paullo ante Balbo commendauerat in curatione ludorum. & in epistola ad Gallum: Olim, cum regnare existimabamur, non tam ab ullis,quam hoc tempore obseruor a familiarissimis Caesaris. CVM *poteris* } mitte ad me, ut ego eum ad Vestorium remittam cretionis caussa.

Cicero S. D. Attico. 47.

LAVDATIONEM Porciae tibi misi correctã: ac eo properaui,ut,si forte aut Domitio filio,aut Bruto mitteretur,haec mitteretur.id,si tibi erit commodũ,magnopere cures uelim. & uelim M. Varronis, & Lollij mittas laudationẽ,Lollij utiq. nam illam legi: uolo tamen regustare.quaedam.n.uix mihi credo legisse.Atticae primũ salutem,quam quidẽ ruri esse arbitror. multã igitur salutẽ & Piliae.de Tigellio,si quid noui: qui quidem,ut mihi Gallus Fabius scripsit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquissimã,me Phameae defuisse, cum eius caussam recepissem: quã quidem receperam cõtra pueros Octauios Cn.F.non libenter:sed Phameae caussam uolebã.erat.n.si meministi, in consulatus petitone per te mihi pollicitus,si quid opus esset: quod ego perinde tuebar,ac si usus essem.is ad me uenit,dixitq. iudicẽ operã dare sibi constituisse ea die ipso, quo de Sextio nostro lege Pompeia in consiliũ iri necesse erat. scis.n.dies illorũ iudiciorum praestitutos fuisse. respondi nõ ignorare eum,quid ego deberem Sextio: quem uellet alium diẽ si sumpsisset,me ei non defuturum. ita tum ille discessit iratus.puto me tibi narrasse.nõ laboraui scilicet, nec hominis alieni iniustissimã iracundiã mihi curandũ putaui.Gallo aũt narraui,cũ proxime Romae fui,quid audissẽ,neq.nominaui Balbum minorẽ.habuit suũ negotiũ Gallus,ut scribit.ait illũ,me animi conscientia,quod Phameã destituissẽ,de se suspicari. quare tibi hactenus mando,de illo nostro,si quid poteris,exquiras: de me ne quid labores.est bellũ,aliquẽ libenter odisse,& quẽadmodũ non omnibus seruire.etsi mehercule, ut tu intelligis,magis mihi isti seruiunt: si obseruare seruire est.

EXPLANATIO

CORRECTAM: } correxit eam, ab Attico admonitus. supra enim epist.37. Laudationem, inquit, Porciae gaudeo me ante dedisse Leptae tabellario,quam tuas acceperim litteras. eam tu igitur, si me amas,curabis,si modo mittetur,isto modo mittendam Domitio,& Bruto. HAEC *mitteretur* } haec, quam correxi: ad differentiam prioris, quam ante Attico miserat, Leptae tabellario data. epist.37. VARRONIS, & *Lollij* } qui & ipsi Porciam laudauerant. DE *Tigellio*, } tibicine,& cantore, Caesaris familiari,Phameae nepote. Placet epistolae partem subijcere,quam hac de re scripsit ad M.Fabium Gallum.sic igitur scribit:Phameae caussam susceperam,ipsius quidem caussa. erat enim mihi sane familiaris.is ad me uenit,dixitq.iudicẽ sibi operam dare constituisse eo ipso die, quo de P.Sextio in consiliũ iri necesse

necesse erat. respondi, nullo modo me facere posse: quem uellet alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. ille autem, qui sciret se nepotem bellum tibicinem habere, & sat bonum cantorem, discessit a me, ut mihi uidebatur, iratior. Habes Sardos uenales, alium alio nequiorem. Etiam Horatius, Sardum fuisse Tigellium, & Caesaris amicum, his uersibus ostendit.

,, Omnibus hoc uitium est cantoribus; inter amicos,
,, Vt numquam inducant animum cantare, rogati;
,, Iniussi, numquam desistant. Sardus habebat
,, Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset.
,, Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non
,, Quidquam proficeret: si collibuisset, ab ouo
,, Vsque ad mala citaret, Io Bacche.

LEGE *Pompeia* } quae, testibus datis, uno die atque eodem & ab accusatore, & ab reo perorari iubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur. hoc Pedianus. In libro aūt de claris oratoribus: Lege Pompeia ternis horis ad dicendū datis, ad caussas simillimas, uel potius easdem noui ueniebamus quotidie. IN *consilium iri* } ire in consilium dicuntur iudices, cum, audita & cognita caussa, in unum coeūt, de re, uel de reo sententias laturi. ILLORVM *iudiciorum* } quae fiunt lege Pompeia, de ambitu, & de ui. Pedianus. PRAESTITVTOS } ut, ijs diebus praetermissis, in alios dies reijcere caussas non liceret. quo fiebat, ut die praestituto caussam agere patronus cogeretur. Pedianus. QVID *ego deberem Sextio* } qui Ciceronis restitutionē in tribunatu praecipue iuuerat; ut in oratione pro ipso. ALIENI } qui mihi arta necessitudine deuinctus antea non fuisset. quale illud in epistola ad Lentulū: Enitor, ut neq. amicis, neq. etiam alienioribus opera, consilio, labore desim. Et pro Murena: Ea conditione uidebatur nobis in ciuitate natus, ut eius opes & ingenium praesidio multis ēt alienissimis, uix cuiquam inimicus esse deberet. Et ad Appium: Tuum factum ijs, qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis, (ut leuissime dicam) & fugientis congressum, meum uero coniunctissimi, & amicissimi uidetur esse. QVID *audissem* } dixi Balbo, me audisse, Tigellium mihi esse iratum. NEQVE *nominaui Balbum minorem* } non dixi, me id audisse a Balbo minore. Is enim, cum Tigellio familiariter uteretur, in consuetudine cognouerat, illius animum offensiorem esse Ciceroni propter Phameam; eaq. de re certiorem fecerat Ciceronem. HABVIT *suum negotium Gallus* } hac de re ita laborauit, ut ipsius res si ageretur. duxit suū negotiū. eadem figura usus est ep. 22. AIT *illum* } cum Tigellio Gallus dixisset, Ciceronē audisse, sibi illū esse iratū; respondit Tigellius, Ciceronem id a nemine audiuisse, sed animi conscientia id de se suspicari, quia Phameā destituisset. AIT *illum* } ait Gallus Tigelliū dicere, me animi conscientia &c. HACTENVS *mando* } hoc tantū tibi mando: de me nequid labores. DE *illo nostro* } de Balbo minore: cognosce de Balbo, quo animo Tigellius in me sit. ep. 48. ET *quemadmodum* } mallem, Quemadmodū &c. NON *omnibus seruire* } epistolae, quā scripsit ad Gallū, cuius partē supra recitauimus, principiū hoc est: Amoris tui, quoquo me uerti, uestigia, uel proxime de Tigellio. sensi. n. ex litteris tuis ualde te laborasse. amo igitur uolū tatem. sed pauca de re. Capius, opinor, olim, Non omnibus dormio: sic ego, non oībus, mi Galle, seruio.

Cicero S. D. Attico. 48.

ADMONITVS quibusdam tuis litteris, ut ad Caesarem uberires litteras mitterem, institueram, cum mihi Balbus nuper, in Lanuuino dixisset se, & Oppium scripsisse ad Caesarem, me legisse libros contra Catonem, & uehementer probasse: conscripsi de his ipsis libris epistolam Caesari, quae deferretur ad Dolabellā: sed eius exemplum misi ad Oppium, & Balbum; scripsiq. ad eos ut tum deferri ad Dolabellā iuberent meas litteras, si ipsi exemplum probassent, ita mihi rescripserunt, nihil umquam se legisse melius: epistolamq. meam iusserunt dari Dolabellae. Vestorius ad me scripsit, ut iuberē mancipio dari seruo suo pro mea parte Tetreio cuidam fundum Brinnianum, ut ipse ei Puteolis recte mancipio dare posset, eum seruum, si tibi uidebitur, ad me mittes. opinor enim ad te etiam scripsisse Vestorium De aduentu Caesaris idem, quod a te mihi scriptum est ab Oppio, & Balbo, Miror te nihil dum cum Tigellio, uel ut hoc ipsum, quantum acceperit. prorsus aueo scire: nec tamen flocci facio. Quaeris, quid cogitem de obuiam itione: quid censes, nisi Alsium? & quidem ad Murenam de hospitio scripseram: sed opinor cum Matio profectum. Sallustius igitur urgebitur. Scripto iam superiore uersiculo, Eros mihi dixit, sibi Murenam liberalissime respondisse. eo igitur utamur. nam Silius culcitras non habet. Dida autem, opinor, hospitibus totam uillam concessit.

EXPLANATIO

LIBROS *contra Catonem* } a Caesare scriptos. ep. 38. lib. 12. AD *Dolabellam* } ut is eam Caesari redderet. MANCIPIO *dari* } uendi lege mancipij. PRO *mea parte* } nam etiam ad alios, quos heredes cum Cicerone Brinnius reliquerat, is fundus pertinebat. ep. 13. VT *ipse ei &c.* } ut caueretur Hetereio; cui si fundum iniussu Ciceronis Vestorius dedisset, nō bene dedisset. CVM *Tigellio,* } egisse de reconciliatione. ep. 49. Tigellium totum mihi, & quidem quamprimum. VELVT *hoc ipsum* } transit a re sua ad aliā rem: hoc saltem cum eo agere debuisti, quantum ei Caesar donauerit obuiam profecto. scire enim cupio. NEC *tamen flocci facio* } quamquam hoc apud me minimum est: ne flocci quidem facio.

Intellectum est, (inquit epist. 15. lib. 4.) tres ἀμετα... ambitum, comitia, inter regnum, maiestatem, totam deniq. remp. flocci non facere. QVID *cogitem de obuiam itione* } quam longe Caesari cogitem obuiam prodire. NISI *Alsium?* } Alsium usque obuiam ibo, non ultra. DE *hospitio* } ut me Alsij hospitio acciperet. PROFECTVM } opinor Alsij non esset, obuiam Caesari cum Matio profectum. SALLVSTIVS *igitur urgebitur*. } Sallustij igitur hospitio utemur. SILIVS } Sallustius, legendum uidetur: cum proxime dixerit, Sallustius igitur urgebitur: uel utrobique, Silius. TOTAM *uillam* } itaque nobis in ea locus con esset.

Cicero S. D. Attico. 49.

AD *Caesarem quam misi epistolam, eius exemplum fugit me tũ tibi mittere. nec id fuit, quod suspicaris, ut me puderet tui; ne ridicule Micillus. nec mehercule scripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον ὅμοιόν q. scriberem. bene enim existimo de illis libris, ut tibi corã. itaq. scripsi & ἀκολακεύτως, & tamen sic, ut nihil enim existimem lecturum libentius. De Attica, nunc demum mihi est exploratum. itaq. ei de integro gratulare. Tigellium totum mihi, & quidem quamprimum: nam pendeo animi. Narrabo tibi. Quinctus cras; sed ad me, an ad te, nescio. mihi scripsit, Romam IIX. Kal. sed misi, qui inuitaret. etsi hercle iam Romam ueniendum est; ne ille ante aduolet. Vale.*

EXPLANATIO

VT *me puderet tui,* } noli putare, me tibi eius epistolae exemplum ideo non misisse, quasi puderet me tibi eam nimis assentatorie scriptam ostendere. tale. n. in ea nihil est. nec aliter scripsi, ac si scriberẽ ad aequalẽ. nam, quod illius libros contra Catonẽ laudaui, non sum assentatus; bene. n. existimo de illis libris. NE *ridicule Micillus* } donec melius inuenero, sequar eorum opinionem, qui sic interpretantur: Assentatorie non scripsi; ne ridicule quasi Micillus fierem; id est, me ipse indignum patria ostenderem, cum tyranno assentarer: sicuti illũ apud Ouidium lib. XV. Met. iubet Hercules patriã deserere. MIHI *est exploratum* } eam bene ualere. Et dicit, Nunc demũ; quia, cum Atticus antea scripsisset, eam febri carere postea idẽ confirmauit. Nunc demum igitur, inquit, mihi est exploratum. TOTVM *mihi* } restitue. Erat enim iratus Ciceroni propter Phameam. epist. sequenti. QVINCTVS *cras,* } Quinctus filius cras Romam ueniet, id est IIX. Kal. sic enim ad me scripsit. AD *me, an ad te* } domum meam, an tuam. ROMAM IIX. *Kal.* } subaudi, se esse uenturum. VENIENDVM *est* } mihi ipsi. ILLE } Caesar, qui ab Hispaniensi bello reuertebat.

Cicero S. D. Attico. 50.

HOSPITEM *mihi tam grauem ἀμεταμέλητον. fuit enim periucunde. sed cũ secundis Saturnalibus ad Philippum uesperi uenisset, uilla ita completa militibus est, ut uix triclinium, ubi cenaturus ipse Caesar esset, uacaret: quippe hominum ∞ ∞. sane sum commotus, quid futurum esset postridie. ac mihi Barba Cassius subuenit: custodes dedit: castra in agro: uilla defensa est. ille tertijs Saturnalibus apud Philippum ad horã VII. nec quemquam admisit, rationes opinor cum Balbo. inde ambulauit in litore. post horam IIX. in balneũ: tum audiuit: de Mamurra non mutauit. unctus est, accubuit, ἐμετικὴν agebat: itaq. & edit, & bibit ἀδεῶς, & iucunde: opipare sane, & apparate: nec id solum, sed bene, cocto, condito, sermone bono, si quaeris, libenter. praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν ualde copiose. libertis minus lautis, seruisq. nihil defuit: nam lautiores eleganter accepti. quid multa? homines uisi sumus: hospes tamen non is, cui diceres: amabo te, eodem ad me cum reuertere. semel satis est. σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλόλογα multa. quid quaeris? delectatus est, & libenter fuit. Puteolis se aiebat unum diem fore, alterũ ad Baias. Habes hospitium, siue ἐπισταθμείαν, odiosam mihi duxi, non molestam. Ego paulisper hic, deinde in Tusculanum. Dolabellae uillam cum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum, nec usquã alibi. hoc ex Nicia. Vale.*

EXPLANATIO

HOSPITEM *mihi tam grauem ἀμεταμέλητον:* } non paeniteт Caesarem apud me cenasse. locutio similis ep. 43 Suaues tuas litteras: etsi acerba pompa. & ep. 5. lib. 14. Meam stultam uerecundiã, qui legari noluerim ante res prolatas. AD *Philippum* } affinẽm, quod Atiã, Iulia Caesaris sorore natam, in matrimonio habebat. Plutarchus in Cicerone. VILLA } in Pompeiano, ubi Ciceronis quoque uilla erat. SVM *commotus* } quia Caesar postridie apud me cenaturus erat. BARBA *Cassius* } hunc inter naufragia Caesaris amicorũ nominat in Philippica XIII. CVSTODES *dedit* } dedit, qui meam uillam custodirent, & ex militibus neminem introire paterentur. CASTRA *in agro* } milites igitur omnes in agro discubuerunt. Et Castra pro militibus posuit, poetice, & quasi per i cum; ut cum infert, Villa defensa est: pro, ex militibus nemo uillam introiuit. RATIONES, *opinor, cum Balbo* } puto, rationes confecit cum L. Cornelio Balbo; qui Caesaris negotia procurabat. epist. 3. libro 7. de pecunia uidelicet, quam Balbus

ex publi-

ex publicis uectigalibus Caesaris nomine exegerat. Avdivit } qui eum alloqui, aut rogare aliqua de re noluerunt. De *Mamurra* } hic Caesaris praefectus fabrum fuerat in Gallia, & ad opes tantas peruenerat, ut parietes totius domus suae, quod a Plinio in scriptis relictum est, crusta marmoris primus operuerit, idemq; primus nullam totis aedibus, nisi e marmore, columnam habuerit, solidas omnes e Carystio, aut Lunensi. opinor, eum, ob luxuriam hanc, immoderatumq. sumptum, lege sumptuaria Caesaris esse damnatum; nec Caesarem id mutasse, quippe qui negligi suas leges nollet. epist. 7. Venisse a Caesare narrabat litteras, hoc scribere, si certum esse Romae manere: caussamq. eam adscribere, ne se absente leges suae negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. Et Suetonius, Ius, inquit, laboriosissime, & seuerissime dixit. legem praecipue sumptuariam exercuit. Non enim arbitror legem sumptuariam de obsonijs dumtaxat fuisse, uerum de omnibus rebus, in quas pecunia supra modũ erogaretur. Accvbvit: } ut ederet. Post unctionem accumbebant ueteres in lecto, cibi capiendi gratia. Martialis: Sufficit in nonam nitidis octaua palaestris: Imperat extructos frangere nona toros. Vngebantur autem statim post balneum: uncti statim accumbebant. In Vatinium: Cui de balneis exeunti, praeter te, umquam toga pulla data est?

Ne putemus Caesarem solum accubuisse in Ciceronis uilla: nam & Ciceronem ipsum, & praeterea Philippum, & Balbum, fortasse etiam Cassium, in eodem triclinio cũ eo cenatos esse credibile uidetur. *Ἐμετικὴν agebat:* } non est, uomebat: (nam uomebatur post cenam, non ante: idq. ratio medicinae postulat) sed, uomitionem parabat: itaque, cum uomere decreuisset, nullum cibi genus uitauit: edit, & bibit ἀδεῶς, & iucunde. Ἐμετικὴν, adiectiuum nomen est. subaudiri uidetur, διάχυσιν, uel aliquid simile. Opipare } hoc ad copiam refertur. Apparate: } diligentia significatur. Sermone *bono,* } de cena ipsa, non de sermone, loquitur hic Cicero: de sermone autem, infra, cum ait: σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλόλογα multa. itaque interdum putaui hoc totum abundare, Sermone bono, si quaeris, libenter. nam, ad cenam hoc tantum attinebat, Bene, cocto, condito. quod autem sequitur, additum fortasse ab aliquo, qui supplere uersum Lucilij uoluerit, a quo sumptum illud uideret, Bene, cocto, condito. hác ego capio coniecturam ex lib. 2. de Fin. in quo est: Quid bene? dicet Lucillus, Cocto, condito. Sed cedo caput cenae. Sermone bono. Quid ex eo? si queris, libenter. Quae si componantur: Lucilij uersus erit huiusmodi.

,, Quid bene? cocto,
,, Condito, sermone bono, si quaeris, libenter.

Tribvs *triclinijs* } in uno liberti lautiores, in altero minus lauti, in tertio discubuere serui. Περὶ αὐτὸν } qui circa illum erant, alij alijs muneribus praepositi. Hos diuidit in libertos, & seruos, libertos autem in lautiores, & minus lautos. Valde *copiose.* } copiose omnes, non omnes tamen eleganter. nam, lautiores tantum liberti, ut infra legitur, eleganter accepti. Homines } inest interdum laus in hoc uerbo, ut hic, & ep. 2. lib. 2. Ἡρώδης, si homo esset, cum potius legeret, quam unam litteram scriberet. Nero imperator, nouis aedibus post urbis incendium exstructis, tandem se quasi hominem aiebat habitare coepisse. Non *is,* } quia sumptu exiguo accipi non potest. Amabo *te, eodem ad me, cum reuertere.* } superuacaneum uidetur Ad me, cum dixerit, Eodem. Sive ἐπισταθμίαν. } siue diuersorium potius. nam, ad hospitium non ita frequentes ire soliti sunt. Odiosam } ob curam apparandi. Non *molestam* } ostendit se non laborare de sumptu. Praeteriret } Caesar. Dextra *sinistra* } sine copula, ut Sallustius quoque in Iugurtha: Circumuentus ab equitibus dextra sinistra. Nec *usquam alibi.* } quasi ab uno Dolabella timeret. Nicia. } Curtio Nicia, grammatico, Dolabellae familiari ep. 10. lib. 9. fam.




IN · EPISTOLARVM M · TVLLII · CICERONIS AD T · POMPONIVM · ATTICVM LIBRVM, XIV.

PAVLLI . MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico 1.



IVERTI ad illum, de quo tecum mane. nihil perditius: explicari rem non posse. etenim, si ille tali ingenio exitum non reperiebat, quis nūc reperiet? quid quaeris? periisse omnia aiebat. quod haud scio an ita sit. uerum ille gaudens; affirmatq. minus diebus XX tumultum Gallicum: in sermonem se post idus Mart. praeterquam Lepidi, uenisse nemini: ad summam, non posse istaec sic abire. o prudentem Oppium, qui nihilo minus illum desiderat, sed loquitur nihil, quod quemquam bonum offendat. Sed haec hactenus. Tu, quaeso, quidquid noui, (multa autem exspecto) scribere ne pigrere; in his, de Sexto, satis ne certum, maxime autem de Bruto nostro: de quo quidem ille, ad quem diuerti, Caesarem solitum dicere: Magni refert, hic quid uelit, sed, quidquid uult, ualde uult. idq. eum animaduertisse, cum pro Deiotaro Niceae dixerit: ualde uehementer eum uisum, & libere dicere. atque etiam (ut enim quidque succurri, libet scribere) proxime, cum Sextii rogatu apud eum fuisse, exspectaremq. sedens quoad uocarer, dixisse eum: Ego dubitem, quin summo in odio sim, cum M. Cicerone sedeat, nec suo commodo me conuenire possit? atqui, si quisquam est facilis, hic est: tamen non dubito, quin me male oderit. Haec, & eiusmodi multa sed ad propositum. Quidquid erit, non modo magnum, sed etiam paruum, scribes. equidem nihil inter mittam. Vale.

EXPLANATIO



AD ILLVM, } sine dubio Matium intelligit: quem aperte nominar duabus epistolis, quae post proximam inferiorem leguntur. &, si loca conferas inter se, Matium hic significari, non obscure uidebis: quem quidem & Caluenam, & Madarum, ficto nomine, appellat ep. 5. & 9. NIHIL *perditius* } aiebat, subintelligitur: ut sit sensus: rep. nihil aiebat esse perditius, nihil desperatius; perijsse omnia. EXPLICARI *rem non posse* } hoc dicebat, remp. interitu Caesaris ita esse perturbatam, ut constitui nullius consilio posset. quis enim id poterit, quod Caesar ipse, tali praeditus ingenio, non potuit? GAVDENS } gaudebat Matius tanta perturbatione reip. utpote qui cuperet mortem Caesaris omnibus esse acerbam. quod ipse in epistola, quae legitur l. XI. fam. in extremo, perspicue dicit. TVMVLTVM *Gallicum* } putat futurum, ut Galli, audita Caesaris morte, deficiant a nobis, &, nostram dissensionem suam occasionem putantes, arma capiant. Idem ep. 4. his uerbis: Doleo, quod numquam in ulla

 ciui-

ciuitate accidit, non una cum libertate remp. recuperatam. horribile est, quae loquantur, quae minitentur. ac uereor Gallica etiam bella. & epist. 8. Quid Galli, quid Hispania, quid Sextus agat, uehementer exspecto. item epist. 9. POST *idus Martij* } quo die Caesar fuerat interfectus. PRAETER *quam Lepidi* } hoc dicebat Matius, ut offenderet, nulla se inire consilia contra remp. qui Caesarianorum sermonibus nollet interesse, cum tamen in Caesaris amicissimis fuisset. LEPIDI } mallem, Lepido. ILLVM } Caesarem. QVOD *quemquam bonum offendat* } quasi Matius non prudenter faceret, qui bonis odiosa loqueretur. DE *Sexto* } Pompeio, magni filio. SATIS *ne certum* } eum esse in armis. ep. 4. & 13. DE *Bruto nostro:* } scribe, si quid habes de Bruto nostro. Brutus enim Antonium timens, & populum ab eo concitatum, urbe excesserat, Antijq. morabatur, ut, cum primum plebis iracundia deferbuisset, recurreret. Plutarchus, & alij. DE *quo quidem &c.* } de Bruto Matius aiebat Caesarem solitum dicere: Magni refert, & quae sequuntur. eadem uerba Plutarchus in Bruto refert. EVM } Caesarem. CVM *pro Deiotaro Niceae dixerit* } Deiotaro: Bithyniae rege, qui pro Pompeio contra Caesarem in Pharsalia pugnauerat. Niceae: Bithyniae urbe. dixerit: Brutus. cuius defensionis mentionem facit Plutarchus, & Tacitus in dialogo de oratoribus. VT *quidque succurrit* } ex ijs, quae mecum Matius locutus est. APVD *eum* } cum ad Caesarem uenissem, ut agerem cum eo de P. Sextio restituendo, qui exsulabat, ambitus opinor crimine damnatus. nam epist. 46. l. 13. apparet accusatum lege Pompeia, quae de ambitu erat. uide, quae diximus in commentario epist. 27. lib. 7. fam. ET *eiusmodi multa* } mecum locutus est Matius.

Cicero S. D. Attico. 2.

DVAS a te accepi epistolas heri. ex priore theatrum, Publiumq. cognoui, bona signa consentiētis multitudinis. plausus uero L. Cassio datus etiam facetus mihi quidem uisus est. Altera epistola de Madro scripta. apud quem nullum φαλάκρωμα, *ut putas. processi enim, sed minus diu: eius sermone enim sum retentus. Quod autem ad te scripseram, obscure fortasse, id eiusmodi est. aiebat, Caesarem secum, quo tempore, Sextij rogatu, ueni ad eum, cum exspectarem sedens: dixisse: ego nunc tam sim stultum, ut hunc ipsum, facilem hominem, putem mihi esse amicum, cum tam diu sedens meum commodum exspectet? Habes igitur* φαλάκρωμα, *inimicissimum otij, id est Bruti. In Tusculanum hodie, Lanuuij cras, inde Asturae cogitabam. Piliae paratum est hospitium: sed uellem Atticam. uerum tibi ignosco, quarum utrique salutem. Vale.*

EXPLANATIO

THEATRVM, *Publiumq. cognoui,* } plausum significat, qui P. Dolabellae datus est, theatrum ingredienti. cum enim perditi homines (ut est in prima Philippica, & apud Suetonium in Iulio) columnam prope XX pedum lapidis Numidici in honorem mortui Caesaris in foro posuissent, & inscripsissent, Parenti patriae, ut Suetonius tradit: Dolabella columnam euertit, & ex ijs alios cruci affixit, alios de Capitolio praecipitauit: quod infra epist. 15. declaratur his uerbis: O mirificum Dolabellam meum: iam enim dico meum: antea, crede mihi, subdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet. de saxo, in crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare. quid quaeris? heroica. & in fam. ep. 1. lib. 12. Manabat illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & otio diffiderē urbano; sed ita compressum est a Dolabella meo, ut mihi uideamur omne iam ad tempus ab illo dumtaxat sordidissimo periculo tuti futuri. De theatri autem plausu quo magis perspicuum sit, uerba subijciemus ex Philippica prima. Dicerem, inquit, Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te paulisper esse expertum uideremus. quem potes recordari in uita tibi illuxisse diem laetiorem, quam, cum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris poena affectis, te domum recepisti? cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunae studia tum laudi & gratulationi tuae se non obtulerunt? recordare quaeso Dolabella consensum illū theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant offensi, significauerunt se beneficio nouo memoriam doloris ueteris abiecisse. BONA *signa* } e consensu illo multitudinis, qui perspectus est in theatro, uidetur bene sperandum de rep. L. CASSIO } is erat C. Cassi frater, eius, qui Caesarem occiderat. in epistola ad C. Cassium de eodem plausu his uerbis: Tuus necessarius affinitate noua delectatur: itaque iam non est studiosus ludorum, infinitoq. fratris tui plausu dirumpitur. Erat autem L. Cassius hoc tempore tribunus pl. ut in Philippica tertia. & fuisse tres fratres, C. Q. L. supra diximus, l. v. ep. 21. DATVS } in theatro. forte de ludis Apollinaribus significatur; quos C. Cassij praetoris urbani, nomine, collega eius C. Antonius dedit. Dio libro XLVII. FACETVS } cur facetus? quia quodam modo ridiculum erat, L. Cassium a populo plausum excipere propter ea, quae Caius frater fecerat. Caius enim, non Lucius, remp. seruitute liberauerat interfecto Caesare. DE *Madaro* } de Matio. caluus enim Matius: ut infra: & caluus graece μαδαρός. praeterea,

idem agitur, quod in proxima superiore epistola: in qua Matium significari, manifestum est. φαλάκωμα } nullum meum φαλάκωμα fuit, nulla inanis iactantia, tamquam interitu Caesaris recuperata rep. PROCESSI } in uia. AIEBAT } Matius. φαλάκρωμα } Matium significat; sed caluitium appellat, quia caluus erat Matius. itaque cum & infra Caluenam uocat, epist. 5. & 9. HABES φαλάκρωμα } habes de Matio: habes, quod Matius mecum locutus est. φαλάκρωμα uero, quia Matius, ut iam diximus, caluus: & φαλακρὸς graece caluus. INIMICISSIMVM *otij* } qui quidem Matius inimicissimus otij uidebatur, idest Bruti. nam, si, ut ille cupit, omnia misceantur: Brutus, qui Caesare interfecto liberam fore, & sine ullo negotio remp. sperauit, opinione deceptus, ipse uenit in dubium de sua salute. ita, qui inimicus otij, idem Bruti. TIBI *ignosco* } qui illam tecum esse uelis.

Cicero S. D. Attico. 3.

TRANQVILLAE quidem tuae litterae: quod utinam diutius: nam Matius posse negabat. Ecce autem structores nostri frumentum profecti, cum inanes rediissent, rumorem ad afferunt magnum, Romae domū ad Antonium frumentum omne portari: πανικὸν certe: scripsisses enim. Corumbus Balbi nullus adhuc: & mihi notum nomen. bellus enim esse dicitur architectus. Ad obsignandum tu adhibitus non sine caussa uideris. uolunt enim nos ita putare: nescio, cur non animo quoque sentiant: sed quid haec ad nos? odorare tamen Antonij διάθεσιν: quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quidquam mali cogitare. tu, si quid πραγματικὸν habes, scribe: sin minus, populi ἐπισημασίαν & minorum dicta perscribito. Piliae, & Atticae salutem. Vale.

EXPLANATIO

TRANQVILLAE } tranquilla nunciantes, & de rep. quae uolumus. MATIVS *posse negabat* } negabat Matius otium fore diuturnum, sed impendere. & prope adesse omnium rerum perturbationē. Hic apparet Matium fuisse illum, ad quem Cicero se scribit diuertisse in epistola huius libri prima; eundemq. esse, quem in proxima superiore otij inimicissimum appellat. STRVCTORES *nostri* } ij, quorum hic utor opera ad uillam aedificandam. Et paullo post Corumbum architectum exspectat. PROFECTI } Romam, ut emptum frumentum referrent. Πανικὸν *certe* } oportet hoc subitum quiddam fuisse, terroribus simile, quos Graeci appellant πανικά. subitum hoc fuit Antonij consilium de frumento ad se comportando. nam, si diebus superioribus id curasset, tu mihi aliquid significasses. SCRIPSISSES *enim* } nisi hoc subitum quiddam, & plane πανικὸν esset, tu ad me scripsisses litteris superioribus. CORVMBVS *Balbi* } subintellige, seruus. NVLLVS *adhuc* } adhuc non uenerat. Et Nullus, pro non, eleganter & antique positum: ut ep. 24. lib. XI. Philotimus nullus uenit. ep. 23. l. 15. Sextus ab armis nullus discedit. ARCHITECTVS } ideo Cicero eum exspectabat; ut haberet adiutorem, & consiliarium in ratione aedificandi. VOLVNT } Caesariani, a quibus ad obsignationem testamenti adhibitus es. ITA *putare* } ut tu scripsisti. Διάθεσιν } sensum, animumq. in rēp. Ἐπισημασίαν } quia populus, cum in theatrum, aut alio spectandi gratia conuenisset; quid de ciuibus sentiret, plausu & acclamatione significabat: ut epist. 19. lib. 2. Populi sensus maxime in theatro & spectaculis perspectus est. nam gladiatoribus qua dominus, qua aduocati sibilis consciss. & epist. 15. lib. 1. Ludis & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine ulla pastoricia fistula auferebamus. & pro Sextio: Tribus locis significari maxime potest populi R. iudicium, ac uoluntas, concione, comitijs, ludorum gladiatorumq. consessu.

Cicero S. D. Attico. 4.

NVNC quid putas me Lanuuij? at ego te istic quotidie aliquid noui suspicor. tument negotia nam cum Matius, quid censes ceteros? equidem doleo, quod numquam in ulla ciuitate accidit, non una cum libertate remp. recuperatam. horribile est, quae loquantur, quae minitentur. ac uereor Gallica etiā bella, ipse Sextus quo euadat. sed omnia licet cōcurrant, idus Martiae consolantur. nostri autem ἥρωες, quod per seipsos confici potuit, gloriosissime, & magnificentissime confecerūt. reliquae res opes, & copias desiderant: quas nullas habemus. Haec ego ad te, ut, si quid noui, (nam quotidie aliquid exspecto) confestim ad me: &, si noui nihil, nostro more tamen ne patiamur intermitti litterulas, equidem non committam. Vale.

EXPLANATIO

QVID *putas me Lanuuij?* } noui habere. ISTIC } Romae. CVM *Matius* } libro IX. epist. 9. Matius ad me uenit, homo, ut mihi uisus est, temperatus, & prudens; existimatus quidem est semper auctor otij. Dicit igitur: cum Matius, quem studiosum reip. putabamus, is nunc inimicissimus otij sit;

quid

quid censes ceteros? Paullo ante: Habes φαλάκρωμα, inimicissimum otij. MINITENTVR } ij, qui Caesaris mortem se dicunt persequi uelle. AC *uereor* } non modo ciuilem contentionem, sed Gallica etiam bella uereor. Verebatur autem e Matij sermone, qui affirmauerat, minus diebus xx tumultum Galli cum epist. I. IPSE *Sextus* } etiam uereor, quid acturus sit Sex. Pompeius. mihi enim certũ non est, utrum hoc exercituquem habere dicitur, ad recuperandam remp. sit usurus, an & ipse tyrannidem spectet Caesaris exemplo. ne de ipso quidem Sexto securi, inquit, animi sum. QVO *euadat* } quid acturus. OMNIA *licet concurrant,* } ut omnia misceantur; me tamen semper idus Martiae, quo die tyrannus est interfectus, uoluptate afficient; hoc est, numquam erit, ut, quod idus Martijs transactum est, id cupiam infectum. ἥρωες } Brutus, & alij, qui Caesarem oppresserunt.

Cicero S. D. Attico 5.

SPERO *tibi iam esse, ut uolumus; quoniam quidẽ* ἀσίτησας, *quam leuiter commotus esses: sed tamẽ uelim scire, quid agas. Signa bella, quod Caluena moleste fert, se suspectum esse Bruto: illa signa non bona, si cum signis legiones ueniunt e Gallia. quid tu illas putas, quae fuerunt in Hispania? non ne idem postulaturas? quid eas, quas Annius transportauit? Caninium uolui, sed μνημονικὸν ἁμάρτημα, ab aleatore φυρμὸς πολύς. Nam ista quidem Caesaris libertorum coniuratio facile opprimeretur, si recta saperet Antonius. Meam stultã uerecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere uiderer hunc rerum tumorem: cui certe si possem mederi, deesse non deberem: sed uides magistratus: siquidem illi magistratus: uides tamen tyranni satellites in imperijs: uides eiusdem exercitus, uides in latere ueteranos: quae sunt εὔριπα omnia: eos autem, qui orbis terrae custodijs non modo septi, uerum etiam magni esse debebant, tantummodo laudari, atque amari, sed parietibus contineri. atque illi quoquo modo beati, ciuitas misera. Sed uelim scire, quid aduentus Octauij, num qui concursus ad eum, nũ quae νεωτερισμοῦ suspicio. non puto equidem: sed tamen, quidquid est, scire cupio. Haec scripsi ad te proficiscens Astura, III. id. Vale.*

EXPLANATIO

SPERO } dicit, Spero, quia nihil Atticus proximis litteris significauerat. spero te nunc recte ualere. QVAM *leuiter commotus esses* } ut bene ominaretur, non dixit, Quam grauiter, aut, Quo modo, sed, Quam leuiter, usus amicissimi animi significatione. CALVENA } Matius. epist. 9. Omnia plena pacis, aliter, ac mihi Caluena dixerat. & epist. 3. Habes φαλάκρωμα. ubique de Matio. SVSPECTVM } quasi Caesarianum, & reip. idest libertati, non amicum. Cur autem signa bella dicit esse, quod Matius moleste ferret, se suspectum esse Bruto? quia, cum de Bruti gratia Matius laboraret, apparebat eum Caesarianorum partibus diffidere, ut infirmis. CVM *signis* } hoc, quod ad sententiam spectat, minime necessarium uidebatur: (quis ne scit sua cuique legioni esse signa?) sed addit, ut quasi iocaretur ambiguo Signorum nomine. IDEM *postulaturas?* } rumor enim erat, legiones, quae in Gallia fuerant praesidij caussa, Romam uenire, postulaturas, ut promissum sibi a Caesare solueretur. TRANSPORTAVIT } in Graeciam, ad Bellum contra Parthos a Caesare cogitatum. CANINIVM } non Annium. φυρμὸς πολύς } multa miscet & turbat aleator. item ego in nominibus, cum Annium pro Caninio posui. NAM *ista &c.* } ab ista quidem Caesaris libertorum coniuratione haud magnopere timeo: quae facile opprimeretur, si recta saperet consul Antonius. Eam postea coniurationem alter consul oppressit Dolabella, ut est in Philippica prima. Cum serperet in urbe infinitum malum, idq. manaret in dies latius; ijdemq. bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant; & quotidie magis magisq. perditi homines, cum sui similibus seruis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animaduersio fuit Dolabellae cum in audaces sceleratosq. seruos, tum in impuros & nefarios liberos, talisq. euersio illius exsecratae columnae, ut mirum mihi uideatur, tam ualde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse. Et in eadem aliquanto post: Quem potes recordari Dolabella in uita tibi illuxisse diem laetiorem, quam cum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris poena affectis, te domum recepisti? Item alijs in locis. LEGARI *noluerim ante res prolatas,* } legationem liberam a senatu petere noluerat, ne remp. uideretur deserere, illam quidem e seruitute ereptam Caesaris interitu, sed nondum tamen plane confirmatam, Antonio & Lepido perniciosa molientibus. exspectabat igitur anni tempus, quo nihil neque publice, neque priuatim ageretur; ut, uacatione omnibus concessa, honestius discederet. nam Prolatae res dicebantur, cum omnes feriarentur. uide epist. 12. lib. 7. HVNC *rerum tumorem* } interitum Caesaris magnae turbae statim consecutae sint. eas Tumorem appellat, sumpta translatione a corporibus male affectis: ideoq. infert, Mederi. etiam in epistola proxima superiore: Tument negotia. VIDES *magistratus* } qui, Caesaris partes fouebant, cum ab ipso creati essent. VIDES *tamen &c.* } se ipse corrigit, qui magistratus appellauerit eos, quos tyrannus constituerit; & uocandos potius ostendit, Tyranni satellites in imperijs. EXERCITVS } qui, Caesaris profectionem in Parthos exspectantes, in urbe manserant. IN *latere* } in Campania. nam agri Campani partem incolebant a Caesare

re assignaram. hos postea quingenis denarijs Octauianus in suas partes traduxit. ep. 7. lib. 16. εὔριπισα } mobilia, tamquam Euripus, qui saepius in die fluit, & refluit. timendum igitur, ne contra libertatis patronos, hoc est Caesaris inimicos moueantur. Eos *autem* } intelligit maxime Brutum, & Cassiū. Magni *debebant esse* } non placet Magni. Bessarionis liber, Magis edebant ut fortasse, Vagi esse debebant, legendum sit. ut indicet, non aequum esse, Brutum parietibus contineri; sed uagum potius debere esse, libereque, quo uellet, ire. alij diligentius perpendant. mihi certe, Magni esse, non admodum satisfacit. Parietibus *contineri* } quia Caesarianorum metu prodire in forum non audebant. Quoquo *modo beati* } etiam si parietibus contineantur, beati tamen, qui tam praeclarum facinus consciuerint. Misera } quae, tyranno liberata, libera tamen non sit. Aduentus *Octauij*, } cum, audita Caesaris nece, Apollonia Romam uenit. Velim, inquit, scire, aduentus Octauij quid pariat. νεωτερισμοῦ } rerum nouarum, ex aduentu Octauij.

Cicero S. D. Attico. 6.

Prid. id. Fundis accepi tuas litteras cenans. primū igitur, melius esse: deinde, meliora te nuntiare. Odiosa illa enim fuerant, legiones uenire. Nam de Octauio susq. deque. Exspecto, quid de Mario: quem quidem ego sublatum rebar a Caesare. Antonij colloquium cū heroibus nostris pro re nata non incommodum: sed tamen adhuc me nihil delectat praeter idus Mart. nam quoniam Fundis sum cum Ligure nostro, discrucior, Sextilij fundum a Verberone Curtilio possideri. quod cum dic o, de toto genere dico. quid enim miserius, quā ea nos tueri, propter quae illum oderamus? etiam ne consules, & tribunos pl. in biennium, quos ille uoluit? nullo modo reperio, quemadmodum possim πολιτεύεσθαι. nihil enim tam ἀλογον, quam τυραννοκτόνους in caelo esse, tyranni facta defendi. sed uides consules: uides reliquos magistratus; si isti magistratus: uides languorem bonorum. exultant laetitia in municipijs. dici enim non potest, quantopere gaudeant, ut ad me concurrant, ut audire cupiant uerba mea de re: nec ulla interea decreta. sic enim πεπολιτεύμεθα, ut uictos metueremus. Haec ad te scripsi apposita secunda mensa. plura, & πολιτικώτερα postea: & tu, quid agas, quidq. agatur.

EXPLANATIO

Primvm *igitur &c.* } primum cognoui, te rectius ualere: deinde, bonam spem esse de rep. nam illa fuerant odiosa, legiones e Gallia uenire. Svsqve *deq.* } non laboro, in utramque partem aequo animo sum, siue ad eum concursus fiant, siue non fiant. Quia paullo ante scripserat: Velim scire quid aduentus Octauij, num qui concursus ad eum; nunc, De Octauio, inquit, susq. deque. De *Mario:* } hic a Caesare relegatus, quod impudenti mendacio C. Marij septies consulis nepotem se esse dictitabat, qui re uera Erophilus esset Equarius medicus: postea reuersus in urbem Caesare interfecto, cum de interficiendo senatu consilium cepisset, poenas dedit. hoc Cicero significat Philippica I. cum dicit: Liberatus caedis periculo senatus: uncus impactus est fugitiuo illi, qui in C. Marij nomen inuaserat. & Valerius in lib. IX. & Appianus lib. 3. Svblatvm } cum exsularet. Sic fere tyranni sunt. quos in urbe occidere non audent, eos primum astuto consilio relegant, deinde ab oculis populi remotos interfici mādant. cum autem Caesar hunc pseudo Marium relegasset, suspicabatur Cicero postea de medio sublatum, ne quid umquam nouare posset. Colloqvivm *cum heroibus nostris:* } cum ijs, qui Caesarem occiderant. Pro *re nata* } ut se res habent. medium quiddam inter summum, & minimum significatur. uide ep. 8. & 12. lib. 7. Sextilii *fundum* } hunc fundum Caesar ademptum Sextilio, qui Pompeianas partes secutus erat, Verberoni Curtilio tradiderat. ep. 10. Biennivm } subaudi, habebimus? Qvos *ille uoluit?* } quos Caesar designauit? Caesar enim, contra Parthos profecturus, consules & tribunos pl. designauit in biennium. Dio libro XLIII. in extremo. Exsvltant *laetitia* } propter interitum tyranni. De *re* } de Caesaris nece. Nec *ulla interea decreta* } a senatu, pro tyrannoctonis. Πεπολιτεύμεθα } remp. gessimus. Victos } Caesarianos. hoc est, quod scribit in epistola ad Cassium contra M. Antonij potentiam: Dominum ferre non potuimus; conseruo seruimus.

Cicero S. D. Attico. 7.

Postridie id. Paullum Caietae uidi. is mihi de Mario, & de rep. alia quaedam sane pessima. a te scilicet nihil: nemo enim meorum. sed Brutum nostrum audio uisum sub Lanuuio. ubi tandem est futurus? nam cum reliqua, tum de hoc scire aueo omnia. Ego e Formiano exiens XVII. Kal. ut inde altero die in Puteolanum, scripsi haec. A Cicerone mihi litterae sane πεπινωμέναι & bene longae. cetera autem uel fingi possunt: πίνος litterarum significat doctiorem. nunc magnopere a te peto, de quo sum nuper tecum locutus, ut

uideas, ne quid ei desit. id cum ad officium nostrū pertinet, tum ad existimationem, & dignitatem: quod idem intellexi tibi uideri omnino. si ergo est, uolo mense Quinctili in Graeciam. sunt omnia faciliora. sed cum sint ea tempora, ut certi nihil esse possit, quid honestū mihi sit, quid liceat, quid expediat: quaeso, da operam, ut illum quamhonestissime, copiosissimeq. tueamur. haec, & cetera, quae ad nos pertinebunt, ut soles, cogitabis, ad meque, aut quod ad rem pertineat, aut, si nihil erit, quod in buccam uenerit, scribes. Vale.

EXPLANATIO

PAVLLVM } L. Aemilium Paullum, in consulatu collegam C. Marcelli, fratrem M. Lepidi. DE *Mario* } pessime in remp. animato, utpote qui de occidendo senatu cogitauit. ep. 6. & 8. A TE *scilicet nihil* } de his rebus tu nihil ad me dedisti litterarum: nec mirum: nemo enim meorum Roma profectus est, cui dare posses. A CICERONE } filio. CETERA *autem* } optabilia de moribus illius afferuntur: sed ea fingi possunt: doctiorem quidem ex ipsius litteris uideo esse. Πίνος } elegantia. Suidas recitat Damasij locum his uerbis, ὁ δ᾽ Ἴων καὶ λέγειν ἱκανὸς οὐ τοὺς πατέρους ἐκμιμησάμενος σοφιστάς, ἀλλὰ πρὸς τόν ἀρχαῖον τύπον τῆς λογογραφίας ἁμιλλώμενος. SI *ergo est* } hic aliquid desidero. non enim cum sequentibus apte coniungitur.

Cicero S. D. Attico. 8.

TV *me iam rebare, cum scribebas, in agris esse nostris: at ego accepi XVII. Kal. in diuersoriolo Sinuessano tuas litteras. De Mario probe. etsi doleo L. Crassi nepotem. Optime, tam etiam Bruto nostro probari Antonium. nam quod Iuniam scribis moderate, & amice scriptas litteras attulisse: mihi Paullus dedit ad se a fratre missas: quibus in extremis erat, sibi insidias fieri, se id certis auctoribus comperisse. hoc nec mihi placebat, & multo illi minus. Reginae fuga mihi non molesta: sed, Clodia quid egerit, scribas ad me uelim. De Byzantijs curabis, ut cetera: & Pelopem ad te arcesse. Ego, ut postulas, Baiana negotia, chorumq. illum, de quo scire uis, cum perspexero, tum scribam, ne quid ignores. Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, uehementer exspecto. ea scilicet tu declarabis, qui cetera. Nauseolam tibi tum caussam otij dedisse, facile patiebar. uidebar enim mihi, legenti tuas, requiesse paullisper. De Bruto semper ad me omnia perscribito, ubi sit, quid cogitet: quem quidem ego spero iam tuto uel solum tota urbe uagari posse. uerumtamen. Vale.*

EXPLANATIO

PROBE } quod ei uncus est impactus pro facinore cogitato. ep. 7. NEPOTEM } ep. 48. lib. 12. IVNIAM } Bruti sororem, coniugem M. Lepidi. MODERATE, *& amice scriptas* } a uiro suo, M. Lepido, qui tunc erat in Gallia transalpina cum exercitu: Moderate, & amice: cum in ijs litteris ostenderet, neque se illam potentiam uelle, quae supra leges esset; neque in eos, qui starent a partibus reip. aliter, ac deceret, esse animatum. A FRATRE } M. Lepido, Iuniae uiro. NEC *mihi placebat* } cur? quia uidebat, eos, qui insidias tenderent Lepido, otium non ferre, & res nouas quaerere. REGINAE } Cleopatrae, Aegypti reginae: quam Caesar amauit, filiumq. natum appellare suo nomine passus est: de quo intelligi puto epist. 20. De regina uelim, atque etiam de Caesare illo. Praeterea, quam hic Reginam appellat, eam esse Cleopatram, argumento est etiam illud epist. 16. lib. 15. Reginam odi: me iure facere scit: sponsor promissorum eius Hammonius. Nam Hammonio & Ptolemaeus, pater Cleopatrae, usus fuerat legato, cum id ageret, ut a senatu in regnum restitueretur: ut est in epistola ad Lentulum: Hammonius regis legatus aperte pecunia nos oppugnat. FVGA } ex urbe. uenerat igitur Romam etiam post Caesaris mortem. nam ante Caesar ipse acceitam, cum habuisset in amoribus, postea remisit, maximis honoribus, praemijsq. auctam. Suetonius. QVID *Galli, quid Hispani* } num bellum inferre nobis cogitent. epist. 1. & 4. SEXTVS } Pompeius, Magni filius. epist. 1. NAVSEOLAM } scribis, te, quod incidisses in nauseolam quandam, abstinuisse a negotijs: itaque mihi non displicet, eam tibi caussam otij dedisse. ep. 10. Tua tamen ὑπνώμης nausea iam ne plane abijt. SPERO *iam tuto uel solum &c.* } sperabat, quod Antonius & Dolabella consules curam reip. uidebantur suscepisse, qui Marium illum falso creditum, de senatus caede cogitantem, occidissent. supra in hac ipsa epistola, De Mario probe. VERVMTAMEN } subaudi, scribito ad me de Bruto, ubi sit, quid cogitet. & est usitata figura. ep. 1. lib. 13. & 19. huius lib.

Cicero S. D. Attico. 9.

DE *rep. multa cognoui ex tuis litteris: quas quidem multiiuges accepi uno tempore a Vestorij liberto. ad ea autem, quae requiris, breui respondebo. Primum, uehementer me Cluuiana delectant. Sed, quod quaeris, quid arcesserim Chrysippum: tabernae mihi duae corruerunt, reliquaeque rimas agunt: itaque non solum inquilini, sed mures etiam migrauerunt. hanc ceteri calamitatem uocant, ego ne incommodum quidem.*

o Socrates, o Socratici uiri, numquam uobis gratiam referam. dij immortales, quam mihi ista pro nihilo. sed tamen ea ratio aedificandi initur, consiliario quidem, & auctore Vestorio, ut hoc damnum quaestuosum sit. Hic turba magna est, eritque, ut audio, maior: duo quidem quasi designati consules. o dij boni, uiuit tyrannis, tyrannus occidit? eius interfecti morte laetamur, cuius facta defendimus? itaque quam seuere nos M. Curtius accusat: ut pudeat uiuere: neque iniuria. nam mori millies praestitit, quam haec pati, quae mihi uidentur habitura etiã uetustatem. & Balbus hic est, multumq. mecum: ad quem a Vetere litterae, datae pridie kal. Ian. eum a se Caecilius circumsideretur, & iam teneretur, uenisse cum maximis copijs Pacorum Parthum: ita sibi esse eum ereptum, multis suis amissis: in qua re accusat Volcatium. ita mihi uidetur bellum illud instare. sed Dolabella, & Nicias uiderint. idem Balbus meliora de Gallia: XXI. die litteras habebat: Germanos, illasq. nationes, re audita de Caesare, legatos misisse ad Aurelium, qui est praepositus ab Hirtio, se, quod imperatum esset, esse facturos. quid quaeris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Caluena dixerat.

EXPLANATIO

MVLTIIVGES } litteras multijuges ualet, plures epistolas. CLVVIANA } ea, quae mihi Cluuius testamento legauit. Et infert, Delectãt, quia tunc erat Puteolis, praesensq. uidebat, quae sibi Cluuius Puteolanus reliquerat. epist. 45. lib. 13. CHRYSIPPVM } architectum. epist. 29. lib. 13. INQVILINI } iocose. nam inquilinus ipse erat, nouusq. habitator, cum paullo ante ex hereditate Cluuiana eas tabernas accepisset. MVRES } tradit Plin. lib. 8. cap. 28. ruinis imminentibus musculos praemigrare. id uidelicet iocans Cicero spectauit. DAMNVM *quaestuosum* } infra dicit, Ruina rem fecit fructuosiorem, epist. XI. QVASI *designati consules*. } Hirtius & Pansa; (ut infra epist. XI. huius lib. & I. lib. 12.) quos Caesar in annum sequentem designauerat, ut scribit Dio, & alij. QVASI *designati* } qui ita consules futuri putantur, quasi a republica, non a tyranno, designati sint. FACTA *defendimus*? } quia S. C. factũ fuerat, ut, quae Caesar egisset, rata manerent, ipso maxime suadente Cicerone. quod & Dio libro XLIV, & ipse in epistola ad Cassium his uerbis: Vlta resp. suas iniurias est per uos interitu tyranni, nihil amplius: ornamenta uero sua quae recuperauit? an, quod ei mortuo paret, quem uiuum ferre non poterat? cuius aera refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? at enim ita decreuimus. fecimus id quidem temporibus cedentes, quae ualent in rep. plurimum: sed immoderate quidam, & ingrate nostra facilitate abutuntur. A VETERE } C. Antistio Vetere, partium Caesarianarum. PRIDIE *Kal. Ian.* } ante Caesaris interitum. CAECILIVS } Q. Caecilium Bassum, qui Pompeium Magnum secutus fuerat, excitasse bellum in Syria, & a C. Antistio Vetere Apameae circumsessum, tamen, Parthis auxiliantibus, maximeq. Alchandonio Arabe, obsidione esse liberatum, scribit Dio lib. XLVII. BELLVM *illud* } nã Caecilius Parthorum subsidijs fultus id agit, ut eas regiones occuperet. DOLABELLA } cui Syria prouincia, & Parthicum bellum est decretum. Appianus lib. 3. NICIAS } qui cum Dolabella proficisceretur. erant enim arta familiaritate deuincti. epist. 26. lib. 13. & 21. lib. 15. & fam. lib. 9. epist. 10. MELIORA *de Gallia* } contra opinionem Matij: qui affirmauerat, minus diebus XX tumultum Gallicum. epist. I. RE *audita de Caesare* } audita Caesaris nece. CALVENA: } Matius: qui dixerat, omnia perijsse. epist. 46. lib. 13.

Cicero S. D. Attico. 10.

ITA ne uero? hoc meus, & tuus Brutus egit, ut Lanuuij esset? ut Trebonius itineribus deuijs proficisceretur in prouinciam? ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Caesaris plus ualerent, quam si ipse uiueret? meministi ne clamare, illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium a praetoribus uocari? dij immortales, quae tum opera effici potuerunt, laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus. Liberalia tu accusas. quid fieri tum potuit? iam pridem perieramus. meministi ne te clamare, caussam perisse, si funere elatus esset? at ille etiam in foro combustus, laudatusq. miserabiliter: seruique, & egentes in tecta nostra cum facibus immissi. quae deinde? ut audeant dicere, tune contra Caesaris nutum? haec, & alia ferre non possum. itaque γῆν πρὸ γῆς cogito. Tua tamen ὑπηνέμιος nausea iam ne plane abijt? mihi quidem ex tuis litteris conjectanti ita uidebatur. redeo ad Thebassos, Scaeuas, Frangones. hos tu existimas confidere, se illa habituros, stantibus nobis? in quibus plus uirtutis putarunt, quam experti sunt. pacis isti scilicet amatores, & non latrocinij auctores. at ego cum tibi de Curtilio scripsi, Sextilianoq. fundo, scripsi de Censorino, de Messalla, de Planco, de Postumio, de genere toto. melius fuit perisse illo interfecto, quod numquam accidisset, quam haec uidere. Octauius Neapolim uenit XIV. Kal. ibi eum Balbus mane postridie: eodemq. die mecum in Cumano: illum hereditatem aditurum. sed ut scribis, ῥιξόθεμιν magnam cum Antonio. Buthrotia mihi tua res est, ut debet, eritq. curae. Quod quaeris, iam ne ad centena Cluuianum: aduentare uidetur. sed primo anno LXXX. detersimus. Quinctus pater ad me grauia de filio, maxime quod matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus. ardentes in eum litteras ad me misit. ille autem quid agat, si scis, neque dum Roma es profectus, scribas ad me uelim, et hercule si quid aliud, uehementer delector tuis litteris. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

ITA *ne uero &c.* } haec cum indignatione sunt scripta. Ideo ne, inquit, Brutus Caesarem occidit, ut deinde Lanuuij esset? ut in urbe tuto esse non posset? ut Trebonius quasi fugiens in prouinciam occulte proficisceretur? PROVINCIAM? } Asiam. CLAMARE } me. VOCARI? } uocandum senatum esse in Capitolium a Bruto & Cassio praetoribus illo ipso die, quo a Caesaris nece in Capitolium se receperunt. quod si fecissent; tum quidem, laetantibus omnibus bonis, fractis & perterrefactis perditis hominibus, facile fuit ea decernere pro statu reipublicae, quae nunc minime licet, audientibus latronibus quod ansi tum non essent. VOCARI } uocandum esse, uocari debere. & est figura, quae properationem significat: ut hoc loco: nam dixit, Illo ipso primo Capitolino die. Brutus autem & Cassius magnam occasionem amiserunt, cum primo Capitolino die senatum in Capitolium non uocarunt. itaque & infra epist. 14. reprehendit Cicero sessionem illam, idest moram Capitolinam. Et ep. 12. Dicebam, senatum uocari oportuisse, populum ardentem studio uehementius incitari, totam suscipere remp. LIBERALIA } quo die factum est S.C. de praemijs ueteranorum, (epist. 14.) multaq. alia in aede Telluris decreta. Philippic. 1. IAMPRIDEM } & hic moram illam Capitolinam carpit. CAVSSAM } libertatis, & reip. FVNERE *elatus* } perspicuum est, Caesarem intelligi. etiam epist. 14. Recordare, inquit, tua. non ne meministi clamare te, omnia perijsse, si ille funere elatus esset? sapienter id quidem: itaque, ex eo quae manarint. uides. Scribit Suetonius, animum fuisse coniuratis occisi corpus in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere; sed metu Antonij consulis, & magistri equitum Lepidi destitisse. & Plutarchus Bruti consilium reprehendit, qui Antonio, roganti ut Caesar funere efferretur, concesserit, Cassio contradicente. nam Antonius cum eum miserabiliter laudaret, explicata ueste cruenta, & ictibus perforata, ita populum commouit, ut cum facibus ad tecta cõiuratorum accurrerit: unde illud in 2 Philippica: Tu funeri tyranni sceleratissime praefuisti: tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio: tu, tu illas faces incendisti, & eas, quibus semiustulatus ille est, & eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagrauit. NOSTRA } bonorum uirorum. nam re uera tantummodo ad coniuratorum domus cum facibus plebs cucurrit. QVAE *deinde?* } quae deinde sunt consecuta? eiusmodi, ut audeant dicere; Caesar hoc cogitauit; nemo igitur contra. tale illud in epistola ad Cassium: Interfecto rege, regios omnes nutus tuemur. AVDEANT } homines perditi, & libertatis inimici. *γῆν πρὸ γῆς cogito* } nõ Graeciam, sed longinquam & uagam peregrinationem animo spectat, ut de loco semper in locum proximũ transeat, sicuti illa apud Aeschylum Io; quae percita oestro, huc illud uaga ferebatur. satis enim mihi certum est, ad illud Aeschyli Ciceronem respexisse:

οἰστρόπληξ δ' ἐγὼ
μαστιγόθεσα γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι.

est enim ei, praesertim in his epistolis ad Atticum, familiare in primis atque usitatum, duo uel tria uerba, ex aliquo uetere poeta suam ad sententiam transferre; qui, ne non intelligeret Atticus, homo admodum in Graeca lingua exercitatus, apprimeq. sciens, minime uereretur. Atque hunc ipsum, quem recitaui, locum Aeschyli uidetur imitatus Alciphro in ea epistola, quam Leontis meretriculae nomine ad Lamiam scripsit. φεύξομαι inquit, γῆν πρὸ γῆς. ὑπηνέμιος *nausea* } quae, quasi sub uento exposita, haud diuturna solet esse. epist. 51. lib. 13. THEBASSOS, *Scaeuas, Frangones,* } nomina ueteranorum qui ex Caesaris largitione Pompeianorum bona possidebant. Cassium quidem Scaeuam centurionem, insigni fortitudine uirum, nominat Plutarchus in Caesare, & Florus libro 4. & dixit, Redeo, non quia Thebassi, aut Scaeuae, aut Frangonis supra mentionem fecerit: sed, Redeo, ad eos, quibus tranquilla resp. non placet. Frangones, autem lego, ex Tertij libro: ut a Frango nomen deriuetur; & quia puto esse, quem Dio libro 48. C Fuficium Frangonem uocat, cui regendam Africam cum Numidia Octauianus dedit. antiqui libri, Francones. ILLA } agros a Caesare donatos. cupiunt igitur omnia misceri. ISTI } maxime designat Antonium, qui erat consul. DE *Curtilio &c.* } cum scripsi, indignum esse, quod Sextilij fundum Curtilius Verbero possideret; significaui etiam de fundo Censorini, de Messallae, de Planci, de Postumij; quorum fundos Caesariani, a Caesare donatos, possiderent. CENSORINO } opinor esse, quem Antonius, in Asiam proficiscens, Graeciae praefecit Plutarchus. MESSALLA } contra ueteres libros opinor legendum esse, Mustela. nam neque mutatio magna fit; & inter Antonij sodales Mustelam, non Messallam, inuenio. Primum hic epistola x. lib. xvi. Anagnini, inquit, sunt, Mustela ταξιάρχης, & Laco, qui plurimum bibit. Et Philipp. 11. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte? ut Mustelae Tamisio, & Tironi Numisio uideris. Et in eadem post: Inter omnes constabat, neminem esse resalutatum, praesertim cum duos secum Anagninos haberet. Mustelam, & Laconẽ: quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum. Et Philip. xii. Nolite Tirones quidem Numisios, & Mustelas, Saxas ue contemnere. Et xiii. Tironem, Mustelam, Petissium. POSTVMIVS } ep. 12. lib. 6. fam. QVOD *numquam accidisset* } ut, interfecto tyranno, melius fuerit perire, quam superesse. IN *Cumano* } eodem die Balbus in Cumanũ ad me uenit. dicebat, Octauium hereditatem Caesaris aditurũ. ῥοζοθέμιν } subintellige, futuram constat. ῥοζοθέμιν autem magnam concertationem. & sane inter Octauium & Antonium graues discordiae propter Caesaris hereditatem consecutae; cum Antonius omnem pecuniam auertisset. BVTHROTIA *mihi tua res* } Buthrotij cum pecuniam imperatã non soluerent, Caesar eorum agrũ proscripsit. Atticus, qui ciuitatem conseruatã cuperet, pecuniam numerauit de suo;

& a Caesare decretum abstulit, quo Buthrotij liberabantur. illud decretum Atticus interfecto Caesare cum a consulibus confirmari uellet, quibus & senatusconsultum, & lex cognitionem dabat earum rerũ, quas Caesar statuisset, decreuisset, egisset: Ciceronis in ea re tum gratia, tum auctoritate utebatur. ep. 14. huius lib. & 15. lib. 16. IAM *ne ad centena Cluuianum :* } subaudi, perducatur. nam in epistola quae sequitur proxima: De Cluuiano, res ad centena perducitur. &, ut dicam quod sentio, libẽtius ita legerem, Quod quaeris, iam ne ad centena Cluuianum: aduentare uidetur: sed primo anno LXXX detersimus. ut sensus hic sit: Quod scire uis, num ego hic Cluuiana bona ita cõstituerim, ut ex ijs posthac centena HS quotannnis capere possim: breui futurum spero, ut ita sit: & hoc ipso anno, quo Cluuianam hereditatẽ adiui, LXXX HS cepi. CENTENA } centum HS in singulos annos: ut in libello Paradoxorum: Capit ille ex suis praedijs sexcenta HS, ego centena ex meis. CLVVIANVM } Cluuiana res, quam ex hereditate Cluuij acceperat. ep. 39. lib. 13. ADVENTARE } ad centena, ad fructum centenorum sestertiorum. DETERSIMVS } cepimus: sed uenustius, pertersimus, quam, cepimus. ILLE *autem* } Quinctus filius.

Cicero S. D. Attico. 11.

NVDIVS *tertius dedi ad te epistolam longiorem: nunc ad ea, quae proxime. Velim mehercule, Asturae Brutus.* ἀκολασίαν *istorum scribis. an censebas aliter? equidẽ ẽt maiora exspecto. cum equidem concionem lego, De tanto uiro, de clarissimo ciue, ferre non queo etsi ista iam ad risum. sed memento: sic alitur consuetudo perditarum concionum: ut nostri illi, non heroes, sed dij, futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine periculo quidem. uerum illis magna consolatio, consciẽtia maximi, & clarissimi facti nobis quae? qui, interfecto rege, liberi non sumus. sed haec fortuna uiderit, quoniam ratio non gubernat, De Cicerone, quae scribis, iucunda mihi sunt: uelim, sint prospera. quod uero curae tibi est, ut ei suppeditetur ad usum, & cultum copiose; per mihi gratum est; idq. ut facias, te etiam rogo. De Buthrotijs, & tu recte cogitas, & ego nõ dimitto istam curam: suscipiam omnem etiam actionem; quã uideo quotidie faciliorem. De Cluuiano, quoniam in re mea me ipsum diligentia uincis, res ad centena perducitur. ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an iam fructuosiorem. Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa, modo uenit Octauius, & quidem in proximam uillam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me: cras mane uadit. Vale.*

EXPLANATIO

QVAE *proxime.* } quae mihi proximis litteris significasti. VELLEM *mehercule* } Atticus scripserat, Brutum Asturae futurum. ISTORVM } Caesarianorum: qui non contenti S.C. quod in eam sententiam factum est, ut, quae Caesar egit, statuit, decreuit, fixa sint, maiorem ad licentiam progrediuntur. DE *tanto uiro, de clarissimo ciue* } uerba sunt ex Antonij concione, quibus Caesarem appellauerat. ep. 20. lib. 15. AD *risum* } significat, se, a philosophia confirmatum humana contemnere, ut ea, quae accidunt, etsi non ferenda, iam tamen paene rideat. NOSTRI *illi* } qui tyrannum occiderunt. DE *Cicerone,* } filio, qui Athenis dabat operam philosophiae. VELIM *sint prospera* } optat eam remp. filio, in qua uirtutis percipere fructus possit. ME *ipsum diligentia uincis* } hoc dicit, quia litteris identidem Atticus quaerebat. num ita rem Cluuianam constituisset, ut uectigal inde possit capere cẽtum sestertiorum in singulos annos. ep. 10. RVINA } duae tabernae corruerant Cluuiana re. REM *non fecit deteriorem* } non imminuit uectigal, quod antea capiebam, potius auxit. eas enim ita rursus aedifico, ut hoc dãnum quaestuosũm sit. ep. 9. HIC } Puteolis. nam de bonis Cluuianis mentionem fecit: & in epistola sequenti dicit se scripsisse apud Vestorium Puteolanum. utramq. autem eodem in loco scriptam esse, patet ex Octauij mentione. PHILIPPI } uitrici. MIHI *totus deditus* } Octauius enim Antonio inimicus, quia ex Caesaris hereditate grandem pecuniã auerterat, suadentibus maxime uitrico Philippo, & Marcello sororis uiro, ad Ciceronem se contulit, seq. ei & suam caussam commendauit, id spectans, ut propter eius gratiam & auctoritatem, a senatu contra Antonium iuuaretur. historici omnes.

Cicero S. D. Attico. 12.

O MI *Attice, uereor, ne nobis idus Martiae nihil dederint praeter laetitiam, & odij poenam, ac doloris. quae mihi istinc afferuntur? quae hic uideo?* ὢ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. *Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam iudicem. multa illis Caesar, neque me inuito. etsi Latinitas erat non ferenda: uerumtamen. ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, uiuo illo, mentio nulla. Quid? Deiotari nostri caussa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fuluiam. sexcenta similia. uerum illuc refero, tam claram, tamque testatam rem, tamq. iustam Buthrotiam non tenebimus aliqua ex parte? & eo quidem magis, quo ista plura. Nobiscum hic perhonorifice, & amice Octauius: quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non: itaque ne nos quidem: quem nego posse bonum ciuem: ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem*

tem miniantur,negant haec ferri posse. quid censes, cũ Romam puer uenerit,ubi nostri liberatores tuti esse nõ possunt?qui quidem semper erunt clari,conscientia uero facti sui etiam beati:sed nos,nisi me falli, iacebimus. itaque exire aueo,ubi nec Pelopidarum,inquit. haud amo uel hos designatos;qui etiam declamare me coegerunt;ut ne apud aquas quidem aquiscere liceret. sed hec meae nimiae facilitatis.nam id erat quondam quasi necesse:nunc,quoquo modo se res habet, non est item, quam dudum. Nihil habeo,quod ad te scribam: scribo tamen,non ut delecter meis litteris,sed ut eliciã tuas. tu,si quid erit de ceteris, de Bruto utique quidquid. Haec conscripsi x. Kalend. accubans apud Vestorium, hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum.

EXPLANATIO

PRAETER *laetitiam* } interitus tyranni praeter laetitiam nihil attulit;siquidem libertatem non recuperauimus. ODII *poenam,ac doloris* } punire odium,ac dolorem,est,odio ac dolori satisfacere. Nostrum igitur dolorem & indignationem,nostrumq.in Caesarem odium puniuimus nos quidem illius interitu,sed remp.tamen in libertatem minime uindicauimus.pro Milone:Fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui.& de orat.lib.1.Iracundia est cupiditas puniendi doloris. *ὢ πράξεως &c.* } o pulchrũ facinus,sed imperfectum.Ideo autem imperfectum,quia suum ius resp.non recuperauerat. mortem.n. Caesaris significat,cum dicit, ὢ πράξεως καλῆς. CLIENTELAM } Siculi Ciceronis erant in clientela, eorumq. caussa C.Verrem accusauerat,cum quaestor apud eos fuisset praetore Sex.Peducaeo. LATINITAS } aliud est,habere ius Latij: aliud,ciuitatem Romanam.Caesar Siculos,non ciuitate Romana, sed Latinitate,donauit:quod ipsum uix ferendum Ciceroni uidebatur: Antonius post etiam ciuitatem dedit:quod grauissimum,nec ullo modo ferendum,Cicero significat. ACCEPTA. } a Siculis. FIXIT *legem* } de Siculis ciuitate donanda:cuius rei neque mentionem ullam Caesar fecerat; &,si fecisset,figere tamen neque de ea re,neque de alia legem ullam licebat: cum S. C. esset factum, ne qua tabula post idus Martias ullius decreti Caesaris,aut beneficij figeretur.Philippica I. & II. FIXIT } quia incisae in aereis tabulis leges affigebantur parietibus,ut inquit Seruius ad illud Virgilianum: Fixit leges pretio,atque refixit.quo etiam loco Virgilium credit ad M.Antonium respexisse.Et Philippica I. De exsulio reducti sunt a mortuo: ciuitas data non solum singulis,sed etiam nationibus, & prouincijs uniuersis.Item V.Falsas leges,C.Caesaris nomine,in aes incidendas,& in Capitolio figendas curauit. A DICTATORE *comitijs latam* } impudens Antonij mendacium.nam Caesar non modo legem comitijs nõ tulerat de ciuitate Siculis danda,sed nec mentionem eius rei ullam fecerat. quoniam autem Caesaris acta senatus rata esse uoluerat;Antonius,ut ostenderet legem esse Caesaris,non suam, incidit in tabula eam legem,& fixit,ut a dictatore,& comitijs latam,id est,ut iure latam,& a dictatore,& comitijs. NON *similis?* } ostendit,& Siculos esse bonos uiros,& Deiotarum omni regno dignum:sibi tamen non placere,ut hic regnum a Fuluia,illi ciuitatem ab Antonio pecunia emerent. de Armenia minore a Caesare mortuo adempta, mox, Caesare mortuo,per Antonium, quasi e Caesaris commentarijs, restituta. Philippica II. & Hirtius libro quarto. de bel. Alex. PER *Fuluiam* } Fuluiam antea P. Clodij coniugem, quem Milo interfecit, M. Antonius uxorem duxit, Antonia repudiata, C. Antonij filia. Et Antonio cum Fuluia ante nuptias consuetudinem fuisse, indicat illud in Philippica II.Vxorem tuam,& sororem eiecisti,alia condicione quaesita,& ante perspecta. PER *Fuluiam* } ad hoc spectauit in V.Philipp.cum dixit,Mulier sibi felicior,quam uiro,auctionem prouinciarum,regnorumq.faciebat. ILLVC *refero.* } haec ideo dico,ut ostendam; cum haec de Siculis & Deiotaro fiant, quae sunt iniquissima;rem fore non ferendam,si nos tam testatam rem, tamq. iustam Buthrotiam non teneamus.Quae nam autem res esset Buthrotia,supra diximus,ad illud,Buthrotia mihi tua res est, ut debet,eritq.curae,epist.10. TAM *claram,tamq. testatam* } nam eam Caesar decreto concesserat, non ut de Siculis,aut de Deiotaro,de quibus non modo decretum,sed nec mentionem ullam fecerat. ALIQVA *ex parte?* } quasi dicat,omnia tentabimus,ut teneamus.aut,aliqua saltem ex parte, si non omnino, non tenebimus? QVO *ista plura* } quo plura ista sunt, quae ab Antonio tam improbe fiunt;eo magis obtinere debebimus Buthrotiam rem,quae & iusta est,& iam ab ipso Caesare concessa. PHILIPPVS } uitricus Octauij. NON: } quia,lege curiata de eius adoptione nondum lata, quam postea tulit Octauianus ipse consul,cognomen Caesaris iure sibi adsciscere non poterat. Dio l. 41. POSSE *bonum ciuem* } esse. NOSTRIS } liberatoribus reip.Cassio,Bruto,& alijs. NEGAT *haec ferri posse* } quae fiunt ab Antonio,ut de Siculis,de Deiotaro, QVID *censes &c.* } si absens irascitur Antonio; multo grauius,cum Romae erit. uidebit enim ea,quae nunc,cum audit,ferre non potest. NOS *(nisi me fallit) iacebimus* } dicit,quod supra ep.5.illi quoquo modo beati,ciuitas misera.& epist.11.Illis magna consolatio conscientia maximi & clarissimi facti:nobis quae? qui,interfecto rege,liberi non sumus. Et epist. 14.Idus Martiae nostris amicis,diuinis uiris,aditum ad caelum dederunt, libertatem populo Rom. nõ dederunt. NEC *Pelopidarum* } locus ex Attij tragoedia, quae inscribitur Atreus. eum locum recitauit integrum epist.12.lib.15.& item in epistola ad Curium: Euolare cupio,& aliquo peruenire, ubi nec Pelopidarum nomen,nec facta audiam. Et ad eundẽ, non integro uersu: Quod tu pedibus ex consecutus,ut ibi esses, ubi nec Pelopidarum; nosti cetera; nos idem propemodum consequimur alia ratione.

Huc

Huc etiam ſpectauit Philippica XIII. cum dixit: Moueri ſedibus, huic urbi melius eſt, atque in alias, ſi fieri poſſit, terras dimigrare, unde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat; quam illos, Cesaris uirtute eiectos, Bruti retentos, intra haec moenia uidere. Et Pelopidae μεταφορικῶς uocantur, homines, qui res turpes honeſtis anteponunt: qualis erat M. Antonius. INQVIS} Attius. VEL *hos deſignatos*} ne Hirtiū quidem & Panſam, conſules deſignatos, amo: quamquā ipſi me amare uideantur. epiſt. 9. & XI. ETIAM *me declamare coegerunt*} ideo epiſt. 22. ſuum diſcipulum appellat Hirtium. APVD *aquas*} Baianas: quo ſe non ſolum ualetudinis, ſed etiam uoluptatis cauſſa permulti conferebant. Baianus enim ſinus amoenitate praecellit: unde illud Horatianum: Nullus in orbe locus Baijs praelucet amoenis. ERAT *quondam quaſi neceſſe*} quia, cum Caeſar uiueret, ſatisfacerem neceſſe erat & Hirtio, & Panſae, & ceteris, qui apud illum gratia multum poterant. nunc meae facilitatis eſt, quod ijs rogantibus concedo ut declamē. QVOQVO *modo ſe res habet*} quoquo in ſtatu reſp. eſt, nō tamen ſeruimus, ut antea: itaque declamem, necne, poſitum in me eſt: ſed declamo tamen propter meam nimiam facilitatem. IN *arithmeticis*} in ſciētia numerandi. & hoc ſignificat, deditum pecuniae magis, quam litteris, Veſtorium.

Cicero S. D. Attico. 13.

SEPTIMO denique die litterae mihi redditae ſunt, quae erat a te XIII. kal. datae: quibus quaeris, atque etiam me ipſum neſcire arbitraris, utrum magis tumulis proſpectuque, an ambulatione ἁλιτενεῖ delecter. eſt mehercule, ut dicis, utriuſque loci tanta amoenitas, ut dubitem, utra anteponenda ſit.

– ἀλλὰ οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν,
Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα διοτρεφὲς εἰσορόωντες
Δείδιμεν· ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

quamuis enim tu magna, & mihi iucunda ſcripſeris de D. Bruti aduentu ad ſuas legiones; in quo ſpem maximam uideo: tamen, ſi eſt bellum ciuile futurum, quod certe erit, ſi Sextus in armis permanebit, quem permanſurum eſſe certo ſcio; quid nobis faciendum eſt, ignoro. neque enim iam licebit, quod Caeſaris bello licuit, neque huc, neque illuc. quemcumque enim haec pars perditorum laetatum morte Caeſaris putabit, (laetitiam autem apertiſſime tulimus omnes) hunc in hoſtium numero habebit. quae res ad caedem maximam ſpectat. reſtat, ut in caſtr. Sexti, aut, ſi forte. Bruti nos conferamus. res odioſa, & aliena noſtris aetatibus, & incerto exitu belli: & neſcio quo pacto tibi ego poſſim, mihi tu dicere:

Τέκνον ἐμὸν οὔτοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

ſed haec fors uiderit, ea, quae talibus in rebus plus, quam ratio, poteſt. nos autem id uideamus, quod in nobis ipſis eſſe debet, ut, quidquid acciderit, fortiter, & ſapienter feramus, & accidiſſe hominibus meminerimus; nosq. cum multum litterae, tum non minimū idus quoque Martiae conſolentur. Suſcipe nunc meam deliberationem, qua ſollicitor. ita multa ueniunt in mentem in utramque partem. Proficiſcor, ut conſtitueram, legatus in Graeciam: caedis impendentis periculum non nihil uitare uideor, ſed cauſurus in aliquam uituperationem, quod reip. defuerim tam graui tempore. ſin autem manſero: equidem uideo in diſcrimine, ſed accidere poſſe ſuſpicor, ut prodeſſe poſſim reip. Iam illa conſilia priuata ſunt, quod ſentio ualde eſſe utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc uenire. nec alia cauſſa profectionis mihi ulla fuit, cum conſilium cepi legari ab Caeſare. tota igitur hac de re, ut ſoles, ſi quid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nunc ad epiſtolam tuam. ſcribis enim eſſe rumores, me, ad lacum quod habeo, uenditurum, minuſculam uero uillam utique Quincto traditurū uel impenſo pretioſo, quo introducatur, ut tibi Quinctus F. dixerit, dotata Aquillia. ego uero de uenditione nihil cogito, niſi quid, quod magis me delectet, inuenero. Quinctus autem de emendo nihil curat hoc tempore: ſatis enim torquetur debitione dotis: in qua mirificas Q. Egnatio gratias agit: a ducenda autem uxore ſic abhorret, ut quidquam libero lectulo neget eſſet iucundius. Sed haec quoque hactenus. redeo enim ad miſeram, ſeu nullam potius remp. M. Antonius ad me ſcripſit de reſtitutione Sex. Clodij: quam honorifice, quod ad me attinet, ex ipſius litteris cognoſces: miſi enim tibi exemplum; quam diſſolute, quam turpiter, quamq. pernicioſe, ut non numquam Caeſar deſiderandus eſſe uideatur, facile exiſtimabis. quae enim Caeſar numquam neque feciſſet, neque paſſus eſſet, ea nunc ex falſis eius commentarijs proferuntur. ego autem Antonio facillimum me praebui et enim ille, quoniam ſemel induxit animum, ſibi licere quod uellet, feciſſet nihilo minus me inuito. itaque mearum quoque litterarū miſi tibi exemplum. Antonius conſul S. D. Ciceroni. Occupationibus eſt factum meis, & ſubita tua profectione, ne tecum coram de hac re agerem. quam ob cauſſam uereor, ne abſentia mea leuior ſit apud te. quod ſi bonitas tua reſponderit iudicio meo, quod ſemper habui de te; gaudebo. A Caeſare petij, ut Sex. Clodium reſtitueret: impetraui. erat mihi in animo etiam tum ſic uti beneficio eius. ſi tu conceſſiſſes. quo magis laboro, ut tua uoluntate id per me facere nunc liceat. quod ſi duriorem te eius miſerae, & afflictae fortunae praebes; non contendam ego aduerſus te. quamquam uideor debere tueri commenſarium Caeſaris. ſed mehercule, ſi humaniter, & ſapienter, & amabiliter in me cogitare uis, facilem te profecto praebebis, & uoles P. Clodium, in optima ſpe puerum repoſitum, exiſtimare, non te inſectatum eſſe, cum potueris, amicos paternos. patere, obſecro te, pro rep. uideri geſſiſſe ſimultatē cum patre eius: non contempſeris hanc familiam. honeſtius enim, & libentius deponimus inimicitias reip. nomine ſuſceptas, quam contumaciae. Me deinde ſine ad hanc opinionem iam nunc dirigere puerum, & tenero animo eius perſuadere, non eſſe tradendas poſteris inimicitias. quamquam, tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abeſſe, certum habeo: tamen arbitror malle te quietam ſenectutem, & honorificam potius agere, quam ſollicitam. Poſtremo, meo iure te hoc beneficium rogo. nihil enim non tua cauſſa feci. Quod ſi non impetro, per me Clodio daturus non ſum. ut intelligas, quanti apud me auctori-

tas tua sit, atque eo te placabiliorem praebeas. Vale. Cicero Antonio cos. S. Quod mecum per litteras agis, unã ob caussam mallẽ coram egisses. non. n. solum ex oratione, sed ẽt ex uultu, & oculis, et fronte, ut aiunt, meũ erga te amorem perspicere potuisses. nam cum te semper amaui, primum tuo studio, post etiam beneficio prouocatus: tum his temporibus resp. te mihi ita commendauit, ut cariorem habeam neminem. litterae uero tuae, tum amantissime, tum honorificentissime scriptae, sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium uiderer, sed accipere a te ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum, me inuito seruare nolles, cum id nullo negotio facere posses. Ego uero tibi istuc, mi Antoni, remitto, atque ita, ut me a te, cum his uerbis scripseris, liberalissime, atque honorificentissime tractatum existimẽ. idq. cum totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati, & naturae meae. nihil enim umquam nõ modo acerbũ in me fuit, sed ne paullo quidem tristius, aut seuerius, quam necessitas reip. postulauit. Accedit, ut ne in ipsum quidem Clodium meũ insigne odium fuerit umquam: semperq. ita statui, non esse insectandos inimicorum amicos, praesertim humiliores, nec his praesidijs nosmet ipsos esse spoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes esse arbitror, ut eius animum tenerum, quemadmodum scribis, his opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias residere in familijs nostris arbitretur. contendi cum P. Clodio, cum ego publicam caussam, ille suam defenderet. nostras contentiones resp. diiudicauit. si uiueret, mihi cum illo nulla contentio iam maneret. Quare, quoniam hoc a me sic petis, ut, quae tua potestas est, ea neges te me inuito usurum; puero quoque hoc a me dabis, si tibi uidebitur: non quo aut aetas nostra ab illius aetate quidquam debeat periculi suspicari, aut dignitas mea ullam contẽtionem extimescat: sed ut nosmet ipsi inter nos coniunctiores simus, quam adhuc fuimus. interpellantibus enim his inimicitijs, animus tuus mihi magis patuit, quam domus. Sed haec hactenus: illud extremum. ego, quae te uelle, quaeq. ad te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam. hoc uelim tibi penitus persuadeas.

EXPLANATIO

SEPTIMO } principium epistolae. AMBVLATIONE ἀλλ' ὤ τοι } locis humilioribus. ἀλλ' οὐ τοῦτο &c. } Vlysses apud Homerum legatus ab Agamemnone ad Achillem, ut iratum illi placaret propter abreptam Briseida, acceptus ab Achille magno & splendido epulatum apparatu, pronunciat hos uersus ix. λ. quos Cicero aptissime usurpat, ut significet, non se nũc de tumulis, aut de ambulatione ἀλλ' ὤ τοι cogitare, sed de reip. salute solicitum esse. ADVENTV } in Galliam citeriorem. SVAS *legiones* } tres, unam tironum, ueteranas duas. Appianus lib. 3. SEXTVS } permanebit. QVID *nobis faciendum* } non se tantum intelligit, sed etiam Atticum, ut patet epist. 12. NEQVE *huc, neque illuc* } licuit mihi Caesaris, & Pompeij bello neutram partem sequi. BRVTI } Decimi, qui tres legiones habebat. nam de Marco non est ut accipi possit, cui nullae erant copiae, circa Lanuuium aut Actium priuato comitatu uersanti. τέκνον ἐμὸν &c. } uerba sunt Iouis ad Venerem Ἰλιάδος ε. sed, quod Homerus de rebus amatorijs dixit, γάμοιο, Cicero, ut inseruiret senili personae, dixit λόγοιο. senum enim opera sunt sermones. PROFICISCOR } non affirmat, sed deliberat. si proficiscor, ait, ut constitueram, legatus in Graeciam; caedis impendentis periculum nonnihil uitare uideor, sed casurus &c. CAEDIS *impendentis* } idem epist. xv. lib. 9. LEGATVS } legatione libera. IN *discrimine* } si maneo, uideo me in discrimine manere. ILLVC } in Graeciam. nam Cicero filius Athenis philosophiae studium colebat, Cratippo magistro. ep. 16. & libro 1. de officijs. LEGARI *ab Caesare* } nam etiam uiuo Caesare liberam legationem ab eo cogitauerat, hanc unam ob caussam, ut in Graeciam filij caussa proficisceretur. QVINCTO } fratri. IMPENSO *pretio* } magno: ut apud Caesarem lib. 4. Gal. b. Iumenta impenso parauit pretio. Et Suetonius in Tiberio: Coactus est, tam suis, quam matris impensissimis precibus reditum expostulare. QVO *introducatur* } ut Aquiliae, de cuius nuptijs patrem suum cogitare Quinctus filius Attico dixerat, ea nulla dotis cautio sit. DEBITIONE *dotis* } satis habet negotij reddẽda tibi dote. facto enim diuortio cum Pomponia, Attici sorore, dotem reddere Q. Cicero cogebatur. Q. EGNATIO } qui pecuniam fortasse ad solutionem dotis obtulerat. SEX *Clodij* } qui exsulabat, condemnatus, quod eo duce populus in curiam P. Clodij corpus intulisset, cremassetq. subsellijs, & mensis, & codicibus librariorum: quo igne & ipsa curia, & curiae iuncta Porcia basilica flagrauerat. Pedianus in argumento Milonianae, & in extremo eiusdem orationis commentario. FALSIS } nam in commentarijs Caesaris delebat, & reponebat Antonius arbitratu suo; cum in eo Q. Faberij manu, scribae Caesaris, uteretur. Appianus libro III. DEBERE *tueri commentarium Caesaris.* } quia senatus decreuerat, ut, quae Caesar egisset, decreuisset, statuisset, rata manerent. sed Antonius, cum haberet penes se Caesaris commentarios, abutentes facilitate senatus, addebat, tollebat, mutabat ad arbitrium, & libidinem suam. P. CLODIVM } Antonij priuignum, P. Clodij filium, quocum inimicitias Cicero grauissimas gesserat: priuignum autem, quia Fuluiam eius matrem Antonius duxerat uxorem. IN *optima spe puerum repositum* } spem fefellit, non solum amori meretricis uulgatissimae turpiter deditus, uerum etiam erubescẽdo mortis genere consumptus. abdomine enim auide deuorato, foedae ac sordidae intemperãtiae spiritum reddidit. Val. l. 3. c. 5. HANC *familiam* } Claudiam. CONTVMACIAE } priuati odij. NEC *his praesidijs nos met ipsos esse spoliandos.* } nam, si insectaremur amicos inimicorum nostrorum, spoliaremus ipsi nos omni amicorum praesidio. nemo enim amicis abundaret, si acerbiores uellemus esse non modo aduersus inimicos, sed etiam aduersus eos, qui nostris essent inimicis amicitia coniuncti. TVAS *partes* } qui uitricus

illi

Intellectum est, (inquit epist. 15 lib. 4.) tres ἀριστογεῖτας ambitum, comitia, inter regnum, maiestatem, totam deniq. remp. flocci non facere. QVID *cogitem de obuiam itione* } quam longe Caesari cogitem obuiam prodire. NISI *Alsium?* } Alsium usque obuiam ibo, non ultra. DE *hospitio* } ut me Alsij hospitio acciperet. PROFECTVM } opinor Alsij non esset, obuiam Caesari cum Matio profectum. SALLVSTIVS *igitur urgebitur.* } Sallustij igitur hospitio utemur. SILIVS } Sallustius, legendum uidetur: cum proxime dixerit, Sallustius igitur urgebitur: uel utrobique, Silius. TOTAM *uillam* } itaque nobis in ea locus non esset.

Cicero S. D. Attico. 49.

AD Caesarem quam misi epistolam, eius exemplum fugit me tū tibi mittere. nec id fuit, quod suspicaris, ut me puderet tui; ne ridicule Micillus. nec mehercule scripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον ὁμοιόνq. scriberem. bene enim existimo de illis libris, ut tibi corā. itaq. scripsi & ἀκολακεύτως, & tamen sic, ut nihil enim existimem lecturum libentius. De Attica, nunc demum mihi est exploratum: itaq. ei de integro gratulare. Tigellium totum mihi, & quidem quamprimum: nam pendeo animi. Narrabo tibi. Quinctus cras; sed ad me, an ad te, nescio. mihi scripsit, Romam IIX. Kal. sed misi, qui inuitaret. etsi hercle iam Romam ueniendum est; ne ille ante aduolet. Vale.

EXPLANATIO

VT *me puderet tui,* } noli putare, me tibi eius epistolae exemplum ideo non misisse, quasi puderet me tibi eam nimis assentatorie scriptam ostendere. tale. n. in ea nihil est. nec aliter scripsi, ac si scriberē ad aequalē. nam, quod illius libros contra Catonē laudaui, non sum assentatus; bene. n. existimo de illis libris. NE *ridicule Micillus* } donec melius inuenero, sequar eorum opinionem, qui sic interpretantur: Assentatorie non scripsi; ne ridicule quasi Micillus fierem; id est, me ipse indignum patria ostenderem, cum tyranno assentarer: sicuti illū apud Ouidium lib. XV. Met. iubet Hercules patriā deserere. MIHI *est exploratum* } eam bene ualere. Et dicit, Nunc demū; quia, cum Atticus antea scripsisset, eam febri carere, postea idē confirmauit. Nunc demum igitur, inquit, mihi est exploratum. TOTVM *mihi* } restitue. Erat enim iratus Ciceroni propter Phameam. epist. sequenti. QVINCTVS *cras,* } Quinctus filius cras Romam ueniet, id est IIX. Kal. sic enim ad me scripsit. AD *me, an ad te* } domum meam, an tuam. ROMAM IIX. *Kal.* } subaudi, se esse uenturum. VENIENDVM *est* } mihi ipsi. ILLE } Caesar, qui ab Hispaniensi bello reuertebat.

Cicero S. D. Attico. 50.

HOSPITEM mihi tam grauem ἀμεταμέλητον. fuit enim periucunde. sed cū secundis Saturnalibus ad Philippum uesperi uenisset, uilla ita completa militibus est, ut uix triclinium, ubi cenaturus ipse Caesar esset, uacaret: quippe hominum ∞ ∞. sane sum commotus, quid futurum esset postridie. ac mihi Barba Cassius subuenit: custodes dedit: castra in agro: uilla defensa est. ille tertijs Saturnalibus apud Philippum ad horā VII. nec quemquam admisit. rationes opinor cum Balbo. inde ambulauit in litore. post horam IIX. in balneū. tum audiuit de Mamurra non mutauit. unctus est, accubuit, ἐμετικὴν agebat: itaq. & edit, & bibit ἀδεῶς, & iucunde: opipare sane, & apparate: nec id solum, sed bene, cocto, condito, sermone bono, si quaeris, libenter. praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν ualde copiose. libertis minus lautis, seruisq. nihil defuit: nam lautiores eleganter accepti. quid multa? homines uisi sumus: hospes tamen non is, cui diceres: amabo te, eodem ad me cum reuertere. semel satis est. σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλόλογα multa. quid quaeris? delectatus est, & libenter fuit. Puteolis se aiebat unum diem fore, alterū ad Baias. Habes hospitium, siue ἐπισταθμείαν. odiosam mihi duxi, non molestam. Ego paulisper hic, deinde in Tusculanum. Dolabellae uillam cum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum, nec usquā alibi. hoc ex Nicia. Vale.

EXPLANATIO

HOSPITEM *mihi tam grauem ἀμεταμέλητον:* } non paenitet Caesarem apud me cenasse. locutio similis ep. 45 Suaues tuas litteras: etsi acerba pompa. & ep. 5. lib. 14. Meam stultam uerecundiā, qui legari noluerim ante res prolatas. AD *Philippum* } affinē, quod Atiā, Iulia Caesaris sorore natam, in matrimonio habebat. Plutarchus in Cicerone. VILLA } in Pompeiano, ubi Ciceronis quoque uilla erat. SVM *commotus* } quia Caesar postridie apud me cenaturus erat. BARBA *Cassius* } hunc inter naufragia Caesaris amicorū nominat in Philippica XIII. CVSTODES *dedit* } dedit, qui meam uillam custodirent, & ex militibus neminem introire paterentur. CASTRA *in agro* } milites igitur omnes in agro discubuerunt. Et Castra pro militibus posuit, poetice, & quasi per iocum; ut cum infert, Villa defensa este pro, ex militibus nemo uillam introiuit. RATIONES, *opinor, cum Balbo* } puto, rationes confecit cum L. Cornelio Balbo; qui Caesaris negotia procurabat. epist. 3. libro 7. de pecunia uidelicet, quam Balbus ex publi-

ex publicis uectigalibus Caesaris nomine exegerat. AVDIVIT } qui eum alloqui, aut rogare aliqua de re noluerunt. DE *Mamurra* } hic Caesaris praefectus fabrum fuerat in Gallia,& ad opes tantas peruenerat, ut parietes totius domus suae, quod a Plinio in scriptis relictum est, crusta marmoris primus operuerit, idemq; primus nullam totis aedibus, nisi e marmore, columnam habuerit, solidas omnes e Carystio, aut Lunensi. opinor, eum, ob luxuriam hanc, immoderatumq. sumptum, lege sumptuaria Caesaris esse damnatum; nec Caesarem id mutasse, quippe qui negligi suas leges nollet. epist. 7. Venisse a Caesare narrabat litteras, hoc scribere, si certum esse Romae manere: caussamq. eam adscribere, ne se absente leges suae negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. Et Suetonius, Ius, inquit, laboriosissime, & seuerissime dixit. legem praecipue sumptuariam exercuit. Non enim arbitror legem sumptuariam de obsonijs dumtaxat fuisse, uerum de omnibus rebus, in quas pecunia supra modũ erogaretur. ACCVBVIT: } ut ederet. Post unctionem accumbebant ueteres in lecto, cibi capiendi gratia. Martialis: Sufficit in nonam nitidis octaua palaestris: Imperat extructos frangere nona toros. Vngebantur autem statim post balneum: uncti statim accumbebant. In Vatinium: Cui de balneis exeunti, praeter te, umquam toga pulla data est?

Ne putemus Caesarem solum accubuisse in Ciceronis uilla: nam & Ciceronem ipsum, & praeterea Philippum, & Balbum, fortasse etiam Cassium, in eodem triclinio cũ eo cenatos esse credibile uidetur. *Ἐμετικὴν agebat:* } non est, uomebat: (nam uomebatur post cenam, non ante: idq; ratio medicinae postulat) sed, uomitionem parabat: itaque, cum uomere decreuisset, nullum cibi genus uitauit: edit, & bibit ἀδεῶς, & iucunde. Ἐμετικὴν, adiectiuum nomen est. subaudiri uidetur, διαιτείαν, uel aliquid simile. OPIPARE } hoc ad copiam refertur. APPARATE: } diligentia significatur. SERMONE *bono,* } de cena ipsa, non de sermone, loquitur hic Cicero: de sermone autem, infra, cum ait: σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλόλογα multa. itaque interdum putaui hoc totum abundare, Sermone bono, si quaeris, libenter. nam, ad cenam hoc tantum attinebat, Bene, cocto, condito. quod autem sequitur, additum fortasse ab aliquo, qui supplere uersum Lucilij uoluerit, a quo sumptum illud uideret, Bene, cocto, condito. hac ego capio coniecturam ex lib. 2. de Fin. in quo est: Quid bene? dicet Lucillus, Cocto, condito. Sed cedo caput cenae. Sermone bono. Quid ex eo? si queris, libenter. Quae si componantur: Lucilij uersus erit huiusmodi.

,, Quid bene? cocto,
,, Condito, sermone bono, si quaeris, libenter.

TRIBVS *triclinijs* } in uno liberti lautiores, in altero minus lauti, in tertio discubuere serui. Περὶ αὐτὸν } qui circa illum erant, alij alijs muneribus praepositi. Hos diuidit in libertos, & seruos, libertos autem in lautiores, & minus lautos. VALDE *copiose.* } copiose omnes, non omnes tamen eleganter. nam, lautiores tantum liberti, ut infra legitur, eleganter accepti. HOMINES } inest interdum laus in hoc uerbo, ut hic, & ep. 2. lib. 2. Ἡρώδης, si homo esset, eum potius legeret, quam unam litteram scriberet. Nero imperator, nouis aedibus post urbis incendium exstructis, tandem se quasi hominem aiebat habitare coepisse. NON *is,* } quia sumptu exiguo accipi non potest. AMABO *te, eodem ad me, cum reuertere.* } superuacaneum uidetur Ad me, cum dixerit, Eodem. SIVE ἐπισταθμίαν. } siue diuersorium potius. nam, ad hospitium non ita frequentes ire soliti sunt. ODIOSAM } ob curam apparandi. NON *molestam* } ostendit se non laborare de sumptu. PRAETERIRET } Caesar. DEXTRA *sinistra* } sine copula, ut Sallustius quoque in Iugurtha: Circumuentus ab equitibus dextra sinistra. NEC *usquam alibi.* } quasi ab uno Dolabella timeret. NICIA. } Curtio Nicia, grammatico, Dolabellae familiari ep. 10. lib. 9. fam.



IN · EPISTOLARVM
M · TVLLII · CICERONIS
AD
T · POMPONIVM · ATTICVM
LIBRVM, XIV.
PAVLLI . MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico 1.



IVERTI *ad illum, de quo tecum mane. nihil perditius: explicari rem non posse. etenim, si ille tali ingenio exitum non reperiebat, quis nũc reperiet? quid quaeris? periisse omnia aiebat. quod haud scio an ita sit. uerum ille gaudens; affirmatq. minus diebus* XX *tumultum Gallicum: in sermonem se post idus Mart. praeterquam Lepidi, uenisse nemini: ad summam, non posse istaec sic abire. o prudentem Oppium, qui nihilo minus illum desiderat, sed loquitur nihil, quod quemquam bonum offendat. Sed haec hactenus. Tu, quaeso, quidquid noui, (multa autem exspecto) scribere ne pigrere; in his, de Sexto, satis ne certum, maxime autem de Bruto nostro: de quo quidem ille, ad quem diuerti, Caesarem solitum dicere: Magni refert, hic quid uelit, sed, quidquid uult, ualde uult. idq. eum animaduertisse, cum pro Deiotaro Niceae dixerit: ualde uehementer eum uisum, & libere dicere. atque etiam (ut enim quidque succurri, libet scribere) proxime, cum Sextij rogatu apud eum fuisse, exspectaremq. sedens, quoad uocarer, dixisse eum: Ego dubitem, quin summo in odio sim, cum M. Cicero sedeat, nec suo commodo me conuenire possit? atqui, si quisquam est facilis, hic est: tamen non dubito, quin me male oderit. Haec, & eiusmodi multa sed ad propositum. Quidquid erit, non modo magnum, sed etiam paruum, scribes. equidem nihil inter mittam. Vale.*

EXPLANATIO



D ILLVM, } sine dubio Matium intelligit: quem aperte nominat duabus epistolis, quae post proximam inferiorem leguntur. &, si loca conferas inter se, Matium hic significari, non obscure uidebis: quem quidem & Caluenam, & Madarum, ficto nomine, appellat ep. 5. & 9. NIHIL *perditius* } aiebat, subintelligitur: ut sit sensus: rep. nihil aiebat esse perditius, nihil desperatius; perijsse omnia. EXPLICARI *rem non posse* } hoc dicebat, remp. interitu Caesaris ita esse perturbatam, ut constitui nullius consilio posset. quis enim id poterit, quod Caesar ipse, tali praeditus ingenio, non potuit? GAVDENS } gaudebat Matius tanta perturbatione reip. utpote qui cuperet mortem Caesaris omnibus esse acerbam. quod ipse in epistola, quae legitur l. XI. fam. in extremo, perspicue dicit. TVMVLTVM *Gallicum* } putat futurum, ut Galli, audita Caesaris morte, deficiant a nobis, &, nostram dissensionem suam occasionem putantes, arma capiant. Idem ep. 4. his uerbis: Doleo, quod numquam in ulla ciui-

ciuitate accidit, non una cum libertate remp. recuperatam. horribile est, quae loquantur, quae minitentur. ac uereor Gallica etiam bella. & epist. 8. Quid Galli, quid Hispania, quid Sextus agat, uehementer exspecto. item epist. 9. POST *idus Martij* } quo die Caesar fuerat interfectus. PRAETER *quam Lepidi* } hoc dicebat Matius, ut offenderet, nulla se inire consilia contra remp. qui Caesarianorum sermonibus nollet interesse, cum tamen in Caesaris amicissimis fuisset. LEPIDI } mallem, Lepido. ILLVM } Caesarem. QVOD *quemquam bonum offendat* } quasi Matius non prudenter faceret, qui bonis odiosa loqueretur. DE *Sexto* } Pompeio, magni filio. SATIS *ne certum* } eum esse in armis. ep. 4. & 13. DE *Bruto nostro:* } scribe, si quid habes de Bruto nostro. Brutus enim Antonium timens, & populum ab eo concitatum, urbe excesserat, Antijq. morabatur, ut, cum primum plebis iracundia deferbuisset, recurreret. Plutarchus, & alij. DE *quo quidem &c.* } de Bruto Matius aiebat Caesarem solitum dicere: Magni refert, & quae sequuntur. eadem uerba Plutarchus in Bruto refert. EVM } Caesarem. CVM *pro Deiotaro Niceae dixerit* } Deiotaro: Bithyniae rege, qui pro Pompeio contra Caesarem in Pharsalia pugnauerat. Niceae: Bithyniae urbe. dixerit: Brutus. cuius defensionis mentionem facit Plutarchus, & Tacitus in dialogo de oratoribus. VT *quidque succurrit* } ex ijs, quae mecum Matius locutus est. APVD *eum* } cum ad Caesarem uenissem, ut agerem cum eo de P. Sextio restituendo, qui exsulabat, ambitus opinor crimine damnatus. nam epist. 46. l. 13. apparet accusatum lege Pompeia, quae de ambitu erat. uide, quae diximus in commentario epist. 27. lib. 7. fam. ET *eiusmodi multa* } mecum locutus est Matius.

Cicero S. D. Attico. 2.

DVAS a te accepi epistolas heri. ex priore theatrum, Publiumq. cognoui, bona signa consentiētis multitudinis. plausus uero L. Cassio datus etiam facetus mihi quidem uisus est. Altera epistola de Madro scripta. apud quem nullum φαλάκρωμα, ut putas. processi enim, sed minus diu: eius sermone enim sum retentus. Quod autem ad te scripseram, obscure fortasse, id eiusmodi est. aiebat, Caesarem secum, quo tempore, Sextij rogatu, ueni ad eum, cum exspectarem sedens: dixisse: ego nunc tam sim stultum, ut hunc ipsum, facilem hominem, putem mihi esse amicum, cum tam diu sedens meum commodum exspectet? Habes igitur φαλάκρωμα, inimicissimum otij, id est Bruti. In Tusculanum hodie, Lanuuij cras, inde Asturae cogitabam. Piliae paratum est hospitium: sed uellem Atticam. uerum tibi ignosco, quarum utrique salutem. Vale.

EXPLANATIO

THEATRVM, *Publiumq. cognoui,* } plausum significat, qui P. Dolabellae datus est, theatrum ingredienti. cum enim perditi homines (ut est in prima Philippica, & apud Suetonium in Iulio) columnam prope XX pedum lapidis Numidici in honorem mortui Caesaris in foro posuissent, & inscripsissent, Parenti patriae, ut Suetonius tradit: Dolabella columnam euertit, & ex ijs alios erucі affixit, alios de Capitolio praecipitauit: quod infra epist. 15. declaratur his uerbis: O mirificum Dolabellam meum: iam enim dico meum: antea, crede mihi, subdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet. de saxo, in crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare. quid quaeris? heroica. & in fam. ep. 1. lib. 12. Manabat illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & otio diffiderē urbano; sed ita compressum est a Dolabella meo, ut mihi uideamur omne iam ad tempus ab illo dumtaxat sordidissimo periculo tuti futuri. De theatri autem plausu quo magis perspicuum sit, uerba subijciemus ex Philippica prima. Dicerem, inquit, Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te paullisper esse expertum uideremus. quem potes recordari in uita tibi illuxisse diem laetiorem, quam, cum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris poena affectis, te domum recepisti? cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunae studia tum laudi & gratulationi tuae se non obtulerunt? recordare quaeso Dolabella consensum illū theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant offensi, significauerunt se beneficio nouo memoriam doloris ueteris abiecisse. BONA *signa* } e consensu illo multitudinis, qui perspectus est in theatro, uidetur bene sperandum de rep. L. CASSIO } is erat C. Cassi frater, eius, qui Caesarem occiderat. in epistola ad C. Cassium de eodem plausu his uerbis: Tuus necessarius affinitate noua delectatur: itaque iam non est studiosus ludorum, infinitoq. fratris tui plausu dirumpitur. Erat autem L. Cassius hoc tempore tribunus pl. ut in Philippica tertia. & fuisse tres fratres, C. Q. L. supra diximus, l. v. ep. 21. DATVS } in theatro. forte de ludis Apollinaribus significatur; quos C. Cassij praetoris urbani, nomine, collega eius C. Antonius dedit. Dio libro XLVII. FACETVS } cur facetus? quia quodam modo ridiculum erat, L. Cassium a populo plausum excipere propter ea, quae Caius frater fecerat. Caius enim, non Lucius, remp. seruitute liberauerat interfecto Caesare. DE *Madaro* } de Matio. caluus enim Matius: ut infra: & caluus graece μαδαρός. praeterea,

idem

idem agitur, quod in proxima superiore epistola: in qua Matium significari, manifestum est. φαλάκωμα } nullum meum φαλάκωμα fuit, nulla inanis iactantia, tamquam interitu Caesaris recuperata rep. PROCESSI } in uia. AIEBAT } Matius. φαλάκρωμα } Matium significat; sed caluitium appellat, quia caluus erat Matius. itaque cum & infra Caluenam uocat, epist. 5. & 9. HABES φαλάκρωμα } habes de Matio: habes, quod Matius mecum locutus est. φαλάκρωμα uero, quia Matius, ut iam diximus, caluus: & φαλακρὸς graece caluus. INIMICISSIMVM *otij* } qui quidem Matius inimicissimus otij uidebatur, idest Bruti. nam, si, ut ille cupit, omnia misceantur: Brutus, qui Caesare interfecto liberam fore, & sine ullo negotio remp. sperauit, opinione deceptus, ipse uenit in dubium de sua salute. ita, qui inimicus otij, idem Bruti. TIBI *ignosco* } qui illam tecum esse uelis.

Cicero S. D. Attico. 3.

TRANQVILLAE quidem tuae litterae: quod utinam diutius: nam Matius posse negabat. Ecce autem structores nostri frumentum profecti, cum inanes redyssent, rumorem ad afferunt magnum, Romae domũ ad Antonium frumentum omne portari: πανικὸν certe: scripsisses enim. Corumbus Balbi nullus adhuc: & mihi notum nomen. bellus enim esse dicitur architectus. Ad obsignandum tu adhibitus non sine caussa uideris. uolunt enim nos ita putare: nescio, cur non animo quoque sentiant: sed quid haec ad nos? odorare tamen Antonij διάθεσιν: quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quidquam mali cogitare. tu, si quid πραγματικὸν habes, scribe: sin minus, populi ἐπισημασίαν & minorum dicta perscribito. Piliae, & Atticae salutem. Vale.

EXPLANATIO

TRANQVILLAE } tranquilla nunciantes, & de rep. quae uolumus. MATIVS *posse negabat* } negabat Matius otium fore diuturnum, sed impendere. & prope adesse omnium rerum perturbationẽ. Hic apparet Matium fuisse illum, ad quem Cicero se scribit diuertisse in epistola huius libri prima; eundemq. esse, quem in proxima superiore otij inimicissimum appellat. STRVCTORES *nostri* } ij, quorum hic utor opera ad uillam aedificandam. Et paullo post Corumbum architectum exspectat. PROFECTI } Romam, ut emptum frumentum referrent. Πανικὸν *certe* } oportet hoc subitum quiddam fuisse, terroribus simile, quos Graeci appellant πανικά. subitum hoc fuit Antonij consilium de frumento ad se comportando. nam, si diebus superioribus id curasset, tu mihi aliquid significasses. SCRIPSISSES *enim* } nisi hoc subitum quiddam, & plane πανικὸν esset, tu ad me scripsisses litteris superioribus. CORVMBVS *Balbi* } subintellige, seruus. NVLLVS *adhuc* } adhuc non uenerat. Et Nullus, pro non, eleganter & antique positum: ut ep. 24. lib. XI. Philotimus nullus uenit. ep. 23. l. 15. Sextus ab armis nullus discedit. ARCHITECTVS } ideo Cicero eum exspectabat; ut haberet adiutorem, & consiliarium in ratione aedificandi. VOLVNT } Caesariani, a quibus ad obsignationem testamenti adhibitus es. ITA *putare* } ut tu scripsisti. Διάθεσιν } sensum, animumq. in rep. ἐπισημασίαν } quia populus, cum in theatrum, aut alio spectandi gratia conuenisset; quid de ciuibus sentiret, plausu & acclamatione significabat: ut epist. 19. lib. 2. Populi sensus maxime in theatro & spectaculis perspectus est. nam gladiatoribus qua dominus, qua aduocati sibilis conscissi. & epist. 15. lib. 1. Ludis & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine ulla pastoricia fistula auferebamus. & pro Sextio: Tribus locis significari maxime potest populi R. iudicium, ac uoluntas, concione, comitijs, ludorum gladiatorumq. consessu.

Cicero S. D. Attico. 4.

NVNC quid putas me Lanuuij? at ego te istic quotidie aliquid noui suspicor. tument negotia nam cum Matius, quid censes ceteros? equidem doleo, quod numquam in ulla ciuitate accidit, non una cum libertate remp. recuperatam. horribile est, quae loquantur, quae minitentur. ac uereor Gallica etiã bella, ipse Sextus quo euadat. sed omnia licet cõcurrant, idus Martiae consolantur. nostri autem ἥρωες, quod per seipsos confici potuit, gloriosissime, & magnificentissime confecerũt. reliquae res opes, & copias desiderant: quas nullas habemus. Haec ego ad te, ut, si quid noui, (nam quotidie aliquid exspecto) confestim ad me: &, si noui nihil, nostro more tamen ne patiamur intermitti litterulas, equidem non committam. Vale.

EXPLANATIO

QVID *putas me Lanuuij?* } noui habere. ISTIC } Romae. CVM *Matius* } libro IX. epist. 9. Matius ad me uenit, homo, ut mihi uisus est, temperatus, & prudens; existimatus quidem est semper auctor otij. Dicit igitur: cum Matius, quem studiosum reip. putabamus, is nunc inimicissimus otij sit, quid

quid censes ceteros? Paullo ante: Habes φαλάκρωμα, inimicissimum otij. MINITENTVR } ij, qui Caesaris mortem se dicunt persequi uelle. Ac uereor } non modo ciuilem contentionem, sed Gallica etiam bella uereor. Verebatur autem e Matij sermone, qui affirmauerat, minus diebus xx tumultum Galli cum. epist.1. IPSE Sextus } etiam uereor, quid acturus sit Sex.Pompeius. mihi enim certũ non est, utrum, hoc exercituque quem habere dicitur, ad recuperandam remp. sit usurus, an & ipse tyrannidem spectet Caesaris exemplo. ne de ipso quidem Sexto securi, inquit, animi sum. QVO euadat} quid acturus. OMNIA licet concurrant, } ut omnia misceantur; me tamen semper idus Martiae, quo die tyrannus est interfectus, uoluptate afficient; hoc est, numquam erit, ut, quod idus Martijs transactum est, id cupiam infectum. ἥρωας } Brutus, & alij, qui Caesarem oppresserunt.

Cicero S.D. Attico 5.

SPERO tibi iam esse, ut uolumus; quoniam quidẽ ἠσίτησας, quam leuiter commotus esses: sed tamẽ uelim scire, quid agas. Signa bella, quod Caluena moleste fert, se suspectum esse Bruto illa signa non bona, si cum signis legiones ueniunt e Gallia. quid tu illas putas, quae fuerunt in Hispania? non ne idem postulaturas? quid eas, quas Annius transportauit? Caninium uolui, sed μνημονικὸν ἁμάρτημα, ab aleatore φυρμὸς πολύς. nam ista quidem Caesaris libertorum coniuratio facile opprimeretur, si recta saperet Antonius. Meam stultã uerecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere uiderer hunc rerum tumorem: cui certe si possem mederi, deesse non deberem: sed uides magistratus: siquidem illi magistratus: uides tamen tyranni satellites in imperijs: uides eiusdem exercitus, uides in latere ueteranos: quae sunt εὔριπα omnia: eos autem, qui orbis terrae custodijs non modo septi, uerum etiam magni esse debebant, tantummodo laudari, atque amari, sed parietibus contineri. atque illi quoquo modo beati, ciuitas misera. Sed uelim scire, quid aduentus Octauij, num qui concursus ad eum, nũ quae νεωτερισμοῦ suspicio. non puto equidem: sed tamen, quidquid est, scire cupio. Haec scripsi ad te proficiscens Astura, III. id. Vale.

EXPLANATIO

SPERO } dicit, Spero, quia nihil Atticus proximis litteris significauerat. spero te nunc recte ualere. QVAM leuiter commotus esses } ut bene ominaretur, non dixit, Quam grauiter, aut, Quo modo, sed, Quam leuiter, usus amicissimi animi significatione. CALVENA } Matius. epist.9. Omnia plena pacis, aliter, ac mihi Caluena dixerat. & epist.3. Habes φαλάκρωμα. ubique de Matio. SVSPECTVM } quasi Caesarianum, & reip. idest libertati, non amicum. Cur autem signa bella dicit esse, quod Matius moleste ferret, se suspectum esse Bruto? quia, cum de Bruti gratia Matius laboraret, apparebat eum Caesarianorum partibus diffidere, ut infirmis. CVM signis } hoc, quod ad sententiam spectat, minime necessarium uidebatur: (quis ne scit sua cuique legioni esse signa?) sed addit, ut quasi iocaretur ambiguo Signorum nomine. IDEM postulaturas? } rumor enim erat, legiones, quae in Gallia fuerant praesidij caussa, Romam uenire, postulaturas, ut promissum sibi a Caesare solueretur. TRANSPORTAVIT} in Graeciam, ad Bellum contra Parthos a Caesare cogitatum. CANINIVM } non Annium. φυρμὸς πολύς } multa miscet & turbat aleator. item ego in nominibus, cum Annium pro Caninio posui. NAM ista &c. } ab ista quidem Caesaris libertorum coniuratione haud magnopere timeo: quae facile opprimeretur, si recta saperet consul Antonius. Eam postea coniurationem alter consul oppressit Dolabella, ut est in Philippica prima. Cum serperet in urbe infinitum malum, idq. manaret in dies latius; ijdemq. bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant; & quotidie magis magisq. perditi homines, cum sui similibus seruis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animaduersio fuit Dolabellae cum in audaces sceleratosq. seruos, tum in impuros & nefarios liberos, talisq. euersio illius exsecratae columnae, ut mirum mihi uideatur, tam ualde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse. Et in eadem aliquanto post: Quem potes recordari Dolabella in uita tibi illuxisse diem laetiorem, quam cum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris poena affectis, te domum recepisti? Item alijs in locis. LEGARI noluerim ante res prolatas, } legationem liberam a senatu petere noluerat, ne remp. uideretur deserere, illam quidem e seruitute ereptam Caesaris interitu, sed nondum tamen plane confirmatam, Antonio & Lepido perniciosa molientibus. exspectabat igitur anni tempus, quo nihil neque publice, neque priuatim ageretur; ut, uacatione omnibus concessa, honestius discederet. nam Prolatae res dicebantur, cum omnes feriarentur. uide epist.12. lib.7. HVNC rerum tumorem } interitum Caesaris magnae turbae statim consecutae sint. eas Tumorem appellat, sumpta translatione a corporibus male affectis: ideoq. infert, Mederi. etiam in epistola proxima superiore: Tument negotia. VIDES magistratus } qui, Caesaris partes fouebant, cum ab ipso creati essent. VIDES tamen &c.} se ipse corrigit, qui magistratus appellauerit eos, quos tyrannus constituerit; & uocandos potius ostendit, Tyranni satellites in imperijs. EXERCITVS } qui, Caesaris profectionem in Parthos exspectantes, in urbe manserant. IN latere } in Campania. nam agri Campani partem incolebant a Caesa-

re assignatam. hos postea quingenis denarijs Octauianus in suas partes traduxit. ep. 7. lib. 16. εὐρίπιστα } mobilia, tamquam Euripus, qui saepius in die fluit, & refluit. timendum igitur, ne contra libertatis patronos, hoc est Caesaris inimicos moueantur. Eos *autem* } intelligit maxime Brutum, & Cassiũ. MAGNI *debebant esse* } non placet. Magni. Bessarionis liber, Magis edebant ut fortasse, Vagi esse debebant, legendum sit. ut indicet, non aequum esse, Brutum parietibus contineri; sed uagum potius debere esse, libereque, quo uellet, ire. alij diligentius perpendant. mihi certe, Magni esse, non admodum satisfacit. PARIETIBVS *contineri* } quia Caesarianorum metu prodire in forum non audebant. QVOQVO *modo beati* } etiam si parietibus contineantur, beati tamen, qui tam praeclarum facinus conscierint. MISERA } quae, tyranno liberata, libera tamen non sit. ADVENTVS *Octauij*, } cum, audita Caesaris nece, Apollonia Romam uenit. Velim, inquit, scire, aduentus Octauij quid pariat. νεωτερισμῶν } rerum nouarum, ex aduentu Octauij.

Cicero S. D. Attico. 6.

PRID. id. Fundis accepi tuas litteras cenans. primũ igitur, melius esse: deinde, meliora te nuntiare. Odiosa illa enim fuerant, legiones uenire. Nam de Octauio susq. deque. Exspecto, quid de Mario: quem quidem ego sublatum rebar a Caesare. Antonij colloquium cũ heroibus nostris pro re nata non incommodum: sed tamen adhuc me nihil delectat praeter idus Mart. nam quoniam Fundis sum cum Ligure nostro, discrucior, Sextilij fundum a Verberone Curtilio possideri. quod cum dico, de toto genere dico. quid enim miserius, quã ea nos tueri, propter quae illum oderamus? etiam ne consules, & tribunos pl. in biennium, quos ille uoluit? nullo modo reperio, quemadmodum possim πολιτεύεσθαι. nihil enim tam ἀλόγιστον, quam τυραννοκτόνους in caelo esse, tyranni facta defendi. sed uides consules: uides reliquos magistratus; si isti magistratus: uides languorem bonorum. exultant laetitia in municipijs. dici enim non potest, quantopere gaudeant, ut ad me concurrant, ut audire cupiant uerba mea de re: nec ulla interea decreta. sic enim πεπολιτεύμεθα, ut uictos metueremus. Haec ad te scripsi apposita secunda mensa. plura, & πολιτικώτερα postea: & tu, quid agas, quidq. agatur.

EXPLANATIO

PRIMVM *igitur &c.* } primum cognoui, te rectius ualere: deinde, bonam spem esse de rep. nam illa fuerant odiosa, legiones e Gallia uenire. SVSQVE *deq.* } non laboro, in utramque partem aequo animo sum, siue ad eum concursus fiant, siue non fiant. Quia paullo ante scripserat: Velim scire quid aduentus Octauij, num qui concursus ad eum; nunc, De Octauio, inquit, susq. deque. DE *Mario:* } hic a Caesare relegatus, quod impudenti mendacio C. Marij septies consulis nepotem se esse dictitabat, qui re uera Erophilus esset Equarius medicus: postea reuersus in urbem Caesare interfecto, cum de interficiendo senatu consilium cepisset, poenas dedit. hoc Cicero significat Philippica 1. cum dicit: Liberatus caedis periculo senatus: uncus impactus est fugitiuo illi, qui in C. Marij nomen inuaserat. & Valerius in lib. IX. & Appianus lib. 3. SVBLATVM } cum exsularet. Sic fere tyranni sunt. quos in urbe occidere non audent, eos primum astuto consilio relegant, deinde ab oculis populi remotos interfici mãdant. cum autem Caesar hunc pseudo Marium relegasset, suspicabatur Cicero postea de medio sublatum, ne quid umquam nouare posset. COLLOQVIVM *cum heroibus nostris:* } cum ijs, qui Caesarem occiderant. PRO *re nata* } ut se res habent. medium quiddam inter summum, & minimum significatur. uide ep. 8. & 12. lib. 7. SEXTILII *fundum* } hunc fundum Caesar ademptum Sextilio, qui Pompeianas partes secutus erat, Verberoni Curtilio tradiderat. ep. 10. BIENNIVM } subaudi, habebimus? QVOS *ille uoluit?* } quos Caesar designauit? Caesar enim, contra Parthos profecturus, consules & tribunos pl. designauit in biennium. Dio libro XLIII. in extremo. EXSVLTANT *laetitia* } propter interitum tyranni. DE *re* } de Caesaris nece. NEC *ulla interea decreta* } a senatu, pro tyrannoctonis. Πεπολιτεύμεθα } remp. gessimus. VICTOS } Caesarianos. hoc est, quod scribit in epistola ad Cassium contra M. Antonij potentiam: Dominum ferre non potuimus; conseruo seruimus.

Cicero S. D. Attico. 7.

POSTRIDIE id. Paullum Caietae uidi. is mihi de Mario, & de rep. alia quaedam sane pessima. a te scilicet nihi: nemo enim meorum. sed Brutum nostrum audio uisum sub Lanuuio. ubi tandem est futurus? nam cum reliqua, tum de hoc scire aueo omnia. Ego e Formiano exiens XVII. Kal. ut inde altero die in Puteolanum, scripsi haec. A Cicerone mihi litterae sane πεπινωμέναι & bene longae. cetera autem uel fingi possunt: πίνος litterarum significat doctiorem. nunc magnopere a te peto, de quo sum nuper tecum locutus, ut

uideas, ne quid ei desit. id cùm ad officium nostrũ pertinet, tum ad existimationem, & dignitatem: quod idem intellexi tibi uideri omnino. si ergo est, uolo mense Quinctili in Graeciam. sunt omnia faciliora. sed cum sint ea tempora, ut certi nihil esse possit, quid honestũ mihi sit, quid liceat, quid expediat: quaeso, da operam, ut illum quamhonestissime, copiosissimeq. tueamur. haec, & cetera, quae ad nos pertinebunt, ut soles, cogitabis, ad meque, aut quod ad rem pertineat, aut, si nihil erit, quod in buccam uenerit, scribes. Vale.

EXPLANATIO

PAVLLVM } L. Aemilium Paullum, in consulatu collegam C. Marcelli, fratrem M. Lepidi. DE *Mario* } pessime in remp. animato, utpote qui de occidendo senatu cogitauit. ep. 6. & 8. A TE *scilicet nihil* } de his rebus tu nihil ad me dedisti litterarum: nec mirum: nemo enim meorum Roma profectus est, cui dare posses. A CICERONE } filio. CETERA *autem* } optabilia de moribus illius afferuntur: sed ea fingi possunt: doctiorem quidem ex ipsius litteris uideo esse. Πίνος } elegantia. Suidas recitat Damasij locum his uerbis, ὁ δ᾽ ἦν καὶ λέγειν ἱκανὸς οὐ τοὺς νεωτέρους ἐκμιμησάμενος σοφιστάς, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἀρχαῖον τύπον τῆς λογογραφίας ἁμιλλώμενος. SI *ergo est* } hic aliquid desidero. non enim cum sequentibus apte coniungitur.

Cicero S. D. Attico. 8.

TV me iam rebare, cum scribebas, in agris esse nostris: at ego accepi XVII. Kal. in diuersoriolo Sinuessano tuas litteras. De Mario probe. etsi doleo L. Crassi nepotem. Optime, iam etiam Bruto nostro probari Antonium. nam quod Iuniam scribis moderate, & amice scriptas litteras attulisse: mihi Paullus dedit ad se a fratre missas; quibus in extremis erat, sibi insidias fieri, se id certis auctoribus comperisse. hoc nec mihi placebat, & multo illi minus. Reginae fuga mihi non molesta: sed, Clodia quid egerit, scribas ad me uelim. De Byzantijs curabis, ut cetera: & Pelopem ad te arcesse. Ego, ut postulas, Baiana negotia, chorumq. illum, de quo scire uis, cum perspexero, tum scribam, ne quid ignores. Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, uehementer exspecto. ea scilicet tu declarabis, qui cetera. Nauseolam tibi tuam caussam otij dedisse, facile patiebar. uidebar enim mihi, legenti tuas, requiesse paullisper. De Bruto semper ad me omnia perscribito, ubi sit, quid cogitet: quem quidem ego spero iam tuto uel solum tota urbe uagari posse. uerumtamen. Vale.

EXPLANATIO

PROBE } quod ei uncus est impactus pro facinore cogitato. ep. 7. NEPOTEM } ep. 48. lib. 12. IVNIAM } Bruti sororem, coniugem M. Lepidi. MODERATE, *& amice scriptas* } a uiro suo, M. Lepido, qui tunc erat in Gallia transalpina cum exercitu: Moderate, & amice: cum in ijs litteris ostenderet, neque se illam potentiam uelle, quae supra leges esset; neque in eos, qui starent a partibus reip. aliter, ac deceret, esse animatum. A FRATRE } M. Lepido, Iuniae uiro. NEC *mihi placebat* } cur? quia uidebat, eos, qui insidias tenderent Lepido, otium non ferre, & res nouas quaerere. REGINAE } Cleopatrae, Aegypti reginae: quam Caesar amauit, filiumq. natum appellare suo nomine passus est: de quo intelligi puto epist. 20. De regina uelim, atque etiam de Caesare illo. Praeterea, quam hic Reginam appellat, eam esse Cleopatram, argumento est etiam illud epist. 16. lib. 15. Reginam odi: me iure facere scit: sponsor promissorum eius Hammonius. Nam Hammonio & Ptolemaeus, pater Cleopatrae, usus fuerat legato, cum id ageret, ut a senatu in regnum restitueretur: ut est in epistola ad Lentulum: Hammonius regis legatus aperte pecunia nos oppugnat. FVGA } ex urbe. uenerat igitur Romam etiam post Caesaris mortem. nam ante Caesar ipse accitam, cum habuisset in amoribus, postea remisit, maximis honoribus, praemijsq. auctam, Suetonius. QVID *Galli, quid Hispani* } num bellum inferre nobis cogitent. epist. 1. & 4. SEXTVS } Pompeius, Magni filius. epist. 1. NAVSEOLAM } scribis, te, quod incidisses in nauseolam quandam, abstinuisse a negotijs: itaque mihi non displicet, eam tibi caussam otij dedisse. ep. 10. Tua tamen ὑπνώμια nausea iam ne plane abijt. SPERO *iam tuto uel solum &c.* } sperabat, quod Antonius & Dolabella consules curam reip. uidebantur suscepisse, qui Marium illum falso creditum, de senatus caede cogitantem, occidissent. supra in hac ipsa epistola, De Mario probe. VERVMTAMEN } subaudi, scribito ad me de Bruto, ubi sit, quid cogitet. & est usitata figura. ep. 1. lib. 13. & 19. huius lib.

Cicero S. D. Attico. 9.

DE rep. multa cognoui ex tuis litteris: quas quidem multiiuges accepi uno tempore a Vestorij liberto. ad ea autem, quae requiris, breui respondebo. Primum, uehementer me Cluuiana delectant. Sed, quod quaeris, quid arcesserim Chrysippum: tabernae mihi duae corruerunt, reliquae rimas agunt: itaque non solum inquilini, sed mures etiam migrauerunt. hanc ceteri calamitatem uocant, ego ne incommodum quidem.

o Socrates, o Sotratici uiri, numquam uobis gratiam referam. dij immortales, quam mihi ista pro nihilo. sed tamen ea ratio aedificandi initur, consiliario quidem, & auctore Vestorio, ut hoc damnum quaestuosum sit. Hic turba magna est, eritque, ut audio, maior: duo quidem quasi designati consules. o dij boni, uiuit tyrannis, tyrannus occidit? eius interfecti morte laetamur, cuius facta defendimus? itaque quam seuere nos M. Curtius accusat: ut pudeat uiuere: neque iniuria. nam mori millies praestitit, quam haec pati, quae mihi uidentur habitura etiã uetustatem. & Balbus hic est, multumq. mecum? ad quem a Vetere litterae, datae pridie kal. Ian. eum a se Caecilius circumsideretur, & iam teneretur, uenisse cum maximis copijs Pacorum Parthum: ita sibi esse eum ereptum, multis suis amissis: in qua re accusat Volcatium. ita mihi uidetur bellum illud instare. sed Dolabella, & Nicias uiderint. idem Balbus meliora de Gallia: XXI. die litteras habebat: Germanos, illasq. nationes, re audita de Caesare, legatos misisse ad Aurelium, qui est praepositus ab Hirtio, se, quod imperatum esset, esse facturos. quid quaeris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Caluena dixerat.

EXPLANATIO

MVLTIIVGES } litteras multijuges ualet, plures epistolas. CLVVIANA } ea, quae mihi Cluuius testamento legauit. Et infert, Delectát, quia tunc erat Puteolis, praesensq. uidebat, quae sibi Cluuius Puteolanus reliquerat. epist. 45. lib. 13. CHRYSIPPVM } architectum. epist. 29. lib. 13. INQVILINI } iocose. nam inquilinus ipse erat, nouusq. habitator, cum paullo ante ex hereditate Cluuiana eas tabernas accepisset. MVRES } tradit Plin. lib. 8. cap. 28. ruinis imminentibus musculos praemigrare. id uidelicet iocans Cicero spectauit. DAMNVM *quaestuosum* } infra dicit, Ruina rem fecit fructuosiorem, epist. XI. QVASI *designati consules.* } Hirtius & Pansa; (ut infra epist. XI. huius lib. & I. lib. 12.) quos Caesar in annum sequentem designauerat, ut scribit Dio, & alij. QVASI *designati* } qui ita consules futuri putantur, quasi a republica, non a tyranno, designati sint. FACTA *defendimus?* } quia S.C. factũ fuerat, ut, quae Caesar egisset, rata manerent, ipso maxime suadente Cicerone. quod & Dio libro XLIV, & ipse in epistola ad Cassium his uerbis: Vlta resp. suas iniurias est per uos interitu tyranni, nihil amplius: ornamenta uero sua quae recuperauit? an, quod ei mortuo paret, quem uiuum ferre non poterat? cuius aera refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? at enim ita decreuimus. fecimus id quidem temporibus cedentes, quae ualent in rep. plurimum: sed immoderate quidam, & ingrate nostra facilitate abutuntur. A VETERE } C. Antistio Vetere, partium Caesarianarum. PRIDIE *Kal. Ian.* } ante Caesaris interitum. CAECILIVS } Q. Caecilium Bassum, qui Pompeium Magnum secutus fuerat, excitasse bellum in Syria, & a C. Antistio Vetere Apameae circumsessum, tamen, Parthis auxiliantibus, maximeq. Alchandonio Arabe, obsidione esse liberatum, scribit Dio lib. XLVII. BELLVM *illud* } nã Caecilius Parthorum subsidijs fultus id ager, ut eas regiones occuper. DOLABELLA } cui Syria prouincia, & Parthicum bellum est decretum. Appianus lib. 3. NICIAS } qui cum Dolabella proficiscetur. erant enim arta familiaritate deuincti. epist. 26. lib. 13. & 21. lib. 15. & fam. lib. 9. epist. 10. MELIORA *de Gallia* } contra opinionem Matij: qui affirmauerat, minus diebus XX tumultum Gallicum. epist. 1. RE *audita de Caesare* } audita Caesaris nece. CALVENA: } Matius: qui dixerat, omnia perijsse. epist. 46. lib. 13.

Cicero S. D. Attico. 10.

ITA *ne uero? hoc meus, & tuus Brutus egit, ut Lanuuij esset? ut Trebonius itineribus deuijs proficisceretur in prouinciam? ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Caesaris plus ualerent, quam si ipse uiueret? meministi ne clamare, illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium a praetoribus uocari? dij immortales, quae tum opera effici potuerunt, laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus. Liberalia tu accusas. quid fieri tum potuit? iam pridem perieramus. meministi ne te clamare, caussam perisse, si funere elatus esset? at ille etiam in foro combustus, laudatusq. miserabiliter: seruique, & egentes in tecta nostra cum facibus immissi. quae deinde? ut audeant dicere, tune contra Caesaris nutum? haec, & alia ferre non possum. itaque γῆν πρὸ γῆς cogito. Tua tamen ὑπηνέμιος nausea iam ne plane abijt? mihi quidem ex tuis litteris conijcienti ita uidebatur. redeo ad Thebassos, Scaeuas, Frangones. hos tu existimas confidere, se illa habituros, stantibus nobis? in quibus, plus uirtutis putarunt, quam experti sunt. pacis isti scilicet amatores, & non latrocinij auctores. at ego cum tibi de Cuttilio scripsi, Sextilianoq. fundo, scripsi de Censorino, de Messalla, de Planco, de Postumio, de genere toto. melius fuit perisse illo interfecto, quod numquam accidisset, quam haec uidere. Octauius Neapolim uenit XIV. Kal. ibi eum Balbus mane postridie: eodemq. die mecum in Cumano: illum hereditatem aditurum: sed, ut scribis, ῥῆξιν magnam cum Antonio. Buthrotia mihi tua res est, ut debet, eritq. curae. Quod quaeris, iam ne ad centena Cluuianum adueniare uideatur: sed primo anno LXXX. detersimus. Quinctus pater ad me grauia de filio, maxime quod matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus. ardentes in eum litteras ad me misit. ille autem quid agat, si scis, neque dum Roma es profectus, scribas ad me uelim, et hercule si quid aliud. uehementer delector tuis litteris. Vale.*

EXPLA-

EXPLANATIO

ITA *ne uero &c.* } haec cum indignatione sunt scripta. Ideo ne, inquit, Brutus Caesarem occidit, ut deinde Lanuuij esset? ut in urbe tuto esse non posset? ut Trebonius quasi fugiens in prouinciam occulte proficisceretur? PROVINCIAM? } Asiam. CLAMARE } me. VOCARI? } uocandum senatum esse in Capitolium a Bruto & Cassio praetoribus illo ipso die, quo a Caesaris nece in Capitolium se receperunt. quod si fecissent; tum quidem, laetantibus omnibus bonis, fractis & perterrefactis perditis hominibus, facile fuit ea decernere pro statu reipublicae, quae nunc minime licet, audientibus latronibus quod ausi tum non essent. VOCARI } uocandum esse, uocari debere. & est figura, quae properationem significat: ut hoc loco: nam dixit, Illo ipso primo Capitolino die. Brutus autem & Cassius magnam occasionem amiserunt, cum primo Capitolino die senatum in Capitolium non uocarunt. itaque & infra epist. 14. reprehendit Cicero sessionem illam, idest moram Capitolinam. Et ep. 12. Dicebam, senatum uocari oportuisse, populum ardentem studio uehementius incitari, totam suscipere remp. LIBERALIA } quo die factum est S.C. de praemijs ueteranorum, (epist. 14.) multaq. alia in aede Telluris decreta. Philippic. 1. IAMPRIDEM } & hic moram illam Capitolinam carpit. CAVSSAM } libertatis, & reip. FVNERE *elatus* } perspicuum est, Caesarem intelligi. etiam epist. 14. Recordare, inquit, tua. non ne meministi clamare te, omnia perijsse, si ille funere elatus esset? sapienter id quidem: itaque, ex eo quae manarint, uides. Scribit Suetonius, animum fuisse coniuratis occisi corpus in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere; sed metu Antonij consulis, & magistri equitum Lepidi destitisse. & Plutarchus Bruti consilium reprehendit, qui Antonio, roganti ut Caesar funere efferretur, concesserit, Cassio contradicente. nam Antonius cum eum miserabiliter laudaret, explicata ueste cruenta, & ictibus perforata, ita populum commouit, ut cum facibus ad tecta cõiuratorum accurrerit: unde illud in 2 Philippica: Tu funeri tyranni sceleratissime praefuisti: tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio: tu, tu illas faces incendisti, & eas, quibus semiustulatus ille est, & eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagrauit. NOSTRA } bonorum uirorum. nam re uera tantummodo ad coniuratorum domus cum facibus plebs cucurrit. QVAE *deinde?* } quae deinde sunt consecuta? eiusmodi, ut audeant dicere; Caesar hoc cogitauit; nemo igitur contra. tale illud in epistola ad Cassium: Interfecto rege, regios omnes nutus tuemur. AVDEANT } homines perditi, & libertatis inimici. γῆν πρὸ γῆς *cogito* } nõ Graeciam, sed longinquam & uagam peregrinationem animo spectat, ut de loco semper in locum proximũ transeat, sicuti illa apud Aeschylum Io; quae percita oestro, huc illud uaga ferebatur. satis enim mihi certum est, ad illud Aeschyli Ciceronem respexisse:

οἰστρόπληξ δ' ἐγὼ
μαστιγι θεία γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι.

est enim ei, praesertim in his epistolis ad Atticum, familiare in primis atque usitatum, duo uel tria uerba, ex aliquo uetere poeta suam ad sententiam transferre; qui, ne non intelligeret Atticus, homo admodum in Graeca lingua exercitatus, apprimeq. sciens, minime uerebatur. Atque hunc ipsum, quem recitaui, locum Aeschyli uidetur imitatus Alciphro in ea epistola, quam Leontis meretriculae nomine ad Lamiam scripsit. φεύξομαι inquit, γῆν πρὸ γῆς. ὑπηνέμιος *nausea* } quae, quasi sub uento exposita, haud diuturna solet esse. epist. 51. lib. 13. THEBASSOS, *Scaeuas, Frangones,* } nomina ueteranorum qui ex Caesaris largitione Pompeianorum bona possidebant. Cassium quidem Scaeuam centurionem, insigni fortitudine uirum, nominat Plutarchus in Caesare, & Florus libro 4. & dixit, Redeo, non quia Thebassi, aut Scaeuae, aut Frangonis supra mentionem fecerit: sed, Redeo, ad eos, quibus tranquilla resp. non placet. Frangones, autem lego, ex Tertij libro: ut a Frango nomen deriuetur; & quia puto esse, quem Dio libro 48. C. Fuficium Frangonem uocat, cui regendam Africam cum Numidia Octauianus dedit. antiqui libri, Francones. ILLA } agros a Caesare donatos. cupiunt igitur omnia misceri. ISTI } maxime designat Antonium, qui erat consul. DE *Curtilio &c.* } cum scripsi, indignum esse, quod Sextilij fundum Curtilius Verbero possideret; significaui etiam de fundo Censorini, de Messallae, de Planci, de Postumij; quorum fundos Caesariani, a Caesare donatos, possiderent. CENSORINO } opinor esse, quem Antonius, in Asiam proficiscens, Graeciae praefecit Plutarchus. MESSALLA } contra ueteres libros opinor legendum esse, Mustela. nam neque mutatio magna fit; & inter Antonij sodales Mustelam, non Messallam, inuenio. Primum hic epistola x. lib. xvi. Anagnini, inquit, sunt, Mustela ταξιάρχης, & Laco, qui plurimum bibit. Et Philipp. 11. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte? ut Mustelae Tamisio, & Tironi Numisio uideris. Et in eadem post: Inter omnes constabat, neminem esse resalutatum, praesertim cum duos secum Anagninos haberet. Mustelam, & Laconẽ: quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum. Et Philip. xii. Nolite Tirones quidem Numisios, & Mustelas, Saxas ne contemnere. Et xiii. Tironem, Mustelam, Pettissium. POSTVMIVS.} ep. 12. lib. 6. fam. QVOD *numquam accidisset* } ut, interfecto tyranno, melius fuerit perire, quam superesse. IN *Cumano* } eodem die Balbus in Cumanũ ad me uenit. dicebat, Octauium hereditatem Caesaris aditurũ. ῥῆξιν μὴ } subintellige, futuram constat. ῥῆξιν autem magnam concertationem. & sane inter Octauium & Antonium graues discordiae propter Caesaris hereditatem consecutae; cum Antonius omnem pecuniam auertisset. BVTHROTIA *mihi tua res* } Buthrotij cum pecuniam imperatã non soluerent, Caesar eorum agrũ proscripsit. Atticus, qui ciuitatem conseruatã cuperet, pecuniam numerauit de suo;

& a Caesare decretum abstulit, quo Buthrotij liberabantur. illud decretum Atticus interfecto Caesare cum a consulibus confirmari uellet, quibus & senatusconsultum, & lex cognitionem dabat earum rerũ, quas Caesar statuisset, decreuisset, egisset: Ciceronis in ea re tum gratia, tum auctoritate utebatur. ep. 14. huius lib. & 15. lib. 16. IAM *ne ad centena Cluuianum* : } subaudi, perducatur. nam in epistola quae sequitur proxima: De Cluuiano, res ad centena perducitur. &, ut dicam quod sentio, libētius ita legerem, Quod quaeris, iam ne ad centena Cluuianum: aduentare uidetur: sed primo anno LXXX detersimus. ut sensus hic sit: Quod scire uis, num ego hic Cluuiana bona ita cōstituerim, ut ex ijs posthac centena HS quotannnis capere possim: breui futurum spero, ut ita sit: & hoc ipso anno, quo Cluuianam hereditatē adiui, LXXX HS cepi. CENTENA } centum HS in singulos annos: ut in libello Paradoxorum: Capit ille ex suis praedijs sexcenta HS, ego centena ex meis. CLVVIANVM } Cluuiana res, quam ex hereditate Cluuij acceperat. ep. 39. lib. 13. ADVENTARE } ad centena, ad fructum centenorum sestertiorum. DETERSIMVS } cepimus: sed uenustius, pertersimus, quam, cepimus. ILLE *autem* } Quinctus filius.

Cicero S. D. Attico. 11.

NVDIVS tertius dedi ad te epistolam longiorem: nunc ad ea, quae proxime. Velim mehercule, Asturae Brutus. Ἀκολασίαν istorum scribis. an censebas aliter? equidē ēt maiora exspecto. cum equidem concionem lego, De tanto uiro, de clarissimo ciue, ferre non queo etsi ista iam ad risum. sed memento: sic alitur consuetudo perditarum concionum: ut nostri illi, non heroes, sed dij, futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine periculo quidem. uerum illis magna consolatio conscietia maximi, & clarissimi facti nobis quae? qui, interfecto rege, liberi non sumus. sed haec fortuna uiderit, quoniam ratio non gubernat, De Cicerone, quae scribis, iucunda mihi sunt: uelim, sint prospera. quod uero curae tibi est, ut ei suppeditetur ad usum, & cultum copiose; per mihi gratum est; idq. ut facias, te etiam rogo. De Buthrotijs, & tu recte cogitas, & ego nō dimitto istam curam: suscipiam omnem etiam actionem: quā uideo quotidie faciliorem. De Cluuiano, quoniam in re mea me ipsum diligentia uincis, res ad centena perducitur. ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an iam fructuosiorem. Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa, modo uenit Octauius, & quidem in proximam uillam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me: cras mane uadit. Vale.

EXPLANATIO

QVAE *proxime.* } quae mihi proximis litteris significasti. VELLEM *mehercule* } Atticus scripserat, Brutum Asturae futurum. ISTORVM } Caesarianorum: qui non contenti S.C. quod in eam sententiam factum est, ut, quae Caesar egit, statuit, decreuit, fixa sint, maiorem ad licentiam progrediuntur. DE *tanto uiro, de clarissimo ciue* } uerba sunt ex Antonij concione, quibus Caesarem appellauerat. ep. 20. lib. 15. AD *risum* } significat, se, a philosophia confirmatum humana contemnere, ut ea, quae accidunt, etsi non ferenda, iam tamen paene rideat. NOSTRI *illi* } qui tyrannum occiderunt. DE *Cicerone,* } filio, qui Athenis dabat operam philosophiae. VELIM *sint prospera* } optat eam remp. filio, in qua uirtutis percipere fructus possit. ME *ipsum diligentia uincis* } hoc dicit, quia litteris identidem Atticus quaerebat. num ita rem Cluuianam constituisset, ut uectigal inde possit capere cētum sestertiorum in singulos annos. ep. 10. RVINA } duae tabernae corruerant Cluuiana re. REM *non fecit deteriorem* } non imminuit uectigal, quod antea capiebam, potius auxit. eas enim ita rursus aedifico, ut hoc dānum quaestuosū sit. ep. 9. HIC } Puteolis. nam de bonis Cluuianis mentionem fecit: & in epistola sequenti dicit se scripsisse apud Vestorium Puteolanum. utramq. autem eodem in loco scriptam esse, patet ex Octauij mentione. PHILIPPI } uitrici. MIHI *totus deditus* } Octauius enim Antonio inimicus, quia ex Caesaris hereditate grandem pecuniā auerterat, suadentibus maxime uitrico Philippo, & Marcello sororis uiro, ad Ciceronem se contulit, seq. ei & suam caussam commendauit, id spectans, ut propter eius gratiam & auctoritatem, a senatu contra Antonium iuuaretur. historici omnes.

Cicero S. D. Attico. 12.

O MI Attice, uereor, ne nobis idus Martiae nihil dederint praeter laetitiam, & odij poenam, ac doloris. quae mihi istinc afferuntur? quae hic uideo? ὢ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam iudicem. multa illis Caesar, neque me inuito. etsi Latinitas erat non ferenda: uerumtamen. ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, uiuo illo, mentio nulla. Quid? Deiotari nostri caussa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fuluiam. sexcenta similia. uerum illuc refero, tam claram, tamque testatam rem, tamq. iustam Buthrotiam non tenebimus aliqua ex parte? & eo quidem magis, quo ista plura. Nobiscum hic perhonorifice, & amice Octauius: quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non: itaque ne nos quidem: quem nego posse bonum ciuem: ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem

tem

tem miniantur. negant haec ferri posse. quid censes, cũ Romam puer uenerit, ubi nostri liberatores tuti esse nõ possunt? qui quidem semper erunt clari, conscientia uero facti sui etiam beati: sed nos, nisi me falli, iacebimus. itaque exire aueo, ubi nec Pelopidarum, inquit. haud amo uel hos designatos; qui etiam declamare me coegerunt; ut ne apud aquas quidem acquiescere liceret. sed hec meae nimiae facilitatis. nam id erat quondam quasi necesse: nunc, quoquo modo se res habet, non est item, quam dudum. Nihil habeo, quod ad te scribam: scribo tamen, non ut delecter meis litteris, sed ut eliciã tuas. tu, si quid erit de ceteris, de Bruto utique quidquid. Haec conscripsi x. Kalend. accubans apud Vestorium, hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum.

EXPLANATIO

PRAETER *laetitiam* } interitus tyranni praeter laetitiam nihil attulit; siquidem libertatem non recuperauimus. ODII *poenam, ac doloris* } punire odium, ac dolorem, est, odio ac dolori satisfacere. Nostrum igitur dolorem & indignationem, nostrumq. in Caesarem odium puniuimus nos quidem illius interitu, sed remp. tamen in libertatem minime uindicauimus. pro Milone: Fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui. & de orat. lib. 1. Iracundia est cupiditas puniendi doloris. ὦ πράξεως &c. } o pulchrũ facinus, sed imperfectum. Ideo autem imperfectum, quia suum ius resp. non recuperauerat. mortem. n. Caesaris significat, cum dicit, ὦ πράξεως καλῆς. CLIENTELAM } Siculi Ciceronis erant in clientela, eorumq. caussa C. Verrem accusauerat, cum quaestor apud eos fuisset praetore Sex. Peducaeo. LATINITAS } aliud est, habere ius Latij: aliud, ciuitatem Romanam. Caesar Siculos, non ciuitate Romana, sed Latinitate, donauit: quod ipsum uix ferendum Ciceroni uidebatur: Antonius post etiam ciuitatem dedit: quod grauissimum, nec ullo modo ferendum, Cicero significat. ACCEPTA. } a Siculis. FIXIT *legem* } de Siculis ciuitate donanda: cuius rei neque mentionem ullam Caesar fecerat; &, si fecisset, figere tamen neque de ea re, neque de alia legem ullam licebat: cum S. C. esset factum, ne qua tabula post idus Martias ullius decreti Caesaris, aut beneficij figeretur. Philippica I. & II. FIXIT } quia incisae in aereis tabulis leges affigebantur parietibus, ut inquit Seruius ad illud Virgilianum: Fixit leges pretio, atque refixit. quo etiam loco Virgilium credit ad M. Antonium respexisse. Et Philippica I. De exsulio reducti sunt a mortuo: ciuitas data non solum singulis, sed etiam nationibus, & prouincijs uniuersis. Item V. Falsas leges, C. Caesaris nomine, in aes incidendas, & in Capitolio figendas curauit. A DICTATORE *comitijs latam* } impudens Antonij mendacium. nam Caesar non modo legem comitijs nõ tulerat de ciuitate Siculis danda, sed nec mentionem eius rei ullam fecerat. quoniam autem Caesaris acta senatus rata esse uoluerat; Antonius, ut ostenderet legem esse Caesaris, non suam, incidit in tabula eam legem, & fixit, ut a dictatore, & comitijs latam, id est, ut iure latam, & a dictatore, & comitijs. NON *similis?* } ostendit, & Siculos esse bonos uiros, & Deiotarum omni regno dignum: sibi tamen non placere, ut hic regnum a Fuluia, illi ciuitatem ab Antonio pecunia emerent. de Armenia minore a Caesare mortuo adempta, mox, Caesare mortuo, per Antonium, quasi e Caesaris commentarijs, restituta. Philippica II. & Hirtius libro quarto. de bel. Alex. PER *Fuluiam* } Fuluiam antea P. Clodij coniugem, quem Milo interfecit, M. Antonius uxorem duxit, Antonia repudiata, C. Antonij filia. Et Antonio cum Fuluia ante nuptias consuetudinem fuisse, indicat illud in Philippica II. Vxorem tuam, & sororem eiecisti, alia condicione quaesita, & ante perspecta. PER *Fuluiam* } ad hoc spectauit in V. Philipp. cum dixit, Mulier sibi felicior, quam uiro, auctionem prouinciarum, regnorumq. faciebat. ILLVC *refero.* } haec ideo dico, ut ostendam; cum haec de Siculis & Deiotaro fiant, quae sunt iniquissima; rem fore non ferendam, si nos tam testatam rem, tamq. iustam Buthrotiam non teneamus. Quae nam autem res esset Buthrotia, supra diximus, ad illud, Buthrotia mihi tua res est, ut debet, eritq. curae, epist. 10. TAM *claram, tamq. testatam* } nam eam Caesar decreto concesserat, non ut de Siculis, aut de Deiotaro, de quibus non modo decretum, sed nec mentionem ullam fecerat. ALIQVA *ex parte?* } quasi dicat, omnia tentabimus, ut teneamus. aut, aliqua saltem ex parte, si non omnino, non tenebimus? QVO *ista plura* } quo plura ista sunt, quae ab Antonio tam improbe fiunt; eo magis obtinere debebimus Buthrotiam rem, quae & iusta est, & iam ab ipso Caesare concessa. PHILIPPVS } uitricus Octauij. NON: } quia, lege curiata de eius adoptione nondum lata, quam postea tulit Octauianus ipse consul, cognomen Caesaris iure sibi adsciscere non poterat. Dio l. 41. POSSE *bonum ciuem* } esse. NOSTRIS } liberatoribus reip. Cassio, Bruto, & alijs. NEGAT *haec ferri posse* } quae fiunt ab Antonio, ut de Siculis, de Deiotaro. QVID *censes &c.* } si absens irascitur Antonio; multo grauius, cum Romae erit. uidebit enim ea, quae nunc, cum audit, ferre non potest. Nos *(nisi me fallit) iacebimus* } dicit, quod supra ep. 5. Illi quoquo modo beati, ciuitas misera. & epist. XI. Illis magna consolatio conscientia maximi & clarissimi facti: nobis quae? qui, interfecto rege, liberi non sumus. Et epist. 14. Idus Martiae nostris amicis, diuinis uiris, aditum ad caelum dederunt, libertatem populo Rom. nõ dederunt. NEC *Pelopidarum* } locus ex Attij tragoedia, quae inscribitur Atreus. eum locum recitauit integrum epist. 12. lib. 15. & item in epistola ad Curium: Euolare cupio, & aliquo peruenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Et ad eundẽ, non integro uersu: Quod tu pedibus ex consecutus, ut ibi esses, ubi nec Pelopidarum; nosti cetera; nos idem propemodum consequimur alia ratione.

Huc

Huc etiam ſpectauit Philippica XIII. cum dixit: Moueri ſedibus, huic urbi melius eſt, atque in alias, ſi fieri poſſit, terras dimigrare, unde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat; quam illos, Cęſaris uirtute eiectos, Bruti retentos, intra haec moenia uidere. Et Pelopidae *μεταφορικῶς* uocantur, homines, qui res turpes honeſtis anteponunt: qualis erat M. Antonius. INQVIS } Attius. VEL *hos deſignatos* } ne Hirtiũ quidem & Panſam, conſules deſignatos, amo: quamquã ipſi me amare uideantur, epiſt. 9. & XI. ETIAM *me declamare coegerunt* } ideo epiſt. 22. ſuum diſcipulum appellat Hirtium. APVD *aquas* } Baianas: quo ſe non ſolum ualetudinis, ſed etiam uoluptatis cauſſa permulti conferebant. Baianus enim ſinus amoenitate praecellit: unde illud Horatianum: Nullus in orbe locus Baijs praelucet amoenis. ERAT *quondam quaſi neceſſe* } quia, cum Caeſar uiueret, ſatisfacerem neceſſe erat & Hirtio, & Panſae, & ceteris, qui apud illum gratia multum poterant. nunc meae facilitatis eſt, quod ijs rogantibus concedo ut declamẽ. QVOQVO *modo ſe res habet* } quoquo in ſtatu reſp. eſt, nõ tamen ſeruimus, ut antea: itaque declamem, nec ne, poſitum in me eſt: ſed declamo tamen propter meam nimiam facilitatem. IN *arithmeticis* } in ſciẽtia numerandi. & hoc ſignificat, deditum pecuniae magis, quam litteris, Veſtorium.

Cicero S. D. Attico. 13.

SEPTIMO denique die litterae mihi redditae ſunt, quae erat a te XIII. kal. datae: quibus quaeris, atque etiam me ipſum neſcire arbitraris, utrum magis tumulis proſpectuque, an ambulatione ἀλιτενεῖ delecter. eſt mehercule, ut dicis, utriuſque loci tanta amoenitas, ut dubitem, utra anteponenda ſit.

ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν,
Αλλὰ λίην μέγα πῆμα διοτρεφὲς εἰσορόωντες
Δεί διμεν· ἐν δοίῃ δὲ σαώσεμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

quamuis enim tu magna, & mihi iucunda ſcripſeris de D. Bruti aduentu ad ſuas legiones; in quo ſpem maximam uideo: tamen, ſi eſt bellum ciuile futurum, quod certe erit, ſi Sextus in armis permanebit, quem permanſurum eſſe certo ſcio; quid nobis faciendum eſt, ignoro. neque enim iam licebit, quod Caeſaris bello licuit, neque huc, neque illuc. quemcumque enim haec pars perditorum laetatum morte Caeſaris putabit, (laetitiam autem apertiſſime tulimus omnes) hunc in hoſtium numero habebit. quae res ad caedem maximam ſpectat. reſtat, ut in caſtr. Sexti, aut, ſi forte. Bruti nos conferamus. res odioſa, & aliena noſtris aetatibus, & incerto exitu belli: & neſcio quo pacto tibi ego poſſim, mihi tu dicere:

Τέκνον ἐμὸν οὔτοι δέδοται πολεμήια ἔργα,
Αλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

ſed haec fors uiderit, ea, quae talibus in rebus plus, quam ratio, poteſt. nos autem id uideamus, quod in nobis ipſis eſſe debet, ut, quidquid acciderit, fortiter, & ſapienter feramus, & accidiſſe hominibus meminerimus; noſq. cum multum litterae, tum non minimũ idus quoque Martiae conſolentur. Suſcipe nunc meam deliberationem, qua ſollicitor. ita multa ueniunt in mentem in utramque partem. Proficiſcor, ut conſtitueram, legatus in Graeciam: caedis impendentis periculum non nihil uitare uideor, ſed cauſurus in aliquam uituperationem, quod reip. defuerim tam graui tempore. ſin autem manſero: equidem uideo in diſcrimine, ſed accidere poſſe ſuſpicor, ut prodeſſe poſſim reip. Iam illa conſilia priuata ſunt, quod ſentio ualde eſſe utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc uenire. nec alia cauſſa profectionis mihi ulla fuit, cum conſilium cepi legari ab Caeſare. tota igitur hac de re, ut ſoles, ſi quid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nunc ad epiſtolam tuam. ſcribis enim eſſe rumores, me, ad lacum quod habeo, uenditurum, minuſculam uero uillam utique Quincto traditurũ, uel impenſo pretioſo, quo introducatur, ut tibi Quinctus F. dixerit, dotata Aquillia. ego uero de uenditione nihil cogito, niſi quid, quod magis me delectet, inuenero. Quinctus autem de emendo nihil curat hoc tempore: ſatis enim torquetur debitione dotis: in qua mirificas Q. Egnatio gratias agit: a ducenda autem uxore ſic abhorret, ut quidquam libero lectulo neget eſſet iucundius. Sed haec quoque hactenus. redeo enim ad miſeram, ſeu nullam potius remp. M. Antonius ad me ſcripſit de reſtitutione Sex. Clodij: quam honorifice, quod ad me attinet, ex ipſius litteris cognoſces: miſi enim tibi exemplum; quam diſſolute, quam turpiter, quamq. pernicioſe, ut non numquam Caeſar deſiderandus eſſe uideatur, facile exiſtimabis. quae enim Caeſar numquam neque feciſſet, neque paſſus eſſet, ea nunc ex falſis eius commentarijs proferuntur. ego autem Antonio facillimum me praebui et enim ille, quoniam ſemel induxit animum, ſibi licere quod uellet, feciſſet nihilo minus me inuito. itaque mearum quoque litterarũ miſi tibi exemplum. Antonius conſul S. D. Ciceroni. Occupationibus eſt factum meis, & ſubita tua profectione, ne tecum coram de hac re agerem. quam ob cauſſam uereor, ne abſentia mea leuior ſit apud te. quod ſi bonitas tua reſponderit iudicio meo, quod ſemper habui de te; gaudebo. A Caeſare petij, ut Sex. Clodium reſtitueret: impetraui. erat mihi in animo etiam tum ſic uti beneficio eius, ſi tu conceſſiſſes. quo magis laboro, ut tua uoluntate id per me facere nunc liceat. quod ſi duriorem te eius miſerae, & afflictae fortunae praebes; non contendam ego aduerſus te. quamquam uideor debere tueri commenſarium Caeſaris. ſed mehercule, ſi humaniter, & ſapienter, & amabiliter in me cogitare uis, facilem te profecto praebebis, & uoles P. Clodium, in optima ſpe puerum repoſitum, exiſtimare, non te inſectatum eſſe, cum potueris, amicos paternos. patere, obſecro te, pro rep. uideri geſſiſſe ſimultatẽ cum patre eius: non contempſeris hanc familiam. honeſtius enim, & libentius deponimus inimicitias reip. nomine ſuſceptas, quam contumaciae. Me deinde ſine ad hanc opinionem iam nunc dirigere puerum, & tenero animo eius perſuadere, non eſſe tradendas poſteris inimicitias. quamquam, tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abeſſe, certum habeo: tamen arbitror malle te quietam ſenectutem, & honorificam potius agere, quam ſollicitam. Poſtremo, meo iure te hoc beneficium rogo. nihil enim non tua cauſſa feci. Quod ſi non impetro, per me Clodio daturus non ſum: ut intelligas, quanti apud me auctori-

tas tua sit, atque eo te placabiliorem praebeas. Vale. Cicero Antonio cos. S. Quod mecum per litteras agis, unā ob caussam mallē coram egisses. non. n. solum ex oratione, sed ēt ex uultu, & oculis, et fronte, ut aiunt, meū erga te amorem perspicere potuisses. nam cum te semper amaui, primum tuo studio, post etiam beneficio prouocatus: tum his temporibus resp. te mihi ita commendauit, ut cariorem habeam neminem. litterae uero tuae, tum amantissime, tum honorificentissime scriptae, sic me affecerunt, ut non dare tibi benefit. um uiderer, sed accipere a te ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum, me inuito seruare nolles, cum id nullo negotio facere posses. Ego uero tibi istuc, mi Antoni, remitto, atque ita, ut me a te, cum his uerbis scripseris, liberalissime, atque honorificentissime tractatum existimē. idq. cum totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati, & naturae meae. nihil enim umquam nō modo acerbū in me fuit, sed ne paullo quidem tristius, aut seuerius, quam necessitas reip. postulauit. Accedit, ut ne in ipsum quidem Clodium meū insigne odium fuerit umquam: semperq. ita statui, non esse insectandos inimicorum amicos, praesertim humiliores, nec his praesidijs nosmet ipsos esse spoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes esse arbitror, ut eius animum tenerum, quemadmodum scribis, his opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias residere in familijs nostris arbitretur. contendi cum P. Clodio, cum ego publicam caussam, ille suam defenderet. nostras contentiones resp. dijudicauit. si uiueret, mihi cum illo nulla contentio iam maneret. Quare, quoniam hoc a me sic petis, ut, quae tua potestas est, ea neges te me inuito usurum; puero quoque hoc a me dabis, si tibi uidebitur: non quo aut aetas nostra ab illius aetate quidquam debeat periculi suspicari, aut dignitas mea ullam contētionem extimescat: sed ut nosmet ipsi inter nos coniunctiores simus, quam adhuc fuimus. interpellantibus enim his inimicitijs, animus tuus mihi magis patuit, quam domus. Sed haec hactenus: illud extremum. ego, quae te uelle, quaeq. ad te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam. hoc uelim tibi penitus persuadeas.

EXPLANATIO

SEPTIMO } principium epistolae. AMBVLATIONE ἀλυπὴν } locis humilioribus. ἀλλ' οὐ δ' αὐτὸν &c. } Vlysses apud Homerum legatus ab Agamemnone ad Achillem, ut iratum illi placaret propter abreptam Briseida, acceptus ab Achille magno & splendido epulatum apparatu, pronunciat hos uersus Il. x. quos Cicero aptissime usurpat, ut significet, non se nūc de tumulis, aut de ambulatione ἀλυπὴν cogitare, sed de reip. salute solicitum esse. ADVENTV } in Galliam citeriorem. SVAS legiones } tres, unam tironum, ueteranas duas. Appianus lib. 3. SEXTVS } permanebit. QVID nobis faciendum } non se tantum intelligit, sed etiam Atticum, ut patet epist. 12. NEQVE huc, neque illuc } licuit mihi Caesaris, & Pompeij bello neutram partem sequi. BRVTI } Decimi, qui tres legiones habebat. nam de Marco non est ut accipi possit, cui nullae erant copiae, circa Lanuuium aut Actium priuato comitatu uersanti. τέκνον ἐμὸν &c. } uerba sunt Iouis ad Venerem Ιλιάδος ε. sed, quod Homerus de rebus amatorijs dixit, γάμοιο, Cicero, ut inseruiret senili personae, dixit λόγοιο. senum enim opera sunt sermones. PROFICISCOR } non affirmat, sed deliberat. si proficiscor, ait, ut constitueram, legatus in Graeciam; caedis impendentis periculum nonnihil uitare uideor, sed casurus &c. CAEDIS impendentis } idem epist. XI. lib. 4. LEGATVS } legatione libera. IN discrimine } si maneo, uideo me in discrimine manere. ILLVC } in Graeciam. nam Cicero filius Athenis philosophiae studium colebat, Cratippo magistro. ep. 16. & libro 1. de officijs. LEGARI ab Caesare } nam etiam uiuo Caesare liberam legationem ab eo cogitauerat, hanc unam ob caussam, ut in Graeciam filij caussa proficisceretur. QVINCTO } fratri. IMPENSO pretio } magno: ut apud Caesarem lib. 4. Gal. b. Iumenta impenso parauit pretio. Et Suetonius in Tiberio: Coactus est, tam suis, quam matris impensissimis precibus reditum expostulare. QVO introducatur } ut Aquiliae, de cuius nuptijs patrem suum cogitare Quinctus filius Attico dixerat, ea ulla dotis cautio sit DEBITIONE dotis } satis habet negotij reddēda tibi dote. facto enim diuortio cum Pomponia, Attici sorore, dotem reddere Q. Cicero cogebatur. Q. EGNATIO } qui pecuniam fortasse ad solutionem dotis obtulerat. SEX Clodij } qui exsulabat, condemnatus, quod eo duce populus in curiam P. Clodij corpus intulisset, cremassetq. subsellijs, & mensis, & codicibus librariorum: quo igne & ipsa curia, & curiae iuncta Porcia basilica flagrauerat: Pedianus in argumento Milonianae, & in extremo eiusdem orationis commentario. FALSIS } nam in commentarijs Caesaris delebat, & reponebat Antonius arbitratu suo; cum in eo Q. Faberij manu, scribae Caesaris, uteretur. Appianus libro III. DEBERE tueri commentarios Caesaris. } quia senatus decreuerat, ut, quae Caesar egisset, decreuisset, statuisset, rata manerent. sed Antonius, cum haberet penes se Caesaris commentarios, abutentes facilitate senatus, addebat, tollebat, mutabat ad arbitrium, & libidinem suam. P. CLODIVM } Antonij priuignum, P. Clodij filium, quo cum inimicitias Cicero grauissimas gesserat: priuignum autem, quia Fuluiam eius matrem Antonius duxerat uxorem. IN optima spe puerum repositum } spem fefellit, non solum amori meretricis uulgatissimae turpiter deditus, uerum etiam erubescēdo mortis genere consumptus. abdomine enim auide deuorato, foedae ac sordidae intemperātiae spiritum reddidit. Val. l. 3. c. 5. HANC familiam } Claudiam. CONTVMACIAE } priuati odij. NEC his praesidijs nos met ipsos esse spoliandos. } nam, si insectaremur amicos inimicorum nostrorum, spoliaremus ipsi nos omni amicorum praesidio. nemo enim amicis abundaret, si acerbiores uellemus esse non modo aduersus inimicos, sed etiam aduersus eos, qui nostris essent inimicis amicitia coniuncti. TVAS partes } qui uitricus

illi

illi es. PVERO *quoque hoc a me dabis* } puero dices, mihi placere Sex Clodij restitutionem; quod omnem ueterum inimicitiarum memoriam ex animo deleuerim. QVAM *domus* } propter Fuluiam Antonij coniugem, quae P. Clodij prius uxor fuerat.

Cicero S. D. Attico 14.

ITERA dum eadem ista mihi. coronatus Quinctus noster Parilibus? Parilibus solus ne? etsi addis Lamiā: quod demiror equidem: sed scire cupio, qui fuerint alij: quamquam satis scio, nisi improbum neminem. explanabis igitur hoc diligentius. ego autem casu cum dedissem ad te litteras VI. Kal. satis multis uerbis, tribus fere horis post accepi tuas, & magni quidem ponderis. itaque ioca tua plena facetiarū, de haeresi Vestoriana, & de Phteronum more Puteolano, risisse me satis, nihil est necesse rescribere. πολιτικώτερα illa uideamus. Ita Brutos, Cassiumq. defendis, quasi eos ego reprehendam: quos satis laudare non possum. rerum ego uitia collegi, non hominum. sublato enim tyranno, tyrannida manere uideo. nam quae ille facturus non fuit, ea fiūt, ut de Clodio: de quo mihi exploratum est, illum non modo non facturum, sed etiam ne passurum quidem fuisse. sequetur Rufio Vestorianus, Victor nunquā scriptus, ceteri, quis non? cui seruire ipsi non potuimus, eius libellis paremus. Nam Liberalibus quis potuit in senatum non uenire? fac id potuisse aliquo modo: num, etiam cū uenissemus, libere potuimus sententiam dicere? non ne omni ratione ueterani, qui armati aderant, cū praesidij nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? illam sessionē Capitolinam mihi non placuisse, tu testis es. quid ergo? culpa ista Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum Brutorum, qui se cautos, ac sapientes putant: quibus satis fuit, laetari; nonnullis, etiam gratulari; nullis, permanere. sed praeterita omittamus: istos omni cura, praesidioq. tueamur, &, quemadmodum tu praecipis, contenti idibus Mart. simus: quae quidem nostris amicis, diuinis uiris, aditum ad caelum dederunt, libertatē populo R. non dederunt. Recordare tuā. non ne meministi clamare te, omnia perisse, si ille funere elatus esset? sapienter id quidem: itaq. ex eo quae manarint, uides. Quae scribis Kalendis Iunij Antonium de prouincijs relaturum, ut & ipse Gallias habeat, & utrisque dies prorogetur: licebit ne decerni libere? si licuerit; libertatem esse recuperatam laetabor. si non licuerit; quid mihi attulerit ista domini mutatio praeter laetitiam, quam oculis cepi iusto interitu tyrāni? Rapinas scribis ad Opis fieri: quas nos quoque tum uidebamus. nae nos & liberati ab egregijs uiris, nec liberi sumus. ita laus illorum est, culpa nostra. & hortaris me, ut historias scribam: ut colligam tanta eorum scelera, a quibus etiam nunc obsidemur? potero ne eos ipsos non laudare, qui te obsignatorem adhibuerunt? nec me hercule me raudusculum mouet: sed homines beneuolos, qualescumque sunt, graue est insequi contumelia. sed de omnibus meis consilijs, ut scribis, existimo exploratius nos ad Kal. Iun. statuere posse: ad quas adero; & omni ope, atque opera enitar, adiuuāte me scilicet auctoritate tua, & gratia, & summa aequitate caussae, ut de Buthrotijs S. C. quale scribis, fiat. Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem. etsi tibi dederam superiore epistola cogitandum: tu autem, quasi iam recuperata rep. uicinis tuis Massiliensibus sua reddis. haec armis, quae quam firma habeamus, ignoro, restitui fortasse possunt, auctoritate non possunt. Vale.

EXPLANATIO

ITERA *dum* } sic in 2. Academica, & in II. Tusculana. CORONATVS *Quinctus noster Parilibus?* } puto Parilia illa significari, quae dedisse Octauium suo sumptu, ut populum muneribus caperet, scribit Dio lib. XLV. *Coronatus* } coronati enim cum tibiis & cymbalis Parilia celebrabant. Athenaeus IIX. δειπνοσοφιστῶν. QVINCTVS *noster.* } Quinctus filius, qui Parilia coronatus celebrauerat, ut amorem suum erga Caesarem etiam mortuum ostenderet: ut epist. 17. De coronatis. cum sororis tuae filius a patre accusatus esset; rescripsit, se coronam habuisse honoris Caesaris caussa posuisse luctus gratia: postremo se libenter uituperationem subire, quod amaret etiam mortuum Caesarem. DE *haeresi Vestoriana* } quia, cum ego ad te scripsissem, Vestorium a dialecticis remotum, in arithmeticis satis exercitatum } ipse eos, qui pecuniae studiosiores essent, quam doctrinae, haeresim Vestorianam appellasti. PHERIONVM } hoc uidetur cognomen familiae Puteolanae: quorum consuetudinem de qua scripserat Atticus, ualde se risisse Cicero significat. DE *Clodio:* } de Sex. Clodio: quem Antonius dicit se restituere ex commentariis Caesaris, cum Caesar non modo hoc non facturus, sed ne passurus quidem fuerit. SEQVETVR } restituetur & Rufio Vestorianus, & Victor; quem Caesar numquam in commentariis scripsit se uelle restitui: item ceteri, quos Antonius uoluerit: denique quis non restituetur? Quis hic Rufio sit, & cur Vestorianus dictus, ostēdimus ep. 2. lib. 5. NON *uenire?* } uenimus enim coacti ab Antonio consule. DEFENDENDI *fuerunt?* } hoc & in Philippica 1. & hic ep. 10. SESSIONEM } moram, & ignauiam. nam, sedere, quandoque ualet nihil agere, tempus otiose terere: ut epist. 43. lib. 12. Quid enim sedere totos dies in uilla ista? Et apud Terentium, ut opinor, Virginem tam grandem sedere domi? Reprehēdit Brutum, & Cassium, qui illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium non uocarint, sed otiosi tempus consumpserint. ep. 10. BRVTORVM? } Marci, & Decimi. uel Brutos posuit pro omnibus, qui patriam tyranno liberauerant. ALIORVM *Brutorum* } optimates intelligit. Et in uoce Brutorum amphibologiam quaesiuit. nam & hominum, & bestiarum inest significatio; cum tamen ad bestias potius Cicero respexerit. LAETAR. }

interitu

interitu tyranni. GRATVLARI} tyrannoctonis. NVLLIS, *permanere*} cum a bona mente, quam laetitia & gratulatione ostenderant, postea desciuerint. ISTOS} Brutum, Cassium, alios, qui Caesarem regnanté occiderunt. Ex *eo quae manarint*,} corpora tyrannorum abiici insepulta, leges iubebant: (Appianus lib. 3.) itaque non fuit concedendum, ut Caesar funere efferretur: concessum tamen est. ille fuit quasi fons omnium malorum: nam Antonius, cum Caesarem in funere laudaret, permiscuit quaedam ad misericordiam commouendam, ut populus ad coniuratorum domos cum facibus accurrerit; qui, perculsi metu, ex urbe aufugerunt. inde perturbatio reip. & immoderata Antonij licentia. epist. 10. *Vtrisque*: Galliis, cisalpinae, & transalpinae. Et sane Kalēdis Iuniis Antonius numerum annorum prouinciis prorogauit; ut in 2. Philippica. DIES} legitimum tempus. AD *Opis*} subintellige, aedem: usitata figura. Antonius Caesaris pecunias, in Opis templo positas, ad se trāstulit. unde illud in 11. Philippica: Vbi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? quonam modo sestertium quadringenties, quod idibus Martiis debuisti, ante Kal. Aprilis desijsti? Et in v. Illa dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est, per quam septies millies falsis perscriptionibus, donationibusq. auertit: ut portenti simile uideatur, tantam pecuniam populi R. tam breui tempore perire potuisse. Et in 1. Pecunia utinam ad aedē Opis maneret, cruenta quidem illa, sed his temporibus, cum ijs, quorum est, non redditur, necessaria. quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis eius fuit. Antonius enim, cum diceret in actis Caesaris esse, ut ea pecunia distribueretur: distribuit ex libidine sua quibus uoluit, & quantū uoluit: Dolabellamq. aere alieno oppressum, data ei grandi pecunia, quasi in actis Caesaris ita scriptum esset, in suas partes facile traduxit. EGREGIIS *uiris*} interfectoribus Caesaris. EORVM *scelera*,} libertatis inimicos, maximeque Caesarē significat. OBSIDEMVR?} quasi dicat: facerem cum periculo: nam liberi nondum sumus: etiā nūc dominos habemus. intelligit autem Antonium. &, OBSIDEMVR. μεταφορικῶς. nam, qui obsidentur, liberi non sunt: liberati autem, qui ex obsidione exempti. itaque in epistola ad D. Brutum, Cum te, inquit, inclu so spem maximam omnes habuissent in tua uirtute, florēte Antonio: quis erat qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec *me raudusculum mouet.*} laudare cogar eos qui te obsignatorem adhibuerunt; non propter raudusculum, id est propter pecuniam, (aes enim ueteres Raudum dicebant) quā mi hi debent: quod uerear, ne, si illos non laudauero, abalienati, pecuniā nō soluant: sed ideo laudabo, quod eos beneuolentia prosequor: beneuolos autem homines, qualescumque sunt, graue est insequi cōtumelia. Nec dubito, quin Dolabellam significet, amicum suum, eundemq. debitorem. nam infra, ep. 19. Tibi assentior, maiorem πρᾶξιν Dolabellae fore, si mihi, quod debuit, dissoluerit. & epi. 20. L. Antonij horribilis concio, Dolabellae praeclara. iam uel sibi habeat nummos, modo numeret idibus. Adhibuerat autem obsignatorem Atticum, opinor, in testamento faciendo. ep. 2. QVALESCVMQVE *sunt*} hoc dicit, quia Dolabellae mores non admodum probati, ut qui contra reip. partes a Caesare steterat. DE *Buthrotijs*} uide ep. 10. de Buthrotia re. VICINIS *tuis Massiliensibus*} quia Phocenses, a quibus Massilienses ortū ducebāt, finitimi Atticae regioni. Liuius lib. 5. & alij. SVA *reddis*} redditū iri putas a rep. quae illis Caesar ademerat, quia sibi portas clausissent, belli ciuilis initio. Antonius in epistola, quae legitur Philippica XIII. cū multa obiecit Hirtio, & Caesari, tum infert: Massiliensibus iure belli adempta redditures uos pollicemini. FORTASSE} dubius enim bellorum euentus.

Cicero S. D. Attico. 15.

EPISTOLA breuis, quae postea a te scripta est, sane mihi fuit iucunda, de Bruti ad Antonium, & de eiusdem ad te litteris. posse uidentur esse meliora, quam adhuc fuerinit: sed nobis, ubi simus, & quo iam nos conferamus, prouidendum est. o mirificum Dolabellam meum. iam enim dico meum, antea, crede mihi, subdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet: de saxo, in crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare. quid quaeris? heroica. sustulisse mihi uidetur simulationem desiderij, adhuc quae serpebat in dies; & inueterata, uerebar, ne periculosa nostris tyrannoctonis esset. nunc prorsus assentior tuis litteris, speroq. meliora. quamquam istos ferre non possum: qui, dum se pacem uelle simulant, acta nefaria defendunt. sed non possunt omnia simul. incipit res melius ire, quā putarā. nec uero discedam, nisi cum tu id me honeste putabis facere posse. Bruto certe meo nullo loco deero: idque, etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter eius singularem, incredibilemq. uirtutem. Piliae nostrae uillam totam, quaeq. in uilla sunt, trado, in Pompeianum ipse proficiscens, Kal. Mai. quam uelim Bruto persuadeas, ut Asturae sit. Vale.

EXPLANATIO

MELIORA.} de rep. MAGNAM ἀναθεώρησιν} magna administrauit, magna gessit Dolabella, administratio autem hac fuit. DE *saxo*} subaudi, praecipitare eos, qui Caesari columnā erexerant: & impunita quadam licentia grassantes, bonis ciuibus pericula intendebant. IN *crucem*} tollere. nam ex illa seditiosorum manu, qui liberi homines fuerunt, eos Dolabella de saxo Capitolino deiecit: seruos in crucem egit. COLVMNAM *tollere*} quam prope uiginti pedum lapidis Numidici, ut Suetonius tradit, de plebe homines perditi in foro statuerant, inscriptam CAESARI *parenti patriae. Locum illum*} ubi plebs bustum, & monumentum Caesari fecerat. Haec ex historia colliguntur: sed ipse aperte in 1. Philippica, his uerbis:

 Cum

Cum serperet in urbe infinitum malum, idq. manaret in dies latius, ijdemq. bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, & quotidie magis, magisq. perditi homines, cum sui similibus seruis, tectis ac templis urbis minitarentur: talis animaduersio fuit Dolabellae cum in audaces, sceleratosq. suos, tum in impuros & nefarios liberos, talisq. euersio illius exsecratae columnae, ut mirum mihi uideatur, tam ualde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse. Et in eadem: Quem potes recordari, Dolabella, in uita tibi illuxisse diem laetiorem, quam cum, expiato foro, dissipato concursu impiorū, principibus sceleris poena affectis, te domum recepisti. Et in 2. Qui dies ille, o Antoni collegae tui, cū illud, quod tu uenerari solebas, bustum in foro euertit? SIMVLATIONEM *desiderij*} dictio. Desiderij, refertur ad tyrannidem, & potentiam supra leges: hoc sensu; Videbatur antea desiderare tyrannidem Dolabella, qui reuera minime desideraret: nunc, cum tanto malo laborantē remp. sanauerit, prorsus, quae fuit in eo simulatio desiderij, eam sustulit. Ostendit enim, simulationem desiderij in Dolabella fuisse, desiderium non fuisse. ACTA *nefaria*} Caesaris. NON *possunt omnia simul*} explicari eodem tempore omnia non possunt: gradatim ad suum ius, suamq. dignitatem resp. perueniet. SI *mihi cum illo nihil fuisset*,} si nulla mihi cum eo consuetudo, aut amicitia fuisset. Locutio Ciceroni usitata. Mihi ante aedilitatem nihil erat cum Cornificio, inquit epist. 18. Et in epistola ad C. Marcellum: Si mihi tecū minus esset, quā est cum tuis omnibus, allegatem ad te illos, a quibus intelligis me praecipue diligi. Et ep. 1. lib. 13. fam. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt.

Cicero S. D. Attico. 16.

VNON. *conscendens ab hortis Cluuianis in phaselum epicopum has dedi litteras, cum Piliae nostrae uillam ad Lucrinum, uillicosq. procuratores tradidissem; ipse autem eo die in Paeti nostri tyrotarichum imminebam, perpaucis diebus in Pompeianum, post in haec Puteolana, & Cumana regna renauigare. o loca ceteroqui ualde expetenda, interpellantium autem multitudine paene fugienda. Sed ad rem ut ueniā, ǫ Dolabellae nostri magnam ἀριστείαν. quāta est ἀναθεώρησις. equidem laudare eum, & hortari non desisto. recte tu omnibus epistolis significas, quid de re, quid de uiro sentis. mihi quidem uidetur Brutus noster iam uel coronam auream per forum ferre posse. quis enim audeat uiolare, proposita cruce, uel saxo? praesertim tātis plausibus, tanta approbatione infimorum? Nunc, mi Attice, me fac ut expedias. cupio, cum Bruto nostro affatim satisfecerim, excurrere in Graeciam. magni interest Ciceronis, uel mea potius, uel mehercule utriusque, me interuenire discenti. nam epistola Leonidae, quam ad me misisti, quid habet, quaeso, in quo magno pere laetemur? numquam illa mihi satis laudari uidebitur, cum ita laudabitur,* QVO MODO NVNC EST. *nō est fidentis hoc testimonium, sed potius timentis. Herodi autem mādaram, ut mihi κατὰ μίτον scriberet, a quo adhuc nulla littera est. uereor, ne nihil habuerit, quod mihi, cum cognossem, iucundum putaret fore.*

Quod ad Xenonem scripsisti, ualde mihi gratum est. nihil enim deesse Ciceroni, tum ad officium, tum ad existimationem meam pertinet.

Flammam Flaminium audio Romae esse. ad eum scripsi, me tibi mandasse per litteras, ut de Montani negotio cum eo loquerere. & uelim cures epistolam, quam ad eum misi, reddēdam, & ipse, quod commodo tuo fiat, cum eo colloquare. puto, si quid in homine pudoris est, praestaturum eum, ne pro se quodam modo depēdatur. De Attica pergratum mihi fecisti, quod curasti, ante scirem recte esse, quam non belle fuisse. Vale.

EXPLANATIO

CLAVIANIS} in agro Puteolano: ex hereditate C. Cluuij Puteolani. EPICOPVM} remigabilem, ut ita dicam; idest, qui iam in eo erat, ut remis impelleretur. TRADIDISSEM} ut & uilla, & uillicis procuratoribus uteretur, tamquam suis. TYROTARICHVM} patinam tyrotarichi, qua me Papirius Paetus accipere solitus est. In epistola ad Paetum: Quem tu mihi Pompilium, quem denarium narras? quam tyrotarichi patinam? facilitate mea ista ferebantur antea: nunc mutata res est. Est autem Tyrotarichus, caseus sale conditus. IN *Pompeianum*} rediturus. ibi enim eum fuisse v. Kal. Maij. patet ex insequenti epistola. haec autem scripta est v. nonis Maij. REGNA} regna appellat, Puteolana, & Cumana praedia; quod ijs mirifice delectaretur, ut quasi in regno uideretur esse. *ἀριστείαν*} intelligit quod scripsit in epistola proxima superiore, de columna euersa, & sceleratis hominibus supplicio affectis. QVID *de re, quid de uiro*} de re, quam gessit: de uiro, ipso Dolabella. PROPOSITA *cruce, uel saxo*?} alludit ad factum Dolabellae, qui liberos homines, remp perturbantes, de saxo precipites deiecerat, seruos cruci affixerat. Nemo igitur, inquit, tam erit inimicus otij, qui Brutum audeat uiolare, proposita cruce uel saxo. INFIMORVM?} hoc dicit, quia seueritas animaduersionis non solet esse popularis: sed illam tamen Dolabellae seuerissimam animaduersionem infimus quisque uehementer probauerat. epist. 17. EXPEDIAS} ita expedias uelim mea negotia, ut hic me nulla res possit morari. EPISTOLA *Leonidae*} in qua Ciceronem filium ita laudauerat, ut diceret: Quo modo nūc est, uidetur de eo bene sperandum. ILLI} Cicero filius. QVO *modo nunc est*} uerba sunt ex Leonidae epistola de Cicerone filio, & epist. 17. lib. 15. Leonides, inquit, retinet suum illud, Adhuc. Apparet autem hominem fuisse magna au-

 ctoritate,

ctoritate, & existimatione: cum Cicero filius ad Tironem ita scribat: Multum etiam mecum est Epicrates princeps Atheniensium, & Leonides, & horum ceteri similes. κατάμιτον] diligentissime omnia de filio, quasi per filium. Pherecrates apud Varinum: κατάμιτον τὰ πράγματα ἐκλογίζομαι. Ad Xenonem scripsisti] ut Athenis Ciceroni filio suppeditaret. ep. 1. & 3. l. 16. De Montani negotio] quid significet ipse declarat ep. 51. lib. 12. Ne pro se &c.] puto fore, ut ipse soluat quod Planco debet. non ut Montanus praes pro illo dependat. Non belle ualuisse] aegrotasse.

Cicero S. D. Attico. 17.

In Pompeianum ueni v. Kal. Mai. cum pridie, ut antea ad te scripsi, Piliam in Cumano collocauissem. ibi mihi cenanti litterae tuae sunt redditae, quas dederas Demetrio liberto prid. Kal. in quibus multa sapienter, sed tamen talia, quemadmodum tute scribebas, ut omne consilium in fortuna positum uideretur. itaque his de rebus ex tempore, & coram. De Buthrotio negotio, utinam quidem Antonium conueniam: multum profecto proficiam. sed non arbitrantur eum a Capua declinaturum. quo quidem, metuo, ne magno reip. malo uenerint. quod idem L. Caesari uidebatur; quem pridie Neapoli affectum grauiter uideram. quamobrem ista nobis ad kal. Iun. tractanda, & perficienda sunt. Sed hactenus. Quinctus filius ad patrem acerbissimas litteras misit; quae sunt ei redditae, cum uenissemus in Pompeianum: quarum tamen erat caput, Aquilliam nouercam non esse laturum. sed hoc tolerabile fortasse, illud uero? se ab Caesare habuisse omnia, nihil a patre, reliqua sperare ab Antonio. o perditum hominem. sed μελήσει. Ab Brutum nostrum, & ad Dolabellam epistolas scripsi. earum exempla tibi misi, non ut deliberarem reddendae ne essent, (plane enim iudico esse reddendas) sed quod non dubito, quin tu idem existimaturus sis. Ciceroni meo, mi Attice, suppeditabis quantum uidebitur; meq. tibi hoc onus imponere patiere. quae adhuc fecisti, mihi sunt gratissima. Librum meũ illum ἀνέκδοτον non dum, ut uolui, perpoliui. ista uero, quae tu contexi uis, aliud quiddam separatum uolumen exspectant. ego autem (credas mihi uelim) minore periculo existimo contra illas nefarias partes, uiuo tyranno, dici potuisse, quam mortuo. ille enim nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter; nunc, quacumque nos commouimus, ad Caesaris non modo acta, uerum etiam cogitata reuocamur. De Montano; quoniam Flamma uenit, uidebis. puto rem meliore loco esse debere. Vale. Cicero S. D. Dolabellae cos. suo.

Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisq. ex ea magnam laetitiam, uoluptatemq. capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod uulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. neminem conueni, (conuenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi uiri, qui, ualetudinis caussa, in haec loca conueniant, praeterea ex mancipijs frequentes necessarij mei) quin omnes, cum te summis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. negant enim se dubitare, quin tu, meis praeceptis. & consilijs obtemperans, praestantissimum te ciuem, & singularem consulem praebeas. quibus ego quamquam uerissime possim respondere, te, quae facias, tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio: tamen neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consilijs profecta uideatur; neque ualde nego: sum enim auidior etiam, quam satis est, gloriae. & tamen non alienum est dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regi regum, fuit honestum, habere aliquem in consilijs capiundis Nestorem. mihi uero gloriosum, te iuuenem consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinae meae. Lucius quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim uenissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me plane salutauit, o mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum uales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium ualerem, iam salui esse possemus. Dolabellae uero tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem, post te consulem, solum possumus uere consulem dicere. deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum umquam, nihil reip. salutarius. atque haec una uos omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hereditatem alienae gloriae sinas cernere, meq. aliqua ex parte in societatem tuarum laudum uenire patiare. quamquam, mi Dolabella, (haec enim iocatus sum) libentius omnes meas, si modo sunt aliquae meae laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. nam cum te semper tantum dixerim, quantum tu intelligere potuisti; tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. semper amaui, ut scis, M. Brutum, propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem, atque constantiam: tamen idibus Mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatum etiam uidebatur. quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse. Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati & gloriae seruias? proponam tibi claros uiros, quod facere solent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quam te ipsum. te imitere oportet, tecum ipse certes. nec licet quidem tibi iam, tantis rebus gestis, non tui similem esse. quod cum ita sit; hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis non modo non inuidiosa, sed etiam popularis, esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset. gratularer felicitati tuae: sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenij, atque consilij. legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius. ita pedetentim, & gradatim tum accessus a te ad caussam facti, tũ recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium

di omnium concessu daret. Liberasti igitur & urbem periculo, & ciuitatem metu: neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplū. quo facto, intelligere debes, in te positam esse remp. tibiq. non modo tuendos, sed etiam ornandos illos uiros, a quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura prope diem, ut spero. Tu, quoniam remp. nosq. conseruas, fac, ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias. Vale.

EXPLANATIO

In *cumano* } in uilla mea Cumana ad Lucrinum ep. 16. In *fortuna* } itaque nunc ipsi nobis consulere non possumus. His *de rebus* } subaudi, consilium capiemus. Proficiam } erat enim consul Antonius: ideoq. cum eo agendum erat, ut decretum, a Caesare factum de Buthrotiorum agro liberato, confirmaret. Magno *reip. malo* } hac de re sic in 2. Philippica: O praeclaram illam percursationem tuā mēse Aprili, atque Maio, tum, cum etiam Capuam deducere conatus es. & quae sequuntur. L. Caesare } Antonij auunculo. Ad *kal. Iun.* } quo die coacto senatu ageret de rep. ep. 14. Tractanda, & *perficienda* } remedium afflictae reip. non modo quaerendum est, sed etiam inueniendum. μελήσει } ipse uiderit, ipse cogitet. Non *modo acta* } senatus enim consulto sancitum erat, ut acta Caesaris rata manerent: Rem } Montani negotium. de quo ep. 5 1. l. 1 2. & 16. huius l. Dolabellae } P. Cornelio Dolabellae, qui cum antea Ciceronis gener fuisset, postea diuortiū fecerat. ut apparet l. xi. etsi *contentus eram* } gratulatur Dolabellae, quod columnam, ab infima plebe erectam Caesari mortuo, euertisset, perditis hominibus, qui eam erexerant, in crucem actis, uel de rupe Tarpeia deiectis. qua de re uide ep. 1 5. & 16. & fam. ep. 2. lib. x i. & 1. lib. 1 2. Suet. in Iulio, & Lactantium lib. 1. cap. xv. In *haec loca* } ad salubres Baiarum aquas. epist. 1 2. & fam. epist. 1 1. lib. 9. Extulerunt } ob euersam a te columnam. Consulem } erat enim Dolabella consul cum Antonio. Agamemnoni } hac de re Homerus Il. lib. 1. Alumnum } discipulum uocat ep. ult. lib. 8. & 7. & 9. lib. i x. fam. Sororis *filium* } M. Antonium collegam Dolabellae in consulatu; cuius mater L. Caesarem, fratrem suum, proscriptum postea seruauit. App. lib. i v. de bel. ci. De *facto hac de re gesta* } de colūna euersa, seditiosis supplicio affectis. ep. 1 5. & fam. ep. 1. lib. 12. & Phil. 1. Cernere } adire ep. 12. lib. xi. & 43 di. 15. Ad *te trāsfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis* } uide translatum translato redditū. sunt enim antithea translata, Transfundere, & Exhaurire. Id *leves Martij* quo die Caesarem Brutus occidit. fam. ep. 28. li. 1 0. Dilexisse } Diligere leuius est quam Amare ep. 1. ad M. Brutum, Clodius, inquit, ualde me diligit, uel, ut ἐμφατικώτερον, ualde me amat. & fam. ep. 9. lib. 13. Seueritas } populo enim gratior clementia, quam seueritas. ep. 4. lib. x. Ad *caussam* } ad rei, quam gesseras, commemorationem. fecit enim sapienter Dolabella, qui, cum uereretur, ne plebis animos incenderet, si ad mentionem summae animaduersionis, quae non solet esse popularis, repente uenisset, in ea cōmemoranda diutius perstitisset; gradatione quadam usus est, & pedetentim tum accessus ad caussam fecit, tum recessus. Ut *res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium concessu daret* } ut per omnes liceret tibi quamprimum animaduertere in eos, qui columnam erexerant. Urbem *periculo ciuitatem metu* } tecta ab igne, ciues a caede. perspicuam inter Urbs & Ciuitas differentiam ostendit Cicero pro Sulla sic: In qua ciuitate res tantas gesserim, memini, & in qua urbe, intelligo. Et Acad. lib. 11.

Cicero S. D. Attico. 18.

Saepius me iam agitas, quod rem gestam Dolabellae nimis in caelum uidear efferre. ego autem, quamquam sane probo factum, tamen, ut tantopere laudarem, adductus sum tuis & unis, & alteris litteris. sed totum se a te abalienauit Dolabella, ea de caussa, qua me quoque sibi inimicissimum reddidit. o hominem pudentem. Kal. Iun. debuit: adhuc non soluit, praesertim cum se maximo aere alieno Faberij manu liberarit, & Opem ab eo petierit. licet enim iocari; ne me ualde conturbatum putes. atque ego ad eum v i i i. id. litteras dederam bene mane. eodem autem die tuas litteras uesperi acceperam in Pompeiano, sane celeriter: tertio abs te die. sed, ut ad te eo ipso die scripseram, satis aculeatas ad Dolabellam litteras dedi: quae si nihil profecerint, puto fore, ut me praesentem non sustineat. Albianum te confecisse arbitror. De Petulciano nomine, quod mihi suppeditatus es, gratissimum est, & simile tuorum omnium. sed ego Erotem ad ista expedienda factum mihi uidebar reliquisse: cuius non sine magna culpa uacillarunt. sed cum ipso uideor. De Montano, ut saepe ad te scripsi, erit tibi tota res curae. Seruius proficiscens, quod desperanter tecum locutus est, minime miror, neque ei quid quam in desperatione concedo. Brutus noster, singularis uir, si in senatum non est kal. Iun. uenturus; quid facturus sit in foro, nescio. sed, hoc ipse melius. Ego ex his, quae parari uideo, non multum idibus Martijs profectum iudico. itaque de Graecia quotidie magis & magis cogito. nec enim Bruto meo, exsulū, ut scribis ipse, meditanti, uideo quid prodesse possim. Leonidae me litterae satis delectarunt. De Herode tibi assentior. Sauseium legisse uellem. Ego ex Pompeiano v i. idus Mai. cogitabam. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

AB *alienauit*} quia mihi non soluit quod debet. Debebat autem ex dote Tulliolae, cum qua diuortium fecerat. fam. ep. 18. lib. 6. PVDENTEM } εἰρωνικῶς. FABERII *manu* } iocatur. Quinctus enim Faberius, Caesaris scriba, ad arbitrium Antonij, ut scribit Appianus, mutabat, aut addebat in Caesaris libellis. ita magnam pecuniae partem, a Caesare relictae, interuertit, ad seq. transtulit Antonius: eaq. pecunia cum alios, tum collegam suum Dolabellam, magno aere alieno oppressum, ad suas partes traduxit: itaque non Antonio solum, sed & Dolabellae beneficium attulit Faberij manus. Philippica IIX. Et *opem ab eo petierit*} alludit ad ingentem illam uim pecuniae, quam a Caesare de Pompeianorum bonis redactam, & ad aedem Opis custodiae caussa positam Antonius diripuit, posteaq. se distribuisse dixit e Caesaris libellis, usus in eo Faberij manu. Philippica 2. Maximo te, inquit, aere alieno ad aedem Opis liberasti: per easdemq. tabulas innumerabilem pecuniam dissipauisti. Ea igitur pecunia emptus ab Antonio Dolabella, graui se alieno aere liberauit. ep. 14. lib. 16. Dolabella, inquit, cum remp. me auctore defendere coepisset, non modo eam deseruit emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuit, euertit. Et oratione prima in Antonium: Per deos immortales: te enim intuens, Dolabella, qui mihi carissimus es, non possum de utriusque uestrum errore reticere: credo enim, uos homines nobiles, magna quaedã spectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli suspicantur, sed caritatem ciuium, & gloriam cõcupisse. Et Paterculus historiae suae libro 2. Septies millies H S. depositum a C. Caesare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio, corruptis eiusdem commentariis; atque omnia pretio temperata, tendente remp. cõsule. IIX. IDVS *litteras dederam*} quas paullo post aculeatas appellat, quod in ijs Dolabellam quasi aculeis pungeret, & excitaret ad solutionem pecuniae. ALBIANVM} negotium. ep. 13. lib. 13. & 2. huius lib. MIHI *suppeditatus es*} pro, mihi suppeditasti. si tamen locus uacat mendo. nam, Suppeditor, cum agendi significatione, inusitatum. ideo legendum putabat Montagnanus, Suppetiatus es: pro subuenisti, opem tulisti: quo uerbo Appuleius usus est. Aut igitur suppetiatus erat Atticus in exigẽda a Petulcio pecunia, aut pecuniam de suo dederat, tantumdemq. se scripserat a Petulcio, qui Ciceroni debebat, exacturum. AD *ista expedienda*} ad mea nomina exigenda. FACTVM *&c.*} uidebar mihi Erotem reliquisse aptissimũ ad ista expedienda. *Factum*: quasi a natura: ut in II. de Officijs, Facti ad ludum: pro Milone, Ad eam legem non docti, sed facti. VACILLARVNT} nomina: id est, exacta non sunt. IN *foro*, } quia scripserat Atticus, Brutum Kal. Iun. Romae futurum, sed in senatum non esse uenturum. DE *Graecia*} de profectione in Graeciam. ep. 13. & 16. EXSVLIVM *ut scribis ipse, meditanti*} nam, si aliquid meditaretur pro rep. non discederem: sed exsulium meditanti non uideo quid prodesse possum: itaque in Graeciam cogito. NON *satis delectarunt*} quia de Cicerone filio scripserat, Quo modo nunc est. ep. 16. HERODE } hic Athenis morabatur. ep. 16. lib. 15. & huius lib. SAVFEIVM: } Saufeij librum. ep. 4. lib. 15.

Cicero S. D. Attico. 19.

NONIS Mai. cum essem in Pompeiano, accepi binas a te litteras, alteras sexto die, alteras quarto. ad superiores igitur prius. Quam mihi iucundum, oportune tibi Barnachum litteras reddidisse. Tu uero cum Cassio, ut cetera. quam commode autem, quod id ipsum, quod me mones, quatriduo ante ad eum scripseram, exemplumq. mearum litterarum ad te miseram. sed cum Dolabellae auaritia (sic enim tu ad me scripseras) magna desperatione affectus essem; ecce tibi, & Bruti, & tuae litterae, ille exsulium meditari, nos autem alium portum propiorem huic aetati uidebamus: in quem mallem equidem peruehi florente Bruto nostro, constitutaq. rep. sed nunc quidem, ut scribis, non utrum uis: assentiris enim mihi, nostram aetatem praesertim a castris ciuilibus adhorrere. M. Antonius ad me tantum de Clodio rescripsit, meam lenitatem, & clementiam & sibi esse gratam, & mihi uoluptati magnae fore. sed Pansa furere uidetur de Clodio, itemq. de Deiotaro; & loquitur seuere, si uelis credere. illud tamen non belle, ut mihi quidem uidetur, quod factum Dolabellae uehementer improbat. De coronatis, cum sororis tuae filius a patre accusatus esset, rescripsit, se coronam habuisse honoris Caesaris caussa, posuisse luctus gratia: postremo, se libenter uituperationem subire, quod amaret etiam mortuum Caesarem. Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, scripsi diligenter: ego etiam ad Sicam. tibi hoc oneris non impono. nolo te illum ratum habere. Seruij orationem cognosco: in qua plus timoris uideo, quam consilij: sed quoniam perterriti omnes sumus, assentior Seruio. Publilius tecum tricatus est. huc enim Caerellia missa ab istis est legata ad me: cui facile persuasi, mihi id, quod rogaret, ne licere quidem, non modo non libere. Antonium si uidero, accurrate agam de Buthroto. Venio ad recentiores litteras. quamquam de Seruio iam rescripsi, me facere magnam πρᾶξιν Dolabellae. mihi mehercule ita uidetur, non potuisse maior tali re, taliq. tempore. sed tamen, quidquid ei tribuo, tribuo ex tuis litteris. tibi uero assentior, maiorem πρᾶξιν eius fore, si mihi, quod debuit, dissoluerit. Brutus, uelim, sit Asturae. Quod autem laudas me, quod nihil ante de profectione constituam, quam, ista quo euasura sint, uidero: muto sententiam, neque quidquam tamen ante, quam te uidero. Atticam meam gratias mihi agere de matre gaudeo: cui quidem ego totam uillam, cellamq. tradidi: eamq. cogitabam V. id. uidere. tu Atticae salutem dices: nos Piliam diligenter tuebimur. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

AVARITIA : } quia non soluit, quod debet. ep. 18. ALIVM *portum* } mortem uidelicet. HVIC } aetati meae. NON *utrumuis* } non licet nunc mihi, quod Caesaris bello licuit, non interesse ciuili bello. nunc in manu mea non est, ut faciam utrum uolo. ep. 13. DE *Clodio* } de Sex. Clodio: de quo scripserat Cicero, se libenter concedere, ut restitueretur. ep. 13. DE *Deiotaro* } cui ereptam a Caesare Armeniam Antonius, accepta grandi pecunia, restituerat, idq. se dixerat facere ex eiusdem Caesaris commentarijs. ep. 2. & 5. & Philipp. 2. FACTVM *Dolabellae* } animaduersionem in seditiosam illam manum, & euersionem columnae. ep. 15. DE *Coronatis* } de ijs, qui Parilia coronati celebrauerant. epist. 14. LVCTVS *gratia* } propter Caesaris necem. Parilibus enim cum per aliquod spatium coronam gestasset, deposuit. SCRIPSI *diligenter* } de pecunia scilicet, quam utrique debebat Dolabella. epist. 18. Hoc *oneris* } ut tu Dolabellam appelles de solutione. TRICATVS *est* } tricatur, qui falsa loquitur, epist. 14. lib. 15. MISSA *ab istis* } Publilio, matre, & sorore. Missa, ut ageret cum eo de reducenda Publilia. epist. 34. lib. 13. & 1. lib. 15. ANTONIVM } qui uersabatur in ijs locis tum, cum coloniam Casilinum deduxit epist. x. DE *Buthroto* } hoc explanauimus. ep. 33. L. 13. FACERE *magnam* πρᾶξιν *Dolabellae* } praeclarum ducere factum Dolabellae. ep. 15. Ex *tuis litteris* } unis & alteris. epist. 18. DE *profectione* } in Graeciam. epist. 13. & 19. DE *matre* } quod totam uillam ad Lucrinum, uillicosq. procuratores tradiderim. epist. 16. DILIGENTER *tuebimur* } quia minus recte ualebat. epist. 1. lib. 15.

Cicero S. D. Attico. 20.

E POMPEIANO naui aduectus sum in Luculli nostri hospitium VI. id. hora fere tertia. egressus autem e naui, accepi tuas litteras, quas tuus tabellarius in Cumanum attulisse dicebatur, nonis Mai. datas, a Lucullo postridie eadem fere hora, qua ueni, VII. id. Lanuuio datas. audi igitur ad omnes. Primum, quae de re mea gesta & in solutione, & in Albano negotio, grata. de tuo autem, cum in Pompeiano essem, Misenum uenit Antonius: inde ante discessit, quam illum uenisse audissem: a quo in Samnium. uide, quid speres. Romae igitur de Buthroto. L. Antonij horribilis concio, Dolabellae praeclara. iam uel sibi habeat nummos, modo numeret idibus. Tertullae nollem abortum. tam enim Cassij sunt iam, quam Bruti serendi. De regina uelim, atque etiam de Caesare illo. Persolui primae epistolae: uenio ad secundam. De Quinctis, Buthroto, cum uenero, ut scribis. Quod Ciceroni suppeditas, gratum. Quod errare me putas, qui remp. putem pendere a Bruto: sic se res habet: aut nulla erit, aut ab isto, istis ue seruabitur. Quod me hortaris, ut scriptam concionem mittam: accipe a me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα earum rerum, in quibus satis exercitati sumus. nemo umquam neque poeta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem, quam se, arbitraretur. hoc etiam malis contigit: quid tu Bruto putas, & ingenioso, & erudito? de quo etiam experti sumus nuper in edicto. scripseram rogatu tuo. meum mihi placebat, illi suum. quin etiam, cum, ipsius precibus paene adductus, scripsissem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari, quare sine quaeso sibi quemque scribere: suam cuique sponsam, mihi meam: suum cuique amorem, mihi meum. non scite: hoc enim Atilius, poeta durissimus. atque utinam liceat isti concionari. cui si esse in urbe tuto licebit, uicimus. ducem enim noui belli ciuilis aut nemo sequetur, aut ij sequentur, qui facile uincantur. Venio ad tertiã. Gratas fuisse meas litteras Bruto, & Cassio, gaudeo. itaque ijs rescripsi. Quod Hirtius per me meliorem fieri uolunt: do equidem operam; & ille optime loquitur; sed uiuit, habitatq. cum Balbo; qui item bene loquitur. quid credas, uideris. Dolabellam ualde placere tibi uideo. mihi quidem egregie. Cum Pansa uixi in Pompeiano, is plane mihi probabat se bene sentire, & cupere pacem. Caussam armorum quaeri plane uideo. Edictum Bruti, & Cassij probo. Quaeris, ut suscipiam cogitationem, quid nam istis agendum putem. consilia temporum sunt; quae in horas commutari uides. Dolabellae & prima illa actio, & haec contra Antonium concio mihi profecisse permultum uidetur. prorsus ibat res. nunc autem uidemur habituri ducem: quod unum municipia, boniq. desiderant. Epicuri mentionem facis, & audes dicere μὴ πολιτεύεσθαι. non te Bruti nostri uulticulus ab ista oratione deterret? Quinctus filius, ut scribis, est dextella. per eum igitur, quod uolemus, facile auferemus. exspecto, si, ut putas, L. Antonius produxit Octauium, qualis concio fuerit. Haec scripsi. statim enim Cassij tabellarius. eram continuo Piliam salutaturus: deinde ad epulas Vestorij, nauicula. Atticae plurimam salutem.

EXPLANATIO

A LVCVLLO *postridie eadem fere hora, qua ueni,* } subaudi, alteras litteras accepi. Postridie, v. idus. Eadem fere hora, qua ueni: hora fere tertia. DE *tuo autem* } negotio. rem Buthrotiam intelligit. epist. 10. & 19. QVID *speres* } hoc non Buthrotum, sed ad remp. refertur. nam Antonius cursabat huc illuc, ut agros ueteranis diuideret, quibus beneficio deuinctis uteretur adiutoribus ad omnia. epist. 17. ROMAE *igitur* } agemus cum Antonio Kal. Iunij. epist. 14. L. ANTONII } qui tribunus erat plebis,

Marci frater. IAM *uel sibi &c.* } concedo, ut, quos mihi nummos Dolabella debet, eos sibi habeat, modo usuram idibus pendat. Mos fuit apud ueteres, ut idibus usurae soluerentur. ideoq. in oratione 1. in Catilinam, Praetermitto, inquit, ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impẽdere tibi proximis idibus senties. propterea quod idibus soluere feneratotibus usuras cogeretur. Et in 2. Philippica: Vbi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? tu autem sestertium quadringẽties, quod idibus Martijs debuisti, quonam modo ante Kal. Apr. debere desijsti? Ex usura, quam idibus Martijs Antonius soluerat, apparebat eum debere sestertium quadringenties. Sed Horatius perspicue: Fenerator Alfius Omnem relegit idibus pecuniam. TERTVLLAE } Tertulla, Bruti soror, uxor Cassij, abortum fecerat. Feminae appellabantur familiae nomine; sed, ut internoscerentur, cum duae erant, maior, & minor uocabantur: ut apud Suetonium in Augusto, Octauia maior, & Octauia minor. cũ tres erant, quae tertia nata esset, Tertia dicebatur: cum quattuor, Quarta: cum quinque, Quincta: unde in oratione pro M. Coelio, & de haruspicum responsis, Quincta Claudia. ergo Tertia, siue Tertulla per deminutionem, Bruti soror, quia post duas edita esset. epist. 12. lib. 15. de qua Macrobius haec Saturnaliorũ lib. 11. Mater M. Bruti Seruilia, cum pretiosum aere paruo fundum abstulisset a Caesare, subijciente hastae bona ciuium, non effugit dictum tale Ciceronis: Et quidem, quo melius emptum sciatis, comparauit Seruilia hunc fundum, Tertia deducta. filia autem Seruiliae erat Iunia Tertia: eademq. C. Crassi (hic pro Crasso Cassium repone) uxor, lasciuiente dictatore tam in matrem, quam in puellam. De hac Tacitus lib. 3. his uerbis: Iunia sexagesimoqaarto post Philippensem aciem anno supremum diem expleuit, Catone auunculo genita, C. Cassij uxor, M. Bruti soror. DE *regina &c.* } uide ep. 8. DE *Quinctis*, } patre, & filio. BVTHROTO } re Buthrotia. epist. 10. lib. 14. & 15. lib. 16. mendose autem in quibusdam libris, de Quincti Buthroto. CICERONI } filio. epist. 17. SCRIPTAM *concionem* } qua Brutus utatur, cum in urbem redierit. IN *quibus satis exercitati sumus* } quoniam, inquit, in litteris satis exercitatus sum, eo debes putare certius, quod dicturus sum. Nemo umquam &c. IN *edicto* } Brutus edictum composuit, quo postulauit ab Antonio consule, ut sibi & Cassio praetoribus liceret ab urbe abesse: quos leges uetabant. quibus ille item edicto respondit minaci, & contumelioso. epist. 3. lib. XI. fam. NON *probari* } Brutus enim orationis uim, & sententiarũ grauitatem contemnebat, Atticos oratores imitabatur, humili quodam in genere uersantes. epist. 1. NON *scite:* } non scite scri psit Atilius, suam cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum: siquidem, aliena contemnere, sua nimis amare, nõ sepientis est. & tamen nemo umquam fuit neque orator, neque poeta, qui nõ se meliorem arbitraretur, quam quemuis alium. POETA *durissimus* } Licinius enim Aulium uocauerat Ferreum scriptorem. In primo de Finibus in prooemio. ISTI } Bruto. DVCEM } Antonium. QVOD *Hirtium &c.* } epist. 4. l. 15. Cassius uehemẽter orat, ac petit, ut Hirtium quam optimum faciam. Erat enim Hirtius maxime deditus eloquentiae, ideoq. Ciceroni familiarissimus. In epistola ad Paetum: Hirtium & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cenandi magistros. Et in hoc libro epist. 12. Qui etiam me declamare coegerunt. CVM *Balbo* } qui cum Caesaris amicissimus fuerit, quo modo in remp. sit animatus, non facile potest diiudicari. VALDE *placere* } quia remp. praeclarissime gessit. epist. 14. VIXI } iucundissime fui. ut ep. 15. lib. 4. Vixi cum Axio. EDICTVM *Bruti & Cassij* } in ep. 13. lib. 10. ISTIS } Bruto & Cassio IBAT *res* } erat, cur bene speraremus. ep. 15. Incipit res melius ire. DVCEM } Octauium significat, ad quem ueterani confluebant. Dio, Appianus. πολιτεύεσθαι. } abstinendum administratione reip. nam Epicurus ad se ipsum omnia referebat, aliena caussa nihil dicebat esse agendum. Ideoq. in epistola ad Trebatium, quem audierat Epicureum esse factum, iocans ita scribit: Quonam modo ius ciuile defendes, cum omnia tua caussa facias, non ciuium? Et in eadem: Quid fit populo Vlubrano, si tu statueris πολιτεύεσθαι non oportere? BRVTI *nostri* } qui, Stoicos sequens, dissentiebat ab Epicuro. VVLTICVLVS } talis apparet Brutus in antiquis nummis, uultu macie attenuato. EST *dextella* } eo quasi dextra utemur ad auferendum ab Antonio quod uolumus de re Buthrotia. nam Quinctus filius Antonij familiaris. epist. 17. L. ANTONIVS } qui erat tribunus pl. & tribunis licebat quem uellent in concionem abreptum interrogare qualibet de re: ut in libro de Magistratibus exemplorum copia probauimus. CONCIO } Octauij. HAEC *scripsi* } quasi dicat, Propere, quia statim discessurus } in uilla Cumana ad Lucrinum. epist. 16. AD *Epulas Vestorij* } Puteolos. epist. 13.

Cicero S. D. Attico 21.

CVM paullo ante dedissem ad te Cassij tabellario litteras, V. id. ueni: noster tabellarius, & quidem portenti simile, sine tuis litteris. sed cito coieci, Lanuuij te fuisse. Eros autẽ festinauit, ut ad me litterae Dolabellae perferrentur, nõ de re mea, (nõ dũ enim meas acceperat) sed rescri psit ad eas, quarũ exẽplũ tibi miserã, sane luculente. Ad me autem, cum Cassij tabellariũ dimisissem, statim Balbus. o dij boni, quam facile perspicere res timere otium. & nosti uirum, quam tectus: sed tamẽ Antonij consilia narrabat; illum circuire ueteranos, ut acta Caesaris sancirent, idq. se facturos esse iurarent: ut rata omnes haberent, eaq. duumuiri omnibus mensibus inspicerent. questus est etiam de sua inuidia, eaq. omnis eius oratio fuit, ut amare uideretur Antonium. quid quaeris? nihil sinceri. mihi autem non est dubium, quin res spectet ad castra. acta enim illa res est animo uirili, consilio puerili. quis enim hoc non uidit, regni heredem relictum? quid autem absurdius, hoc metuere, alterum in metu non ponere? quin etiam hoc ipso tempore multa ὑποσόλοικα, Pontij Neapolitanum

tanum

tanum a matre tyrannoctoni possideri. legendus mihi saepius est Cato maior, ad te missus. amariorem enim me senectus facit; stomachor omnia. sed mihi quidem βεβίωται: uiderint iuuenes. tu mea curabis, ut curas. Haec scripsi, seu dictaui, apposita secunda mensa, apud Vestorium. postridie apud Hirtium cogitabam, & quidem πεντέλοιπον. sic hominem traducere ad optimates paro. λῆρος πολύς. nemo est istorum, qui otiū non timeat. quare talaria uideamus. quiduis enim potius, quam castra. Atticae salutem plurimam uelim dicas. Exspecto Octauij concionem, & si quid aliud, maxime autem ecquid Dolabella tinniat, an in meo nomine tabulas nouas fecerit. Vale.

EXPLANATIO

VENIT } Roma. NON *de re mea* } non de pecunia, quam mihi debet. NONDVM *enim meas acceperat* } intelligit eas litteras, quas appellauit Aculeatas. epist. 18. QVARVM *exemplum tibi miseram* } quarum est principium, Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, epist. 17. TIMERE } nolle. sic paullo post: Nemo est istorum, qui otium non timeat. Et in ea, quae sequitur: Timent otium. quod contra dixit, Cupere pacem, epist. 20. NOSTI *uirum, quam tectus* } sic Coelius ad Ciceronem: Nosti Marcellum, quam tardus: itemq. Seruium, quam cunctator. Plautus in Aulul. Tu me & ego te, qualis sis, scio. Terentius in Ad Illum, ut uiuat, optant. ACTA *Caesaris* } uide in orationibus. DVVMVIRI } municipiorum praefecti. De *sua inuidia* } quod inuisus esset quasi Caesaris amicus. ILLA *res* } Caesaris interitum significat. REGNI *heredem relictum* } Antonium. Hoc *metuere, alterum in metu non ponere* } regem metuere, heredem regni non metuere. Et latenter significat, Antonium occidi debuisse. Locutionem usurpauit eandem epist. 50. lib. 12. NEAPOLITANVM } fundum in agro Neapolitano: ut in Academicis: Erat constitutum Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompeianum nauigare. MATRE *tyrannoctoni* } Seruilia, Bruti matre: quae fundum illū ab hasta Caesaris minimo acceperat. dilexit enim Caesar usque adeo Seruiliam, ut bello ciuili, quemadmodum Suetonius tradit, super alias donationes amplissima illi praedia ex auctionibus hastae nummo addixerit; cum quidem, plerisque utilitatem mirantibus, facetissime Cicero, Quo melius, inquit, emptum sciatis, Tertia deducta est. existimabatur enim Seruiliam etiam filiam suam Tertiam conciliare Caesari. erat igitur plane ὑπερβάλλον, cum Brutus Caesarem occidisset, Seruiliam possidere fundum a Caesare datum. CATO *maior*. } liber de Senectute, ita inscriptus: in quo libro multa praeclara ad tollenda senectutis incommoda: ideoque sibi eum saepe esse legendum, dicit. Πεντέλοιπον } Puteolis fuerat Cicero cum quinque Caesarianis, Balbo, Hirtio, Pansa, Octauio, Philippo, ut scribit epist. xi. Cum autem Octauius cum Philippo uitrico Romam isset, tres erant reliqui, Balbus, Hirtius, & Pansa. Πεντέλοιπον igitur, idest, qui reliqui sunt de quinque. reliqui autem erant ut dixi, Balbus, Hirtius Pansa. SIC } eo, inquit, ad Hirtium, ut eum ad partes reip. traducā. unde ep. u. lib. 15. VIDEAMVS } paremus, inquit, talaria, ut hinc abeamus. OCTAVII *concionem* } ep. 20. AN *in meo nomine* } an propter pecuniam, quam mihi debet, legem tulerit de tabulis nouis: qua creditae pecuniae debitoribus condonabantur.

Cicero S. D. Attico. 22.


CERTIOR a Pilia factus, mitti ad te idibus tabellarios, statim hoc nescio quid exaraui. Primum igitur scire te uolui, me hinc Arpinum XVI. kal. Iun. eo igitur mittes, si quid erit posthac. (quamquam ipse iam iamq. adero) cupio enim ante, quam Romam uenio, odorari diligentius, quid futurum sit. quamquā uereor, ne nihil coniectura aberrem. minime enim obscurum est, quid isti moliantur. meus uero discipulus, qui hodie apud me cenat, ualde amat illum, quem Brutus noster sauciauit. &, si quaeris, (perspexi enim plane) timent otium. ὑπόθεσιν autem hanc habent, eamq. prae se ferunt, uirum clarissimum interfectum, totam remp. illius interitu perturbatam: irrita fore, quae ille egisset, simul ac desistemus timere: clementiam illi malo fuisse; qua si usus non fuisset, nihil ei tale accidere potuisse. Mihi autem uenit in mentem, si Pompeius cum exercitu firmo ueniat, quod est εὔλογον, certe fore bellum. haec me species, cogitatioq. perturbat. neq. enim, quod tibi tum licuit, nobis nunc licebit. nam aperte laetati sumus. deinde habent in ore, nos ingratos. nullo modo licebit, quod tum & tibi licuit, & multis. φαινοπροσωπητέον ergo, & ἰτέον in castra? millies mori melius, huic praesertim aetati. itaque me idus Martiae non tam consolantur, quam antea. magnum enim mendum continent. etsi illi iuuenes

ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον.

Sed si tu melius quippiam speras; quod et plura audis, & interes consilijs; scribas ad me uelim; simulq. cogites, quid agendum nobis sit super legatione uotiua. equidem in his locis moneor a multis, ne in senatu Kalēdis. dicuntur enim occulte milites ad eam diem comparati, & quidem in istos, qui mihi uidentur ubiuis tutius, quam in senatu, fore. Vale.

EXPLANATIO

ISTI } qui otium timent. MEVS *uero discipulus* } Hirtius. ILLVM } Caesarem. IRRITA *fore &c.* } fore dicebat, ut nos, qui Caesaris acta decreto sanximus, & confirmauimus, ijdem illa infirmemus, atque tollamus, timore liberati. QVA *si usus non fuisset* } quia interfectus est ab ijs maxime, quos, Pópeium secutos, cum posset occidere, seruauit. Et sane Hirtius illi auctor fuerat, ut crudelitate potius uteretur, quam clementia; si, quod armis quaesierat, tenere diutius uellet. quod ex Paterculo didicimus: cuius uerba subijciemus: Laudandum experientia consilium est Pansae, atque Hirtij, qui semper praedixerant Caesari, ut principatum, armis quaesitum, armis teneret. ille dictitans mori se, quam timeri, malle, dum clementiam, quam praestiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est. POMPEIVS } Sextus, Magni filius. QVOD *tibi tum licuit*, } quod tibi Caesaris bello licuit, ut neutram partem sequereris; id nobis nunc non licebit; quos haec perditorum pars in hostium numero habebit, quia non obscure Caesaris morte laetati sumus. epist. 13. NON *ingratos* } quia laeti sumus eius nece, quibus ille nō solum pepercerat, sed etiam reditum in patriam concesserat. MILLIES *mori melius* } quam ire in castra. supra: Talaria uideamus, quiduis enim potius, quam castra. HVIC *praesertim aetati* } senectuti: cui propinqua iam mors impendet. MAGNVM *mendum* } acta enim illa res est animo uirili, consilio puerili. epist. 21. ILLI *iuuenes* } tyrannoctoni. *ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς &c.* } alijs in bonis hanc effugiunt uituperationem. hoc dicit: ita de rep. meriti sunt, ut ad eos hoc dedecus non pertineat. PLVRA *audis* } cum Romae sis. INTERES *consilijs* } quod cum Caesarianis assidue colloquaris. Sic in epistola ad Cassium: Tu eam partem petisti, ut & consilijs interesses, &, quod maxime curam leuat, futura animo prospicere posses. Erat enim Cassius apud Caesarem. SVPER *legatione uotiua* } quam petere cogitabat, discessionis causa; quemadmodum & petijt, & usus est. quod ipse in 1. Philippica significat his uerbis: Quae cum audire mallem, quam uidere, haberemq. ius legationis liberum; ea mente discessi, ut adessem Kalendis Ianuarij; quod initium senatus cogendi fore uidebatur. Votiuam autem, & liberam legationem idem esse, non dubitabit qui leget, quod scriptum est epist. 18. lib. 2. & 13. h. l. KALENDIS } ne in senatu Kalendis Iunijs adsim. epist. 14. & 1. MILITES *ad eam diem comparati* } uide epist. 4. lib. 15. & in 2. Philipp. ISTOS } Brutum, & Cassium.




IN · EPISTOLARVM M · TVLLII · CICERONIS AD T · POMPONIVM · ATTICVM LIBRVM. XV.

PAVLLI · MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico I.



OBITVM male de Alexione. incredibile est, quanta me molestia affecerit; nec mehercule ex ea parte maxime, quod plerique mecum: ad quem igitur medicum te conferes? quid mihi iam medico? aut, si opus est, tanta inopia est? amorem erga me, humanitatem, suauitatemq. desidero. et illud: quid est, quod non pertimescendum sit; cum hominem temperantem, summum medicum, tantus improuise morbus oppresserit? sed ad haec omnia una consolatio est, quod ea condicione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. De Antonio, iam antea tibi scripsi, non esse eum a me conuentum. uenit. n. Missenum, cum ego essem in Popeiano. inde ante profectus est, quam ego eum uenisse cognoui. sed casu, cum legerem tuas litteras Hirtius erat apud me in Puteolano. ei legi, & egi primum, quod attinet nihil mihi concedebat. deinde ad summum, arbitrum me statuebat non modo huius rei, sed totius consulatus sui. Cum Antonio autem sic agemus, ut perspiciat, si in eo negotio nobis satisfecerit, totum me futurum suum. Dolabellam spero domi esse. Redeamus ad nostros: de quibus tu bonam spem te significas habere propter edictorum humanitatem. ego autem perspexi, cum a me XVII. Kal. de Puteolano Neapolim Pansae conueniendi caussa proficisceretur Hirtius, omnem eius sensum: seduxi enim, & ad pacem sum cohortatus. nō poterat scilicet negare, se uelle pacem, sed non minus se nostrorum arma timere, quam Antonii, & tamen utrosque non sine caussa praesidium habere, se autem utraq. arma metuere. quid quaeris? οὐδὲν ὑγιές. De Quincto F. tibi assentior: patri quidem gratissimae, & bellae tuae litterae fuerunt. Caerelliae uero facile satisfeci. nec ualde laborare mihi uisa est: & si illa, ego certe non laborarem. istam uero, quam tibi molestā scribis esse, auditam a te esse omnino demiror. nam quod eam collaudaui apud amicos, audientibus tribus filiis eius, & filia: τοῦ το δ' λογον. quid est hoc? quid est aūt, cur ego personatus ambulem? parum ne foeda persona est ipsius senectutis? Quod Brutus rogat, ut ante kalendas, ad me quoque scripsit: & fortasse faciā: sed plane, quid uelit, nescio. quid enim illi afferre consilii possum, cum ipse egeam consilio? & cum ille suae immortalitati melius, quam nostro otio, consuluerit? De Regina, rumor exstinguetur. De Flamma, obsecro te, si quid potes. Heri dederam ad te litteras, exiens e Puteolano, diuerteramq. in Cumanum. ibi paene ualentem uideram Piliam. quin etiam paullo clam iis eam uidi: uenerat enim in funus: cui funeri ego quoque operam dedi. Cn. Lucullus, familiaris noster, matrem efferebat. mansi igitur eo die in Sinuessano: atque inde mane postridie Arpinum proficiscens, hanc epistolam exaraui. erat aūt nihil noui, quod aut scriberem, aut ex te quaererem: nisi forte hoc ad te putas pertinere. Brutus misit ad me orationem suam habitam in concione Capitolina: petiuitq. a me, ut eam ne ambitiose corrigerem ante, quā ederet. est autem oratio scripta elegantissime sententiis, uerbis, ut nihil possit ultra. ego tamen, si illam caussam habuissem, scripsissem ardentius. ὑπόθεσις, uides,

uides, quae sit, persona dicentis. itaq. eam corrigere non potui. quo enim in genere Brutus noster esse uult, & quod iudicium habet de optimo genere dicendi, ita consecutus est ea oratione, ut elegantius nihil esse possit. sed ego solus alius sum, siue hoc recte, siue non recte. tu tamen uelim orationem legas, nisi forte iam legisti, certiorem q. me facias, quid iudices ipse. quamquam uereor, ne cognomine tuo lapsus ὑπεραττικὸς sis in iudicando. sed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges posse & ἀττικώτατα, & grauissime dici. sed haec corā. nunc nec sine epistola, nec cum inani epistola nolui ad te Metrodorum uenire. Vale.

EXPLANATIO



De Alexione } medicus Ciceronis Alexio perierat. ep. 2. De *Antonio* } ep. 20. lib. 14. Egi *primum* } egi cum eo de re Buthrotia. Nihil *mihi concedebat* } rem Buthrotiam aeque atq. ego, uidebatur cupere. Sic ep. 33. lib. 13. Nosti diligentiam Capitonis in rebus nouis perquirendis: non concedit Camillo. Huius *rei* } Buthrotiae. Consulatus *sui* } erat enim consul designatus. In *eo negotio* } in re Buthrotia. ep. 19. lib. 14. Nostros } Brutū, & Cassium. Satisfeci } probaui mihi non licere, quod rogaret. ep. 19. lib. 14. Laborare } de ea re, quam rogabat. Istam *uero*, } opinor, Publiliae matrem. ep. 19. lib. 14. Quid *est hoc:* } quo de nunc agitur: quid est, cur simulem, & quasi cū persona ambulem? tum laudaui, quia debui: at hoc, quod nunc agitur, cuiusmodi est? Quod *Brutus rogat* } quod Brutum scribis rogare, ut ante Kalendas Iunias eum conueniam; ad me quoque scripsit. Ante *kalendas* } hoc est, antequam in urbem redeam. nam ad eam diem Cicero affuturus erat: (ep. 14. & 17. lib. 14.) Brutus autem redire ipse in urbē non audebat metu ueteranorum. fam. ep. 2. lib. x1. Suae *immortalitati* } cum tyrannum interfecit. Nostro *otio* } quia, rege interfecto, liberi tamen nō sumus. ep. 5. x1. & 12. De *regina* } Cleopatra. epist. 8. lib. 14. De *Flamma* } De Flaminio Flamma, obsecro te, si quid potes, age: idest, ne Montanus pro eo dependat. ep. 30. lib. 12. & 16. lib. 14. Paene *ualentem* } nam aegrotauerat. ep. 19. lib. 1. Clam *ijs* } mallem, Clarius: ut certius Attico significet de ualetudine Piliae, quam non domi subobscure, sed in publico clare uiderit. Ut *eam ne ambitiose corrigerem*, } ne in corrigendo gratiam aucuparer: ne, gratiam eius captans, parce corrigerem. Eodem uerbo, & in eadem sententia, Brutus usus est, cum ad Atticum scriberet, Ciceronem accusans. Quaedam, inquit, mihi uidetur, quid dicam? imperite uir omnium prudentissimus, an ambitiose fecisse, qui ualentissimum Antonium suscipere pro rep. non dubitarit inimicum? Ambitiose, pro indulgenter, ad inquirendam Octauij gratiam, dixit. Et ep. 2. lib. 1. ad Q. fratrem: Ne forte me in Graecos tam ambitiosum factum esse mirere. ὑπόθεσιν, *uides, quae sit* } uides, quod sit argumentum, quae dicentis persona. argumentum est, de tyranno interfecto, patria liberata: loquitur Brutus, qui tam praeclari facinoris auctor fuit. ardentius igitur scribi debuit oratio. Alius *sum* } aliud sequor genus orationis. Et sane Ciceronis & Bruti non idem erat iudicium de oratore perfecto. ep. 20. lib. 14. ὑπεραττικὸς } admodū Atticus: hoc est: uereor, ne, quia cognomen tibi est Attico, ualde propensus sis ad ea probanda, quae sunt Attice scripta. nam Brutus eam rationem scribendi in oratione sua secutus erat, quam Attici plerique oratores adamauerant, id est puram, aptam ad docendum potius, quam ad mouendum: qualis agnoscitur in orationibus Lysiae. Et Atticum oratorem Cicero talem inducit in libro de perfecto oratore: Summissus est, & humilis, de numeris non laborans, suppressus ut uoce, sic etiam oratione. non faciet remp. loquentem; nec ab inferis mortuos excitabit; nec, aceruatim multa frequentans, una complexione deuinciet. Hunc igitur oratorem & probabat Brutus, & imitabatur: cum eum Cicero principem poneret, non qui uno in genere excelleret, ut Brutus, Caluus, & alij, qui se Atticos esse profitebantur, sed qui parua summisse, magna grauiter, mediocria tēperate posset dicere, qualis Demosthenes maxime fuerat. Ἀττικώτατα, *& grauissime dici* } qui Atticus maxime uelit esse, grauiter tamen posse dicere. Grauitatem Cicero, & uim cum uerborum, tum sententiarum in oratione Bruti desiderabat: qui ea neglexerat, quod, Atticorum consuetudinem imitās, tenuitatem sequeretur: cum tamen eadem liceret dicere & Attice in primis. & grauiter, more scilicet Demosthenis potius, quam Lysiae. Hac de re in Oratore.

Cicero S. D. Attico. 2.

XV. *kal. e Sinuessano proficiscens, cum dedissem ad te litteras, diuertissemq. a Cumis in Vesliano, accepi a tabellario tuas litteras: in quibus nimis multa de Buthroto. non. n. tibi ea res maiori curae aut est, aut erit, quam mihi. sic enim decet, te mea curare, tua me. quamobrem id quidem sic susceptum est mihi, ut nihil sim habiturus antiquius. L. Antonium cōcionatum esse, cognoui tuis litteris, & alijs, sordide: sed, id quale fuerit, nescio: nihil enim scripsisti. De Menedemo, probe. Quinctus certe ea dictitat, quae scribis. Consilium meū a te probari, quod ea non scribam, quae tu a me postularis, facile patior: multoq. magis id probabis, si orationem eam, de qua hodie ad te scripsi, legeris. Quae de legionibus scribis, ea uera sunt. sed non satis hoc mihi uideris tibi persuasisse, quid de Buthrotijs nostris per senatum speres confici posse. quod puto, (tantum enim uideo) non uidemur esse uicturi. sed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet. De Octauij concione idem sentio, quod tu: ludorumq. eius apparatus, & Matius, ac Postumius mihi procuratores non placent. Saserna collega dignus. sed isti omnes, quemadmodum sentis, non minus otium timent, quam nos arma. Balbum leuari inuidia per nos uelim: sed ne ipse quidem id fieri posse confidit: itaque alia cogitat. Quod prima disfu-*

ma disputatio Tusculana te confirmat, sane gaudeo. neque enim ullum est perfugium aut melius, aut paratius. Flamma quod bene loquitur, non moleste fero. Tyndaritanorum caussa, de qua laboras, quae sit, ignoro. hos tamen πεντέλοιπον monere ista uidentur, in primis erogatio pecuniae. De Alexione doleo; sed, quoniam inciderat in tam grauem morbum; bene actum cum illo arbitror. quos tamen secundos heredes, scire uellem, & diem testamenti. Vale.

EXPLANATIO

DE *Buthroto:* } nimium multas uerbis de Buthrotia re cum mecum agis ep.10.lib.14.& 15.lib.16. CONCIONATVM *esse* } epist.20. de concione L.Antonij. EA *non scribam* } opinor, historiā.ep.14.lib.14. NON *satis &c.* } non multum mihi sperare uideris a senatu de re Buthrotia. LVDORVMQ. *eius* } intelligit eos ludos, quos Caesaris uictoriae Caesar adolescens fecit: de quibus Suetonius his uerbis: Ludos uictoriae Caesaris, non audentibus facere quibus obtigerat id munus, ipse edidit. Et Matius in epistola ad Ciceronem: At ludos, quos Caesaris uictoriae Caesar adolescens fecit, curaui: at id ad priuatum officium, non ad statum reip. pertinebat. POSTVMIVS } ita lego, non, Postumus, ex antiquo Bessarionis libro. nominatur ep.12.lib.6.fam. tamquam Caesaris amicissimus. COLLEGA *dignus* } dignus Matij ac Postumi collega: quia cum ijs ludos procuraret. BALBVM } Balbum uellem leuare inuidia possemus. unde illud ep.21.lib.14. Questus est etiam de sua inuidia. PRIMA *disputatio Tusculana* } quod scribis, te, legendo Tusculanarum quaestionum libro primo, hoc assequi, ut mortem contemnas: sane gaudeo. Primus enim Tusculanarum liber mortem docet non esse malum. NEQVE *enim ullum est perfugium aut melius, aut paratius* } quam mortem contemnere. BENE *loquitur* } de suo aere alieno soluendo. ep.50.lib.12.& 16.lib.14. Hos *tamen πεντέλοιπον* } Hirtium, Pansam, Balbum, quos appellat πεντέλοιπον, quasi reliquos de quinque. nam, Octauio & Philippo Romam profectis, tres de quinque remanserant, Hirtius, Pansa, Balbus. ISTA } fiunt ab Antonio. PECVNIAE } publicae; quam Antonius erogauit ad arbitrium suum. cum ea pertineret ad populum Romanum. Philippica v. Illa dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est. & in 2. DOLEO } quod e uita excesserit. epist.1.

Cicero S. D. Attico. 3.

XI. kal. accepi duas epistolas tuas; quibus duabus meis respondisti. una erat XV. kal. altera XII. data. ad superiorem igitur. Prius accurres in Tusculanum, ut scribis: quo me VI. kal. uenturum arbitrabar. Quod scribis parendum uictoribus: non mihi quidem, cui sunt multa potiora. nam ille, quae recordaris Lentulo, & Marcello coss. acta in aede Apollinis; nec caussa eadem est, nec simile tempus; praesertim cum Marcellum scribas, aliosq. discedere. erit igitur nobis coram odorandum, & constituendum, tuto ne Romae esse possimus. noui conuentus habitatores sane mouent. in magnis enim uersamur angustijs. sed sint ista parui: quin & maiora contemnimus. Caluae testamentum cognoui, hominis turpis, ac sordidi. Tabula Demonici quod sibi curae est, gratum. De Mario scripsi iam pridem ad Dolabellam accuratissime; modo litterae redditae sint. eius caussa & cupio, & debeo. Venio ad propiorem: Cognoui de Alexione, quae desiderabam. Hirtius est tuus. Antonio, quā est, nolo peius esse. De Quincto filio, ut scribis, A. M. cato de patre coram agemus. Brutum omni re, qua possum, cupio iuuare. cuius de oratiuncula idem te, quod me, sentire uideo: sed parum intelligo, quid me uelis scribere, quasi a Bruto habita oratione; cum ille ediderit. qui tandem conuenit? an, sicut in tyrannum iure optimo caesum multa dicentur, multa scribentur a nobis? sed alio modo, & tempore. De sella Caesaris, bene tribuni. praeclaros etiam XIV. ordines. Brutum apud me fuisse gaudeo, modo & libenter fuerit, & sat diu.

EXPLANATIO

MVLTA *potiora.* } nam exsulium, & mortem, & quiduis aliud seruituti antepono. ACTA *in aede Apollinis* } pro republica, erumpente flamma bellorum ciuilium. NEC *simile tempus* } tunc enim tuto licuit consulere reipublicae: quod itē nunc licere non uidetur, praesertim cum scribas, Marcellum, aliosq. ab urbe discedere. NOVI *conuētus habitatores* } intelligit colonias proximis superioribus diebus ab Antonio in agrum Campanum deductas, Philippica 2. IN *magnis enim uersamur angustijs* } quod iam neq. in his locis mihi uideor tuto esse posse, propter nouos habitatores Antonio beneuolos; neque Romae, propter milites non solum Antonij, sed ēt Octauij; quorum neutri curae est salus reip. ep.12. huius lib.& 1.lib.15. DE *Mario* } hic est M. Marius, de quo ep.9.lib.2. ad Q.fr. & fam.ep.1.libri 7. QVAE *desiderabam* } cognoscere cupiebam ex tuis litteris & secundos Alexionis heredes, & testamenti diem: cognoui. M. CATO } sic in Bessarionis libro: ad quem accommodandae correctio. ego, quid reponam, non habeo: nec temere audeo immutare. IDEM *te, quod me, sentire uideo* } tu quoque sentis, orationem eius debuisse scribi. epist.1. QVASI *a Bruto habita oratione* } uis me in eam eā sententiam scribere, quod

Bruti

Bruti nomine diuulgetur: quasi eam orationem, quae scribatur a me, Brutus habuerit in concione. Capuolina. quod ego, qui fieri possit, parum intelligo; cum ille eam, quam scripsit, iam ediderit: ut alia deinde oratio de iisdem rebus, cum eiusdem nomine nō uideatur edi posse. ALIO *modo*} atque scripsit Brutus. epist. 1. TEMPORE } scribendi exspectandum tempus maturius. ep. 4. BENE *tribuni*.} recte factum a tribunis, qui Caesaris sellam in spectaculis apponi uetuerunt. quamquam uetuisse Antonium consulē, non tribunos, Appianus tradit: sed credendum potius Attico praesenti. de hac sella Suetonius sic: Ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali tensam, & ferculum Circensi pompa. PRAECLAROS *etiam XIV ordines*} scripserat Atticus de equitibus Romanis, studium erga remp. in theatro significantibus. hi sedebant in XIV. ordinibus lege Roscia datis. Cicero, Plinius, Pedianus, Tranquillus. APVD *me*} in aliqua uilla Ciceronis. ep. 2. lib. 13.

Cicero S. D. Attico. 4.

X KAL. VIII. fere a Q. Fufio uenit tabellarius, nescio quid ab eo litterularum, ut me sibi restituerem, sane insulse, ut solet: nisi forte, quem non amer, omnia uidentur insulse fieri. scripsi ita, ut te probaturū existimem. mihi duas a te epistolas reddidit, unam XI. alteram X. Kal. ad recentiorem prius. & leniorem laudo: si uero etiam Carfulenus, ἄνω ποταμῶν. Antonij consilia narras turbulenta: itaque utinam potius per populum agat, quam per senatum: quod quidem ita credo. sed mihi totum eius consilium ad bellum spectare uidetur, siquidem D. Bruto prouincia eripitur. quo modo ego de illius neruis existimo, non uidetur fieri posse sine bello. sed non cupio; quoniā cauetur Buthrotijs. rides? ast condoleo, non mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici. Quod scribis te nescire, quid nostris faciundum sit: iam pridem me illa ἀπορία sollicitat: itaque stulta iam iduum Martiarum est cōsolatio, animis enim usi sumus uirilibus, consilijs, mihi crede, puerilibus. excisa enim est arbor, non euulsa: itaque, quam fruticetur, uides. redeamus igitur, quoniam saepe usurpas, ad Tusculanas disputationes. Sauseium pete. celemus: ego numquam iudicabo. Quod te a Bruto scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus: ut ad te ante scripsi, VI. kalend. & quidem ibi te quam primum peruidere uelim. puto enim nobis Lanuuium eundum, & quidem non sine multo sermone, sed μικρῶν. Redeo ad superiorem: ex qua praetereo illa prima de Buthrotijs: quae mihi sunt inclusa medullis: sit modo, ut scribis, locus agendi. De oratione Bruti, prorsus contendis committere, tam multis uerbis agi. ego ne ut eam caussam, quam is scripsit? ego scribam non rogatus ab eo? nulla παρεγχείρησις fieri potest cōtumeliosior. at, inquis, ἡράκλει δ᾽ ἄν aliquod. nō recuso id quidem; sed & componendum argumentum est; & scribendi exspectandum tempus maturius. licet enim de me, ut libet, existimes, uelim quidē quam optime. si haec ita manāt, ut uidentur, (feres, quod dicam) me idus Martiae non delectant. ille enim numquam reuertisset: nos timor cōfirmare eius acta non coegisset: aut, sut in Sauseianam, reliquasq. Tusculanas disputationes, ad quas tu etiam Vestorium hortaris) ita gratiosi eramus apud illum, quem dij mortuum perdant, ut nostrae aetati, quoniam interfecto domino liberi non sumus, non fuerit dominus ille fugiendus. rubeo, mihi crede; sed iam scripseram; delere nolui. De Menedemo, uellem uerū fuisset. De Regina, uelim uerum sit. Cetera coram & maxime, quid nostris faciendum sit, quid etiam nobis, si Antonius militibus obsessurus est senatum. Hanc epistolam si illius tabellario dedissem, ueritus sum, ne solueret: itaque misi dedita opera: erat enim rescribendum tuis. Quam uellem, Bruto studium tuum nauare potuisses. ego igitur ad eam litteras. Ad Dolabellam Tironem misi cum mandatis, & litteris. eum ad te uocabis; &, si quid habebis: quod placeat, scribes. Ecce autem de transuerso L. Caesar, ut ueniam ad se, rogat, in nemus; aut scribam, quo se uenire uelim: Bruto enim placere, se a me conueniri. o rem odiosam, & inexplicabilem. puto me ergo iturum, & inde Romam, nisi quid mutaro. Summatim adhuc ad te nihil dū enim a Balbo. tuas igitur exspecto, nec actorū solum, sed etiā futurorum. Vale.

EXPLANATIO

IX. *fere*} IIX. fere hora: ut ita subaudiatur, hora; quemadmodum subauditur, dies. Q. FVSIO} Caleno, Ciceronis inimico iam inde a temporibus Clodianis. Asconius in Miloniana. Postea Ciceroni, acerbe Antonium in senatu accusanti, non minus acerba oratione respōdit, quā recitat Dio libro XLVI. *Nisi forte*} nobis omnia uideantur insulse fieri ab ijs, quos non amamus. ET *leniorem laudo*} corrupte. placeret sic, De Lenio, rem laudo: aut quiddam huiusmodi: ut sit responsionis initium. omnino dictio, Leniorem, di uidatur. CARFVLENVS} si ita sentit, ut scribis. D. Carfuleni mentio est in III. Philippica, & in epistola Asinij ad Ciceronem, apud Appianum Carsuleij. ἄνω ποταμῶν} retro flumina feruntur. adagium est ἄνω ποταμῶν χωροῦσι παγαί. PER *populum agat*} sicut egit. nam corruptis tribunis plebis, populi suffragijs Celticam prouinciam, D. Bruto antea decretam a senatu, obtinuit. Appianus lib. 3. DE *illius neruis*} de Bruti uirtute. NON *uidetur fieri posse sine bello*} si prouinciam Bruto adimere uolet Antonius, bello adimat necesse est. NON *cupio*} non cupio Brutum armis tueri prouinciam: quia, si tuetur, acta Caesaris confirmantur: (Caesar enim eam prouinciam Bruto regendam assignauerat) quod si acta Caesaris confirmantur; sequitur, ut caueatur Buthrotijs, id est, ut Buthrotij omni molestia liberentur, sicut Caesar decreto iusserat.

rat. Hic exsistet, qui dicat: Ergo Bithrotiis non amicus Cicero. immo amicissimus; sed usque eo ambitiosus erat in eorum agro liberando, ut eos id consequi ab alio doleret. laborabat autem ea de re propter Atticum, qui pecunias Caesaris de suo numerauerat, ut Buthrotius ager ne diuideretur. epist. 14. lib. 14. 2. lib. 15. & 15. li. 16. NOSTRIS } Bruto, & Cassio. STVLTA } stulte facerem, si me idibus Martijs consolarer. ep. 13. & 28. l. 14. & 4. l. 15. EXCISA } tyrannus quidē est occisus, sed quaedā quasi radix remansit, unde tyrānis enascatur. REDEAMVS *&c.* } legamus Tusculanas disputationes, quae nos aduersus oīa quae possunt accidere, confirmant. SAEPE *usurpas* } saepe in tuis litteris mentionē facis Tusculanarum disputationum. epist. 2. SAVFEIVM *pete* } disputa contra philosophum Epicureum de contemnenda morte; ita ut ille nesciat, argumenta te sumpsisse de meis libris. LANVVIVM } ad Brutum. ep. 9. lib. 14. NON *sine multo sermone* } dabit enim semonem hic meus cum Bruto congressus. CONTENDIS *committere* } uis me eandem scribere orationem, quam Brutus scripsit. uis igitur nos inter nos committere, & quasi in quoddam certamen adducere. Tranquillus in Caligula: Nec cessauit criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. *ἡρακλείδειον aliquod* } hortaris, ut praeclarum aliquid de rep. scribam, quod quasi Heraclidis opus uideatur. ep. 19. lib. 13. 14. & 28. huius libri, & 2. lib. 16. COMPONENDVM *argumentum est, & scribendi exspectandum tempus maturius* } hoc est, quod dixit epist. 3. huius lib. Sed alio modo, & tempore. nam hoc tempore non uidebatur sibi de repu. sine periculo posse scribere: cum, interfecto Caesare, minime tamen esset recuperata libertas. itaque dicit, exspectandum tempus maturius. SI *haec ita manant, ut uidentur,* } si, ut uidetur, perditorum uis, & audacia quotidie magis corroboratur; iam mihi nullam afferet delectationem Caesaris interitus. NVMQVAM *reuertisset* } ex bello, quod Parthis inferre cogitabat, & diuturno, & admodum periculoso. EIVS *acta* } quae decreto confirmauimus, ipso interfecto. epist. 6. lib. 14. & fam. epist. 1. lib. 12. AVT *ut in Sauseiana &c.* } uidetur locus obscurior; qui ta men illustrabitur distinctione. sic igitur distinguamus: At (ut in Saufeianam, reliquasque disputationes, ad quas tu etiam Vestorium hortaris) ita gratiosi &c. hoc sensu: Ille numquam reuertisset, aut, si reuertisset, ita gratiosi eramus apud illum, ut nostrae aetati, siquidem dominum habituri fuimus, non fuerit dominus ille fugiendus. illud autem, Vt in Sauferianam &c. explano sic: Vt contra ea dicam, quae in Tusculanis disputationibus a me scripta. in ijs enim multa de morte contemnenda. qui autem dominum fert, is ideo ferre uidetur, quia mortem timet. & primam, opinor, disputationem, id est primum librum Tusculanarum, Saufeianam appellat, quia contra Saufeij sententiam, qui Epicurum sequebatur, multa complectitur de animorum aeternitate. NOSTRAE *aetati* } qui senes sumus. NOSTRIS } Bruto, & Cassio. epist. 3. QVID *etiam nobis,* } utrum calendis Iunijs in senatu adsim. epist. 1. STVDIVM *tuum nauare* } ad eum cuperem ire potuisses. epist. 11. LITTERAS } mittam, quibus te excusem. epist. 5. MISI } Romam, ubi erat Atticus: ideo infert, Eum ad te uocabis. CVM *mandatis, & litteris* } de legatione impetranda. epist. 9. QVOD *placeat* } quod scribendum uideatur. A *Balbo* } nihil dum a Balbo cognoueram, ut possem ad te particulatim scribere de consilijs Antonij, quemadmodum superioribus diebus feceram, ex eiusdem Balbi sermone. epi. 21. lib. 14.

Cicero S. D. Attico. 5.

A BRVTO tabellarius rediit: attulit & ab eo, & Cassio, consilium meum magnopere exquirunt, Brutus quidem, utrum de duobus. orem miseram. plane non habeo, quid scribam: itaque silentio puto me usurum: nisi quid aliud tibi uidetur. sin tibi quid uenit in mentem, scribe quaeso. Cassius uero uehementer orat, ac petit, ut Hirtium quam optimum faciam. sanum putas? ὁ θησαυρὸς ἄνθραξ ἐς. epistolam tibi misi. Vt tu de prouincia Bruti, & Cassii per S. C. ita scribit & Balbus; & Hirtius quidem, se acturum. etenim iam in Tusculano est: mihique, ut absim, uehementer auctor est: ille quidem, periculi caussa; quod sibi etiam fuisse dicit: ego autem, etiam ut nullum periculum sit, tantum abest, ut Antonij suspicionem fugere non curem, ne uidear eius secundis rebus non delectari, ut mihi caussa sit, cur Romam uenire nolim, ne illum uideam. Varro autem noster ad me epistolam misit, sibi a nescio quo missam, (nomen enim delerat) in qua scriptum erat, ueteranos eos, qui reijciantur, (nam partem esse dimissam) impossibile loqui; ut magno periculo Romae sint futuri, qui ab eorum partibus dissentire uideantur. Quis porro noster itus, reditus, uultus, incessus inter istos? quod si, ut scribis, L. Antonius in Decimum, reliqui in nostros; ego quid faciam? aut quo me pacto geram? mihi uero deliberatum est, ut nunc quidem est, abesse ex ea urbe, in qua non modo florui cum summa, uerum etiam seruiui cum aliqua dignitate. nec tam statui ex Italia exire, de quo tecum deliberabo, quam istuc non uenire.

EXPLANATIO

VTRVM *de duobus.* } Romam eant, nec ne. id enim considerabant, sed ueteranos timebant, quorum ad Kalendas Iunias magna multitudo in urbe affutura erat. in libro superiore in extremo, Moneor, inquit, a multis, ne in senatu Kalendis. dicuntur enim occulte milites ad eam diem comparari, & quidem in istos; qui mihi uidentur ubi uis tutius, quam in senatu, fore. Et in epistola, quae utriusque nomine ad Antonium scripta legitur fam. lib. 10. cum hoc ipsum consultarent, num in urbe tuto esse possent, Scribitur, inquiunt, nobis, magnam ueteranorum multitudinem Romam conuenisse iam, & ad

ad Kalendas Iunias futuram multo maiorem. petimus a te, facias nos certiores tuae uoluntatis, putes ne nos tutos fore in tanta frequentia ueteranorum: quos etiam de reponenda ara cogitare audimus. Congruit igitur & tempus, & sententia: ut explanem sic, Utrum de duobus, utrum Romam eant, an in iisdem locis maneant. ὁ θησαυρὸς ἄνθρακες } adagium est, ab eo, qui thesaurum sperans carbones inuenit, transfertur ad eos, quibus opinione & spe frustratis aliquid euenit contra quam uolebant. Ergo sensus est. Cassium numquam putaui fore tam stultum, ut crederet Hirtium a me fieri quam optimum posse. Cum enim Caesarem Hirtius magnopere dilexisset; Cassio & Bruto, e Caesaris interfectoribus, qui poterat non inimicus esse? aperte indicant quae scripta sunt epist. 12. Meus, inquit, discipulus (Hirtium significat) ualde amat illum, quem Brutus noster sauciauit: &, si quaeris, timent otium: ὑπόθεσιν autem hanc habent, eamque praeferunt, uirum clarissimum interfectum &c. EPISTOLAM *tibi misi.* } quam Cassius ad me misit. VT *tu de prouincia &c.* } ut tu scribis de prouincia Bruto, itemque Cassio per S.C. mandanda, ita & Balbus scribit. IAM *in Tusculano est* } ut iam in urbem peruenerit, cum in Tusculano sit. PERICVLI *caussa* } suadet, ne Romam proficiscar; quod ibi non putet me sine periculo esse posse. SIBI *etiam* } se etiam dicit abfuisse periculi caussa. TANTVM *abest &c.* } si Romam non uenio, suspicari poterit Antonius ideo me non uenire, quod eum summis opibus, summaque dignitate florentem non libenter uideam. sed ego tantum abest, ut hanc eius suspicionem curem fugere, ut etiam ob id ipsum Romam uenire nolim, ne illum uideam. FVGERE *non curem* } perspicuum est, negatiuam abundare. QVI *reiiciantur* } a portione publici agri. fam. epist. 2. lib. XI. INTER *istos?* } inter Caesarianos: cum in urbe ero. L. *Antonius* } Marci frater. IN *Decimum* } in Decimum Brutum profectus est. NOSTROS } hac uoce semper M. Brutum, & C. Cassium designat, ut epist. 4. Scribis te nescire, quid nostris faciendum sit. Item epist. 1. lib. 14. & 6. huius libri. SERVIVI } Caesare uiuo.

Cicero S. D. Attico. 6.

CVM ad me Brutus noster scripsisset, & Cassius, ut Hirtium, quem adhuc bonum fuisse sciebant, neque confidebant fore, mea auctoritate meliorem facerem, (Antonio est enim fortasse iratior, caussae uero amicissimus) tamen ad eum scripsi, eiq. dignitatem Bruti, & Cassii commendaui. ille quid mihi rescripsisset, scire te uolui, si forte idem tu, quod ego, existimares, istos etiam nunc uereri, ne forte ipsi nostri plus animi habeant, quam habent.

Hirtius Ciceroni suo S.

Rure an redierim, quaeris. an ego, cum omnes caleant, ignauiter aliquid faciam? etiam ex urbe sum profectus: utilius enim statui abesse. has tibi litteras exiens in Tusculanum scripsi. noli autem me tam strenuum putare, ut ad nonas recurram. nihil enim iam uideo opus esse nostra cura: quoniam praesidia sunt in tot annos prouisa. Brutus, & Cassius utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod callidius ineant consilium. cedentes enim haec ais scripsisse: quo? aut quare? retine, obsecro te, Cicero illos: noli sinere haec omnia perire, quae funditus mediusfidius rapinis, incendiis, caedibus peruertuntur. tantum, si quid timent, caueant, nihil praeterea moliantur. non mediusfidius acerrimis consiliis plus, quam etiam inertissimis, dum modo diligentibus, consequentur. haec enim, quae fluunt, per se diuturna non sunt, in contentione praesentes ad nocendum habent uires. quid speres de illis, ad me scribe.

Habes Hirtii epistolam: cui rescripsi, nil illos callidius cogitare, idque confirmaui. hoc qualecumque esset te scire uolui. Vale.

OBSIGNATA iam epistola, Balbus ad me, Seruiliam rediisse, confirmare non discessuros. nunc exspecto a te litteras.

EXPLANATIO

CAVSSAE } Caesarianae. ISTOS } Hirtium, & alios Caesaris amicos. CALEANT, } in agendis rebus acriter uersentur: μεταφορικῶς: quale illud epist. 16. lib. 4. Iudicia calent, pro exercentur. Et epist. 2. l. 3. ad Q. fr. Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius. Et Coelius in epist. ad Ciceronem: Quod tibi supra scripsi, Curionem frigere; iam calet: nam feruentissime concerpitur. AD *nonas* } ut in senatu adsim, nam eo die senatus erat futurus. epist. 9. PRAESIDIA } magistratus in biennium designati; consules quidem, Hirtius, & Pansa; post eos, D. Brutus, & L. Plancus. nam Caesar, ad bellum Parthicum profecturus, paucis diebus ante, quam occideretur, designauerat magistratus in biennium: ut essent, qui ipso absente res urbanas administrarent. Dio. PER *se* } Bruto enim & Cassio rem ad contentionem deducentibus, haec mala diuturna erunt, quae ipsa per se non essent. Verebatur enim Hirtius, ne Cassius & Brutus eo consilio discederent, ut, exercitu comparato, armati, redirent de rep. dimicaturi. ideo dixit Cicero: Isti uerentur, ne nostri plus animi habeant, quam habent. SERVILIAM: } M. Bruti matrem, sororem Catonis Uticensis. REDIISSE } Lanuuio, ubi filium, & Cassium erat allocuta. NON *discessuros* } Brutum & Cassium ex Italia non exituros.

Cicero S. D. Attico. 7.

GRATVM, quod mihi epistolas: quae quidem me delectarunt, in primis Sexti nostri. dices, quia te laudat. puto mehercule id quoque esse caussae: sed tamen etiam ante, quam ad eum locum ueni, ualde mihi placebat cum sensus eius de rep. tum scribendi cura. Seruius uero pacificator cum librariolo suo ui detur obiisse legationem, & omnes captiunculas pertimescere. debuerat autem, Non ex iure manu consertum, sed quae sequuntur. Tu quoque scribes.

EXPLANATIO

SEXTI } Pompeij. SERVIVS uero pacificator } Ser. Sulpicius iurisconsultus, pacem curans inter ciues. CVM librariolo suo } cum librario, cuius uti opera solitus est. LEGATIONEM } cū hunc, & illū conueniat pacis caussa, quasi legationem hac de re susceperit. OMNES captiunculas pertimescere. } quas diligenter uitare solent iurisperiti. Agit Seruius de pace, ut legatus: agit caute, ut iuriscōsultus, captiones timēs. NON ex iure manu consertum } Ennii uersus: Non ex iure manu con sertū, sed mage ferro Rem repetunt, regnumq. petunt, uadunt solidaui. Quos uersus apud Gellium licet uidere lib. 20. ca. 9. ep. 13. lib. 7. fam. & orat. pro Murena. Est aūt Ex iure manu consertum uocare, litem intendere, in iudiciū uocare. quod non est agendū cum iis, qui libertatem nobis eripiunt. sed ferro potius, ut ait Ennius, repetenda res est. SED quae sequuntur. } sequuntur haec: Sed mage ferro Rem repetunt &c. Quae Seruius agere debuit, non, ut agit, de iure disputare, pacis conciliandae gratia. TVQVE scribes. } ad Seruium scribes, quid eum facere par sit.

Cicero S. D. Attico. 8.

POST tuum discessum binas a Balbo, nihil noui: itemq. ab Hirtio, qui se scribit uehementer offensum esse ueteranis. exspectat animus, quidnam agant de kal. Martijs. misi igitur Tironem, & cum Tirone plures, quibus singulis, ut quid accidisset, daret litteras. atque etiam scripsi ad Antonium de legatione: ne, si ad Dolabellam solum scripsissem, iracundus homo commoueretur. quod autem aditus ad eum difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas litteras redderet, legatione mihi opus esse. honestior est notiua: sed licet uti utraque. De te quaeso etiam atque etiam uide. uelim possis coram: si minus, litteris idem consequemur. Graeccius ad me scripsit, C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. id quidem mihi non uidebatur: sed cauendum tamen, ut ille, quae plures uident. debet aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis dare. Vale.

EXPLANATIO

VETERANIS } quod tam frequentes Romam uenerint, spe nouatum rerum a consulibus incitati. Puto enim significari quod est in 1. Philippica: Veterani qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissime cauerat, non ad conseruationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem nouarum praedarum incitabantur. DE Kal. Martiis } de eo, quod eo die agere decreuerunt. sed locum hic esse Kalendis Martijs non uideo: Iunijs posset esse: quibus, futurum erat, ut ageretur in senatu de commodis ueteranorum. fam. epist. 2. lib. XI. EVTRAPELVM } Volumnium Eutrapelum, Antonij familiarissimum, qui etiam illi amicam suam Cytheridem concesserit. fa. ep. ult. l. 9. & Seruius in ult. ecloga. VTRAQVE } utar tam prouinciali, quam uotiua. DE te } scripserat Atticus, sibi quoque in animo esse legationem liberam petere, sed usurum in ea re Ciceronis consilio. uide epist. 9. CORAM } mecum de tua legatione deliberare. VT ille } ut poeta ille scriptum reliquit. uidetur enim illud, Cauendum quae plures uident, de uetere poeta sumptum.

Cicero S. D. Attico. 9.

III. non. uesperi a Balbo redditae mihi litterae, fore nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum, & ad urbem mittendum curarent. o rem miseram: primum ullam ab istis, dein, si aliquam, hanc legatariam prouinciam: atque haud scio, an melius sit, quam ad Eurotam sedere. sed haec casus gubernabit. ait autem, eodem tempore decretum iri, ut & ijs, & reliquis praetorijs prouinciae decernantur. hoc certe melius, quam illa Persicae porticus. nolo enim Lacedaemonem longinquam Lanuuium existimari. rides, inquies, in talibus rebus? quid faciam? plorando fessus sum. Dij immortales, quam me conturbatum tenuit epistolae tuae prior pagina. quid autem iste in domo tua casus armorum? sed hunc quidem nimbum cito transiisse laetor. tu quid egeris tua cum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, uehementer exspecto. est enim inexplicabilis: ita circumsidemur copijs omnibus. me quidem Bruti litterae, quas ostendis a te lectas, ita perturbarunt, ut, quamquam ante egebā consilio, tamen animi dolore sim tardior. sed plura, cum ista cognoro. hoc autem tempore, quod scriberem, nihil erat, eoq. minus, quod dubitabam, tu has ipsas litteras esses ne accepturus. erat enim incertum, ut uerus ne te esset tabellarius. ego tuas litteras uehementer exspecto.

EXPLANATIO

VLLAM *ab istis*, } ullam prouinciam accipere a Caesarianis? Maluisset enim Cicero utrumque in urbe manere; quod ijs praesentibus magnum praesidiũ resp. uideretur habitura. LEGATARIAM } per contemptum; quod quasi legati ad curandum frumentum mitterentur. Scribit Appianus libro III. senatum Bruto & Cassio timentem, demandato rei frumentariae munere, honeste illos amandasse. AD *Eurotam* } usque eo legatariam istam prouinciam parui facio, ut nesciam, utrum ea sit melius uti, quam prorsus nihil agere, & Lanuuij sedere. Lanuuij enim erat Brutus. *Eurotam*: fluuium Laconiae. Lanuuij pictum in porticu, quae Persice dicebatur, fortasse quod in ea simulacrum pugnae fuerit, qua Persae a Graecis caesi sunt. PROVINCIAE *decernantur* } ad quas ex praetura proficiscantur. nunc enim & Cassius & Brutus praetores erant, neque prouincias poterant administrare nisi post confectum annuum praeturae tempus. interea datum negotium, ut frumentum curarent. NOLO *enim &c.* } quia Eurotam nominaui, fortasse poteras accipere de Lacedaemone, quam praeterfluit Eurotas: ideo addidi de Persice porticu: ut intelligeres, me de Eurota picto locutum, & Lanuuium significare, non Lacedaemonem, quae longe abest. Bessarionis liber hic habet, Lacedaemouem cum Lanuuium existimauit. quod esse mendosum constat. CASVS *armorum* } rixam significat nescio quam in Attici domo ortam, ita, ut ad arma uentum sit. NIMBVM *cito transijsse* } rixam mature sedatam. TRISTI } quod Atticus legationis specie migrare alio uellet, ne tam turbulenta in urbe uiueret. DIFFICILI *ad consiliandum* } de qua ego tibi consilium dare non facile possim. Hac de re in epistola proxima superiore, his uerbis: De te quaeso etiam atque etiam uide.

Cicero S. D. Attico. 10.

O BRVTI amanter scriptas: o iniquum tuum tēpus, qui ad eum ire non possis. ego autem quid scribam? ut beneficio istorum utantur? quid turpius? ut moliantur aliquid? nec audent, nec iam possunt. age, quiescant auctoribus nobis? quis incolumitatem praestat? si uero aliquid de Decimo gratius; quae nostris uita, etiam si nemo molestus sit? ludos uero non facere, quid foedius? frumentum imponere, quae est alia Dionis legatio? aut quod munus in rep. sordidius? prorsus quidem consilia tali in re ne ijs quidem tuta sunt, qui dant: sed possim id negligere proficiens: frustra uero quid ingrediar? matris consilio cum utatur, uel etiam precibus, quid me interponam? sed tamen cogitabo, quo genere utar litterarum: nam silere non possum. statim igitur mittam uel Antium, uel Circaeos. Vale.

EXPLANATIO

QVID *scribam?* } ad Brutum, & Cassium. BENEFICIO *istorum* } curatione frumentaria. SI *uero aliquid de Decimo gratius*; } si quid de Decimo Bruto laetius affertur, ut de Antonio repulso, de prouincia Gallia in senatus potestate retenta: quae nostris, idest Bruto, & Cassio, uita? quasi dicat, obscura prorsus, & inhonorata, qui Lanuuij sedendo tempus triuerint. Antiquus liber Caualcantis: Si uero aliquid de D. gratiusq. nostris: ut nulla fere mutatione locũ, ut opinor, restituerim. LVDOS *uero non facere* } praetores ludos facere soliti erant. ideoq. turpe dicit futurum M. Bruto, si eos praetermisisset. qui postea constituit, ut absente se fierent, cum ipse in urbe tuto esse non posset. ep. XI. & Plutarchus. FRVMENTVM *imponere* } mandare Bruto, & Cassio, ut frumentum curent, hoc est eos specie legationis tamquam in exsulium mittere: sicuti Dionysius tyrannus Dionem ablegauit; cum tamen eum diceret non in exsulium a se missum, sed paulisper secessisse. Plutarchus, & Probus. quamquam apud eos legationis nulla mentio. sed potuit Dionysius, ad tollendam inuidiam facti, inter cetera & hoc fingere, Dionem a se legatum aliquo missum. PRORSVS *quidem &c.* } in tali re si quis uelit illis consilium dare, sine periculo non possit: sed ego, si modo quid proficere, & illos consilio iuuare possem, periculum negligerem. FRVSTRA }, quia nihil proficerem, etiam si proponerem illi quod maxime gloriosum esset. me. n. non audiret, qui matri talibus in rebus obtemperet. CVM *utatur* } Brutus. QVO *genere utar litterarum* } ad illos. MITTAM } litteras uel Antium, uel Circaeos. nã alterutro in loco futuri erant Brutus, & Cassius.

Cicero S. D. Attico. 11.

ANTIVM ueni ante VI. kal. Bruto iucundus noster aduentus. deinde, multis audientibus, Seruilia, Tertulla, Porcia, quaerere, quid placeret. aderat etiam Fauonius. ego, quod eram meditatus in uia, suadere, ut uteretur Asiatica curatione frumenti, nihil esse iam reliqui, quod ageremus, nisi ut saluos esse; in eo etiam ipsi reip. esse praesidium. quam orationem cum ingressus essem, Cassius interuenit. ego eadem illi repetiui. hoc loco, fortibus sane oculis, Cassius, (Martem spirare diceres) se in Siciliam non iturum. ego ne ut beneficium accepisse in contumelia? quid ergo agis? inquam. at ille, in Achaiam se iturum. quid tu, inquam,

quam, Brute? Romam, inquit, si tibi uidetur. mihi uero minime: tuto enim non eris. quid, si posses esse, placeret ne? atque ut omnino neque nunc, neque ex praetura in prouinciam ires: sed auctor non sum, ut te urbi committas. dicebam ea, quae tibi profecto in mentem ueniunt, cur non esset tuto futurus. multo inde sermone querebantur, atque id quidem Caßius maxime, amissas occasiones; Decimumq. grauiter accusabat. ea negabam oportere praeterita: assentiebatur tamen. cumq. ingressus essem dicere, quid oportuisset, nec uero quidquam noui, sed ea, quae quotidie omnes; nec tamen illum locum attingere, quemquam praeterea oportuisse tangi, sed senatum uocari, populum ardentem studio uehementius incitari, totam suscipere remp. exclamat tua familiaris: Hoc uero neminem umquam audiui. ego repressi. sed & Cassius mihi uidebatur iturus; (etenim Seruilia pollicebatur se curaturam, ut illa frumenti curatio de s. c. tolleretur) & noster cito deiectus est de illo inani sermone. uelle enim se dixerat. constituit igitur, ut ludi, absente se, fierent suo nomine. proficisci autem mihi in Asiam uidebatur ab Antio uelle. ne multa nihil me in illo itinere, praeter conscientiam, delectauit. non enim fuit committendum, ut ille ex Italia prius, quam a me conuentus esset, discederet. hoc dempto munere amoris atque officij, sequebatur, ut mecum ipse:

Ἡδ' ὠφόδος ἐστὶ τὶ δυνάτου νῦν δεῦρ' ὁδοῦ?

prorsus dissolutum offendi nauigium, uel potius dissipatum. nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. itaque etsi ne antea quidem dubitaui, tamen nunc eo minus, euolare hinc, idq. quamprimum, ubi

Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.

Sed heus tu, ne forte sis nescius Dolabella me sibi legauit ad IV. non. Apr. id mihi heri uesperi nunciatum est. uotiua ne tibi quidem placebat. etenim erat absurdum, quae, si stetisset resp. uouissem, ea me, euersa illa, uota dissoluere. & habent, opinor, liberae legationes definitum tempus lege Iulia, nec facile addi potest: idq. adeo genus legationis, ut, cum uelis, introire, exire liceat. quod nunc mihi additum est. bella est autem huius iuris quinquennij licentia. quamquam quid de quinquennio cogitem? contrahi mihi negotium uidetur. sed βλάσφημα mittamus. Vale.

EXPLANATIO

SERVILIA, *Tertulla, Porcia,* } matre, sorore, coniuge M. Bruti. VT *saluos esse* } ut saluti consuleremus: uel, ut saluus esse posset. sic enim licet explanare, cum in antiquo Caualcantis libro, Vt saluus esse, scriptum sit. MARTEM *spirare* } terribile quiddam adspectu praeseferre. quod de Scaeuola infra Graece dixit, ἄρη πνέων, ep. 4. lib. 3. ad Q. fr. IN *Siciliam* } rei frumentariae caussa: ep. 9. EGO *ne* } ego ne, Cassius aiebat, ut beneficium accepisse uidear in contumelia? ut, quae contumelia est, eam beneficij loco ponam? Clarius explanemus. Si hac, inquit, frumentaria uterer curatione, quodam modo fateri uiderer, beneficium mihi esse datum, cum ego ita sentiam, tam sordido munere demandato, non datum beneficium, sed impositam contumeliam. NEQVE *nunc* } quia tum gerebat praeturam Brutus. DECIMVMQ. *grauiter accusabat* } qui cum & Galliam prouinciam, & in ea tres legiones haberet, otiosus nihil pro rep. moliretur. QVID *oportuisset* } ab illis fieri. QVEMQVAM *praeterea oportuisset tangi* } etiam M. Antonium oportuisse occidi. Id autem M. Brutus uetuerat, ut tantummodo tyrannum odisse uideretur. Sed, quoniam uideo esse antiquos libros, a quibus absit dictio, Tangi; uenio in opinionem, distinctione mutata, sic esse legendum: Nec tamen illum locum attingere quemquam praeterea oportuisse, sed senatum uocare, populum ardentem studio uehementius incitare, totam suscipere rempublicam; Vt actiue, quemadmodum grammatici loquuntur, omnia ponantur. SENATVM *uocari* } uide ep. 16. & 20. lib. 14. TVA *familiaris* } Seruilia Bruti mater. ITVRVS } in Achaiam. NOSTER } Brutus. epist. 12. INANI *sermone* } cum dixit, se Romam iturum. VELLE *enim se dixerat* } uel Asiatica curatione frumenti. ἡ δ' ὠφόδος &c. } ueteris poetae senarium usurpans, loquitur ad se ipsum: Quid profecisti o Cicero hoc tuo ad Brutum itinere? nihil sane: tantum amori satis atque officio fecisti. PELOPIDARVM } malorum ciuium. epist. 12. lib. 14. integer senarius est: Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam. usus est Cicero eodem uersu & in epistola ad Curium, libro VII. fam. mutatis paullisper uerbis, sententia tamen & metri ratione seruata, sic: Nec Pelopidarum nomen, neque facta audiam. AD IV. *non. Apr.* } ut ad IV. non. Apr. cum eo legatus in Syriam proficiscar. VOTIVA } legatio. SI *stetisset* } si dij darent, ut resp. staret; uoui. cum autem resp. non stet, sed euersa plane sit; cur uota dissoluam, cum id, cuius caussa uoui, non successerit? Sic & Liuius lib. XXI. C. Atilius Serranus praetor uota suscipere iussus, si in x. annos resp. eodem stetisset statu. & lib. XXX. Consulibus imperatum, ut ludos magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus dictator uouisset, si eodem statu resp. staret. LIBERAE *legationes* } quarum in numero uotiua erat. dabantur enim priuatae rei caussa. IDQ. *adeo genus legationis* } liberae. QVOD *nunc mihi additum est* } ut, quamquam non sit haec mea libera legatio, liceat mihi tamen introire, exire, cum uelim. QVINQVENNII *licentia* } ut legatus per quinquennium abesse possim. CONTRAHI } cum res ad bellum, & caedem spectare uideatur. Βλάσφημα *mittamus* } ne nobis male ominemur, quasi ad quinquennium uicturi non simus.

Cicero S. D. Attico. 12.

BENE *mehercule de Buthroto. at ego Tironem ad Dolabellam cum litteris, quia iusseras, miseram. quid nocet? De nostris autem Antiatibus satis uidebar plane scripsisse, ut non dubitares, essent quin otiosi futuri, usuriq. beneficio Antonij contumeliose. Cassius frumentariam rem aspernabatur. eam Seruilia sublaturam*

laturam s. c. se esse dicebat. noster uero, καὶ μάλα σεμνῶς, in Asiam; postea quam mihi est assensus, tuto se Romae esse non posse. ludos enim absens facere malebat. statim autem se iturum, simul ac ludorum apparatum ijs, qui curaturi essent, tradidisset. nauigia colligebat: erat animus in cursu. interea in eisdem locis erant futuri. Brutus quidem se aiebat Asturae. L. quidem Antonius liberaliter litteris sine cura me esse iubet. habeo unum beneficium: alterum forte, si in Tusculanum uenerit. o negotia non ferenda, quae feruntur tamen. τὴν δ' αἰτίαν τῶν Βρούτων τίς ἔχει? Octauiano, ut perspexi, satis ingenij, satis animi: uidebaturq. erga nostros ἥρωας ita fore, ut nos uellemus, animatus. sed quid aetati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει, magni consilij est: uitricus quidem nihil censebat; quem Asturae uidimus. sed tamen alendus est, &, ut nihil aliud, ab Antonio seiungendus. Marcellus praeclare, si praecipit nostro nostri: cui quidem ille deditus mihi uidebitur: Pansae autem, & Hirtio non nimis credebat. bona indoles, ἐὰν διαμένῃ.

EXPLANATIO

Cvm *litteris*] de re Buthrotia. Qvid *nocet*] quamquam, tu scribis, bono loco Buthrotiam rē esse: tamen quid nocet ad Dolabellam ea de re litteras misisse? De *nostris autem Antiatibus*] intelligit Brutum, & Cassium; & Antiates appellat, quod Antij morarentur. Vsvriq. *beneficio Antonij*] abfuturi ab urbe, quod Antonius consul illis concedebat. alioqui, cum praetores essent, abesse non licuisset. Contvmelioso] quia, cum illis Antonius daret, ut abesse possent; adiunxit deinde, ut alter in Asia, alter in Sicilia frumentum emendum, & ad urbem mittendum curarent. in quo uidebatur esse contumelia. nullum. n. munus in rep. sordidius. ep. 1. lib. 14. Noster,] Brutus. καὶ μάλα σεμνῶς] dixit σεμνῶς: quod Brutus, ut ad illustrem & gloriosam prouinciam, sic ad sordidā rei frumentariae curationē aequo animo proficisceretur. sic Plutarchus de Cicerone, cum, affectis supplicio coniuratis, magno optimatū comitatu insignis domum redijt. οὐδὲ γυναῖκες ἐκ τῶν τεγῶν προὔφαινον ἐπὶ τιμῇ καὶ θέᾳ τοῦ ἀνδρὸς ὑπὸ πομπῇ τῶν ἀρίστων μάλα σεμνῶς ἀνιόντος. In *Asiam*] erat profecturus. Sine *cura me esse iubet.*] uult me nō timere Tusculani mei diuisionem. hoc primum est beneficium, quia me iubet esse sine cura: alterum fortasse consequetur: quod? hoc, inquam, si in Tusculanum uenerit; idest, si ad diuisionem uenerit eorum praediorum, quae sunt in agro Tusculano. forte enim, quod litteris pollicetur, id re praestabit, ut mea praedia in diuisione excipiat. Philippica v. *τὴν δ' αἰτίαν &c.*] caussam Brutorum, quis erat, qui tueretur? animatus quidem erga eos ita, ut uellemus, fore uidetur Octauianus; sed, quid aetati credēdum sit, quid nomini, quid hereditati, quid *κατηχήσει*, magni consilij est, quod: & adolescens est, & Caesaris cognomine appellatur, & hereditatem habet ab illo relictam, & utitur eorum consilio, qui Caesarem amant mortuum, nostris liberatoribus inimici. κατήχησις enim ualet instructio, eruditio, doctrina, consilium. habebat autem Octauianus apud se non qui illum ad pacem hortarentur, sed qui ad persequendam Caesaris mortem incitarent, ut est epist. 12. lib. 14. Octauium nego posse bonum ciuem; ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur. Vitricvs] Philippus, Octauiani uitricus, nihil ei censebat esse credendum, propter aetatem, propter nomen, &c. Marcellvs] hic Octauiani sororem in matrimonio habebat; eiusq. pater fuit, cuius mortem Virgilius deplorat in sexto: Heu miserande puer, si qua facta aspera rumpas, Tu Marcellus eris. Nostro *nostri*] Quincto Quincti filio. hoc ad Attici epistolam refero; qui scripserat, Marcellum Quincto filio praecipere, quas partes in rep. sequeretur; quod antea ualde familiaris Antonio fuerat: & eidem postea fuit inimicus. Philippica 3. Ille] Quinctus filius, uel Octauianus. ἐὰν διαμένῃ] si permanserit. & hoc uel ad Quinctum, uel ad Octauianum referri potest. malim tamen ad Octauianum.

Cicero S. D. Attico. 13.

VIII. Kal. duas a te accepi epistolas: respondebo igitur priori prius. Assentior tibi, ut nec duces simus, nec agmen cogamus, faueamus tamen. Orationem tibi misi. eius custodiendae, & proferendae arbitrium tuum. sed quando illum diem, cum tu edendum putes? Inducias, quas scribis, non intelligo fieri posse. melior est ἀναντιρρησία: qua me usurum arbitror. Quod scribis, legiones duas Brundisium uenisse: nos omnia prius: scribes igitur, quicquid audieris. Varronis διάλογον exspecto. Iam probo ἡρακλείδειον, praesertim cum tu tantopere delectere. sed, quale uis, uelim scire. Quod ad te antea, atque adeo prius scripsi, (sic enim mauis ad scribendum tibi uere dicere) fecisti me acriorem ad tuum iudicium, quod mihi erat notū, addidisti Peducaei auctoritatem, magnā quidem apud me, & in primis grauem. enitar igitur, ne desideres aut industriam meam, aut diligentiam. Vectenum, ut scribis, & Faberium foueo. Clodium nihil arbitror malitiose. quamquam, si quid egerit de libertate retinenda, qua certe nihil est dulcius, tibi assentior. Ita ne Gallo? o hominem nequam. quid enim dicam aliud? cautum Marcellum, me sic, sed non tamen cautissimum. Longiori epistolae, superioriq. respondi. nunc breuiori, proprioriq. quid respondeam, nisi eam fuisse dulcissimam? Res Hispanienses ualde bonae. modo Balbilium incolumem uideam, subsidium nostrae senectutis: De Anniano item, quod me ualde obseruat Visellia. sed haec quidem humana. De Bruto te nihil scire dicis: sed Selicia, uenisse M. Scaptium, eumq. non qua pompa, ad se tamen clam uenturum, sciturumq. me omnia. quae ego statim. interea narrat eadem, Bassi seruum uenisse, qui nunciaret, legiones Alexandrinas in armis esse, Bassum arcessi, Cassium exspectari. quid quaeris? uidetur resp. ius suum recuperatura. sed

ne quid ante. nosti horum exercitationem in latrocinio, & amentiam. Dolabella, uir optimus, etsi cum scribebam; secunda mensa apposita, uenisse eum ad Baias audiebam, tamen ad me ex Formiano scripsit. quas litteras, cum e balneo exijssem, accepi, sese de attributione omnia summa fecisse. Vectenum accusat. tricatur scilicet, ut homo talis. sed ait totum negotium Sextium nostrum suscepisse, optimum quidē illum uirum, nostriq. amantissimum: quaero autem, quid tandem Sextius in hac re facere possit, quod non quiuis nostrū? sed, si quid praeter spem erit, facies ut sciam. sin est, ut arbitror, negotium perditum; scribes tamen, neque ista res commouebit. Nos hic φιλοσοφοῦμεθα; (quid enim aliud?) & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμενq. Ciceroni. qua de re enim potius pater filio? deinde alia. quid quaeris? exstabit opera peregrinationis huius. Varronem hodie, aut eras uenturum putabant. ego autem in Pompeianum properabam; non quo hoc loco quidquam pulchrius; sed interpellatores illic minus molesti. sed perscribe quaeso, quae caussa sit Myrtillo: (poenas quidem illum pependisse audiui) & satis ne patet, unde corruptus. Haec cum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. hui quam timeo, quid existimes. etsi quid ad me? quae non sit foras proditura, nisi rep. recuperata: de quo quid sperem, non audeo scribere. Vale.

EXPLANATIO

NEc *duces simus, nec agmen cogamus.* } ut nullum in his dissensionibus neque magnum, neque paruum munus suscipiamus, faueamus tamen remp. defendentibus: metaphora sumpta de re militari. ORATIONEM *tibi misi.* } quae non exstat: nam Philippicae post hoc tempus habitae. QVANDO *illum diem* } quando ita liberi uiuemus, ut eam orationem tuto proferre possimus? INDVTIAS } scribis fore optimum, si quae induciae fieri possint inter hos, quorum animus ad pugnam & ad caedem spectare uidetur. hoc non uideo qui fieri possit. melius est silere, de indutijs uerbum non facere. LEGIONES *duas* } M. Antonius Caium fratrem in Macedoniam misit, qui legiones, quas ibi Caesar ad bellum Parthicum collocauerat, in Italiam transportaret. ad easq. ipse Brundisium mox profectus, cum eas primum ad urbem ducere instituisset, ut audiuit Octauij studio atque uirtute firmo praesidio munitam esse remp. murato consilio in Galliam contra Decimum duxit. Puer egregius, inquit in epistola ad Cornificium, praesidium sibi primum, & nobis, deinde summae reip. comparauit. qui nisi fuisset. Et Philippica 3. Quid hic uictor non audebit, qui senatum stipauerit armatis; armatos in cella Concordiae, cum senatum haberet, incluserit; ad legiones Brundisium cucurrerit, cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, & disperditionem urbis uenire conatus? PRIVS } auditis. IAM *probo ἡρακλείδειον* } quod antea petenti Attico ut aliquod ἡρακλείδειον scriberet, negauerat; ideo dicit, Iam probo. epist. 5. SIC *enim manis &c.* } hic facilius est sententiam uidere, quam uerba restituere. opem exspectabimus antiquorum librorum. PEDVCAEI }, Sex. Peducaei, Attici amicissimi. de quo ep. 1. lib. x. & in Attici uita. INDVSTRIAM } in scribendo. FOVEO } amplector omni studio, ut amici sint. Alibi quoque hoc uerbum in hanc sententiam usurpatur. Vectenum quidem nominat epist. 15. lib. x. Faberium autem epist. 24. lib. 12. & 22. lib. 14. fuit enim scriba Caesaris, ab Appiano nominatus. CLODIVM } apparet amicum Ciceronis esse. non enim post obitum P. Clodij uideo caussam fuisse, cur Cicero Clodios non amaret. & fortasse hic est, quem commendat M. Bruto epist. 1. qui hoc anno tribunus pl. designatus erat. ITA *ne Gallo?* } ignota res, & breuitate magis etiam obscurata. MARCELLVM } potest esse, qui Octauiam in matrimonio habuit, Octauiani sororem, qui Augustus postea fuit. ME *sic* } me quoque non incautum. nam particula, Sic, minuendi uim habet, ut epist. ult. lib. xv. fam. Siue facta sunt, siue sic, fiunt, narrant te, uenustissima. Et apud comicos. RES *Hispanienses* } optima nunciantur de Sex. Pompeio. is enim contra Caesaris partes bellum parabat in Hispania. SELICIA, } forte legendum, Seruilia: ut de Bruti matre intelligatur. sed haec, siue Selicia, Siue Seruilia, uenisse aiebat Scaptium a Bruto. Erat autem hic Scaptius natione Cyprius, Bruto familiaritate coniunctus. epist. 21. lib. 5. NON *qua pompa* } non qua pompa olim solebat, non illo quo solebat insignem comitatu. STATIM } ad te scribam. ALEXANDRINAS, } quatuor legiones, quas e Pompeij, Crassiq. clade dispersas, Cleopatra sub Caesare collectas retinebat. has cum A. Allienus a Dolabella missus educeret, Cassius cum octo legionibus in Palaestina adortus, omnes ad se traduxit. fam. epist. 12. lib. 12. & Appianus lib. 3. BASSVM *arcessi* } a legionibus Alexandrinis, qui illi tradere se uellet. De Caecilio Basso epist. 9. lib. 14. NE *quid ante* } modo ne quid aute accidat. AD *Baias* } Baianas aquas Dolabella petierat ualetudinis caussa: quarum salubritatem illi gratulatus est Cicero epistola, quae legitur lib. 9. fam. hoc principio: Gratulor Baijs nostris, si quidem, ut scribis, salubres repente factae sunt. DE *attributione omnia summa fecisse* } ut ij. qui ipsi debent, mihi se soluturos pollicerentur. epist. 3. lib. 16. Attributa pecunia dicebatur, auctore Pediano, quem in stipendium militum de aerario promptam tribuni aerarij adnumerare quaestori solebant. deinde etiam ad alias res, non minus priuatas quam publicas, loquendi consuetudo deflexit. exēplis plena sunt omnia. VECTENVM *accusat* } debitorem suum, qui sibi, qua die promiserat, non soluerit. SVSCEPISSE } quoniam ipse ad Baias futurus esset, ut a debitoribus suis non posset exigere. quod Ciceroni numeraturum se diceret. QVAERO *autem* } ostendit Dolabellam eo consilio rem differre, ut numquam solueret. Cur, inquit, sua nomina Sextio potius tradidit exigenda, quam nobis? quid potest in ea Sextius, quod quiuis nostrum non possit? sed uidelicet de solutione non cogitat: ideo nobis

nomina non assignauit. PRAETER *spem* } si qua spes est exigendae a Dolabella pecuniae: quod ego quidem antea non speraui. itaque praeter spem erit, si quid exigetur. τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος. } quae de officio sunt. scribebat enim libros de officijs, quos ad filium misit. TANTUM *quod* } commodum, uix, tantum: ut in Verrem, Tantum quod hominem non nominat: caussam quidem totam perscribit.

Cicero S. D. Attico. 14.

VI. KAL. accepi a Dolabella litteras, quarum exemplum tibi misi: in quibus erat, omnia se fecisse, quae tu uelles. statim ei rescripsi, & multis uerbis gratias egi: sed tamen, ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc caussae sumpsi, quod ex te ipso coram antea nihil potuissem cognoscere. sed quid multa? litteras hoc exemplo dedi. Cicero S. D. Dolabellae cos. suo. Antea cum per litteras Attici nostri de tua summa liberalitate, summoq. erga se beneficio certior factus essem; cumq. tu ipse etiam ad me scripsisses, te fecisse ea, quae nos uoluissemus: egi tibi gratias per litteras ijs uerbis, ut intelligeres, nihil te mihi gratius facere potuisse. postea uero quam ipse Atticus ad me uenit in Tusculanum huius unius rei caussa, tibi ut apud me gratias ageret; cuius eximiam quandam, & admirabilem in caussa Buthrotia uoluntatem, & singularem erga se amorem perspexisset: teneri non potui, quin tibi apertius illud idem his litteris declararem. ex omnibus enim, mi Dolabella, studijs in me, & officijs, quae summa sunt, hoc, scito mihi & amplissimum uideri, & gratissimum esse, quod perfeceris, ut Atticus intelligeret, quantum ego te, quam tu me amares. quod reliquum est Buthrotiam & caussam; & ciuitatem, quamquam a te constituta est, (beneficia autem nostra tueri solemus) tamen uelim, receptam in fidem tuam, a meq; etiam tibi commendatam, auctoritate, & auxilio tuo tectam uelis esse. satis erit in perpetuum Buthrotijs praesidijs; magnaq. cura, & sollicitudine Atticum, & me liberaris; si hoc honoris mei caussa susceperis, ut eos semper a te defensos uelis. quod ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. His litteris scriptis, me ad συντάξεις dedi: quae quidem, uereor, ne miniata cerula tua pluribus locis notandae sint: ita sum, μετέωρος, & magnis cogitationibus impeditus.

EXPLANATIO

QVAE *tu uelles.* } de re Buthrotia. Συντάξεις } scriptionem librorum περὶ τοῦ καθήκοντος. epist. 13. MINIATA *cerula* } Atticus in Ciceronis libris ea, quae non probaret, notare miniata cera solitus erat. epist. x. lib. 16. Nostrum, inquit, opus tibi probari laetor: ex quo ante ipse posuisti, quae mihi florentiora sunt uisa tuo iudicio. cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam.

Cicero S. D. Attico. 15.

L. ANTONIO male sit, siquidem Buthrotijs molestus est. Ego testimonium composui: quod, cum uoles, obsignabo. Tu nummos Arpinatum, si L. Fadius aedilis petet, uel omnes reddito. ego ad te alia epistola scripsi de HS c x, quae Statio curarentur. si ergo petet Fadius, ei uolo reddi; praeter Fadium, nemini. apud me item puto depositum: id scripsi ad Erotem, ut redderet. Reginam odi. me iure facere scit. sponsor promissorum eius Ammonius: quae quidē erant φιλόλογα, & dignitatis meae, ut uel in concione dicere auderem. Saram autem praeterquam quod nefarium hominem cognoui, praeterea in me contumacem. semel eū omnino dominae uidi. cum φιλόστοργος ex eo quaererem, quid opus esset; Atticum se dixit quaerere. superbiam autem ipsius reginae, cum esset trans Tiberim in hortis, commemorare sine magno dolore non possum. nihil igitur cum istis: nec tam animum me, quam stomachum, non habere arbitrantur. Profectionem meam, ut uideo, Erotis dispensatio impedit. nam eum ex reliquis, quae nonis Apr. fecit, abundare debeam, cogor mutuari: quodq. ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum putabam. sed haec Tironi mandaui, quem ob eam caussam Romam misi. te nolui impeditum impedire. Cicero noster quo modestior est, eo me magis cōmouet. ad me enim de hac re nihil scripsit, ad quem nimirum potissimum debuit. scripsit hoc autem ad Tironem, sibi post kal. Apr. (sic enim annuum tempus confici) nihil datum esse; tibi pro tua natura semper placuisse, teq. existimasse id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modo liberaliter a nobis, sed etiam ornate, cumulateq. tractari. quare uelim cures, (nec tibi essem molestus si per alium hoc agere possem) ut permutetur Athenas, quod sit in annuum sumptum. & scilicet Eros numerabit. eius rei caussa Tironem misi. curabis igitur, & ad me, si quid tibi de eo uidebitur, scribes.

EXPLANATIO

L. ANTONIO &c. } L. Antonius septem uir agris diuidundis, quod Philippicae orationes ostendunt, agri Buthrotij diuisionem urgebat. TESTIMONIVM: } quo testor ea, quae de Buthrotijs me presente cum Caesare sunt acta. NVMMOS *Arpinatum* } Arpinates nummos apud Ciceronem deposuerant. AEDILIS } aedilitas erat in Arpinati municipio: alius magistratus praeterea non creabatur. fam. epist.

epist.12.li.13. Si *ergo* } superiore uersu κατὰ παρένθεσιν interposito, redit ad nummos Arpinatum. Item } praeter nummos Arpinatum puto pecuniae quiddam apud me depositum. Erotem } hic, ut antea diximus, Ciceronis rationes administrabat. Reginam } Cleopatram. ep.8.& 20.lib.14. Promissorum } Ciceroni quiddam spoponderat Hammonius pro regina. Cum *istis* } subintellige, sit. Nolo, inquit, mihi quidquam esse cum istis. Nec *tam animum &c.* } putant me non modo animum non habere, ut ulcisci audeam, sed nec stomachum, ut irascar. Profectionem *meam*, } in Graeciam. ep.13. & 16. lib.14. Dispensatio } male dispensauit Eros pecuniam ex meis nominibus exactam. Ex *reliquis* } Eros nonis Aprilibus rationes omnes confecerat: summaque facta, quantum pecuniae Ciceroni deberetur, quantum alijs ab ipso, apparebat Ciceroni tantum pecuniae superare, ut non modo non egere, sed etiam abundare deberet. Reliquus: } reliqua fecerat Eros. quae Cicero haberet in nominibus. Eandem uocem usurpauit epist.14.lib.16. Cum tanta reliqua sint; ne Terentiae quidem adhuc quod soluam expeditum est. & epist.20. Ex *istis fructuosis rebus receptum* } mercedes intelligit, quae Romae capiebantur ex insulis, & aedibus locatis. epist.13. Ad *illud fanum* } quod erigere filiae cogitauerat. lib.XII. Sepositum *putabam* } nunc uideo id ab Erote in alias res erogatum. quod si seposuisset ad fanum, ut ego existimabam; nunc ea pecunia uti possem; cum interea cogor mutuare. Tironi *mandaui* } ut meas rationes cum Erote cognosceret. epist.17.& 20. Nihil *datum esse* } in sumptum huius anni. Numerabit } quantum tu Athenis filio permutandum curaueris, tantundem tibi Eros numerabit. Eius *rei caussa* } ut, cognitis cum Erote rationibus, curaret quod tibi numeraretur.

Cicero S. D. Attico. 16.

Tandem a Cicerone tabellarius: & mehercule litterae πεπινωμένως scriptae: quod ipsum προκοπήν aliquam significaret. itemq. ceteri praeclara scribunt. Leonidas tamen retinet suum illud ADHVC. *summis uero laudibus Herodes. quid quaeris? uel uerba mihi dari facile patior in hoc, meq. libenter praebeo credulum. Tu uelim, si quid tibi est a tuis scriptum, quod pertineat ad me, certiorem me facias.* *Narro tibi: haec loca uenusta sunt, abdita certe, &, si quid scribere uelis, ab arbitris libera; sed nescio quo modo οἶκος φίλος: itaque me referunt pedes in Tusculanum: & tamen haec ῥωπογραφία ripulae uidetur habitura celerem satietatem. equidem etiam pluuias metuo, si prognostica nostra uera sunt: ranae enim ῥητορεύουσιν. Tu, quaeso, fac sciam, ubi Brutum nostrum, & quo die uidere possim. Vale.*

EXPLANATIO

Πεπινωμένως } eleganter. Praeclara *scribunt* } de filio. Retinet *suum illud, Adhuc* } Leonides cum Ciceronem meum in suis litteris laudat semper adiungit, Adhuc: quasi uereatur, ne diuturnum id non sit futurum. Et fortasse ita scripserat Leonides: Filius tuus adhuc praestat se, qualem uolumus. ep.16.lib.14. Summis *uero laudibus* } summe laudat filium Herodes. epist.17.lib.14. A *tuis* } qui Athenis tua negotia curant. Quod *pertineat ad me* } quo significatur aliquid de filio. Narro *tibi*: } fecimus initium epistolae. sic autem saepe Cicero locutus in rebus, quae tamquam nouae significantur. epist. 21.& lib.2.epist.XI. Haec *loca* } Pompeianum intelligit. epist.13. οἶκος φίλος } domum suam appellat Tusculanum; quod ibi frequentior soleret esse, quam usitatius adagium, οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. Et *tamen haec* } ut ommittam, quod οἶκος φίλος: praeterea quae nunc me delectat uirgultorum humiliumque plantarum in ripa fluminis descriptio, ea uidetur celerem habitura satietatem. Ranae *enim*: ῥητορεύουσιν } declamitant, quasi rhetorum more sermonem frequentant. Graeci κοάζειν uocant. quod est imminentis pluuiae signum. unde illud Virgilij, Et ueterem in limo ranae cecinere querellam. Et in Arateis uersibus, a Cicerone conuersis: in quibus cum alia prognostica sunt, tum hoc de ranis. propterea dixit proxime, Prognostica nostra: ut epist.1.lib. 2. Prognostica mea propediem exspecta.

Cicero S. D. Attico. 17.

Duas accepi postridie idus, alteram eo die datã, alteram idibus, prius igitur superiori. De Bruto cum scies. De consulum ficto timore cognoueram. Sica enim φιλόστοργος ille quidem, sed tumultuosus ad me etiam illam suspicionem pertulit. Quid tu autem; τὰ μὲν διδόμενα? nullum enim uerbum a Siregio. non placet. De Plaetorio uicino tuo, permoleste tuli, quemquam prius audisse, quam me. De Syro prudenter. L. Antonium per Marcum fratrem, ut arbitror, facillime deterribis auctoritate, uel ui: sed nõ dum acceperas litteras. nec cuiquam, nisi L. Fadio aedili. aliter enim nec ante, nec iure fieri potest. Quod scribis tibi deesse HS c. quae Ciceroni curata sint: uelim ab Erote quaeras, ubi merces insularum. Arabioni de Sito nihil irascor. ego de itinere, nisi explicato A, nihil cogito. quo idem tibi uideri puto. Habes ad superiorem: nunc audi ad alteram. Tu uero facis, ut omnia, quod Seruiliae non dees, id est Bruto. De Regina gaudeo te nõ laborare, certe etiam tibi probari. Erotis rationes & ex Tirone cognoui, & uocaui ipsum. Gratissimum, quod polliceris, Ciceroni nihil defuturum: de quo mirabilia Messalla; qui, Lanuuio rediens ab illis, uenit ad me. & mehercule

cule ipsius litterae sic & φιλοστόργως, et πινῶς scriptae, ut eas uel in acroasi audeam legere. quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano Sextium puto non moleste ferre. Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanũ. Tu uero, quidquid erit, quod me scire par sit, statim. Vale.

EXPLANATIO

FICTO timore } Antonius enim barbaris stipatus procedebat, cum sibi fingeret timere, alijs re uera timorem incutere uellet. *τὰ μὲν ἰδίωμα* } & prouerbium ignotum, & res, de qua scribit, propter breuitatem obscurior. ep. 5. lib. 6. DETERREBIS } efficies, ut Buthrotijs molestus non sit. epist. 15. AVCTORITATE, *uel ui* } antiquus liber Caualcantis, Anchroni uel ui: is qui fuit Bessarionis, Antonij uel ui. locus male affectus, nec sine ueterum exemplarium ope sanabilis. LITTERAS } quarum est principium, L. Antonio male sit. epist. 15. NEC *cuiquam* } dederis nummos Arpinatium. unde epist. 17. MERCES *insularum* } merces, quae recipitur ex insularum locatione. Insula in urbe, domus est nullis cohaerentibus aedificijs agglutinata, quam undique uiae circumambiant. epist. 31. lib. 12. & 16. DE *itinere* } de profectione mea in Graeciam. NISI *explicaro.* } nisi prius ita explicauero meas rationes, ut iis, quibus debeo, paratum sit unde soluatur. hoc aperte epist. 20. Nisi explicata solutione non sum discessurus. Sententia quidem non obscura: sed illa nota λ, quae est etiam in meo antiquo libro, ea uero, obscurum quidem est, quo modo ad solutionem pertineat: nisi si A, pro absolutione, & absolutionem pro solutione posuit: ut est in Tertij antiquo libro. IDEST *Bruto* } Seruiliae pecuniam numerauerat Atticus, quam illa Bruto daret in Asiam proficiscenti. nam ipsi Bruto circa Lanuuium moranti numerare Atticus non poterat: ire autem ad eum, apud Antonium & Caesarianos suspiciosum fuisset. mittebat igitur per Seruiliam. & opinor intelligi HS c, quae Bruto Italia cedenti ab Attico muneri missa, scribit Nepos in eius uita. EX *Tirone* } quem Romam miserat ea caussa, ut rationes Ciceronis, ab Erote administratas, cognosceret. epist. 15. MESSALLA } qui & ipse Athenis fuerat studiorum caussa. is Ciceroni de filio mirabilia narrabat. epist. 1. lib. 1. ad Q. fr. AB *illis* } a Bruto, & Cassio. IN *acroasi* } multis audientibus, in auditorum conuentu: quod alibi dixit, In concione. BVCILIANO } Bucilianus & Sextius ex percussoribus Caesaris fuerunt, de quibus etiam epist. 5. lib. 16. Appianus Bucolianum uocat.

Cicero S. D. Attico. 18.

XVII. kal. etsi satis uidebar scripsisse ad te, quid mihi opus sit, & quid te facere uellem, si tibi commodum esset: tamen, cum profectus essem, & in lacu nauigarem, Tironem statui ad te esse mittendum, ut iis negotijs, quae agerentur, interesset. atque etiam scripsi ad Dolabellam, me, si ei uideretur, uelle proficisci: petijq. ab eo de mulis uecturae itineris. ut in eis, cum intelligo te distentissimum esse qua de Buthrotijs, qua de Bruto, cuius etiam ludorum suorum curam, etiã administrationem suspicor ex magna parte ad te pertinere: ut ergo in eiusmodi re, tribues nobis paullum operae: nec enim multum opus est. mihi res ad caedem, et eam quidem propinquam, spectare uidetur. uides homines: uides arma. prorsus non mihi uideor esse tutus. sin tu aliter sentis, uelim ad me scribas. domi enim manere si recte possum, multo malo. Vale.

EXPLANATIO

IN *lacu* } de hoc, opinor, lacu epist. 15. SI *ei uideretur* } hoc dicit, quia uideri uolebat, se ideo discedere, quod a Dolabella mandata haberet, cuius legatus erat. epist. 20. DE *mulis* } ut mulos mihi dandos curaret pro uectura itineris. publicis enim magistratibus & mulos, & tabernacula de publico dari solita, ipse tradit libro ultimo in Verrem. VT *in eis* } ut in talibus rebus, ut in eiusmodi negotijs. refertur ad infra positum uerbum, Tribues. CVM *intelligo* } Cum, ualet quoniam, ut alijs in locis. Quoniam, inquit, te esse distentissimum intelligo tum in re Buthrotia, tum in Bruti negotijs, icirco non mihi a te multum operae, sed, ut in eiusmodi re, paullum tribui uolo. SVORVM } hanc uocem arbitror abundare. de Bruti ludis ipso absente factis ep. 11. & 26. huius lib. & 4. lib. 16. praeterea historici fere omnes. VT *ergo in eiusmodi re* } recolligit prope dimissam sententiam usitata figura. nam, quia de occupationibus Attici longius membrum interposuerat, ad prima illa, Vt in eis, redit. MVLTO *malo.* } quam in Graeciam, aut quouis alio proficisci.

Cicero S. D. Attico. 19.

QVIDNAM est, quod audendum amplius de Buthrotijs? stetisse enim te frustra scribis. quid autē se refert Brutus? doleo mehercule te tam esse detentum. Quod decem hominibus referendum est acceptum, est illud quidem ἐπίπονον, sed ἀνεκτόν, mihiq. gratissimum. De armis, nihil uidi apertius. fugiamus igitur, &, ut ais, coram. Theophanes quid uelit, nescio. scripserat enim ad me, cui rescripsi, ut potui. mihi autem scripsit, uenire ad me se uelle, ut & de suis rebus, & quaedam, quae ad me pertinerent. tuas litteras exspecto. uide quaeso, ne quid temere fiat. Statius scripsit ad me, locutum secum esse Q. Ciceronem ualde asseuerranter, se haec ferre non posse, certum sibi esse ad Brutū, et Cassium transire. hoc enimuero nūc discere aueo. hoc ego, quid sit, interpretari non possum. potest aliquid iratus Antonio: potest gloriam nouam quaerere: potest totum esse σχεδίασμα: & nimirum ita est. sed tamen & ego uereor, et pater conturbatus est: scit enim, quae ille de hoc. mecū quidem ἄφατα. nolim. plane, quid uelit, nescio. A Dolabella mādata habebo, quae mihi uidebuntur, id est nihil. Dic mihi, C. Antonius noluitne fieri septem uir? fuit certe dignus. De Menedemo est, ut scribis. facies omnia mihi nota. Vale.

EXPLANATIO

QVIDNAM *est &c.* } cum omnia iam tentaueris, neque tamen quidquam impetraueris. STETISSE } exspectantem, ut aliquid ex sententia tua decerneretur. REFERT } sibi in animo esse? DETENTVM } & de Buthrotijs, & de Bruto. supra. DECEM *hominibus* } homines appellauit, non uiros, per contemptum. nam ad agrorum diuisionem Decemuiri creati erant. fa. epist. 20. lib. x1. REFERENDVM *est acceptum* } ut agros meos ne diuidant. ἐπίπονον, sed ἀνεκτόν } laboriosum, sed tolerabile. DE *armis* } rem ad caedem spectare. ET, *ut ais, coram* } his de rebus colloquemur. NE *quid temere fiat* } ne consilium capiam temerarium. considera igitur diligenter, quid agendum; domi ne maneam, an, quod statueram, alias regiones petam, Italia relicta. STATIVS: } libertus Q. Ciceronis. ep. 2. lib. 1. ad Q. fr. Q. CICERONEM } filium. uide ep. 21. σχεδίασμα } subitum & artificiosum consilium, ut a patre pecuniam eliciat. SCIT *enim &c.* } ideo pater conturbatus est, quia scit quae Statius de filio ad me scripsit. MECVM *quidem* ἄφατα } mecum quidem Quinctus pater locutus est quaedam non dicenda. NOLIM } nollem, transiret ad Brutum & Cassium Quinctus filius. esset enim uerendum, ne iratus ob eam rem Antonius suam deinde iracundiam in nos exerceret. QVID *uelit* } putat Cicero malitiam subesse, & Statium ac Quinctum eam fallaciam excogitasse ad emungendam a patre pecuniam. Plane, inquit, ignoro, hoc stratagemate quid sibi uelit Quinctus filius. ID *est nihil.* } Dolabella mihi in mandatis dabit, quod uoluero, id est prorsus nihil. Cum enim Cicero ius exeundi, quo uellet, ideo haberet, quia legatus esset Dolabellae: tamen dari tibi ab eo mandatorum aliquid uolebat, ne discedere sine caussa uideretur. neque uero tam ipsa mandata, quam speciem mandatorū aliquam quaerebat. ideo dicit, Id est nihil. & in epistola, quae sequitur proxima: Dolabellae mādata sint quaelibet, modo aliquid, uel quod Niciae nunciem. SEPTEMVIR? } ita ne est ut scribis, C. Antonium uoluisse fieri septemuirum? Septemuiros autem diuidundis agris praefuisse, perspicue notum ex Philipp. x111. FVIT *certe dignus* } hoc ad hominis contemptum. nam in septemuiratu nulla fere dignitas.

Cicero S. D. Attico. 20.

EGI gratias Vetteno. nihil enim potuit humanius. Dolabellae mandata sint quaelibet, modo aliquid, uel quod Niciae nunciem. quis enim haec, ut scribis antea, nunc dubitare quemquam prudenter, quin meus discessus desperationis sit, non legationis? Quod ais, extrema quaedam iam homines de rep. loqui; & eos quidem uiros bonos: ego, quo die audiui illum tyrannum in concione clarissimum uirū appellari, subdiffidere coepi: postea uero quam tecum Lanuuij uidi nostros tantum spei habere ad uiuendum, quantum accepissent ab Antonio, desperaui. itaque, mi Attice, fortiter hoc uelim accipias, ut ego scribo. genus illud interitus, quo casurus est, foedum duces, & quasi denunciatum nobis ab Antonio, ex hac nassa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. haec omnis culpa Bruti. Pompeium Cartheiae receptū scribis. iam igitur contra hūc exercitum. utra ergo castra? media enim tollit Antonius. illa infirma, haec nefaria. properemus igitur. sed iuua me consilio, Brundisio ne, an Puteolis. Brutus quidem subito: sed sapienter. τάχα τι: quando enim illū? sed humana ferenda. tu ipse eum uidere non potes. dij illi mortuo, qui umquam Buthrotium. sed acta missa. uideamus, quae agenda sint. Rationes Erotis, etsi ipsum non dum uidi, tamen & ex litteris eius, & ex eo, quod Tiro cognouit, propemodum cognitas habeo. uersuram scribis esse faciendam mensium quinque, id est ad kal. Nou. HS c c: in eam diem cadere nummos, qui a Quincto debentur. uelim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere, me eius rei caussa Romam uenire; si te ea res nihil offendet, uideas, unde nummi sint, mihi feras expēsum. hoc uideo in praesentia opus esse. reliqua diligentius ex hoc ipso exquiram, in his, de mercedibus dotalium praediorum: quae si fideliter Ciceroni curabūtur, quamquam uolo laxius, tamen ei propemodum nihil deerit. equidem uideo mihi quoque opus esse uiaticum: sed id ex praedijs, ut cadet, ita soluetur. mihi autē opus est

est uniuerso quidem: etsi mihi uidetur iste, qui umbras timet, ad caedem spectare: tamen, nisi explicata solutione, non sum discessurus. sit ne autem excitata, nec ne, tecum cognoscam. Hanc putaui me a manu scribendã: itaque feci. De Fadio, ut scribis: utrique alij nemini. rescribas uelim hodie. Vale.

EXPLANATIO

SINT *quaelibet*,} mandet mihi quidlibet Dolabella, modo aliquid. VEL *quod Niciae nunciem*} quem Dolabella praemiserat in prouinciam, ep.9.l.14. VT *scribis ante? ne*} forte sic: Ut scribis, ante me? subaudi, perferet: ita sum propere discessurus. deinde, Nunc dubitare &c. IN *concione*} quam habuit M. Antonius in funere. ep.xi.l.14. NOSTROS} Brutum & Cassium. CASVRVS *est* } Casuri sumus, postulat sententia. FOEDVM} ex culpa eorum, qui, cum Antonij perditis conatibus obuiam ire debuerint, tantum abest ut id fecerint, ut etiam in ipso spem omnem uitae reposuerint. Bruti & Cassij Lanuuinam sessionem significat. QVASI *denunciatum*} ita manifestum, ut eae res, quae ante denunciantur. CARTHEIAE} opidum in extrema Baetica. Sex. Pompeium audita Caesaris morte scribit Dio Baeticam eam occupasse, cum aliquandiu apud Lusitanos latuisset. CONTRA *hunc*} contra Sextum. VTRA *ergo castra?*} utra castra sequar, illa Sexti, quae sunt infirma; an haec Caesarianorum, quae sunt nefaria? MEDIA *enim tollit Antonius:* } equidem neque haec uellem, neque illa: sed Antonius, qui, nisi uictorem, neminem dicit esse uicturum, facit, ut omnino alterutra sequi sit necesse. nõ enim, illo uictore tutus essem, etiam si bello abstinuissem. ep.13.l.14. PROPEREMVS *igitur*} ut in castra. & ep.21. Ergo propero, ne ante Sextus: quem aduentare aiũt. BRVNDISIO *ne*} proficiscar. SVBITO} profecturus est. Profectus est autem Puteolis VII. Kal. ut ep.26. SAPIENTER} consideremus de discessu meo. πάσχω} ob discessum Bruti. QVANDO *enim illum?*} quando erit, ut illum uideam? VIDERE *non potes*} impeditus re Buthrotia. DII *illi mortuo* } Caesarem dij mortuum perdant, qui umquam Buthrotum proscripserit, siquidem te nunc eius ciuitatis liberãdae cura Romae tenet; ut Brutum uidere discedentem non possis. ep.15.l.16. RATIONES *Erotis*,} Tironem miserat, qui rationes domesticas ab Erote administratas cognosceret. ep.15. VERSVRAM *scribis esse faciendam* } uersurã facit, qui rem multo pluris emit, quam quanti est, pretio intra certam diem soluendo: item, qui mutuã sumit pecuniam magno fenore reddendam. MENSIVM *quinque* } ut ducenta HS, quae nunc ex uersura sumam, post quinque menses, idest ad Kal. Non. persoluam. in eam diem scribis cadere nummorum solutionem, qui mihi a Quincto debentur. VIDEAS} des operam, ut habeas ducenta illa HS, deinde mihi feras expensa, idest mihi cures numeranda. nam, qui pecuniam alicui dat, is, quantum dedit, ei, cui dedit, expensum in tabulas refert. RELIQVA} quod mihi reliquum est in nominibus. uim & significationẽ huius uerbi cognosce ep.15.h.lib.& 2.l.16. Ex *hoc ipso*} ex Erote, cum ad me uenerit. uenturum autem apparet ex eo, quod paullo ante scripsit, Etsi ipsum nondum uidi. & mox uenisse constat, ep.1.lib.16. DE *mercedibus*} exquiram, ubi mercedes, quae receptae sunt ex praedijs dotalibus. DOTALIVM *praediorum* } ex Terentiae dote. Nec dubito, quin intelligat insulas in Argileto & Auentino: quarum fructus Ciceroni filio in annuum sumptum assignauerat. tria loca, ep.31.l.12.17. huius l.& 2.l.16. confer in unum, & cõsidera: mecum senties. At insulae in urbe, & praedia non idem sunt. immo uero sunt. nam praediorum nomine, auctore Pediano, & domus, & agri comprehenduntur. QVAMQVAM *uolo laxius*} respexit ad insequens membrum hoc sensu: Dotalium praediorum mercedes si fideliter Ciceroni curabuntur, nihil ei prope in annuum sumptum deerit. quamquam non hoc solum uolo, ut nihil ei desit, sed ut etiam abundet, & ut illi largius prolixiusq. suppeditetur. SED *id*} Ciceroni ita soluetur, ut ex praedijs dotalibus cadet. mihi autem quod pro uiatico opus est, non duabus tribus ue dandum est pensionibus, ut Ciceroni filio, sed uniuersum simul ante quam discedam. ISTE, *qui umbras timet* } fingebat Antonius consul se timere, ut haberet ob eam rem barbaros Ityreos circa se, ad omne facinus paratos. NISI *explicata solutione* } nisi uideto esse, unde satisfiat creditoribus meis. EXCITATA } mallem, Explicata. ALII *nemini* } nummos Arpinatum, apud me depositos, L. Fabio reddes, praeterea nemini. ep.15.

Cicero S. D. Attico. 21.

NARRO *tibi: Quinctus pater exultat laetitia: scripsit enim filius, se iccirco profugere ad Brutũ uoluisse, quod, cum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, praesidium occuparet, id recusasset: recusasse autem se, ne patris animum offenderet: ex eo sibi illum hostẽ. tum me, inquit, collegi, uerens, ne quid mihi ille iratus tibi noceret, itaque eum placaui. & quidem* CCCC *certa, reliqua in spe. scripsit autem Statius, illum cum patre habitare uelle. hoc uero mirum: & id gaudet. quem tu illo certiorem nebulonem? Ἐποχὴν uestram de re Canij deliberationis probo. nihil eram suspicatus de tabulis: ἀκεραίως restitutam arbitrabar. Quae differs, ut mecum coram: exspectabo. Tabellarios, quoad uoles, tenebis: es .n. occupatus. Quod Xenonem, probe. Quod scribis, cum absoluero. Quincto scripsisti, te ad eum litteras. nemo attulerat. Tiro negat iam tibi placere Brundisium, & quidẽ dicere aliquid de militibus. at ego iam destinaram, Hydruntem quidem. mouebant me tuae quinque horae. hic autẽ quãtus πλοῦς? sed uidebimus. Nullas a te xj. kal. quippe: quid enim iam noui? cumprimum igitur poteris, uenies. ego propero, ne ante Sextus; quem aduentare aiunt. Vale.*

EXPLANATIO

ET *quidem cccc certa,* } usque eo Quinctus pater laetus est, ut nunc quidem cccc HS filio det, reliqua promittat. ut ostendit Cicero. σχεδίασμα illud Quincti filij fuisse, quemadmodum ipse coniecerat, ut a patre pecuniam eliceret. ep. 19. RELIQVA } Quincto filio ad dissoluendum aes alienũ necessaria. epi 41. lib. 13. 26. huius lib. & 1. lib. 16. CERTIOREM *nebulonem* } qui gaudere se simulet hac Quincti patris & filij reconciliatione, quasi amantissimus eorum sit; cũ de ijs neutiquam laboret. *ἐποχὴν uestram* } ἐποχὴ in libris Academicis est silensus retentio: hic uale retentio simpliciter: ut sit, ἐποχὴ deliberationis, quod deliberare noluisti de re Canij. ep. 32. lib. 13. *Ἀκεραίως restitutam arbitrabar* } & hoc ad ignorũ nobis Canij negotium pertinet. Es *enim occupatus* } ideo tabellarios meos cito remittere cum tuis litteris non potes. QVOD *ad Xenonem* } quod ad Xenonẽ scripsisti, ut Ciceroni filio meo suppeditaret: probe. ep. 16. l. 14. & 1. & 3. lib. 16. QVOD *scribo* } quod opus nunc in manibus habeo, mittã ad te, cum absoluero. BRVNDISIVM } me ire Brundisium, ut inde in Graeciam nauigem. ep. 20. ET *quidem dicere aliquid de militibus* } & ait te quiddam loqui de legionibus Macedonicis Brundisium aduentantibus: ut eo proficisci minus tuto possim. De his legionibus fa. ep. 23. l. 12. & Philippica III. MOVEBANT *me tuae quinque horae* } ut ego Hydruntem ire uellem, ibiq. nauim conscendere, faciebat illud, quod te mihi recordabar dixisse, ab Hydrunte in Graeciam traiectum esse quinque horarum. hic autem si conscenderem, quam longa esset nauigatio? Et sane ab Hydrunte ad Euboeae continentem minimũ esse interuallũ, & Plinius, & omnes cosmographi auctores sunt. PROPERO } maturo profectionem meam, ne ante Sex. Pompeius in Italiam cum exercitu ueniat: quod ego una cum illo uellem. epist. 20.

Cicero S. D. Attico. 22.

GRATVLOR nobis Quinctum filium exijsse: molestus non erit. Pansam bene loqui credo: semper enim coniunctum esse cum Hirtio scio amicissimum Bruto, & Cassio puto, si expediet: sed quando illos uidebit? inimicum Antonio: quando, aut cur? quousq. ludemur? Ego autem scripsi Sextũ aduentare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret, ab armisq. nullus discederet. certe, si pergit, bellum paratum est. hic autẽ noster Cytherius, nisi uictorem, neminem uicturũ. quid ad haec Pansa? utro erit, si bellum erit; quid uidetur fore? sed & haec, & alia coram, hodie quidem, ut scis, aut cras. Vale.

EXPLANATIO

SI *expediet.* } si ipsius in rem erit. ILLOS *uidebit?* } qui iam discedent, longinquas regiones petituri. QVOVSQVE *ludemur?* } putat Pãsam ea, quae loquatur, nõ loqui ex animo, sed simulate: ut ab eo uerba dari uideantur. EGO *autem* } in Attici epistola caput erat de Sex Põpeio: quo capite quaerebat de Cicerone, num de Sexto certi aliquid haberet, quem scripserat aduentare. AB *armisq. nullus discederet* } hoc dicit, quia senatus ex M. Lepidi sententia decreuerat, ut in patriam Sex. Pompeius redire posset, dimisso prius exercitu. Philippica v. CYTERIVS, } M Antonius: a Cyteride mima; quã usq. adeo amauit, ut, in Galliã cũ legionibus proficiscens, hiberno tempore secum adduxerit. hoc & Virgilij carmine notũ est:

,, Galle, quid insanis, inquit? tua cura Lycoris
,, Perque niues alium, perque horrida castra secuta est.

Seruius in eam eclogam, Plutarchus in Antonio, & ipse in Philip. II. & ad hunc libro x. ep. 8. NISI *uictorem neminem uicturum* } Antonij minae. ideoque ep. 20. Media, inquit. Antonius tollit. VTRO *erit* } apertior sententia, si legatur, Cum utro erit: ut Antonium, & Sex. Pompeium significet, quemadmodum & epist. 20. Vtra ergo castra? VT *scribis* } quia te scribis hodie, aut cras ad me uenturum.

Cicero S. D. Attico. 23.

MIRIFICE torqueor, sine dolore tamen: sed permulta mihi de nostro itinere in utramque partem occurrit. quousque? inquies. quoad erit integrũ: erit autem usque dum ad nauem. Pansa si rescripserit, & meam tibi, & illius epistolam mittam. Silium exspectabam: cui ὑπόμνημα compositum, si quid noui. Ego litteras misi ad Brutum: cuius de itinere etiam ex te velim, si quid scies, cognoscere.

EXPLANATIO

TORQVEOR, } mihi de meo itinere deliberanti ita multa ueniunt in mentẽ in utramq. partẽ, ut in capiendo cõsilio mirifice torquear. QVOVSQVE, *inquies?* } quousq. deliberabis o Cicero de profectione tua? deliberabo, inquit, dũ integrũ erit: erit aũt, usque dum ad nauem uenero. SI *rescripserit,* } epistolae

epistolae meae. non enim probo eorum coniecturam, qui legunt, Si tuae rescripserit. nam responsum suis litteris, non Attici, a Cicerone exspectari, indicant, quae proxime sequuntur uerba. sed opinor eos locum mutasse, quia uiderent in antiquo libro, Se tuere scripserit. quod etiam in antiquo Bessarionis libro: mendose omnino. ὑπόμνημα *compositum* } dabis, subaudi. fortasse enim aliquid praetermittere, si tu illi uoce mandares. ὑπόμνημα: commentarium, collectionem rerum nouarum. SI *quid noui*. } subaudi, scribe. CVIVS *de itinere* } quando sit discessurus.

Cicero S. D. Attico. 24.

TABELLARIVS, quem ad Brutum miseram, ex itinere rediit VII. kal. ei Seruilia dixit, eo die Brutum Puteolis profectum. sane dolui meas redditas non esse. Silius ad me non uenerat. caussam composui. eum libellum tibi misi. te quo die exspectem, uelim scire.

EXPLANATIO

CAVSSAM } Silii.

Cicero S. D. Attico. 25.

DE meo itinere uariae sententiae; multi enim ad me. sed tu incumbe quaeso in eam curam. magna res est. an probas, si ad Kal. Ian. cogitamus? meus animus est aequus, sic tamen, ut si nihil offensionis sit. & tu etiam scribe, quo die Olympia cum mysteria scilicet, ut tu scires. casus consilium nostri itineris iudicabit. dubitemus igitur. hiberna enim nauigatio odiosa; eoq. exte quaesieram mysteriorum diem. Brutum, ut scribis, uisum iri a me puto. ego hinc uolo prid. kal. Vale.

EXPLANATIO

MVLTI *enim ad me.* } multi enim ad me scribunt, alii consilium meũ de profectione probãtes, alii reprehendẽtes. COGITAMVS? } an probas meũ discessum, si ad Kal. Ian. futurus Romae sum? Sic in 1. Philipica: Ea mente discessi, ut adessem Kalendis Ianuarii; quod initiũ senatus cogendi fore uidebatur. Et ad hunc ipsum ep. 6. lib. 16. Quũuis non fueris suasor & impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti, dũ modo Kal. Ian. Romae essem. EST *aequus* } in utraq. partem, siue ad discedendũ, siue ad manẽdũ. potest legi cum antiquis libris, Meus animus est aequus, si tamen, ut si nihil offensionis sit, & tu. hoc sensu: Ita meus aĩus aequus est, si tamen & tu aequus es, ut nihil putes offendi posse neq. in discessu, neq. in mansione. sed malim, Et tuus, pro Et tu: ut periodus hic terminetur. *Olympia* } cũ mysteria scilicet in Graecia celebrabuntur: ut ipse infert ad expositionẽ Olympiorum. nam erãt & mysteria Romana, ut ep. 1. lib. 6. VT *tu scires* } placeret: Vt tu scribis, casus cõsilium nostri itineris iudicabit. CASVS *&c.* } opinior initium esse epist. ne res eaedem iterentur, & de itinere, & de mysteriis. DVBITEMVS } ne statuamus, sed consilium temporis exspectemus. ODIOSA } esset autem hiberna, si post mysteria discessum differrem. & mysteria tamen effugere uelim, ne uidear eam ob caussam in Graeciam profectus: quod leuitatis uideretur. VISVM *iri* } ante nauigationẽ. uidit autem eum in Neside, ut est epist. 2. lib. 16. & Philippica 10.

Cicero S. D. Attico. 26.

DE Quinctii negotio uideo a te omnia facta. ille tamen dolet, dubitans, utrum morem gerat Leptae, an fidem infirmet Silio Mandibili. L. Pisonem uelle exire legatum ψευδεγγράφῳ S.C. uelim scire, quid sit. Tabellarius ille, quem tibi dixeram a me Brutũ esse missum in Anagninum, ad me uenit ea nocte, quae proxima ante Kal. fuit, litterasq. ad me attulit: in quibus unũ alienum summa sua prudentia, ut spectem ludos suos. rescripsi scilicet, primum me iam profectum, ut non integrum sit: dein, ἀτοπώτατον esse, me, qui Romam omnino post haec arma non accesserim, neque id tam periculi mei caussa fecerim, quam dignitatis, subito ad ludos uenire. tali enim tempore ludos facere illi honestum est, cui non necesse est spectare: mihi ut non est necesse, sic nec honestum est. equidem illos celebrari, & esse quam gratissimos mirabiliter cupio: idq. ita futurum esse confido; & tecum ago, ut iam ab ipsa commissione ad me, quemadmodum accipiantur; deinde omnino reliquorum dies singulos persequare. sed de ludis hactenus. Reliqua pars epistolae: illa namque in utramque. sed tamen nõ nullos interdũ iacit igniculos uiriles. quod quale uideretur, ut posses interpretari, misi ad te exemplũ epistolae. quamquam mihi tabellarius noster dixerat, tibi quoque se attulisse litteras a Bruto, easq. a Tusculano esse delatas. Ego itinera sic composueram, ut nonis Quinct. Puteolis essem. ualde enim festino, ita tamẽ, ut, quantum homo possit, quam cautissime nauigẽ. M. Aelii cura libera: ei sine paucos specus in extremo fundo, et eos quidẽ subterraneos, seruitutis apud Thalnae quid habituros: id me iam iam nolle; neque mihi quidquam esse tãti, sed, ut mihi dicebat, quam lenissime, potius, ut cura liberetur, quam ut me succensere aliquid suspi-

cetur. Item de illo Tulliano, cupide libero. cum Cascellio loquare. parua res est; sed tu bene attendisti. nimis callide agebatur. ego autẽ, si mihi imposuisset aliquid, quod paene fecit, nisi tua malitia affuisset; animo iniquo tulissem. itaque, ut erit, rem impediri malo. Octauam partẽ Tullij luminarium in aedium ad strane memineris. cui Caerellia uideris mancipio dare ad eam summam, quae sub praecone fuit maxima. id opinor esse CCCLXXX. Noui si quid erit, atque etiam si quid prospicies, quod futurum putes, scribas ad me quam saepissime uelim. Varroni, quemadmodum tibi mandaui, memineris excusare tarditatem litterarum mearum. Mundus istum. M. Ennius quid egerit de testamẽto, (curiosus enim) facias me uelim certiorem. Ex Arpinati, VI. non. Vale.

EXPLANATIO

QVID *sit* } Atticus enim hoc uerbo usus erat in epistola sua. quo quid significaretur, Cicero minus erat assecutus. LVDOS *suo*: } quos absens dedit. epist. 12. & Plutarchus. PROFECTVM } longius Roma discessisse. nam antea fuerat in propinquis locis. POST *haec arma* } postquam Antonius & Octauius grauissimis contentionibus rẽ ad arma perduxerunt, cum uterq. magnum numerum militũ iam contraxisset. AB *ipsa commissione* } ab ipso statim ludorum initio. EPISTOLI } quã ad me Brutus misit. ILLA *namq. in utranque* } subaudi, partem. multa in ep. Bruti scripta sunt in utramque: ut modo fortis, & ad omnia paratus uideatur, modo nimiũ sui dissimilis. VT *posses interpretari* } erat enim ita scripta, ut, quid significaret, uix Cicero posset interpretari. quod & infra scribit ep. 28. Et Plutarchus nimiam breuitatẽ notat in epistolis Bruti. APVD *Thalnae* } subaudi, fundum: locutione in his libris usitata. DE *illo Tulliano* } de Tulliano semisse, cupide libero M. Aelium. &, ut caute res agatur, Cascelium consule, peritissimum iurisconsultum. semissis autem usura fuit, cum seni nummi pro centenis in anno pendebantur, sicut as, cũ duodeni. quae centesimae dicebantur, quia duodeni in anno pro centenis, centesima pars est in mense ep. 28. SI *mihi imposuisset aliquid*, } si me Aelius, ut est callidus, in fraudem induxisset. Sic ad Quinctum fratrem locutus est: Catoni egregie imposuit Milo noster. AD *strane* } ut legitur hic locus, fateor me sententiam non assequi & cum nostris impressis consentiunt antiqui libri: nisi quod in quibusdam, pro, In aedium, legitur Medium, reliqua eadem. MVNDVS *istum* } ita concisa breuitas, ut coniecturae uix locus uideatur. TE *mihi suadere* } suaserat Atticus, ut scriberet ad Sextium quam posset humanissime.

Cicero S. D. Attico. 27.

GAVDEO id te mihi suadere, quod ego mea spõ te pridie feceram. nam cum ad te VI. non. darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sextium, scriptas πάνυ φιλοστόργως. Ille autem, quod Puteolos prosequitur, humanae: quod queritur, iniuste. non enim ego tã illum exspectare, cum de Cosano rediret, debui, quam ille aut non ire ante, quam me uidisset: aut citius reuerti, sciebat etiam me celeriter uelle proficisci, seseq. ad me in Tusculanum scripserat esse uenturum. Te, ut a me discesseris, lacrymasse, molestie ferebam. quod si me praesente fecisses, consilium totius itineris fortasse mutassem. sed illud praeclare, quod consolata est spes breui tempore congrediendi: quae quidem exspectatio me maxime sustentat. meae tibi litterae non deerunt. De Bruto, scribam ad te omnia. Librum tibi celeriter mittam de gloria. excudã aliquid Ἡρακλείδειον, quod lateat in thesauris tuis. De Planco, memini. Attica iure queritur. Quod me de Bacchi, de statuarum coronis certiorem fecisti, ualde gratum: nec quidquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidem praeterieris. Et de Herode, & Metio meminero, & de omnibus, quae te uelle suspicor. Modo turpem sororis tuae filium, cũ haec scriberem. aduentabat autem βουλύσει cenantibus nobis. Vale.

EXPLANATIO

QVOD *Puteolos prosequitur*, } quod me Puteolos, ut tu scribis, prosecuturus est; humane facit: quod autem queritur, quia de Cosano redeuntem non exspectaui; hoc scilicet iniuste. LACRYMAE, } quod ego ex Italia discederem. MVTASSEM } fortasse consilium de profectione abiecissem. CONGREDIENDI } speras. n. te breui esse uenturum ad me in eas regiones, in quibus ego consedero. ep. 17. l. 14. MEAE *tibi litterae non deerunt* } hoc dicit propterea quod Atticus id rogauerat, ut litteras saepe ad se mitteret, quibus desiderium absentis lenire posset. SCRIBAM *ad te omnia* } cum eum cõuenero. ep. 1. lib. 16. LIBRVM } Librum accipe pro uolumine. siquidem libros fuisse duos de Gloria, & ipse testatur ep. 3. l. 16. & Franciscus Petrarca in epistolis, duos Ciceronis libros de Gloria, scribit, apud se aliquandiu fuisse. DE *Gloria* } libros duos significat, quos de Gloria scripsit: qui usq. ad patrum nostrorũ aetatem peruenerunt. nam Bernardus Iustinianus in Indice librorum suorum nominat Ciceronem de Gloria. is liber postea, cum uniuersam bibliothecam Bernardus monacharũ monasterio legasset, magna conquisitus cura, neutiquam est inuentus. nemini dubiũ fuit, quin Petrus Alcyonius, cui monachae medico suo eius tractandae bibliothecae potestatem fecerant, homo improbus furto auerterit. & sane in

eius

eius opusculo de Exsulio, adspersa nonnulla deprehenduntur, quae non olere Alcyonum auctorem, sed aliquanto praestantiorem artificem uideantur. EXCVDAM } scribam aliquid eiusmodi, quod simile uideatur scriptorum Heraclidis. neque hoc refertur ad librum de Gloria, ut manifestum fit epist. 1. lib. 16. quo loco & se de Gloria misisse dicit, nec dum tamen ἡρακλείδιον scribere aggressum. DE *Planco,* } quod ad me scribis, faciam, ut L. Planco rem Buthrotiam commendem. ep. 9. lib. 16. IVRE *quaeritur* } quod tibi a me discedenti non mandauerim, ut eam meis uerbis salutares. hoc & in epistola, quae proximo loco sequitur. ET *de Herode, & Metio meminero* } mandauerat Atticus Ciceroni, ut & cum Herode, & cũ Metio Athenis quiddam ageret. Herodem enim fuisse Athenis, apparet epist. 16. lib. 14. & 15. huius lib. MODO *turpem* } ut dicam quod sentio mallem sic: Quae te uelle suspicer modo. Turpem sororis tuae filium, cum haec scriberem. cur autem turpem Quinctum filium? quia, cum patruum grauiter laesisset, (ut supra) ad eum tamen iret. Turpem igitur propter impudentiam. CVM *haec scriberem* } cum haec enim scriberem, de illius aduentu allatum est.

Cicero S. D. Attico. 28.

EGO, ut ad te pridie scripseram, nonis constitueram uenire in Tusculanum. ibi igitur quotidie tuas litteras exspectabo, & maxime de ludis; de quibus etiam ad Brutum tibi scribendum est. cuius epistolae, quam interpretar ipse uix poteram, exemplum pridie tibi miseram. Atticae meae uelim me ita excuses, ut omnem culpam in te transferas, & ei tamen confirmes, me minime totum amorem eo mecum abstulisse.

EXPLANATIO

DE *ludis* } Bruti. VT *omnem culpam in te transferas* } dic me quidem tibi mandasse ut ei salutem diceres, sed obitum te esse. ME *minime totum &c.* } quamquam longius discedam futurum tamen, ut animus meus ab ea me absente non absit: hoc est, ut absens eam aeque diligam, ac si una essemus.

Cicero S. D. Attico. 29.

BRVTI ad te epistolam misi. dij boni, quanta ἀμηχανία cognosces, cum legeris. De celebratione ludorum, tibi assentior. Ad M. Aelium nullus tu quidem domũ, sed sicubi inciderit. De Tulliano semisse, M. Axianum adhibebis, ut scribis. Quod cum Cosiano egisti, optime. Quod non solum mea, uerum etiam tua expedis, gratum. Legationem probari meam, gaudeo. Quod promittis, dij faxint: quid enim mihi, meis, iucundius? sed istam quam tu excipis, metuo: Brutum cum conuenero, perscribam omnia. De Planco, & Decimo, sane uelim Sextum scutum abijcere. De Mundo, si quid scies. Rescripsi ad omnia. nunc nostra accipe. Quinctus filius Puteolos: mirus ciuis, ut tu Fauonium, Asinium dicas: et quidem duas ob caussas, & ut mecum, & σπείσασθαι uult cum Bruto, & Cassio. Sed tu quid ais? scio enim te familiarem esse Othonum. ait hic sibi Iuliam ferre: constitutum enim esse dissidium. quaesiuit ex me pater, qualis esset fama. dixi, nihil sane me audisse, (nesciebam enim cur quaereret) nisi de ore, & patre. sed cur tu, inquam? at ille, filium uelle. tum ego, etsi ἐβδελυττόμην, tamen negaui. putaui illa esse uera. σκοπὸς hoc est enim huic nostro, nihil praebere. illa autem οὐ παρὰ τούτῳ. ego tamen suspicor hunc, ut solet, alucinari sed uelim quaeras, (facile autem potes) & me certiorem. Obsecro te, quid est hoc? signata iam epistola, Formiani, qui apud me cenabant, Plancum se aiebant, hunc Buthrotium, pridie, quam hoc scribebam, id est III. nonarum, uidisse demissum, sine phaleris; seruulos autem dicere, eum, & agripetas eiectos a Buthrotijs. macte. sed amabo te, perscribe mihi totum negotium. Vale.

EXPLANATIO

BRVTI *ad te epistolam misi.* } eam, de qua in epistola proxima superiore. LVDORVM } Bruti. NVLLVS *tu quidem domum ueneris,* } non tu quidem ad eum domum ueneris; sed, sicubi inciderit, alloqueris. epist. 27. TVLLIANO *semisse* } uide epist. 27. M. AXIANVM *adhibebis* } ut cautius agatur: ne nobis Aelius aliquid imponat. epist. 28. LEGATIONEM *probari meam* } idem epist. 1. Meam profectionem laudari gaudeo. Verebatur enim, ne discedens reprehenderetur, quod reip. deesset tam graui tempore. uide epist. 13. libro 14. QVOD *promittis, dij faxint* } ut breui congrediamur. epist. 28. MEIS } dandi casu, non auferendi. nam, quod copulam omisit, fecit idem epist. 4. lib. 1. ad Q. fr. & in fam. epist. 24. libro 13. ISTAM, *quam tu excipis, metuo* } ego te (sic opinor Atticus scripserat) breui tempore uidebo, nisi si Atticae meae infirma ualetudo impediet. erat enim puella imbecillior. DE *Planco, & Decimo,* } qui erant consules futuri post annum insequentem, id est post Hirtium & Pansam, ex

Caesaris

Caesaris designatione. SEXTVM } Pompeium. SCVTVM *abijcere* } arma deponere: ut defensae reip. laus ad Plancum & Decimum, mihi amicissimos, perueniat: si quidem, ut tu scribis, id cogitant. VSQVE *Puteolos* } mecum uenit. FAVONIVM } Fauonius Catonis imitator, reip. amantissimus, ex historia notus. ASINIVM } Pollionem, qui bonarum partium studiosissimus uidebatur: ut indicant ipsius epist. lib. x. fam. DVAS *ob caussas*, } Puteolos uenit. συνίστασθαι } foedus facere, conciliari. BRVTO, *& Cassio* } a quibus antea grauissime dissederat, ut qui etiam Parilia coronatus celebrasset honoris Caesaris caussa. epist. 19. lib. 14. AIT *hic* } ait Quinctus, Iuliam suas illi nuptias deferre; constituisse enim diuortium facere cum Othone. sed tu, qui sis Othonum familiaris, hoc quaeres, & me certiorem facies. PATER } Quinctus pater. QVALIS *esset fama* } de Iulia. epist. 25. lib. 7. De quo quae fama sit, scribes. NISI *de ore, & patre* } dixi, me Iuliae patrem cognouisse, illam autem de facie tantum, de fama nihil sciro. CVR *tu* } cum in antiquis libris scriptum uideam, Cursus; adducor in hanc opinionem, ut credam ueterem & germanam lectionem fuisse, Cur tu. FILIVM *uelle* } Iuliam ducere. PVTAVI *illa* } uereor, ne mendum lateat in his uerbis; primum ex obscuritate sententiae, deinde ex antiquorum librorum uarietate. Bessarionis exemplar pro, Putaui illa, habet, Fababulla: Byzantio aduectum, quod mihi Arnoldus Arlenius commodauit, Pubabulla: aliud, Putare illa. σκοπός } notat Quincti patris auaritiam, qui nihil spectaret aliud, quam ut filio nequid in sumptum praeberet, ideoq. ei concederet de uxore ducenda. HVIC *nostro* } Quincto patri. ILLA *autem* } Iuliam intelligit. οὐ παρὰ τούτῳ } non apud Quinctum filium est mansura. nam eius mores ferre non poterit, diuortiumq. aliquando faciet. HVNC } Quinctum filium. FACILE *autem potes* } propter Othonum familiaritatem. HVNC *Buthrotium* } hunc, qui profectus erat ad agrum Buthrotium diuidendum. epist. 1. lib. 16. DEMISSVM, *& sine phaleris* } tristem, & uestitu maerorem iudicante. Phalerae proprie sunt, quae frontibus equorum, ornatus gratia, imponuntur. μεταφορικῶς alijs de rebus usurpantur. AGRIPETAS } qui Plancum secuti, partem agri Buthrotij petierant, sedem in alieno quaerentes. ep. 1. & 4. lib. 16. & Phil. 7. MACTE } laudat Buthrotios, qui Plancum & agripetas eiecissent.




IN EPISTOLARVM M. TVLLII. CICERONIS AD T. POMPONIVM ATTICVM LIBRVM. XVI.

PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico I.



ONIS. *Quinct. ueni in Puteolanum, iens ad Brutum. in Nesidie haec scripsi, sed eo die, quo uceram, cenanti Eros tuas litteras. Ita ne? nonis Iulij? mehercule istis. sed stomachari totum diem licet. quidquam ne turpius, quam Bruto, Iulys? redeo ad meum, igitur ἐλθωμεν. nihil uidi. Sed quid est quaeso, quod agripetas Buthroti concisos audio? quid autem Plancus tam cursim (ita enim audiebam) diem, & noctem? sane cupio scire, quid sit. Meam profectionem laudari gaudeo. Dymaeos agro pulsos, mare infestum habere, nil mirum uidendum est, ut mansio laudetur. ἐν ὁμοπλοίᾳ Bruti uidetur aliquid praesidij esse: sed, opinor, minuta nauigia, sed iam sciam, & ad te cras. De Ventidio, πανικὸν puto. De Sexto, pro certo habebatur, ad arma. quod si uerum est; sine bello ciuili uideo seruiendum. quid ergo? kal. Ian. in Pansa spes. λῆρος πολύς, in uino & in somno istorum. D E C C X, optime. Ciceronis rationes explicentur, Obius. enim recessis multa, quae uellem: in his ne hoc quidem malum, in mandatis sat abunde: HS LXXII satis esse, affatim prorsus, sed Xenonem perexigue, & γλίσχρως praebere, id est minutatim. quo plus permutasti, quam ad fructum insularum, id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit. hinc ex kal. Apr. ad HS LXXX accommodetur. nunc enim insulae tantum. uidendum enim est, quid, cum Romae erit. non enim puto socrum illam ferendam. Pindaro decumano negaram. Nunc, cuius rei caussa tabellarium miserim, accipe. Quinctus filius mihi pollicetur se Catonem. egit autem & pater, & filius, ut tibi spondcrem, sed ita, ut tum crederes, cum ipse cognosses. huic ego litteras ipsius arbitratu dabo. eae te ne mouerint. has scripsi in eam partem, ne me motum putares. dij faxint, ut faciat ea quae promisit. communc enim gaudium: sed ego: nihil dico amplius. is hinc VII. idus. ait enim attributionem in idus, se autem urgeri acriter. tu ex meis litteris, quo modo respondeas, meditabere. Plura, cum & Brutum uidero, & Erotem remittam. Atticae meae excusationem accipio, eamq. amo plurimum: cui, & Piliae salutem. Vale,*

EXPLANATIO



ONIS *Iulijs?* } scripserat Atticus Ciceroni, Bruti ludos esse proscriptos sic, A nonis Iulijs ad III. Idus: ut scilicet populo significaretur, ad sextum diem ludos esse duraturos. eam proscriptionem ut maxime turpem Cicero detestatur: nec id quidem iniuria: quia certe nimis absurdum uideretur, apparere Iulij nomen in proscriptione ludorum, quos Brutus daret, is, qui ipsum Iulium non ferens uita priuasset, oportebat autem non nonis Iulijs proscribere, sed nonis Quinctilibus; primum, ne tyranni nomen usurparetur: deinde, quae ad Caesaris honorem ciuitas non libera constituisset, ea ne confirmarentur. nam ex historia notum est, de-

creuisse

creuisse senatum, ut Iulius mensis e Caesaris nomine uocaretur, Quinctilis ante dictus. Sed de Bruti ludis ita proscriptis unde afferam, si quis quaerat; locus est infra, unde didici: quo ex loco descripta uerba recitabimus. sic igitur epist. 14. lib. 16. in Nesida IIX. idus. ibi Brutus. quam ille doluit de nonis Iulijs. mirifice est conturbatus: itaque sese scripturum aiebat, ut uenationem eam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent, III. idus Quinct. non. III. idus Iul. ut extremum ludorum diem fuisse constet, IV. Idus, cum dies uenationis, quae ludos est Apollinares consecuta, III. Idus sit. MEHERCULE *istis* } dices: mehercule nonis Iulijs futura erat commissio ludorum: quid igitur erratum? Enimuero, inquit Cicero, uis me totum diem stomachari, cum etiam defendere coneris foedissimum imprudentiae lapsum. quid? potest esse Bruto quidquam turpius, quam Iulijs? cur non potius, Quinctilibus, ut odiosum uerbum uitaretur? Etiam illud obseruo, Ciceronem initio huius epistolae effugisse acerbam dictionem Iulijs, & maluisse, nonis Quinctilibus. REDEO *ad meum igitur* ἐλθωμεν } ad illud meum, Abeamus, discedamus ex Italia. NIHIL *uidi* } potest esse ἀποσιώπησις ut sit, Nihil uidi turpius. AGRIPETAS *Buthroti concisos* } eos, qui Buthrotium agrum petierant, a Buthrotijs male mulctatos. ep. 19. lib. 15. & 4. huius lib. ITA *enim meditabar diem, & noctem*. } cum de mendo suspicarer, neque tamen ex coniectura probabile quidquam possem eruere; adiui antiquos libros. inspexi, omnes in scriptura consentientes. unum Bessarionis animaduerti pro Meditabar, habere Mediabam. tum uero quasi lucem aliquam secutus, qui antea in tenebris errassem; putaui, interpungendi ratione mutata, restitui locum ita posse; Quid autem Plancus tam cursim (ita enim audiebam) diem & noctem? Nam certe. ut de Planco & noctem Cicero meditaretur, neutiquam mihi probatur. fuerit in quaerendo & percunctando curiosus: diurna uero simul & nocturna meditatio quem hic habere locum potest? age, ad uerbum, Cursim, refer illud, Diem & noctem: quanto aptius? nam in itinere maturantes, noctem diei coniungere, notissimum est. etiam Caesar in 3. de bello ciuili. Vibullius, inquit, continuato & nocte & die itinere, atque mutatis ad celeritatem iumentis, ad Pompeium contendit. Et in eodem, paullo post: Caesar properans noctem diei coniunxerat, neque iter intermiserat. Testatus sum opinionem meam: docti iudicabunt. MEAM *profectionem* }. ex Italia. ep. 29. lib. 15. DYMAEOS *&c.* } Pompeius, ut Plutarchus scribit, captis piratis, magnam eorum partem constituerat in agro Dymaeo: quod erat & fertile territorium, & a cultoribus infrequens. ij postremo pulsi ea sede, quam assignatam a Pompeio per aliquot annos tenuerant, rursus se ad piraticam ueterem artem contulerunt. Dyme ciuitas est in Achaia. MARE *infestum habere* } pro, infestare. l. 3. de Rep. Cum quaereretur ex eo, quo scelere impulsus mare infestum haberet uno myoparone. Et Varro in lib. Rerum humanarum ita scripsit, ut est apud Donatum in commentarijs in Eunuchum: Cupes, & Marcellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. Sic, Solicitum habere, pro Solicitare, dixit Cicero non semel. VIDENDUM *est, ut mansio laudetur* } domi manere, quam proficisci maluisset, cum alijs de causis, tum quod a Dymaeis mare tutum non esset. ep. 2. Piratae apparere dicuntur. ἐν ὁμοπλοίᾳ *Bruti* } tutum putabat nauigare cum Bruto. itaque & infra: Haec nauigatio quia quasdam habet suspiciones periculi, constituebam uti ὁμοπλοίᾳ. epist. 4. SED *opinor minuta nauigia* } Brutum habere. SED *iam sciam* } quia Brutum conuenire uolebat: qui & ipse erat in Neside, sed eum Cicero nondum uiderat. postea cum eum conuenisset, de nauigijs haec scripsit ad Atticum: Paratiorem offendi Brutum, quam audiebam. nam & ipse Domitius bona plane habet dicrota: suntq. nauigia praeterea luculenta Sextij, Buciliani, ceterorum. πανικὸν } inanem timorem, & sine caussa: forte quod Ventidius, qui erat Antonij amicissimus, coactis militibus aduentare diceretur. DE *Sexto* } Pompeio. AD *arma* } rem esse uenturam. epist. 20. lib. 15. SINE *bello ciuili uideo seruiendum* } uidetur addendum, Non, ut dicat, Non sine bello ciuili seruiemus. KALENDIS *Ianuarij* } quo die magistratum erant inituri Pansa & Hirtius consules designati, eodemq. die relaturi de rep. ex ueteri consuetudine: quod factum esse, docent duae Philippicae V. & VI. λῆρος πολύς } se ipse accusat, qui dixerit in Pansa spem esse; cum ab ijs, qui se crapulae & inertiae dediderunt, sperari nihil posset. CICERONIS *rationes exsplicentur* } uelim uideas, quantum acceperit Cicero meus. cui si minus datum est, quam nos ei annuum in sumptum daturos esse promisimus: quod ei reliquum deberi ex rationibus cognosces, persoluatur. epist. 15. lib. 15. HS LXXII *satis esse* } Ciceroni filio. cui HS LXXII assignata fuerant in annuum sumptum. XENONEM } hic, Attico mandante, pecuniam Athenis Ciceroni numerabat, sed perexigue, multisq. pensionibus concisam. ep. 3. ID *est minuatim* } ut opinor, & certe hoc abundat. fuit enim glossema ad graecam dictionem, γλίσχρως, receptum in epistolam ignorantia describentium. QVO *plus permutasti &c.* } scis conuenisse, ut Ciceroni tantum daremus, quantum reciperetur ex insularum fructu. eo si quid plus Athenis permutasti Ciceronis caussa, nolo id ei concedatur supra annuam pensionem, pro sumptu, quem primo anno fecit dum Athenas proficiscitur. INSULARUM } in Argileto, & Auentino. ep. 31. l. 12. & 17. lib. 15. HINC *ex kal. Apr.* } quoniam assignauimus Ciceroni quantum ex insulis reciperetur, deinceps detur ei ad HS LXXX: quoniam tanti nunc insulae locantur, quae antea tantummodo LXXI locabantur. Ex Kalendis autem Apr. quia Ciceroni filio id erat annui temporis initium. uide ep. 15. VIDENDUM *enim est &c.* } curandum nobis est, ut sit, quod filius in sumptum habeat, cum Romae erit. cum enim Publiae uxoris meae matrem ferre non possim, diuortium erit faciendum: ita dote reddita, re familiari comminuti, unde filio suppeditabimus? SE *Catonem.* } amantissimum reipublicae. quod in Quincto filio desiderabatur. uide ep. 19. lib. 14. & 4. huius lib. VT *tibi sponderem* } eum fore Catonem, idest hominem in omni uita perfectissimum. ME

motum }

motum } me fidem habuisse uerbis Quincti filij. SED *ego* } ἀποσιώπησις, ueteribus usitata, ad indicandum animum oratione repressa. ATTRIBVTIONEM, } quam in eum diem ait esse collatam. Et Attributionem posuit pro solutione pecuniae, quam debebat Quinctus filius. ep. 41. lib. 13. & 21. lib. 15. VRGERI } a creditoribus.

Cicero S. D. Attico. 2.

VI. idus duas epistolas accepi, unam a meo tabellario, alteram Bruti. De Buthrotijs longe alia fama in his locis fuerat: sed cum alijs multis hoc ferendum. Erotem remisi citius, quam constitueram ut esset cum Hortensio, & quia equitibus quidem ait se idibus constituisse. Hortensius uero impudenter. nihil enim debetur ei, nisi ex tertia pensione, quae est Kal. Sext. ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diē. sed haec Eros uidebit idibus. De Publilio autem, quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam. sed cum uideas, quantum de iure nostro decesserimus; qui de residuis CCCC HS, CC praesentia soluerimus, reliqua perscribamus; loqui cū eo, si tibi uidebitur, poteris, eum commodum nostrum exspectare debere, cum tanta sit a nobis iactura facta iuris. Sed amabo te, mi Attice, (uides ne quam blande?) omnia nostra, quoad eris Romae, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil a me exspectes. quamquam enim reliqua satis apta sint ad soluendum; tamen fit saepe, ut ij, qui debent, non respondeant ad tempus. si quid eiusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. non modo uersura, uerum etiam uenditione, si ita res coget, nos uindicabis. Bruto tuae litterae gratae erant. fui enim apud illum multas horas in Neside, cum paullo ante tuas litteras accepissem. delectari mihi Tereo uidebatur, & habere maiorē Attio, quam Antonio, gratiam. mihi autem quo laetiora sunt, eo plus stomachi, & molestiae est, populum R. manus suas non in defendenda rep. sed in plaudendo consumere. mihi quidem uidentur istorum animi incendi etiam ad repraesentandam improbitatem suam. sed tamen, dum modo doleant aliquid, doleant quidlibet. Consilium meum quod ais quotidie magis laudari; non moleste fero; exspectabamque, si quid de eo ad me scriberes. ego enim in uarios sermones incidebam: quin etiam idcirco trahebam, ut quamdiutissime integrum esset. sed quoniam Euro uilla extrudimur, Brundisium cogito. facilior enim, & exploratior deuitatio legionum fore uidetur, quam piratarum, qui apparere dicuntur. Sextius VI. id. exspectabatur, sed non uenerat quod sciam. Cassius cum classicula sua uenerat. ego, cum eum uidissem V. Kalendas, in Pompeianum cogitabam, inde Aculanum. nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De C. Metio non credo, nec tamen curo plus quam tu. Planco, & Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras: sed, si tibi uidebitur, ne necesse habueris reddere. cum enim tua caussa fecerint omnia; uereor, ne meas litteras superuacaneas arbitrentur. Oppio quidem utique: quem tibi amicissimum cognoui. uerum, ut uoles tu. Quoniam scribis hiematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, si ante eo ueneris, quam mihi in Italiam te auctore ueniendum est. litteras ad me quamsaepissime, sed de rebus minus necessarijs aliquem nactus: sin autem erit quid maius, domo mittito. Ἡρακλείδειον, si Brundisium salui, adoriemur. de Gloria misi tibi. custodies igitur, ut soles: sed notentur eclogarij. quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio dumtaxat legat. mihi ualde placent: mallem tibi. Etiam atque etiam. Vale.

EXPLANATIO

LONGE *alia fama*: } scribis, agrum Buthrotium dici a Planco diuisum agripetis: at nos hic contra audieramus, agripetas a Buthrotijs concisos, & eiectos. ep. 1. VT *esset cum Hortensio*, } Hortensius, Cluuij heres, quae illi bonorum Cluuianorum pars ex hereditate obuenerat, eam Ciceroni uendidit coheredi, pactus ut pecunia sibi tribus pensionibus numeraretur. ex ijs pensionibus Cicero duas soluerat, & maiorem etiam tertiae partem ante diem solutioni praefinitam, idest ante Kal. Sextilis: ut impudēter faceret Hortensius, qui, quod sibi ex tertia pēsione deberetur, ante diem postularet, cum praesertim eius ipsius pensionis maiorem iam partem exegisset. Hac de re ep. 1. cum inquit: Diligentia opus est, coheredibus pro Cluuiano Kalendis Sextilibus persolutum ut sit. Quo ex loco, non Hortensium modo, sed & ceteros coheredes Ciceroni uendidisse, quae illis Cluuius testamento legauerat, perspicuum est. ET *quia equitibus*: } ut infra patet, Publilium & Publilij propinquos significare uidetur; qui erant ex ordine equestri. Publiliam enim cum dimisisset, urgebatur a Publilio fratre de dote reddenda. cui Eros, qui Ciceronis domesticas rationes dispensabat, promiserat se esse idibus perscripturum. In antiquo Bessarionis libro, pro Equitibus, scriptum est, Equid. QVOD *perscribi oportet*, } Perscribere, est creditori, non praesenti pecunia numerata, sed per scriptum satisfacere. Sic enim Donatus explanat illud in Phormione: Perscripsi omnibus, quibus debui. Nec Ciceronis exempla non idem ostendunt. DE *iure nostro decesserimus* } planum fit ex hoc loco, intra certam diem reddendam fuisse dotem ab ijs, qui diuortium fecerant. Cicero autem de suo iure decedens, etiam ante eam diem, exceptis CC HS, omnem dotem numerauerat. de quibus CC ut sibi fieret perscriptio, Publilius urgebat. epistola 5. QVI *de residuis* CCC HS } qui cum apud me residua essent ex dote HS CCCC, neque dum solutionis dies adesset, ex ijs ipsis tamen CCCC HS praesentia soluimus CC, reliquorum facimus perscriptionem. PRAESENTIA } nulla interposita mora: in Verrem libro III. Praesens pecunia soluatur. IACTVRA *facta iuris* } cum tanto ante diem soluerimus, de nostro iure sponte decedentes. Sic infra, epistola 5. Publilius non debet

urgere: quoniam iure non utimur. QVOAD *eris Romae* } nam & Atticus ex Italia discedere cogitabat. itaque epistola 27. lib. 15. Praeclare, inquit, quod te consolata est spes breui tempore congrediendi. & epistola 3. NIHIL *a me exspectes* } nihil ad me referas, sed agas ipse quod ageres in rebus tuis. epistola 3. lib. 13. Illud non accipio in bonam partem, quod ad me refers. quid? ipse negotium meum gererem, nisi consilio tuo? RELIQVA } collatis creditorum & debitorum nominibus, cum eam pecuniam, quam ipsi debemus, & quam alij nobis, redigimus in summam, id, quod superat a nobis, Reliqua dicuntur. epistola 15. lib. 15. FAMA *mea* } magnum enim subiretn discrimen existimationis meae, nisi ad tempus, quibus debeo, solueretur. Nos *uindicabis* } nostris creditoribus satisfacies. IN *Neside*, } hunc in Neside congressum significans Philippica X. Brutum, inquit, his ipsis ludorum diebus uidebam in insula clarissimi adolescentis Luculli, propinqui sui, nihil nisi de pace & concordia ciuium cogitantem. Νησὶς autem parua insula. Lucanus, & Papirius laborare eam graui caelo uersibus ostendunt. DELECTARI } gaudere, quod ludis Apollinaribus Tereum, Attij tragoediam, populo recitatam, magno plausu clamoreq. acceptam ex tuis litteris cognouerat. epist. 4. & in 1. Philippica, ad extremum. QVAM *Antonio* } cum maiorem habere Antonio debeat. plausum enim populus non ideo dedit, quod Attij admiraretur ingenium, sed quod Antonium oderit, Bruto Brutiq. similibus inimicum. itaque plausum illum Antonio magis, quam Attio, Brutus debet, uel, Antonio, C. Antonio, Marci fratri, praetori, qui curauit eos ludos absentis Bruti nomine. Appianus lib. 3. MANVS *suas non in defendenda rep. sed in plaudendo consumere* } Simile illud Varronis: Patres familiae manus mouere in theatro, ac circo maluerunt, quam in segetibus, ac uinetis. ISTORVM } Antonium maxime significat, qui patriae liberatores oderat, ad tyrannidem spectans. INCENDI } irritari, quod uideant populum Bruto absenti plausum dare. REPRAESENTANDAM } citius aliquanto, quam fecissent, ostendendam. DOLEANT } dolebant quod populus Romanus Bruti absentis desiderium illo plausu declararet. CONSILIVM *meum* } discedendi ex Italia. TRAHEBAM } procrastinabam. uide epist. 15. lib. 15. BRVNDISIVM *cogito* } ut ibi potius conscendam, quam Puteolis. Epist. 21. l. 15. Iuua me consilio, Brundisio ne, an Puteolis. & epist. 20. eiusdem lib. LEGIONVM } quas ab Antonio accersitas, profectas e Macedonia, Brundisium aduentare fama erat. Brundisium tamen, & iter illud postea uitauit, ut ipse narrat in 1. Philippic. PIRATARVM } dymeos intelligit, qui agro pulsi mare infestum habebant. epist. 1. EXSPECTABATVR } a Bruto, ut una discederent. epistola 4. V. KAL. } cum Cassius iam uenisset, nimirum uel eo die, quo haec scripta sunt, uel postridie uisurus eum Cicero fuit. quod si, cum eum uidisset, abire in Pompeianum cogitabat, non recte scriptum est, V. KAL. non enim tot dierum interuallum esse potest, cum dicat se discessurum a Cassij congressu. Potius igitur (nihil tamen muto repugnantibus antiquis libris: tantum indicare placet meam sententiam) legendum uideretur, V. idus: ut sequentem diem significet. nam haec scripsisse apparet VI. idus. ACVLANAM } forte, Herculanium: quod a Pompeijs non longe Plinius in Campaniae litore constituit. NOSTI *reliqua* } scis enim, inde me Brundisium cogitare. SCRIPSI *equidem*, } commendans illis rem Buthrotiam. NE *necesse habueris reddere* } ne putato, reddi meas litteras, necessarium esse. Eas enim Cicero ad Atticum mittebat, ut ipse Planco & Oppio redderet. OPPIO *quidem utique* } subaudi, Ne putaris necessarium reddere. QVAM *mihi in Italiam te auctore ueniendum est.* } idest ante mensem Ianuarium. Nam Atticus auctor erat Ciceroni, ut omnino Romae adesset Kalendis Ianuarijs; quod eo die futurum erat ut a nouis Pansa & Hirtio coss. de rep. referretur. ep. 6. Meae profectionis approbator fuisti, dummodo Kalendis Ianuarijs Romae essem. & epist. 5. ALIQVEM *nactus* } quemcumque habueris, cui des. DOMO } domesticis tabellarijs. ἡρακλείδειον } quod tu a me tantopere postulasti. epist. 4. 13. & 27. lib. 15. NOTENTVR *eclogarij* } notentur aut minio, aut quapiam simili re nomina eorum, qui in his libris de Gloria loquuntur. QVOS *Saluius* } quos libros de Gloria Saluius anagnostes tuus, bonos nactus auditores, in conuiuio tantum uelim legat.

Cicero S. D. Attico. 3.

TV *uero sapienter. nunc demum enim rescribo ijs litteris, quas mihi misisti, conuento Antonio Tiburi. sapienter igitur, quod manus dedisti, quodq. etiam ultro gratias egisti. certe enim, ut scribis, deseremur ocyus a rep. quam a re familiari. quod uero scribis te magis delectari,* Ο ΤΙΤΕ ΣΙ ΘΥΙΔ ΕΓΟ: *addis mihi scribendi alacritatem. Quod Erotem non sine munusculo exspectare dicis; gaudeo non fefellisse eam rem opinionem tuam. sed tamen idem* σύνταγμα *nisi ad te retractatius, & quidem* ἀρχέτυπον *ipsum, crebris locis inculcatum, & refectum. hunc tu translatum in macrocolum lege arcano conuiuis tuis, sed si me amas, hilaris, & bene acceptis: ne in me stomachum erumpant, cum sint tibi irati. De Cicerone, uelim ita sit, ut audiuimus. De Xenone, coram cognoscam: quamquam nihil ab eo arbitror neque indiligenter, neque illiberaliter. De Herode, faciam, ut mandas, & ea, quae scribis, ex Saufeio, & e Xenone cognoscam. De Quincto filio, gaudeo tibi meas litteras prius a tabellario meo, quam ab ipso, redditas. quamquam te nihil fefellisset. ueruntamen. sed exspecto, quid ille tecum, quid tu uicissim: nec dubito, quin suo more uterque. sed eas litteras Curium mihi spero redditurum: qui quidem etsi per se est amabilis, a meq. diligitur; tamen accedet magnus cumulus commendationis tuae. Litteris tuis satis responsum est. nunc audi, quod, etsi intelligo scribi necesse non est, scribo tamen. Multa me mouent in discessu, in primis mehercule, quod disiungor a te. mouet etiam nauigationis labor, alienus non ab aetate solum nostra, uerum etiam a dignitate; tempusque discessus*

discessus subabsurdum. relinquimus enim pacem, ut ad bellum reuertamur; quodq. temporis in praediolis nostris, & belle aedificatis, & satis amoenis, consumi potuit, in peregrinatione consumimus. Consolantur haec, aut proferimus aliquod Ciceroni: aut, quantum profici possit, indicabimus. deinde tu iam, ut spero, & ut promittis, aderis. quod quidem si acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum. quae quamquam explicata sunt; tamen, quod & Dolabellae nomen in ijs est, & attributio est mihi nominum ignota, conturbor, nec ulla res magis angit ex omnibus. itaque non mihi uideor errasse, quod ad Balbum scripsi apertius, ut, si quid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subuenirent, meq. tibi etiam mandasse, ut, si quid eiusmodi accidisset, cum eo communicares. quod facies, si tibi uidebitur, eoq. magis, si proficisceris in Epirum. Haec ego conscendens e Pompeiano tribus actuariolis decem scalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. Ecquid amas Deiotarum, & non amas Eram? qui, ut Blesamius uenit ad me, cum ei praescriptum esset, ne quid sine Sextij nostri sententia ageret, neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit. Atticum nostrum cupio suauiari: ita mihi dulcis salus uisa est, per te missa ab illa. refers igitur ei plurimam itemq. Piliae dicas uelim. Vale.

EXPLANATIO

QVOD *manus dedisti*, } quod Antonij sententiam (opinor, de re Buthrotia: nam publicam nulla ex parte Pomponius attingebat), etsi non probandam, probasti tamen, manusq. dedisti, ut etiam ultro gratias egeris. A RE *familiari*. } ratio, cur Atticus etiam gratias egisset Antonio. nam, etsi magnam rei familiaris iacturam faciam, si Buthrotium negotium eripitur: (his fere uerbis, aut certe in hanc sententiam Atticus scripserat) tamen huiusmodi iacturam eo tolerabilius aequum est ferre, quod a rep. citius, quam a re familiari, deseremur. MAGIS *delectari, o Tite, si quid ego:* } totum hoc, O Tite, si quid ego, ideo scripsi litteris grandiusculis, ut intelligatur initium libri de Senectute, quo quidem libro se delectari Atticus scripserat, quia suam senectutem, quam publicae ruinae grauiorem in dies efficerent, eius lectione leuaret. Et ait, Magis, propterea quod medicinae uim magis aegrotantes sentimus, quam ualentes. Etiam ep. 10. O Tite, tibi prodesse laetor. laetor, inquit, quod ea, quae scripsimus in libro de Senectute, tibi ad ferendam senectutem prosint. Quod autem, Si quid ego, reposui in nostro libro, ubi antea in omnibus, & impressis, & scriptis, legitur, Si quid agis, aut, Ages: fecimus id coniecturam minime dubiam secuti. est enim initium libri de Senectute, ad Atticum scripti; O Tite, si quid ego adiuro, curam ue leuasso. ALACRITATEM } quandoquidem te delectant ea, quae scribimus. GAVDEO *non fefellisse &c.* } munusculum enim ad te perferendum Eroti dedi, duos libros de Gloria. IDEM *σύνταγμα* } eosdem libros de Gloria, quos Eroti dederam, postea retractatos, & refectos denuo misi, sed ἀρχέτυπον ipsum, cum antea descriptum exemplar misissem. MACROCOLVM } regiam chartam a Catullo dictam uide epist. 25. lib. 13. LEGE *Arcano* } ne quis audiat praeter conuiuas tuos. quod supra monuit his uerbis: Saluius in conuiuio dumtaxat legat. Antea, Lege in Arcano. sustuli particulam, In, Carisium secutus, qui hunc locum recitat, & ait Arcano dictum esse Arcane. praeterea consentire uidentur antiqui libri. nam in scripto Bessarionis, Legi arcano. sic & Caesar locutus libro 1. de bello ciuili: Domitius arcano cum paucis familiaribus suis colloquitur. Et Plautus in Trin. Arcano tibi ego hoc dico. Sic, Assiduo, pro assidue, idem dixit in Truc. VT *audiuimus* } audiebat autem praeclara. epist. 16. lib. 15. CORAM } cum Athenis ero. NEQVE *indiligenter, neque illiberaliter* } hic Athenis pecuniam Ciceroni filio suppeditabat, sed neque diligenter, & satis illiberaliter. itaque ep. 1. Xenonem, inquit, perexigue & γλίσχρως praebere. DE *Herode* } & hic Athenis uiuebat. ep. 15. lib. 15. GAVDEO *tibi &c.* } ut cognosceres, illum tibi litteras a me redditurum, ipsius arbitratu scriptas; sciresq. nolle me, ut ijs litteris moucreris. SVO *more uterque* } tu sapienter, ille stulte. EAS *litteras* } quibus ad me scribes dialogum tuum cum Quincto filio. COMMENDATIONIS *tuae* } scripserat enim Atticus, se esse litteras ad eum commendaticias Curio daturum. RELINQVEMVS *pacem* } Q. Fusius Calenus, ut ait Dio libro XLVI. Ciceroni, acerbe in Antonium inuecto, non minus acerba oratione respondens, ait eum, cum otium non ferret, discessisse, postea, tumultu & bello inter ciues orto, reuertisse. quasi amator esset contentionum, pacis inimicus. VT *ad bellum reuertamur* } apparebat enim ad paucos menses fore bellum, cum & Antonius Octauiusq. grauiter inter se diffidentes iam in armis essent, & Sex. Pompeius uentare cum exercitu diceretur; praeterea magnum Antonij cum Decimo Bruto certamen impendere de Celtica prouincia. ep. 4. ADERIS } uenies in eas regiones. epist. 2. RELIQVORVM *meorum* } diximus, reliquorum nomine eam pecuniam intelligi, quae, subductis rationibus, & collatis creditorum debitorumq. nominibus, superat a nobis. epist. 15. l. 15. DOLABELLAE *nomen* } a quo pecuniam exigere, difficillimum sciebat. epist. 18. lib. 14. & 15. lib. 15. ATTRIBVTIO *est mihi nominum ignota* } quae nobis exigenda tradidit Dolabella. epist. 13. lib. 15. VT *non concurrerent nomina* } ut ad tempus non responderent ij, qui debent. epist. 2. NON *amas Eram?* } in oratione pro Deiotaro Hieram & Blesamium eius legatos nominat, ut fortasse & hic, Hieram, legendum sit. Et est dictum εἰρωνικῶς. cur, inquit, Eram aeque, atque Deiotarum, odio dignum non putas? qui, cum ei praescriptum esset a Deiotaro, ne quid sine Sextij nostri sententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit. Miserat autem eum Deiotarus, ut Armeniam, sibi a Caesare ereptam, emeret ab Antonio: quod factum est, Fuluia, quae Antonij uxor erat, intercedente, id

 est;

est; cum Deiotari legatis de pretio paciscente: unde illud ep.12.l.14. Deiotarus noster dignus ille quidē omni regno, sed non per Fuluiam. Armeniam autem cum Deiotaro Antonius accepta grandi pecunia uenderet, dixit se restituere ex Caesaris libellis. quod ei Cicero 2. oratione in criminibus obijcit his uerbis: Quid ego de commentarijs infinitis, quid dē innumerabilibus chirographis loquar? sunt ea quidem innumerabilia, quae a diuersis emebantur non insciente te: sed unum egregium de rege Deiotaro, populo R. amicissimo, decretum in Capitolio fixum. quo proposito, nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Caesar? & quae sequuntur. Neq. *ad illum, neque ad quemquam nostrum* } & de hoc in eadem Philippica paullo post, Syngrapha HS centies per legatos, uiros bonos, sed timidos, & imperitos, sine reliquorum hospitum regis sententia, facta in Gynaeceo. Dicas } Atticae referes. Piliae dices: quia non, ut Attica, salutem miserat Piliae.

Cicero S. D. Attico. 4.

ITa ut heri tibi narraui, uel fortasse hodie, (Quinctus enim altero die se aiebat) in Nesida VIII. *idus. ibi Brutus. quam ille doluit de nonis Iulijs. mirifice est conturbatus: itaque sese scripturum aiebat, ut uenationem etiam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent,* III. *idus Quinct. Libo interuenit. is Philonem, Pompeij libertum, & Hilarum suum uenisse a Sexto cum litteris ad consules, siue quo alio nomine sunt. earum exemplum nobis legit, si quid uideretur. pauca* παρὰ λέξιν*: ceteroqui & satis grauiter, & non contumaciter. tantum addi placuit, quod erat,* COS. *solum, ut esset,* PRAET. TRIB. PL. SENATVI; *ne illi non proferrent eas, quae ad ipsos missae essent. Sextum autem nunciauit cum una solum legione fuisse Carthagine, eiq. eo ipso die, quo opidum Boream cepisset, nunciatum esse de Caesare: capto opido, miram laetitiam, commutationemq. animorum, concursumq. undique; sed illum ad sex legiones, quas in ulteriore reliquisset, reuertisse. ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Haec fere de Sexto. De Buthrotijs undique quaerens nihil reperiebam. alij, concisos agripetas: alij, Plancum, acceptis nūmis, relictis illis, aufugisse. itaque non uideo sciturum me, quid eius sit, ni statim aliquid litterarum. Iter illud Brundisium, de quo dubitabam, sublatum uidetur. legiones enim aduentare dicuntur: haec autem nauigatio habet quasdam suspiciones periculi: itaque constituebam uti* ὁμοπλοΐᾳ*. paratiorem offendi Brutum, quam audiebam. nam & ipse Domitius bona plane habet dicrota, suntq. nauigia praeterea luculenta Sextij, Buciliani, ceterorum. nam Cassij classem, quae plane bella est, non numero, ultra Fretum. illud est mihi submolestū, quod parum Brutus properare uidetur. primum confectorū ludorum nuncios exspectat: deinde, quantum intelligo, tarde est nauigaturus, consistens in locis pluribus. tamen arbitror esse commodius tarde nauigare, quam omnino non nauigare. etsi, cum processerimus, exploratiora uidebuntur, & tectis utemur. Tuas iam litteras Brutus exspectabat: cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Attij. ille Brutum putabat. sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Graecorum, frequentiam non fuisse: quae quidem me minime fefellit: scis enim, quid ego de Graecis ludis existimem. nunc audi quod pluris est, quam omnia. Quinctus fuit mecum dies complures, & si ego cuperem, ille uel plures fuisset: sed, quantum fuit, incredibile est, quam me in omni genere delectarit, in eoq. maxime, in quo minime satisfaciebat. sic enim commutatus est totus & scriptis meis quibusdam, quae in manibus habebam, & assiduitate orationis; & praeceptis, ut tali animo in remp. quali nos uolumus, futurus sit. hoc cum mihi non modo confirmasset, sed etiam persuasisset; egit mecum accurate multis uerbis, tibi ut sponderem, se dignum & te, & nobis futurum; neque se postulare, ut statim crederes, sed, cum ipse perspexisset, tum ut se amares. quod nisi fidem mihi fecisset, iudicassemq. hoc, quod dico, firmum fore; non fecissem id, quod dicturus sum. duxi enim mecum adolescentem ad Brutum. sic ei probatum est, quod ad te scribo, ut ipse crediderit, me sponsorem accipere noluerit, eumq. laudans amicissimē mentionem tui fecerit, complexus, osculatusque dimiserit. quamobrem etsi magis est, quod gratuler tibi, quam quod te rogem; tamen etiam rogo, ut, si quae minus antea propter infirmitatem aetatis constanter ab eo fieri uidebantur, ea iudices illum abiecisse; mihiq. credas, multum allaturum, uel plurimum potius, ad illius iudicium confirmandum, auctoritatem tuam. Bruto cum saepe iniecissem de* ὁμοπλοΐᾳ*, non perinde, atque ego putaram, arripere uisus est. existimabam* ματαιότερον *esse: & hercule erat, & maxime de ludis. at mihi, cum ad uillam redissem, Cn. Lucceius, qui multum utitur Bruto, narrauit, illum ualde morari, non tergiuersantem, sed exspectantem, si si qui forte casus. itaque dubito, an Venusiam tendam, & ibi exspectem de legionibus: si aberunt, ut quidam arbitrantur, Hydruntem: si neutrum erit* ἀσφαλὲς*, eodem reuertar. iocari me putas? moriar, si quisquā me tenet praeter te: etenim circumspice: sed ante erubesco. O dies in auspicijs Lepidi descriptos, & aptos ad consilium reditus nostri. magna* ῥοπὴ *ad proficiscendum tuis litteris. atque utinam te illic. sed ut conducere putabis. Nepotis epistolam exspecto. cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime* γαυριῶ*, legenda non putet. & ais* μετ᾽ ἀμύμονα*: tu uero* ἀμύμων*, ille quidem* ἄμβροτος*. Mearum epistolarum nulla est* συναγωγή*. sed habet Tiro instar septuaginta. & quidē sunt a te quaedam sumendae. eas ego, oportet, perspiciam, corrigam. tum denique edentur.*

EXPLA-

EXPLANATIO

ITA *ut heri &c.* } ut in litteris, quas ad te scripsi, heri legisti, uel fortasse hodie, (Quinctus enim, cui eas litteras dedi, altero se die Romae futurum aiebat) in Nesida ueni IIX. idus, ut sit, Ita ut heri, principium epistolae. DE *nonis Iulijs* } quod in ludorum suorum proscriptione, nonis Iulijs, legeretur. uide nostram interpretationem ad illud, Ita ne, nonis Iuliis ? epist. 1. huius lib. A SEX. } Pompeio, Libonis genero, ut ex Dione cognoscitur. SIVE *quo alio nomine* } quasi consules appellandi non essent Antonius, & Dolabella, qui non agerent quod consules deceret. SI *quid uideretur* } ut corrigeremus, si quid uideretur. PAVCA *παρὰ λέξιν* } nonnulla minus proprie dicta. NON *contumaciter* } sine superbia. QVOD *erat, cos. solum* } Sextus epistolam suam ita inscripserat : Sext. Pompeius Cn. F. cos. S. D. nos addidimus, Praetoribus, tribunis pl. senatui. DE *Caesare* } Romae occiso. IN *ulteriore* } Hispania. NIHIL *esse. &c.* } se non discessurum ab armis, nisi si paterna domus restitueretur. eam autem ab hasta Caesaris emptam possidebat Antonius. Philippica 2. VT *omnes exercitus dimittantur* } se non esse exercitum dimissurum, nisi omnes omnium exercitus dimitterentur. uide illud, Ab armis nullus discederet. epistola 22. lib. 15. NIHIL *reperiebam.* } quod certum uideretur. CONCISOS *agripetas* } idem epist. 29. lib. 15. & 1. huius lib. ACCEPTIS *nummis* } a Buthrotijs. RELICTIS *illis* } agripetis: quos secum duxerat, ut agrum eis Buthrotium assignaret. QVID *eius sit* } quid de ea te sit. Quo de genere loquendi plura diximus lib. v. act. 2. in Verr. in eo loco, Quid eius sit, uos coniectura quoque assequi debetis. ALIQVID *litterarum* } ad me miseris. DVBITABAM, } incertus eram, utrum irem Brundisium, an Puteolis conscenderem. epist. 2. lib. 15. SVBLATVM *uidetur* } non est cur Brundisium ire debeam. quo tamen se scripserat iturum. epist. 2. HAEC *autem nauigatio* } si Puteolis conscendo. SVSPICIONES *periculi* } propter piratas. ep. 1. & 2. *ὁμοπλοΐα* } societate nauigandi. ET *ipse Domitius* } Cn. Domitius, qui cum Bruto nauigaturus erat, unus de percussoribus Caesaris, Ahenobarbi filius ex Porcia Catonis sorore. epist. 46. lib. 13. & Philippica 11. SEXTII, *Buciliani* } & hi Caesarem percusserant. auctor Appianus lib. 11. VLTRA *Fretum* } qua usurus non sum, quod Syriam, non, ut Brutus & Domitius Graeciam, peteret. erat autem ultra Fretum Siculum. EXPLORATIORA *uidebuntur* } a piratis tuta nauigatio. tarde igitur potius cum Bruto nauigabo, quam ut omnino non nauigem. &, si, cum processerimus, exploratiora uidebuntur, omissa *ὁμοπλοΐα* uel testis utemur, celerrimo genere nauiculae. Testae nomen, ut opinor, a Testae similitudine deriuatum. Iuuenalis satyra xv. Et breuibus pictae remis incumbere testae. NON *nouum* } sententia negantem particulam respuit. DE *Tereo Attij.* } quod Tereum, Attij tragoediam, populus magno plausu accepisset. ep. 2. BRVTVM } aliam Attij tragoediam, de L. Bruto, qui Tarquinium regem eiecit, M. Bruti ludis actam. de hac tragoedia Cicero in ea pro Sextio: & de Diu. l. 1. & apud Var. de L. L. lib. IV. NESCIO *quid afflauerat* } nescio quid rumoris affluxerat. Absolute dictum; non, ut alibi, *ἐνεργητικῶς*. Vt in Catone: Suauitatem odorum, qui afflarent e floribus. Et Lucretius, lib. VI. Fornacibus efflet. Et ibidem: Atque efflare foras. COMMISSIONE *Graecorum* } cum Graeci ludi committerentur, infrequentem populum affuisse. *Commissione*: ipso initio. DE *Graecis ludis existimem* } minime dignos, qui spectentur. epist. 1. l. 7. QVINCTVS } filius. IN *quo minime satisfaciebat* } intelligit amicitiam Quincti cum Antonio, & consensionem cum Caesarianis. epist. 14. 17. & 19. lib. 14. INIECISSEM } in sermone. ARRIPERE } cupide amplecti. MORARI } nauigationem proferre. SI *qui forte casus* } si forte quid accideret eiusmodi, ut eum discedere non oporteret. DVBITO } cogitare coepi. nam antea statuerat nauigare cum Bruto: sed, eo morante, nouum consilium capit. EXSPECTEM *de legionibus* } dum audiam, transijciant ne legiones e Graecia, an, ut quidam arbitrantur, nullae ueniant. Verebatur maxime, ne, si ipse Hydrunte, aut Brundisio transijceret in Graeciam, incideret in legiones Macedonicas, quas in Italiam aduentare rumor increbuerat. epist. 21. lib. 15. & 4. huius lib. NEVTRVM } si neutrum erit tutum, neque Hydruntem ire, neque Venusiae manere. EODEM } in haec loca. CIRCVMSPICE } locus concisus, & obscurior, quam ut certam interpretationem afferre possimus. O DIES *&c.* } descripti dies erant, quibus Lepidum, qui erat pontifex max. cum augurum collegio dare operam auspicijs oportebat. laetatur igitur, eam sibi fore caussam, cur mature ad urbem redeat. erat enim augur. MAGNA *ῥοπή* } ualde me ad profectionem impellunt litterae tuae. in easdem enim regiones promittis te uenturum. ep. 27. l. 15. & 1. huius lib. TE *illic* } aduenient inueniam. MEORVM ? } scriptorum. ET *ais, μετ' ἀμύμονα.* } scripserat Atticus ad Ciceronem, Cornelium Nepotem teneri magno desiderio scriptorum ipsius: simulq. Nepotem commendans, dixerat eum esse *μετ' ἀμύμονα*, cum Ciceronem ipsum intelligeret, & ab eo secundum Cornelium faceret. Cicero hanc laudem a se modeste amouens, ait Atticum ipsum esse *ἀμύμονα*, Cornelium uero *ἄμβροτον*, id est, diuinum plane, & immortalem. Respicit autem ad uersum illum Homericum ex Odys. *λ*, quo Aiacem laudans, ait eum formosissimum omnium fuisse *μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα.*

Cicero S. D. Attico 5.

EGo adhuc (perueni enim Vibonem ad Sicam) magis commode, quam strenue nauigaui: remis enim magnam partem: prodromi nulli. illud satis opportune. duo sinus fuerunt, quos transmitti oportet, Paestanus, & Vibonensis: utrumque pedibus equis transmisimus. ueni igitur ad Sicam, octauo, die e Pompeiano; cum unum diem Veliae constitissem: ubi quidem fui sane libenter apud Thalnam nostrum: nec potui accipi, illo absente praesertim, liberalius. IX. Kalen. igitur ad Sicam. ibi tamquam domi meae scilicet: itaque obduxit posterum diem. sed putabam, cum Rhegium uenissem, fore, ut illic, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, cogitaremus, corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, ast inde Corcyram: &, si oneraria, statim ne Freto, an Syracusis. hac super re scribam ad te Rhegio. Mehercule, mi Attice, saepe mecum, πῶς δ' ὧδε...; cur ego tecum non sum? cur, ocellos Italiae, uillulas meas non uideo? sed id satis, superque, tecum me non esse, fugientem periculum. nec id nunc quidem, nisi fallor, ullum est. ad ipsum enim reuocat me auctoritas tua. scribis enim, in caelum ferri profectionem meam, sed ita, si ante. kal. Ian. redeam: quod quidem certe enitar; malo enim uel cum timore domi esse, quam sine timore Athenis tuis. sed tamen prospice, quo ista uergant, mihiq. aut scribe, aut, quod multo malim, affer ipse. haec hactenus. Illud uelim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi maiori curae sciam esse, quam ipsi mihi. nomina mea, per deos, expedi, exsolue: bella reliqui. sed opus est diligentia, coheredibus pro Cluuiano kal. Sex. persolutum ut sit. cum Publio quomodo agendum sit, uidebis. non debet urgere, quoniam iure non utimur: sed tamen ei quoque satisfieri plane uolo. Terentiae uero quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. quin, si, ut spero, celeriter in Epirum; hoc, quod satis dato debeo, peto a te, ut ante prouideas, planeq. expedias, & solutum relinquas. sed de his satis; me tuoque, ne tu nimium putes. nunc negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi: & in eo prooemium, idest, quod in Academico tertio. id euenit ob eam rem, quod habeo uolumen prooemiorum. ex eo eligere soleo, cum aliquid σύγγραμμα institui. itaque iam in Tusculano, qui non meminissem meo abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. cum autem in naui legerem Academicos, agnoui erratum meũ: itaque statim nouum prooemium exaraui. & tibi misi. tu illud desecabis, & hoc agglutinabis. Piliae salutem dices, & Atticae, delicijs, atque amoribus meis. Vale.

EXPLANATIO

VIBONEM *ad Sicam* } contra ueteres libros, Ad Sicam restitui, cum legeretur, Et Sicam. significat enim, apud Sicam se esse, amicum suum; qui Vibone habitabat. & paullo post: XI. Kalen. igitur ad Sicam. ibi tamquam domi meae scilicet. Et quo tempore Clodia rogatione pulsus in exsulium abijt, Vibone item apud eundem Sicam diuersatus est: ut apparet epist. 4. lib. 3. PRODROMI } Aquilones uenti exortum caniculae octo diebus antecedunt. ideo Prodromi dicti a praecurrendo. Plinius. PEDIBVS } siue naui. EQVIS } quod aquae multo minus esset, quam soleret. THALNAM } cognomen esse Iuuentiorum, in Fastis obseruauimus. OBDVXI } consumpsi. δολιχὸν πλόον } uide ep. XI. CORBITA } oneraria naui. AD *Leucopetram Tarentinorum*, } promontorium agri Rhegini appellat in Phil. 1. nec tamen, Rheginorum, pro Tarentinorum, reponendum censuerim, primum quia dissentire ab antiquis libris, praesertim mutatione tanta, non audeo: deinde, quia necesse non fuit indicare Attico regionem, in qua Leucopetra fuit, quippe cui notissimum iter illud in Graeciam esset ob Epiroticas possessiones. malim equidem, si sit coniecturae locus, uerbum illud Tarentinorum, ut ab imperito additum, tollere potius, quam mutare. STATIM *ne Freto, an Syracusis* } statim ipsum Fretum transijciens in Graeciam recta nauigem, an prius deflectam Syracusas, inde in Graeciam. πῶς δ' ὧδε... } uide epist. XI. lib. 15. ID *satis, superq.* } saepe id iam scripsimus, tecum me non esse, quia periculum fugiam. IN *caelum ferri:* } quod omnibus perspicuum sit, me periculi caussa discedere. AD *kal. Ian.* } a quo die sine periculo Romae esse licebit, Pansa & Hirtio cos. EXPEDI, *exsolue* } omnino satisfacias quibus debeo. BELLA *reliqui* } reliqui unde sumeres ad meorum nominum solutionem. COHEREDIBVS *pro Cluuiano* } ut coheredibus meis, qui mihi uendiderunt, quod ipsis de Cluuiana re obuenerat, Kalendis Sextilibus id, quod debeo, persolutum sit. ep. 2. de Hortensio coherede, & epist. 45. lib. 13. de Hordeonio. CVM *Publilio* } huic Cicero pecuniam debebat ex dote Publiliae, quam dimiserat. QVONIAM *iure non utimur* } quoniam de CCCC HS ante diem CC numeraui; qui si uoluissem uti iure meo, diem solutionis spectassem, ut inique facturus sit Publilius, si de ducentis urgeat. uide ep. XI. l. 5. ANTE *diem* } subaudi, Terentiae numera quod debemus. IN *Epirum* } uenturus es. ep. 3. QVOD *satisdato debeo* } satisdato debet, qui creditori cauit fideiussoribus datis.

Cicero S. D. Attico. 6.

VIII. id. Sex. cum a Leucopetra profectus, (inde enim transmittebam) stadia circiter CCC processissem, reiectus sum Austro uehementi ad eandem Leucopetram. ibi cum uẽtum exspectarem, (erat enim uilla

uilla Valerij nostri, ut familiariter essem, & libenter) Rhegini quidem, illustres homines, eo uenerunt, Roma sane recentes, in ijs Bruti nostri hospes, qui Brutũ Neapali reliquisset. haec afferebant, edictum Bruti, & Cassii, & fore frequentem senatum Kalendis: a Bruto, & Cassio litteras missas ad consulares, & praetorios; ut adessent, rogare. summam spem nũciabant, fore, ut Antonius cederet, res conueniret, nostri Romam redirent. Addebant etiam, me desiderari, subaccusari. quae cũ audissem, sine ulla dubitatione abieci consilium profectionis; quo mehercule ne antea quidem delectabar. lectis uero tuis litteris, admiratus equidem sum, te tam uehementer sententiam commutasse; sed, non sine caussa, arbitrabar. etsi quamuis non fueris suasor, & impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti, dummodo Kal. Ian. Romae essem. ita fiebat, ut, dum minus periculi uideretur, abessem, in flammam ipsam uenirem. sed haec, etiam si non prudenter, tamen ἀνεμέσητα sunt; primum, quod de mea sententia acta sunt; deinde, etiam si te auctore quid debet, qui consilium dat, praestare praeter fidem? Illud admirari satis non potui, quod scripsisti his uerbis: Bene igitur tu, qui ἄδαν ἀσίαν, bene relinquis patriam? *An ego relinquebam? aut tibi tam relinquere uidebar, tu id non modo non prohibebas, uerum etiam approbabas? grauiora, quae restant.* Velim σχόλιον aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere. *Ita ne, mi Attice, defensione eget meum factum, praesertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? ego uero istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus inuitis, & dissuadentibus profectus sum, etsi quid iam opus est χολῆς? si perseuerassem, opus fuisset. at hoc ipsum non constanter. nemo doctus umquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilij inconstantiam dixi esse. deinceps igitur haec* NAM *si a Phaedro nostro, exspedita excusatio esset, nunc quid respondemus? Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitij scilicet plenum, & dedecoris. utinam a primo ita tibi esset uisum. tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. Extremum illud uel molestissimum.* Nam Brutus noster silet: *hoc est, non audet hominem id aetatis monere. aliud nihil habeo, quod ex ijs a te uerbis significari putem. & hercule ita est. Nam* XVI. *Kalend. Sept. cum uenissem Veliam, Brutus audiuit. erat enim cum suis nauibus apud Heletem fluuium citra Veliam millia passuum* III. *pedibus ad me statim. dij immortales, quam ualde ille reditu, uel potius reuersione mea laetatus? effudit illa omnia, quae tacuerat: ut recordarer illud tuum,* Nam Brutus noster silet. *maxime autem dolebat, me Kal. Sext. in senatu non fuisse. Pisonem ferebat in caelum: se autem laetari, quod effugissem duas maximas uituperationes, unam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere, desperationis, ac relictionis reip. (flentes mecum uulgo quaerebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam) alteram, de qua Brutus, & qui una erant, (multi autem erant) laetabantur, quod eam uituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. hoc uero nihil turpius quouis reip. tempore. sed hoc ἀναπολόγητον. ego uero Austro gratias miras, qui me a tanta infamia auerterit. Reuersionis has speciosas caussas habes, iustas illas quidem, & magnas. sed nulla iustior, quam quod tu idem alijs litteris:* Prouide, si cui quod debetur, ut sit unde par pari respondeatur. mirifica enim δυσχρησία est propter metum armorum. *in Freto medio hanc epistolam legi, ut, quid possem prouidere, in mentem non ueniret mihi, nisi quod praesens me ipse defenderem. Sed haec hactenus. reliqua coram. Antonij edictum legi a Bruto, & horum contra, scriptum praeclare. sed quid ista edicta ualeant; aut quo spectent, plane non uideo. nec ego nunc ut Brutus censebat, istuc ad remp. capessendam uenio. quid enim fieri potest? num quis Pisoni est assensus? num rediit ipse postridie? sed abesse hanc aetatem longe a sepulchro negant oportere. Sed obsecro te, quid est quod audiui de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει, te scripsisse aiebat, ualde sum commotus. etsi idem te scribere, sperare melius. ita plane uelim. ei dicas plurimam salutem, & suauissime Atticae. Haec scripsi nauigans, cum Pompeianum accederem,* XIV. *kal.*

EXPLANATIO

CVM *a Leucopetra profectus* } narrat idem in 1. Philippica his uerbis. Cum me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, uenti detulissent; ab eo loco conscendi, ut transmitterem: nec ita multum prouectu, reiectus Austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. cumq. intempesta nox esset, mansissemq. in uilla P. Valerij, comitis, & familiaris mei; postridieq. apud eundem uentum exspectans manerem: municipes Rhegini complures ad me uenerunt, ex ijs quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonij concionem: quae ita mihi placuit, ut ea lecta de reuersione primum coeperim cogitare. nec multo post edictum Bruti affertur, & Cassij: quod quidem mihi, fortasse quod eos etiam plus reip. quam familiaritatis gratia diligo, plenum aequitatis uidebatur. addebãt praeterea, rem conuenturam, Kalendis Sext. senatum frequentem fore, Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Gallijs prouincijs, ad auctoritatem senatus esse rediturum. PROCESSISSEM, } flantibus ad occidente etesijs: quod lib. 2. Met. docet Aristoteles. Ii uenti euntem in Graeciam Ciceronẽ, quasi boni ciues, relinquentem remp. prosequi noluerunt. ep. 25. l. 12 fam. VT *adessent* } in senatu. SENTENTIAM *commutasse* } qui cum antea meam profectionem probaueris, idem nunc reprehendas. IN *flammam ipsam uenirem* } uide illud epist. 3. Relinquemus enim pacem, ut ad bellum reuertamur. Ἀνεμέσητα } quod ego ex Italia discederem, dum periculi minus esset, eo consilio, ut Kalendis Ianuarijs adessem, cum omnia contentionibus arderent; omnino non prudenter faciebam: sed id tibi esse inuidiosum, aut ullam afferre infamiam non potest: primum, quod ego meam sententiam secutus, discede-

bam:

bam: deinde, etiam si te auctore, non debet is, qui consilium dat, quidquam praestare praeter fidem. BENE *igitur &c.* } rectum igitur putas o Cicero patriam relinquere, dum εὐθανασίαν sequeris? Et cum dixit Atticus εὐθανασίαν, respexit ad id, quod Cicero scripserat ep. 20. l. 15. Ex hac nulla exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. OPORTVISSE *te istuc facere* } quo σχολῇ defendas profectionem tuam, & ostendas oportuisse te discedere. QVIBVS *inuitis, & dissuadentibus* } nam tu quidem suasisti, ut discederem. SI *perseuerassem* } si perrexissem in Graeciam: sed uides me reuerti. SI *a Phaedro nostro* } si hoc fieret a Phaedro nostro, facilis illi excusatio esset. sic enim responderet: Ego de honesto nihil cogito, dolorem fugio, summum bonum in uoluptate pono. nunc quid tu respondebis o Cicero, qui non, ut Phaedrus, Epicuream sectam, sed illam Socraticam, quae uirtutem & officium colit, es secutus? De Phaedro, epist. 1. lib. 13. fam. & alibi. A PRIMO } ante quam discederem. FVISSES *Cato* } numquam discessissem: tuum consilium, ut Catonis, essem secutus. NON *audet &c.* } nimirum scribis Attice, ideo Brutum nihil dicere super discessione mea, quia me non audeat, hominem id aetatis, monere. qui si auderet, me scilicet patriam relinquentem reprehenderet. aliud enim te non arbitror significare. VEL *potius reuersione* } necessitas indicatur. nam reditus tantum uoluntatis est. Reuersione igitur, quia, cum processisset, ab Austro retro uersus est. fam. lib. XII. epist. XXV. In Graeciam, inquit, desperata libertate, rapiebar; cum me Etesiae, quasi boni ciues, relinquentem patriam prosequi noluerunt; Auster q. aduersus maximo flatu me Rhegium retulit. & Philip. EFFVDIT *illa omnia, quae tacuerat* } dixit me facere praeclare, qui Romam reuerterem, abiecto discessionis consilio. PISONEM } in 1. Philippica: Ex Bruto primum cognoui, quae Kalen. Sextilibus in senatu fuisset L. Pisonis oratio. qui quamquam parum erat, a quibus debuerat, adiutus: tamen & Bruti testimonio, quo quid potest esse grauius? & omnium praedicatione, quos postea uidi, magnam mihi uidebatur gloriam consecutus. Et fam. ep. 1. lib. 12. Nec Pisoni, qui in Antonium primus inuectus est nullo assentiente, nec mihi, qui idem tricesimo post die feci; nec P. Seruilio, qui me est consecutus, tuto in senatum uenire licet. RELICTIONIS *reip.* } antiqui libri, Religionis; ego tamen, Relictionis, probaui, ex correctione Beroaldi: non solum, quod parua mutatione sententia restituitur sanequam apta, & cum uerbo antecedenti optime consentiens: uerum et, quod accusatione 3. in Verrem, ubi in uulgatis libris legitur. Illam relectionē, proditionemq. consulis sui, Maffaei scriptus habet, Relictionem proditionemq. QVAEREBANTVR } ante quā discederet. non enim loquitur de ijs, qui cum Bruto erant: sed eos intelligit, quibus discedens affirmauerat, se celeriter esse rediturum. NON *probabam* } non persuadebam. ME *existimari ad Olympia.* } non ideo me homines discedere crediderant, quod in Graeciam ad spectaculum ludorum Olympiorū properarem. hanc igitur uituperationem reuertens effugi. SED *hoc* } tam turbulento reip. tempore si ad Olympia profectus essem, ἀναπολόγητον fuisset, id est, nulla prorsus ratione meum factum defendere potuissem. GRATIAS *miras* } elegans figura sine uerbo. uenustius enim subintelligitur, Ago, quam legitur. itaque sustuli, approbante Bessarionis libro. QVI *me* } qui me in Graeciam nauigantem aduersus flatu maximo Rhegium retulerit. SPECIOSAS } quia reuerteret, quod intelligeret non esse desperandum de rep. ut exposuit epistolae initio. PROVIDE } prouide, o Cicero, si cui quid debes, ut sit unde tantumdem solui possit, quantum debetur. δυσχρησία } difficultas uersurae faciendae. quod cum ita sit, unde solues? ep. 4. PRAESENS *me ipse defenderem* } haec una prouidendi ratio mihi in mentem ueniebat. quod si Romae essem, ipse me contra meos creditores tueri possem, tu mei defendendi, aut excusandi nullum onus sustineres. itaque uideo, mea etiam caussa, non reip. modo, mihi esse reuertendum. A BRVTO } datum. HORVM } Bruti & Cassij, praetorum. fam. epist. 3. l. XI. CENSEBAT } censebat Brutus, ut illuc uenirem ad remp. capessendam. PISONI } cui in senatu in Antonium inuehenti nemo assensus est armorum metu. fam. ep. 1. lib. 12. & Philippica 1. REDIIT } quasi non perstiterit in sententia. aut non redijt Antonij metu. SED *abesse &c.* } ideo redeo, quia senem, cui mors impendet, non decet longe abesse a sepulcro, id est a patria, in qua solemus sepulcrum nobis constituere. redeo igitur, ut, quidquid acciderit, in patria moriar. DE *Bruto.* } a Bruto. PILIAM } uxorem tuam tentari morbo, quem παράλυσιν appellant.

Cicero S. D. Attico. 4.

CVM sciam, quo die uenturus sim, faciā, ut scias. impedimenta exspectanda sunt, quae Anagnia ueniunt: & familia aegra est. kal. uesperi litterae mihi ab Octauiano redditae sunt. magna molitur. ueteranos, qui Casilini, & Calatiae sunt, perduxit ad suam sententiam: nec mirum: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. plane hoc spectat, ut se duce bellum geritur cum Antonio. itaque uideo pacis diebus nos in armis fore. quem autem sequamur? uide nomen: uide aetatem. atque a me postulat, primum ut clā colloquatur, uel Capuae. puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. docui litteris, id nec opus esse, nec fieri posse. misit ad me Caecinam quendam Volaterranum, familiarem suum, qui hoc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere, pecunias municipijs impetrare, legionem sub signis ducere. consultabat, utrum Romam cum ∞ ∞ ∞ ueteranorum proficisceretur, an Capuam teneret, & Antonium uenientem excluderet, an iret ad tres legiones Macedonicas, quae iter secundum mare superum fecerunt, quas sperat suas esse. hae congiariū ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidē narrat, & ei conuiciū grāde fecerunt,

runt, concionantemq. reliquerunt. quid quaeris? ducem se profitetur, nec nos sibi putat deesse oportere. equidẽ suasi, ut Romam pergeret uidetur. n. mihi & plebeculã urbanam, &, si fidem fecerit, etiam bonos secum habiturus. o Brute ubi es? quantam εὐκαιρίαν amittis. non equidẽ hoc diuinaui, sed aliquid tale putaui fore. Nunc tuum consilium exquiro, Romam ne uenio, an hic maneo, an Arpinum? ἀσφάλειαν habet is locus. fugiam Romam, ne desideremur, si quid acturi uidebitur. hoc igitur explica. numquam in maiore ἀπορίᾳ fui. Vale.

EXPLANATIO

CASILINI, *& Calatiae* } idem Velleius l. 2. QVINGENOS *denarios* : } Appianus & Dio Drachmas uocant. sed, quia drachma paullo leuior est denario, cum octo apud Athenienses drachmae in uncia, denarij Romae septem ferirentur: ideo non solum Graeci scriptores Drachmam pro denario, sed Latini quoque denarium pro Drachma interdum usurparunt. VIDE *nomen, uide aetatem* } turpe nobis est sequi eum, qui & Caesar appelletur, & adolescens, ac paene puer sit. VEL *Capuae* } uide, quam pueriliter; qui putet uel Capuae clam mecum posse loqui. non. n. postulat, ut obscuro in opido, aut in aliqua latebra congrediamur, sed in urbe Capua. ALAVDARVM } Caesar legionem Alaudarum ab aue nominauit, quae Gallico uocabulo dicitur Alauda. Plinius, Suetonius. AD *urbem pergere* } Antonium ab urbe Octauianus auertit, quo ille infestus cum legione Alaudarum Brundisio ueniebat. Philippica 3. & fam. ep. 25. l. 12. LEGIONEM *sub signis ducere* } in omnibus libris, & impressis, & scriptis, Legionem suis signis ducere nos ex obseruatione latinarum locutionum, quarum genera in usum nostrum notare consueuimus, & hic, & alibi mendum deprehendimus. legiones enim sub signis ducere, & sub signis habere, usitata figura ueteres dicebant. Lucretius lib. v.

,, At non multa uirum sub signis millia ducta
,, Vna dies dabat exitio.

Plãcus, fam. ep. 8. l. 10. Legiones habeo quinque sub signis. & Asinius, eodem libro: Legiones sub signis armatas tres. & Liuius l. 3. Sub signis urbem intrauere. & l. 11X. Sub signis alij xv. ordines locabantur. ∞ ∞ ∞. } tribus millibus. nam mille hac nota CIↃ ueteres significabant: inde factum ∞, librarijs antiquae notae figuram immutantibus, cum propter celeritatem describendi uno calami ductu perficerent. TRES *legiones Macedonicas* } quarum duas, Martiam, & Quartam, ad ipsum transijsse, & Appianus tradit l. 3. & noster in Philippicis. CONVICIVM *grande fecerunt* } Antonium centenas drachmas pollicentem irriserunt, Appianus l. 3. SI *fidem fecerit* } non. n. satis Octauiano credebant boni uiri, quod Caesaris & heres, & filius ex testamento esset. ALIQVID *tale* } ut praesens auctoritate & uirtute sua rẽp. iuuare posset, cui nunc in uno Octauio contra Antonium & spes & praesidium est. FVGIAM *Romam* } antiqui libri, Caualcantis, & Bessarionis, Fugam Romam. proculdubio corruptus locus.

Cicero S. D. Attico. 8.

BINAE mihi uno die litterae ab Octauio. nunc quidem, ut Romam statim ueniam: uelle se rem agere per senatum: cui ego, non posse senatum ante Kalen. Ian. quod quidem ita credo. ille autẽ addit, consilio tuo. quid multo ille urget: ego autem σκήπτομαι. non confido aetatis; ignoro, quo animo: nihil sine Pansa tuo uolo; uereor, ne ualeat Antonius: nec a mari discedere libet: et metuo, ne quae ἀριστεία me absente. Varroni quidem displicet consilium pueri, mihi non. firmas copias habet, Brutum habere potest: & rem gerit palam: centuriat Capuae, dinumerat. iam, iamq. uideo bellum. ad haec rescribe. Tabellarium meum kalendis Romae profectum sine tuis litteris, miror. Vale.

EXPLANATIO

CVI *ego,* } rescripsi. CONSILIO *tuo* } scribit, se uelle rẽ agere per senatum consilio meo. *σκήπτομαι* } tergiuersor. VALEAT } copijs. quod si esset, rursus de Graecia cogitarẽ: ideoq. a mari non libet discedere. CONSILIVM *pueri* } nõ probat Varro, quod exercitum contra M. Antoniũ Octauius pararit. BRVTVM } Decimũ: quẽ Antonius, Celtica prouincia non decedentẽ, armis expellere parabat. CENTVRIAS } centurias conficit ueteranorum. DIMINVERAT } pecuniam unicuique numerat, quingenos scilicet denarios. epist. 7.

Cicero S. D. Attico. 9.

VI. ueni, ad me, in Sinuessanum. eodem die, uulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. itaque mutaui consilium. statueram. n. recta Appia Romam. facile me ille esset assecutus. aiunt. n. eum Caesariana uti celeritate. uerti igitur, me a Minturnis Arpinum uersus. constitueram, ut pridie idus aut Aquini manerem, aut in Arcano, nunc, mi Attice, tota mente incumbe in hanc curam. magna enim res est. tria sunt autem, maneam ne Arpini, an propius accedam, an ueniam Romam. quod censueris, faciam: sed quamprimũ. auide exspecto tuas litteras. VI. idus mane, in Sinuessano. Vale.

EXPLANATIO

VI. *ueni ad me in Sinuessanum.* } ita correxi e libro Caualcantis. uulgata lectio perspicue deprauata. nam, si epistolae adscripta dies est VI. idus in Sinuessano, quo modo se ad IV. uenisse dicat in Sinuessanum? praeterea non recte, Arpinum ueni. nondum enim eo peruenerat: quod ostendunt quae proxima subsequuntur. Ad me autem, in uillam meam, quo modo locutus alibi. uide ep. 10. lib. 4. ARCANO } Quincti fratris praedio. MANEAM *ne Arpini* } quo iter habebat. LITTERAS VI. *idus mane in Sinuessano* } Bessarionis liber sic: Litteras idus mane in suaseno: duabus dictionibus interiecto spatio seiunctis. dixi iam, in dierum nota mendum esse.

Cicero S. D. Attico. 10.

NONIS accepi a te duas epistolas: quarum alteram Kal. dederas, alteram pridie. igitur prius ad superiorem. Nostrum opus tibi probari laetor. ex quo ante ipse posuisti, quae mihi florentiora sunt uisa tuo iudicio. caerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sica ita est, ut scribis. ast aegre me tenui. itaque perstringam sine ulla contumelia Sicae, & Septimiae: tantum, ut sciant παῖδες παίδων *sine uallo Luciliano, eum ex C. Fadij filia liberos habuisse. atque utinam eum diem uideam, cum ista oratio ita libere uagetur, ut etiam in Sicae demum introeat. sed illo tempore opus est, quod fuit illis triumuiris. moriar, nisi facete. tu uero leges Sexto, eiusq. iudicium mihi perscribes* οἷς ἐμοὶ μύριοι. *Caleni interuentum, & Caluenae cauebis. Quod ution, ne* ἀδολεσχος*: mihi tu? quis minus? cui, ut Aristophani Archilochi iambus, sic epistola longißima quaeque optima uidetur. Quod me admones, tu uero etiam si reprehenderes, non modo facile paterer, sed etiam laetarer, quippe cum in reprehensione est prudentia cum* εὐμενείᾳ. *ita libenter ea corrigam, quae a te animaduersa sunt, eodem iure quo Rubriana potius, quam quo Scipionis: & de laudibus Dolabellae deruam cumulum. attamen est isto loco bella, ut mihi uidetur,* εἰρωνεία, *quod eum contra ciues in acie. illud etiam malo, indignius esse hunc uiuere, quam, quid indignius.* Πολυγραφίαν *Varronis tibi probari non moleste fero: quo adhuc* ἡρακλείδειον *illud non abstuli. Quod me hortaris ad scribendum; amice tu quidem, sed me scito agere nihil aliud. Grauedo tua mihi molesta est. quaeso adhibe, quam soles, diligentiam. O* TITE, *tibi prodesse laetor. Anagnini sunt, Mustela* ταξιάρχης, *& Laco, qui plurimum bibit. Librum, quem rogas, perpoliam & mittam. Haec ad posteriorem.* Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, *quatenus Panaetius, absolui duobus: illius tres sunt. sed cum initio diuisisset ita, tria genera exquirendi officij esse; unum, cum deliberamus, honestum, an turpe sit; alterum, utile, an inutile; tertium, cum haec inter se pugnare uideantur, quo modo iudicandum sit: qualis caussa Reguli; redire honestum, manere utile: de duobus primis praeclara disseruit; de tertio pollicetur se deinceps scripturum, sed nihil scripsit. eum locum Posidonius persecutus. ego autem & eius librum accersiui, & ad Athenodorũ Caluum scripsi, ut ad me* τὰ κεφάλαια *mitteret: quem exspecto: quẽ uelim cohortere, & roges, ut quamprimũ: in eo est* περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. *Quod de inscriptione quaeris; non dubito, quin* τὸ καθῆκον *officium sit, nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior, de officijs.* προσφωνῶ *autẽ Ciceroni filio. uisum est non* ἀνοικεῖον. *De Myrtilo, dilucide. o qualis tu semper istos. ita ne in D. Brutũ? de istis. Ego me, ui scripseram, in Pompeianum non abdidi, primo tempestatibus, quibus nihil taetrius: deinde ab Octauiano quotidie litterae, ut negotium susciperẽ, Capuam uenirem, iterũ remp. seruarem, Romã utique statim.* αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. *is tamen egit sane strenue, & agit. Romã ueniet cũ manu magna. sed est plane puer. putat senatum statim. quis ueniet? si uenerit, quis, incertis rebus, offendet Antonium? kal. Ian. erit fortasse praesidio: aut quidem ante depugnabitur. puero municipia mire fauent. iter enim faciens in Samniũ uenit Cales, mansit Theani. mirifica* ἀπάντησις *& cohortatio. hoc tu putares? ob hoc ego citius Romá, quam constitueram. simul ac constituero, scribam. etsi nondum stipulationes legeram: nec enim Eros uenerat. tamen rem pridie idus uelim conficias. Epistolas Catinam, Tauromeniam, Syracusas commodius mittere potero, si Valerius interpres ad me nomina gratiosorum scripserit. alij enim sunt alias, nostriq. familiares fere demortui. publice tamen scripsi, si uti uellet eis Valerius, aut mihi nomina mitteret. De Lepidianis feris Balbus ad me. Vsque ad III. kal. exspectabo tuas litteras: deq. Torquati negotiolo sciturũ poto. Quincti litteras ad te misi, ut scires, quam ualde eum amaret, quem dolet a te minus amari. Atticae, quoniam, quod optimum in pueris est, hilarula est, meis uerbis suauium dices. Vale.*

EXPLANATIO

NOSTRVM *opus* } puto librum de Gloria. ep. 5. EX *quo ante* } Atticus excerpta quaedam ex illo libro scripserat in paginis ante librum positis. EXTIMESCEBAM } Atticus. n. quae minus probabat in Ciceronis libris, ea notare miniata cera. solitus erat. ep. 14. l. 15. ITA *est, ut scribis.* } ita accusandus mihi est Antonius, ut Sicam amicum nostrum cum contumelia ne nominẽ: erat autẽ Sicae mentio quodam loco facienda, quod eo usus erat Antonius. AEGRE *me tenui* } uix a me ipse impetraui, ut Sicam non notarẽ: cum orationem in Antonium scriberẽ. Sica autẽ Ciceronis amicus, & hospes. ep. 5. PERSTRINGAM }

Anto-

Antonium. *μεταφορικῶς*, Perstringere, ualet leuiter offendere. Pro Plancio: Granius L. Crassi uoluntatem asperioribus uerbis saepe perstrinxit impune. SEPTIMIAE} uxoris, opinor, Sicae. *παῖδες παίδων*} omnis posteritas: unde apud Virgilium, Et nati natorum, & qui nascentur ab illis. Manasse prouerbium uidetur ab Homeri uersu: *καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθε γένωνται. Sine uallo Luciliano*} forte, ut aperte intelligant: quia non scripta sunt obscure: quo te quasi uallo saepe muniuit Lucilius, poeta maledicus. EVM} M. Antoniũ: cui & in 2. Philippica per contumeliã obijcit, suscepisse eũ liberos ex Q. Fadij, libertini hominis, filia. quem hic Caium legimus, ibi Quinctum: ut alterutrum sit mutandum. ILLIS *triumuiris*} hoc sine epistola Attici non licet nobis diuinare. NISI *facete*} subaudi, scripsisti de triumuiris. LEGES *Sexto*,} meam in Antonium orationem leges Sex. Peducaeo, qui mihi unus mille hominũ loco est: ut ep. 5. l. 2. Quid Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus. Magni autem ponderis fuisse Sex. Peducaeum apud Ciceronem, patet ep. 1. l. x. & 15. l. 15. CALENI} cauebis, ne, dum leges meam orationem, Q. Fusius Calenus, aut Cn. Matius interueniat. uterque. n. Antonio amicitia coniunctus. Caleni etiam orationem pro Antonio bene longam, & contumeliosam aduersus Ciceronem recitat Dio l. XLVI. Marium uero, quem Caluenam uocat, ut etiam ep. 4. l. 14. amicum Antonio fuisse, inimicum Bruto & Cassio, hoc est libertatis & reip. patronis, docet ipsius epistola in fam. 28. l. xi. EPISTOLA *longissima quaeque optima*} idem de Demosthenis orationibus solitum dicere, tradit Plutarchus. QVO *Rubrium*} ita nunc corrigam, quae a te sunt in meo libro animaduersa, ut antea correxi quae de Rubrio scripseram, non ut quae de Scipione. Attico enim iam antea monenti ut de Rubrio scripta emendaret, Cicero paruerat: de Scipione, non item. ET *de laudibus Dolabellae*} & te suadente partem tollam earum laudum, quibus Dolabellam ornaueram. EVM *contra ciues*} mihi, praeter obscuritatem sententiae, etiam antiqui libri, Caualcantis & Bessarionis, suspicionem afferunt de mendo. in utroque. n. scriptum animaduerto, Eum per contra ciues. placet, quod alijs, Eum ter contra ciues. hoc sensu: Videor Dolabellam in Philippica 11. laudare: sed bella *εἰρωνεία* est. nam re uera uitupero: siquidem eum ter in acie statuo contra ciues, cum dico interfuisse omnibus bellis ciuilibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Philippica 2. INDIGNIVS *esse*} de Antonio loquitur, quem uult indignum uita uideri, sic inquam indignum, quam quod maxime. *πεπλογραφίαν Varronis*} Varro clarorum uirorum nomina in unum librum congesserat, eumq. inscripserat, Πεπλογραφίαν: quod Athenienses (auctores sunt Euripides in Hecuba, Harpocration, alij) in peplo eos, qui aliquid fortiter gessissent, expingere consueuerant. & Porphyrius ab Aristotele scriptum commentarium tradit, Pepli nomine inscriptum; quo commentario & nauium, quae ad Troiam profectae essent, numerum, & ducum genealogias persequebatur. *ἡρακλείδιον*} aliud Varronis opus. *ἡρακλείδιον* autem appellat, uel quia de rep. (Heraclides enim Ponticus de rep. scripserat, ut est ep. 19. l. 13. & ad Q. fr. ep. 8. l. 3.) uel quod egregie scriptũ, ut quasi Heraclidis opus uideri posset. O TITE} librum de Senectute: cuius initium est, O Tite, si quid ego &c. uide ep. 3. *ταξιάρχης*} princeps gladiatorum. nominat eosdem secunda in Antonium, his uerbis: Cum duos secum Anagninos haberet, Mustelam, & Laconem: quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum. Et Philipp. XII. Nolite ne Tirones quidem, Numisios, & Mustelas, Saxas ue contemnere. Et XIII. eundem nominat. Respondet Attico, nomina Anagninorum, quos secum Antonius haberet, scire cupienti. legerat illud fortasse in II. Philipp. Cum duos Anagninos secum haberet: & rogauerat, quinam essent. in quo, nisi me coniectura fallit, abundare crediderim in ea oratione Mustelae, & Laconis nomina: cum Atticus ea quaesierit. LACO} Lento, non Laco, nominatur in Philipp. XI. XII. bis, & XIII. bis. ABSOLVI *duobus*} quatenus de officio Panaetius scripsit, (scripsit autem tribus libris) ego duobus absolui. in tertio deinde libro quaestionem illam explicauit, qui discerni posset officium; cum id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile uideretur: quod Panaetius cum promisisset se esse dicturum, non persoluerat. ante, Absoluit, legebatur: itaq. est in antiquis quoque libris: nos tamen, Absolui, sententia postulante. QVALIS *caussa Reguli*} M Atilio Regulo utile fuit Romae manere, honestum ad Carthaginienses redire, sicuti discedens iureiurando promiserat. hoc exemplum plenissime in 3. de officijs. POSIDONIVS} Panaetij discipulus, Rhodius philosophus, e Stoica disciplina. DILVCIDE} scripsisti. DE *istis*} fortasse rectius hoc modo: Ita ne in L. Brutum desciscis, qui scilicet antea pro eo sentire uidebaris? ITERVM *remp. seruarem*} seruauerat. n. antea, cum Catilinae coniurationem in suo consulatu oppressit. *αἴδεσθεν*} significat, neque se suscipere quod Octauius uellet, periculi metu: neque abnuere, propter pudorem: quemadmodum ij, quos e Graecorum exercitu Hector in certamen prouocauerat. l. 6. ep. 1. KALENDIS *Ian.*} quo die nouis consulibus magistratum ineuntibus de rep. refertur. ERIT} Octauius. Nam ut senatus Kal. Ian. tuto haberi. sententiaeq. de summa rep. libere dici possent, de praesidio prius erat uidendum: qua de re tribunos pl. uerba fecisse, patet in extrema 3. Phil. STIPVLATIONES} eos, qui stipulatione se daturos esse pecuniam spondent. uult enim, opinor, e suis praesidijs aliquod ab Attico uendi. CATINAM *&c.*} Catinensium suffragijs, item Tauromeniorum, & Syracusanorum, assequi nescio quid in Sicilia Valerius interpres cupiebat. ep. 10. l. 1. GRATIOSORVM} in suffragijs. NOSTRIQ. *familiares*} a quaestura sua Siciliensi. PVBLICE} ad Catinenses, Tauromenienses, Syracusanos. AVT *mihi nomina mitteret*} quasi dicat: Si uti nollet eis litteris, mitteret mihi nomina gratiosorum. BALBVS *ad me*} scripserat. NEQVE *Torquati*:} ut in nostro libro, item est in duobus scriptis, Caualcantis, & Bessarionis. Placeret, Me de Torquati negotiolo sciturum puto. uel, ut alij emendarunt, Deq. Torquati negotiolo sciturum puto. QVAM *ualde eum amaret*} Quinctum, filium suum.

Cicero S. D. Attico. 11.

OPPII epistolae, quia perhumana erat, tibi misi exemplum. De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi quidquam rescribis, cepi consilium domesticum: itaque me pridie idus arbitror Romae futurum. commodius est uisum, frustra me istic esse, cum id non necesse esset, quam, si opus esset, non adesse. & simul, ne intercluderer, metuebam. ille enim iam aduentare potest: etsi uarij rumores, multique, quos cuperem ueros: nihil tamen certi. ego uero, quidquid est, tecum potius, quam animi pendeam, cum a te absim, & de te, & de me. sed quid dicam? bonum animum. ἡρακλείδῃ Varronis, negotia salsa. me quidem nihil umquam sic delectauit. sed haec, & alia maiora coram. Vale.

EXPLANATIO

MVGINARIS, } nihil explicans differs. CEPI *consilium domesticum* } hoc consilium cepi, ut Romam uenirem. INTERCLVDERER } aduentu Antonij ad urbem. POTEST } ad rationem coniecturae suae. ut ego, inquit, opinor, Antonius ad urbem iam aduentat. TECVM *potius* } subintellige, Romae sim. NEGOTIA *salsa* } facete scripsisti ab ἡρακλείδῃ Varronis: meq. ea pars litterarum tuarum ita delectauit, ut nihil umquam magis. ep. 8.

Cicero S. D. Attico. 12.

OCASVM mirificum. v. idus cum ante lucem de Sinuessano surrexissem, uenissemq. diluculo ad Pontem Tiretium, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obuiam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. ego statim, cedo, inquam, si quid ab Attico. non dum legere poteramus. nam & lumina dimiseramus; nec satis lucebat. cum autem luceret, ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi coepta est. illa omnium quidem elegantissima. ne sim saluus, si aliter scribo, ac sentio. nihil legi humanius. itaque ueniam, quo uocas, modo adiutore te. sed nihil tam ἀπροσδιόνυσον mihi primo uidebatur, quam ad eas litteras, quibus ego a te consilium petieram, te mihi ista rescribere. ecce tibi altera, qua hortaris παρ' ὑπένερθε Μίμαντα, Νήσου ἐπὶ Ψυρίης, Appiam in ἀριστερ' ἔχοντα. itaque eo die mansi Aquini: longulum sane iter, & uia inepta. inde postridie mane proficiscens, has litteras dedi. & quidem, ut a me dimitterem inuitissimus, fecerunt Erotis litterae. rem tibi Tiro narrabit. tu, quid faciendum sit, uidebis: praeterea, possim ne propius accedere, (malo enim esse in Tusculano, aut uspiam in suburbano) an etiam longius discedendum putas. crebro ad me uelim scribas. erit autem quotidie, cui des. Quod praeterea consulis, quid tibi censeam faciundum: difficile est, cum absim: uerumtamen, si pares aeque inter se, quiescendum: sin, latius manabit, & quidem ad nos, deinde communiter. auide tuum consilium exspecto. timeo, ne absim, cum adesse me sit honestius: uenire non audeo. De Antonij itineribus nescio quid aliter audio, atque ut ad te scribebam. omnia igitur uelim explices, & ad me certa mittas. De reliquo quid ego tibi dicam? ardeo studio historiae. incredibiliter enim me commouet tua cohortatio. quae quidem nec institui, nec effici potest sine tua ope. coram igitur hoc quidem conferemus. In praesentia mihi uelim scribas, quibus cos. C. Fannius M. F. tribunus pl. fuerit. uideor mihi audisse, P. Africano, L. Mummio. id igitur quaero. tu mihi de ijs rebus, quae nouantur, omnia certa, clara. III. id. ex Arpinati. Vale.

EXPLANATIO

δολιχὸν πλόον } respexit ad Homeri uersum, quem infra paullo post recitabimus. Dicit autem, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας. quia rursus nauigare in Graeciam cogitabat, si armis ualeret Antonius: nec a mari discedere libet. Ἀπροσδιόνυσον } absurdum, alienum a re. CONSILIVM *petieram* } quid mihi esset agendum, manendum ne Arpini, an propius accedendum, an ueniendum Romam. ep. 7. & 9. Παρ' ὑπένερθε Μίμαντα } Nestoris uerba sunt Odysseae lib. 3. Telemacho narrantis reditum Graecorum a Troia. Scripserat autem Atticus, qua uia Cicero proficisci Romam tuto posset. ualde enim Antonium timebat, ut significat ipse ep. 8. & eam rationem itineris, ab Attico descriptam, Homericis uerbis Cicero designat. poetae uersus hi sunt.

,, ὀψὲ δὲ δὴ μετὰ νῶϊ κίε ξανθὸς Μενέλαος:
,, ἐν Λέσβῳ δ' ἔκιχε δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας
,, ἢ καθύπερθε Χίοιο νεοίμεθα παιπαλοέσσης,
,, νήσου ἐπὶ Ψυρίης αὐτὴν ἐπ' ἀριστερ' ἔχοντες,
,, ἢ ὑπένερθε Χίοιο παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα.

Quod autem Cicero & Mimanta, & Psyriam in hunc locum transtulit, non ea ipsa intelligit loca, (non n. Atticus ad eam nauigationem hortabatur, sed ut Antonium uitaret ad urbem uenientem) sed quasi

per

per iocum usurpauit Homeri uerba, non dissimili sententia. APPIAM } uiam. DIMITTEREM } litteras: qua de caussa, non scribit, sed reijcit Atticum ad Tironis sermonem. PARES: } si pares copijs sunt Antonius, & Octauius; Romae tibi censeo manendum. ipsi enim inter se aliquandiu pugnabunt: intereaq. periculi expertes erimus. sin superior alteruter est; discedendum. utercumque enim ualeat, latius periculum manabit, & primo ad nos, (se ipsum, & alios intelligit, qui remp. fortiter defenderant) deinde ad omnes communiter, ideoq. etiam ad te, quamuis reip. administratione semper abstinueris. SIN } hic particula, Sin, ualet Sin aliter; ut illud apud iocosum laudatorem obsceni dei:

,, Donec proterua nil mei manu carpes;
,, Licebit, ipsa sis pudicior Vesta.
,, Sin; haec mei te uentris arma laxabunt.

Cicero S. D. Attico. 13.

NIHIL *erat plane, quod scriberem. nam, cum Puteolis essem, quotidie aliquid noui de Octauiano, multa etiam falsa ad Antonio, ad ea autē, quae scripsisti, (tres. n. acceperam III. id. a te epistolas) ualde tibi assentior, si multum possit Octauianus, multo firmius acta tyranni comprobatum iri, quam in Telluris, atque id contra Brutum fore sin autem uincitur, uides intolerabilem Antonium: ut, quem uelis, nescias. O Sextij tabellarium hominem nequam. postridie Puteoli Romae se dixit fore. Quod me mones, ut pedetentim: assentior, etsi aliter cogitabam. nec me Philippus, aut Marcellus mouet. alia enim eorum ratio: et si nō est; tamen uidetur. sed in isto iuuene, quamquam animi satis, auctoritatis parum est. tamen uide, si forte in Tusculano recte possim, ne id melius sit: (ero libentius: nihil enim ignorabo) an hoc, cum Antonius uenerit. Sed, ut aliud ex alio, mihi non est dubium, quin, quod Graeci καθῆκον, nos officium. id autem, quid dubitas, quinetiā in remp. praeclare caderet? non ne dicimus, consulum officium, senatus officium? praeclare conuenit, aut da melius. Male narras de Nepotis filio. ualde mehercule moueor, & moleste fero. nescieram omnino esse istum puerum. Caninium perdidi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum, nihil est, quod hortere. misit enim satis bellum ὑπόμνημα. Grauedini, quaeso, omni ratione subueni. Quinctus, tui patris nepos, scribit ad patris mei nepotem, se ex nonis ijs, quibus nos magna gessimus, aedem Opis explicaturum, idq. ad populum. uidebis igitur, & scribes. Sexti iudicium exspecto. Vale.*

EXPLANATIO

IN *Telluris,* } templo. quo in loco decretum est, ut, quae Caesar statuisset, decreuisset, egisset, rata manerent. POSTRIDIE } dixit se Romae fore postridie quam Puteolis discessisset. VT *pedetentim* } ut in consilio capiendo ne properem. Et hoc monebat Atticus, quia Cicero iam illud iterum rogauerat, quid sibi esset agendum, manendum Arpini, an propius accedendum, an eundum Romam. epist. 1. & 9. ALITER *cogitabam* } nolebam diutius animi pendere, suspensus in deliberando: sed parebo tibi, qui me mones, ut pedetentim. NEC *me Philippus* } monuerat Ciceronem Atticus, ut Philippum & Marcellū imitaretur, nihil propere agentes. habebat autem L. Philippus in matrimonio Atiam, Octauiani matrem, C. Marcellus Atiae filiam, Octauiani sororem. oratione 3. in Antonium. ALIA *enim &c.* } licet illis quiescere: aut, si non licet, licere tamen uidetur. non. n. ab illis eadem exspectantur, quae a nobis, qui tanta, res pro rep. gessimus. ET *si non est* } quasi dicat: re uera omnium ciuium eadē ratio est, (remp. n. tueri aeque omnes debent) sed diuersa tamen uidetur esse, cum aliud a me postuletur pro anteacta uita, aliud a Philippo, & Marcello ita quiescere illis licet, mihi non licet. SED *in isto iuuene* } dolet, quod sibi, remp. defendere cupienti, non satis praesidij sit cōtra Antonium in Octauiano admodum adolescente. NE *id melius sit* } quam esse, ubi nunc sum, in Arpinati. AN *hoc* } an potius suades, in Tusculanum prius ueniam, quā Antonius in urbem. QVOD *Graeci* καθῆκον. } pertinet hoc ad inscriptionem librorū de officijs. ep. 6. MALE *narras:* } quod mortuus sit nepotis filius. Idem ualet illud ep. 1. Li. 5. O factum male de Alexione. Bene narras, & male narras, eleganter dicimus, illud, cū iucundam rem audimus; hoc, cum molestam. exēpla maxime apud comicos. NON *ingratum* } eius. n. caussam Cicero defenderat: ut in ep. ad Marium, Dirupi paene me in iudicio Galli Caninij. NIHIL *est, quod hortere* } ut mittat, quae ab illo petieram, τὰ κεφάλαια, ex Posidonij libro excerpta. ep. 6. QVINCTVS, *tui patris nepos* } hoc dicit: Quinctus sororis tuae filius scribit ad Marcum filium meum. Et utitur, ut interdum solet, circuitione. Ex *nonis ijs, quibus nos magna gessimus.* } ex nonis Decembribus: quo die Lentulum, Cethegum, aliosq. ex coniuratione Catilinaria, lictori tradidit necandos. Ex nonis igitur Decembribus, ubi aedilitatem plebis inierit. nam de tribunatu plebis, non est, ut intelligere possimus. cuius primus dies non erat nonae Dec. sed IV. id. Dec. ut Liuius & Dionysius affirmant. quod si tribunatus pl. non est; quid praeter aedilitatem esse possit, non dispicio. nam ceteri magistratus Kalen. Ian. inibantur. quod ex Plutarcho & alijs constat. Veri autem simile est, cum aediles plebis ideo creati sint, ut tribunorum plebis tamquam ministri essent, quod a Dionysio ita ditum est, eos ijsdem fere diebus inijsse magistratum, quibus tribunos; ut ijs, qua de caussa initio

sunt instituti, praesto esse possent. nec uero de alio magistratu crediderim intellexisse Ciceronem actione prima in Verrem, cum dicit, P. Sulpicius, iudex tristis, & integer, nonis Dec. magistratum ineat necesse est. nam tribunatus plebis esse non potest, de quo proxime iam mentionem fecerat. AEDEM *Opis explicaturum* } rationem exacturum ab Antonio eius pecuniae, quam ex aede Opis abstulit, a Caesare depositam. & est, *Explicaturum*, palam facturum, quid in Opis aede pecuniae fuerit, eamq. repetiturum. uide in Philipp. 2. SEXTI *iudicium* } quid iudicet Sex. Peducaeus de oratione mea in Antonium, ep. 10. Tu uero, inquit, leges Sexto, eiusq. iudicium mihi perscribes.

Cicero S. D. Attico. 14.

NOLI putare, pigritia facere me, quod non mea manu scribam: sed mehercule pigritia: nihil enim habeo aliud, quod dicam. & tamen in tuis quoque epistolis Alexim uideor agnoscere. sed ad rem uenio. Ego, si me non improbissime Dolabella tractasset, dubitassem fortasse, utrum remissior essem, an summo iure contenderem: nunc uero etiam gaudeo mihi caussam oblatam, in qua & ipse sentiat, & reliqui omnes me ab illo alienatum: idq. praemeseram, & quidem me mea facere, & rep. caussa, cur illum oderim, quod, cum eam me auctore defendere coepisset, non modo deseruit emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuerit, euerterit. Quod autem quaeris, quo modo agi placeat, cum dies uenerit: primum uelim eiusmodi sit, ut non alienum sit, me Romae esse; de quo ut de ceteris faciam, ut tu censueris: de summa autē agi prorsus uehementer, & seuere uolo. etsi, sponsores appellare, uidetur habere quandam δυσωπίαν. tamen, hoc quale sit, consideres uelim. possumus enim, ut sponsores appellentur, procuratorem introducere. neque enim illi litem contestabuntur. quo facto, non sum nescius sponsores liberari. sed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisdato debeat, procuratorē eius non dissoluere: & nostrae grauitatis, ius nostrum sine summa illius ignominia persequi. de hoc quid placeat, rescribas uelim. & nō dubito, quin hoc totū lenius administraturus sis. Redeo ad remp. Multa mehercule a te saepe ἐν πολιτικῷ genere prudenter: sed his litteris nihil prudentius: Quamquam enim posset in praesentia belle iste puer retundere Antonium, tamen exitum exspectare debemus. *at, quae concio? nam est missa mihi. iurat, ita sibi parentis honores consequi liceat; & simul dextram intendit ad statuam. μηδὲ σωθείην, εἰ τοιοῦτο. sed, ut scribis, certissimum esse uideo discrimen Cascae nostri tribunatum: de quo quidem ipso dixi Oppio, cum me hortaretur, ut adolescentem, totamq. caussam, manumq. ueteranorum complecterer, me nullo modo facere posse, ni mihi exploratum esset, eum non modo non inimicum tyrannoctonis, uerum etiam amicum fore. cum ille diceret, ita futurum: quid igitur festinamus? inquam. illi enim mea opera ante Kal. Ian. nihil opus est: nos autem eius uoluntatem ante idus Dec. perspiciemus in Casca. mihi ualde assensus est. Quamobrem haec quidem hactenus. Quod reliquum est, quotidie tabellarios habebis, &, ut ego arbitror, etiam, quid scribas, quotidie. Leptae litterarum exemplum tibi misi: ex quo mihi uidetur στρατηλάτης ille deiectus de gradu. sed tu, cum legeris, existimabis.*

OBSIGNATA iam epistola, litteras a te, & a Sexto accepi. nihil iucundius litteris Sexti, nihil amabilius. nam tuae breues: priores erunt uberrimae. Tu quidem & prudenter, & amice suades, ut in his locis potissimum sim; quoad audiamus, haec, quae commota sunt, quorsum euadant. sed me, mi Attice, non sane hoc quidem tempore mouet resp. non quo ea sit mihi quidquam carius, aut esse debeat: sed desperatis etiam Hippocrates uetat adhibere medicinam. quare ista ualeant. Me res familiaris mouet: rem dico? immo uero existimatio. cum enim tanta reliqua sint; ne Terentiae quidem adhuc quod soluam expeditum est. Terentiam dico? scis nos pridem iam constituisse Montani nomine HS XXII. dissoluere. pudentissime hoc Cicero petierat, uti de suo. liberalissime, ut tibi quoque placuerat, promiseram; Erotiq. dixeram, ut sepositum haberet. non modo, sed iniquissimo senore uersuram facere Aurelius coactus est. nam de Terentiae nomine Tiro ad me scripsit, te dicere, nummos a Dolabella fore. male eum credo intellexisse, si quisquam male intelligit, potius, nihil intellexisse. tu enim ad me scripsisti Cocceij responsum, & iisdem paene uerbis Eros. ueniendum est igitur uel in ipsam flammam. turpius est enim priuatim cadere, quam publice. itaque ceteris de rebus, quas ad me suauissime scripsisti, perturbato animo, non potui, ut consueueram, rescribere. consenti in hac cura, ubi sum, ut me expediam. quibus autem rebus, uenit quidem mihi in mentem; sed certo constituere nihil possum, prius quam te uidero. qui minus autem ego istic recte esse possim, quam est Marcellus? sed non id agitur: neque id maxime curo: quid curem, uides. adsum igitur. Vale.

EXPLANATIO

ALEXIM *uideor agnoscere.* } Alexidis manum in tuis epistolis agnosco. erat autem Attici amanuensis. epist. 2. l. 7. & xi. lib. 12. SI *me non improbissime &c.* } qui cum mihi pecuniam deberet, & de solutione asseueranter quotidie promitteret; diu uarijs excusationibus ludificans, ad extremum, ne nummo quidem persoluto, in Syriam profectus est. epist. 13. lib. 15. REMISSIOR *essem* } in exigenda pecunia. EMPTUS } ab Antonio. uide illud, Cum se magno aere alieno Faberij manu liberarit, ep. 18. lib. 14. EUERTERIT } qui aduersante senatu legem pertulerit de eripienda Cassio Syria prouincia. Appianus lib. 3. CUM *dies uenerit* } exigendae pecuniae. VELIM *eiusmodi sit* } eam agendi rationem

nem inueniamus, ut, cum agetur, non esse? Romae nolim. nam abesse mallem, si summa cum illius ignominia ius nostrum persequeremur. non enim, adesse, nostrae grauitatis tum esset. Δυσωπίαν] difficultatem in adspiciendo, hoc est erubescendi caussam. pudet enim magis, cum sponsorem, quam cum ipsum debitorem eius ne procuratorem, appellamus. uerum, inquit, non appellabimus ipsi: procuratorem, nostro nomine qui appellet, introducemus. POSSVMVS *enim &c.*] possumus ita rem agere. introducemus procuratorem, qui sponsores appellet. illi iudicio non disceptabunt, sed nos ad Dolabellae bona reijcient. ita & ipsi liberabuntur: cum reus habeat, unde soluat: (epist. 14. & 17. lib. 12.) & nos tum demum, honeste ius nostrum per sequentes, Dolabellae re eam partem capiemus, quae facta aestimatione, debitae pecuniae respondeat. LITEM *contestabuntur*] rem in iudicium adducent. ILLI] Dolabellae. QVOD *satisdato debeat*] quod si ipse non soluet, soluere sponsores cogentur. NOSTRAE *grauitatis*] arbitror esse nostrae grauitatis, ius nostrum ita persequi, ut ne cum summa Dolabellae ignominia. certe enim summa esset ignominia, si, non appellatis sponsoribus, absentis bona auctioni subiecta statim uenderemus. primo igitur per procuratorem sponsores appellemus: deinde ius nostrum persequamur: quod tum quidem cum illis aliquanto minore fiet ignominia. VT *non dubito*] & Caualcantis, & Bessarionis duo perantiqua exemplaria negatiuam tollunt, quam tamen retinet sententia. itaque uel, Et non dubito, ut est in uulgatis libris; uel, Haud dubito, legendum crediderim; ut, quam minime possumus, a uetere scriptura discedamus. est enim in duobus illis, Et dubito. ISTE *puer*:] Octauianus. QVAE *concio?*] in ea concione Octauianus res gestas patris Iulij in memoriam populo redegit: Antonium accusauit: milites, qui se ducem secuti essent, laudibus ornauit; seque una cum ijs ita animatum esse dixit, ut obsequi ad omnia, & inseruire patriae uellet. haec autem in templo Castoris, & Pollucis, cum ei Ti. Canutius tribunus pl. Antonio infensus, concionem aduocasset. Dio lib. XLV. & Appianus l. 3. ITA *sibi parentis honores consequi liceat*] ut patriae defensionem susceperit. ET *simul dextram intendit ad statuam*] per parentem iurauit manu statuae illius imposita: ex uetere Graecorum more, illa ipsa, per quae iurabant, numina tangentium. Herodotus lib. 6. & Iuuenalis sat. 14. Vendet periura summa Exigua, Cereris tangens aramq. pedemq. μηδὲ σωθείην] ne sim saluus, si quis umquam tam egregie concionatus est. CASCAE *nostri tribunatum*:] uix enim puto fore, ut Octauianus Cascam, parentis sui percussorem, gerere tribunatum patiatur. Hoc & M. Antonius in epistola, quam recitat Cicero Philippica XIII. Octauiano, & Hirtio Pansaeq. consulibus exprobat. In Syriam inquit, Cassium misistis. Cascam tribunatum gerere passi estis. VETERANORVM] qui Octauianum sequebantur. ep. 9. ANTE *kal. Ian.*] quo die senatu a nouis consulibus coacto, suam ueteranorumq. caussam magnopere cupiebat Octauianus commendari. id quod postea factum, declarat Philippica V. NIHIL *opus est*] nam ante Kal. Ian. quo die magistratum noui consules erant inituri, S. C. fieri pro Octauiano nullum poterat, consule Antonio eius inimico. ANTE *idus Dec.*] uidebimus, num Cascam, unum ex tyrannoctonis, tribunatum pl. gerere patiatur. quod cum passus esset; exprobrauit, ut iam ostendimus, Antonius in epistola. IN *Casca*] in Cascae tribunatu uoluntatem Octauiani ante idus Dec. perspiciemus. A SEX.] Peducaeo: cuius exspectabat iudicium de oratione sua in Antonium. epist. 10. & 14. CVM *enim tanta reliqua sint*,] cum supra id, quod debemus, tantum habeamus in omnibus. sed reliquorum nomine quid significetur, planius epist. 17. l. 5. ad illud: Cum ex reliquis abundare debeam. & epist. 2. Cum reliqua satis apta sint ad soluendum. NE *Terentiae quidem*] cui satisfieri quam primum uolebam. cum enim multis deberet, in primis tamen Terentiae numeratum cupiebat. & epist. 15. lib. 15. Terentiae uero, inquit, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. HS XXII] quae Montanus qui Ciceroni filio comes Athenas erat profectus, Planco debebat. epist. 50. lib. 12. VTI *de suo*] ut HS illa XXII soluerentur de suo, detracta uidelicet de ea summa, quam illi in annuum sumptum praestituimus. LIBERALISSIME] de meo, inquit, me esse soluturum promiseram, non de pensione Ciceronis, ut ipse petierat. NON *modo*] non modo non hoc Eros fecit, quod ei mandaueram. AVRELIVS] qui Montani absentis nomine Romae soluit. COCCEII *responsum*] Cocceius, unus ex procuratoribus Dolabellae in Syriam profecti, Attico pecuniam Ciceronis nomine petenti ita responderat, ut sperandum nomine uideretur. IN *ipsam flammam*] publicarum contentionum. PRIVATIM] aere alieno oppressum. PVBLICE] reip. caussa. PERTVRBATO *animo*] perturbatus animo cum essem, ceteris de rebus, quas ad me suauissime scripsisti, rescribere, ut consueueram, non potui. VT *me expediam*] aere uidelicet alieno. QVI *minus*] cur ego istic aeque tuto esse non possim, atque est Marcellus? Hic autem, ut supra diximus, Octauiani sororem habebat in matrimonio. NON *id agitur*] non de hoc laboro, sed de aere alieno, ut uides.

Cicero S. D. Attico. 15.

IVCVNDISSIMAS *tuas legi litteras. ad Plancum scripsi. habes exemplum. cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris. Vale.*

M. Cicero L. Planco praet. des. S. Attici nostri te ualde studiosum esse cognoui, mei uero ita cupidum, ut mehercule paucos aeque obseruantes, atque amantes me habere existimem. ad paternas enim magnas, & ueteres, & iustas necessitudines magnam attulit accessionem tua uoluntas erga me, meaq. erga te par, atque mutua.

mutua. Buthrotia tibi caussa ignota non est: egi enim saepe, tibiq. totam rem demonstraui: quae est acta hoc modo. Vt primum Buthrotium agrum proscriptum uidimus; commotus Atticus libellum composuit. eum mihi dedit, ut darem Caesari; eram enim cenaturus apud eum illo die. cum libellum Caesari dedi, probauit caussam, rescripsit Attico aequa eum postulare: admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotij ad diem soluerent. Atticus, qui ciuitatem conseruatam cuperet, pecuniam numerauit de suo. quod cum esset factum, adiuimus ad Caesarem, uerba fecimus pro Buthrotijs, liberalissimum decretum abstulimus; quod est obsignatum ab amplissimis uiris. quae cum essent acta mirari quidē solebam, pati Caesarem conuenire, eos, qui agrum Buthrotium concupissent, neque solum pati, sed etiam ei negotio te praeficere. itaque & ego cum illo locutus sum, & saepius quidem; ut etiam accusarer ab eo, quod parum constantiae suae considerem: & M. Messallae, & ipsi Attico dixit, ut sine cura essent: aperteque ostendebat, se praesentium animos (erat enim popularis, ut noras) offendere nolle: cum, mare transissent, curaturum se, ut in alium agrum deducerentur. haec illo uiuo. post interitum uero Caesaris, ut primum ex S. C. caussas consules cognoscere instituerunt, haec, quae scripsi, ad eos delata sunt. probauerunt caussas sine ulla dubitatione, seq. ad te litteras daturos esse dixerunt. Ego autem, mi Plance, etsi non dubitabam, quin & S. C. & lex, & consulum decretum, ac litterae apud te plurimum auctoritatis haberent, teq. ipsius Attici caussa uelle intellexeram: tamen hoc pro coniunctione, & beneuolentia nostra mihi sumpsi, ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas, suauissimiq. mores a te essent impetraturi. id autem est, ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri caussa libenter, prolixe, celeriter facias. mihi nemo est amicior, nec iucundior, nec carior Attico: cuius antea res solum familiaris agebatur, eaq. magna; nunc accessit etiam existimatio, ut, quod consecutus est magna & industria, & gratia, & uiuo Caesare, & mortuo, id te adiuuante obtineat. quod si a te erit impetratum, sic uelim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum iudicem. ego, quae te uelle, quaeq. ad te pertinere arbitror, studiose, diligenterq. curabo. da operam, ut ualeas. Vale. Cicero Planco praet. des. S. Iam antea petiui abs te per litteras, ut cum caussa Buthrotiorum probata a consulibus esset, quibus & lege, & S. C. permissum erat, ut de Caesaris actis cognoscerent, statuerent, iudicarent eam rem tu adiuuares, Atticumq. nostrum, cuius te studiosum cognoui, & me, qui non minus laboro, molestia liberares. omnibus enim rebus magna cura, multa opera, & labore confectis, in te positum est, ut nostrae sollicitudinis finem quamprimum facere possimus. quamquam intelligimus, ea te esse prudentia, ut uideas, si ea decreta consulum, quae de Caesaris actis interposita sunt, non seruentur, magnam perturbationem rerum fore. equidem, cum multa, quod necesse erat in tanta occupatione, non probentur, quae Caesar statuerit; tamen otij, pacisq. caussa acerrime illa soleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendum censeo. quamquam haec epistola non suasoris est, sed rogatoris. Igitur mi Plance rogo te, & etiam oro, sic mediusfidius, ut maiore studio, magisq. ex animo agere non possim, ut totum hoc negotium ita agas, ut tractes, ita conficias, ut, quod sine ulla dubitatione apud consules obtinuimus propter summam bonitatem, & aequitatem caussae, id tu nos obtinuisse non modo facile patiare, sed etiam gaudeas. qua quidem uoluntate esse erga Atticum, saepe praesens & illi ostendisti, & uero etiam mihi. quod si feceris, me, quem uoluntate, & paterna necessitudine coniunctum semper habuisti, maximo beneficio deuinctum habebis. idq. ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Cicero Capitoni suo S. Numquam putaui fore, ut supplex ad te uenirem: sed hercule facile patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam, scis. amabo te, da mihi & hoc: obliuiscere mea caussa, illum aliquando suo familiari, aduersario tuo, uoluisse consultum, cum illius existimatio ageretur. hoc primum ignoscere, est humanitatis tuae: suos enim quisque debet tueri: deinde, si me amas, omitte Atticum Ciceroni tuo: quem quanti facias, prae te soles ferre. totum hoc, ut, quod semper existimaui, nunc plane intelligam me a te multum amari. Buthrotios cum Caesar decreto suo, quod ego obsignaui cum multis amplissimis uiris, liberauisset, ostendissetq. nobis, se, cum agrarij mare transissent, litteras missurum, quem in agrum deducerentur: accidit, ut subito ille interiret. deinde, quemadmodum tu scis, (interfuisti enim, cum consules oporteret ex S. C. de actis Caesaris cognoscere) res ab us in kalend. Iun. dilata. accessit ad S. C. lex, quae lata est ad VI. non. Iun. quae lex earum rerum, quas Caesar statuisset, decreuisset, egisset, consulibus cognitionem dedit. caussa Buthrotiorum delata est ad consules. decretum Caesaris recitatum est, & multi praeterea libelli Caesaris prolati. consules de consilij sententia decreuerunt secundum Buthrotios; Plancum dederunt. Nunc mi Capito (scio enim quantum semper apud eos, quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum, atque humanissimum Plancum) enitere, elabora, uel potius eblandire, effice, ut Plancus, quem spero optimum esse, sit etiam melior opera tua. omnino res huiusmodi uidetur esse, ut sine cuiusquam gratia Plancus ipse pro ingenio, & prudentia sua non sit dubitaturus, quin decretum consulum, quorum & lege, & S. C. cognitio, & iudicium fuit, conseruet, praesertim cum, hoc genere cognitionum labefacto, acta Caesaris in dubium uentura uideātur: quae non modo ij, quorum interest, sed etiam ij, qui illa non probant, otij caussa confirmare uelint. quod cum ita sit; tamen interest nostra. Plancum hoc animo libenti prolixoq. facere. quod certe faciet, si tu neruulos tuos, mihi saepe cognito, suauitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris. quod ut facias, te uehementer rogo. Vale. Cicero Cupiennio S. Patrem tuum plurimi feci; meq. ille mirifice & coluit, & amauit. nec mehercule umquam mihi dubium fuit, quin a te diligerer. ego quidem id facere non destiti. quamobrem peto a te in maiorem modum, ut ciuitatem Buthrotiam subleues, decretumq. consulum, quod ij secundum Buthrotios fecerunt, cum & lege, & S. C. statuendi potestatem haberent, des operam, ut Plancus noster quamprimum confirmet, & probet. hoc te uehementer, mi Capienni, etiam atque etiam rogo. Vale. Cicero Planco pret. des. S. Ignosce mihi, quod, cum antea

tea acuratiſsime de Buthrotijs ad te ſcripſerim, eadem de re ſaepius ſcribam. non mehercule mi Plance facio, quod parum confidam aut liberalitati tuae, aut noſtrae amicitiae; ſed cum tanta res agatur Attici noſtri, nunc uero etiam exiſtimatio, ut id, quod probauit Caeſar, nobis teſtibus, & obſignatoribus, qui & decretis, & reſpõſis Caeſaris interfueramus, uideatur obtinere potuiſſe, praeſertim cum tota poteſtas eius rei tua ſit, ut ea, quae conſules decreuerunt ſecundum Caeſaris decreta, & reſponſa, non dicam comprobes, ſed ſtudioſe, libenterq. comprobes. id mihi ſic erit gratum, ut nulla res gratior eſſe poſſit. etſi iam ſperabam, cum has litteras accepiſſes, fore, ut ea, quae ſuperioribus litteris a te petiſſemus, impetrata eſſent: tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nunciatum erit, te id feciſſe, quod magna cum ſpe exſpectamus. deinde enim, confido fore, ut alio genere litterarum utamur, tibiq. pro tuo ſummo beneficio gratias agamus. quod ſi acciderit, uelim ſic exiſtimet, non tibi tam Atticũ, cuius permagna res agitur, quam me, qui non minus laboro, quam ille, obligatum fore. Vale. Cicero Capitoni S. Non dubito, quin mirere, atque etiam ſtomachere, quod tecum de eadem re agam ſaepius. Hominis familiariſſimi, & mihi omnibus rebus coniunctiſſimi, permagna res agitur Attici. cognoui ego tua ſtudia in amicos, etiam in te amicorum. multum potes nos apud Plancum iuuare. noui humanitatem tuam: ſcio, quam ſis amicis iucundus. nemo nos in hac cauſſa plus iuuare poteſt, quam tu. & res iſta eſt firma, ut debet eſſe, quam conſules de conſilij ſententia decreuerunt, cum & lege, & S.C. cognoſcerent. tamen omnia poſita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur cũ officij tui, & reip. cauſſa decretum conſulum comprobaturum, tum libenter noſtra cauſſa eſſe facturum. adiuuabis igitur, mi Capito: quod ut facias, uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EXPLANATIO

OCCVPATIONE *iſta* : } de re Buthrotia. L. PLANCO *praet. deſ.* } uel tollenda praenominis nota, uel legendum, Cn. Planco. qui fuit Lucij frater, & hoc anno praetor erat deſignatus: inſequenti enim praeturam geſſiſſe, planum fit ex epiſtola Lucij Planci ad Ciceronem, in epiſtolis famil. epiſt. 17. lib. 9. nam L. ipſe cum D. Bruto a Caeſare conſul fuerat deſignatus poſt Hirtium & Panſam, anno uidelicet, qui eſt proximum ſubſecutus. PROSCRIPTVM } a Caeſare, quod Buthrotij pecuniam imperatam non ſoluerent. LIBELLVM } quo libello petebat a Caeſare, ut agrum Buthrotium liberaret: Buthrotios enim, quod reliquum pecuniae deberent, intra certam diem ſoluturos. PECVNIAM *reliquam* } nam imperatae pecuniae partem iam antea ſoluerant: reliquae ſolutionem cum differrent, Caeſar eorum agrum proſcripſerat. DECRETVM } quo Caeſar Buthrotium agrum liberabat. ET *negotio* } agro Buthrotio diuidendo. PRAESENTIVM } qui diuiſionem agri Buthrotij praeſentes petebant. CVM *mare tranſiſſent,* } Buthrotum enim proficiſcentibus mare tranſeundum erat. uide epiſt. 19. lib. 15. de agripetis. CAVSSAS *conſules cognoſcere* } poſt interitum Caeſaris factum eſt S.C. in aede Telluris, ut quae Caeſar ſtatuiſſet, decreuiſſet, egiſſet, rata eſſent: earumq. rerum cognitio conſulibus data. epiſt. 15. PROBAVERVNT *cauſſas* } mallem, Cauſſam: ut ſubaudiantur, Buthrotiam. AD *te litteras* } ut ijs, qui tecum mare tranſiſſent, agrum Buthrotium ne diuideres. ET *lex* } quia praeter S. C. etiam lege negotium conſulibus eſt datum, ut de actis Caeſaris cognoſcerent. epiſt. 15. CONSVLVM *decretum* } quod enim Caeſar in cauſſa Buthrotia nobis poſtulantibus decreuerat, id poſtea conſules Dolabella & Antonius decreto probauerunt. RES *ſolum familiaris* } nummos enim Caeſari numerauerat de ſuo pro agri Buthrotij liberatione. quod niſi conſequeretur, eos nummos a Buthrotijs exigere non potuiſſet. VT *ſupplex ad te uenirem* : } iocatur in Capitonem, haud magnae auctoritatis hominem: cum dicat, numquam ſe futurum putaſſe, ut illius opera ualde egeret. Et eſt C. Ateius Capito, de quo epiſt. 33. lib. 13. & fam. epiſt. 29. lib. 13. AGRARII } qui mare tranſibant, ut ſibi ager diuideretur. PLANCVM *dederunt* } haud aliter ſcriptum eſt in antiquis libris: me tamen in hanc opinionem ratio ipſa perducit, ut legendum credam, Litteras ad Plancum dederunt. uideo enim ita ſcriptum ſupra: Conſules probauerunt cauſſas ſine ulla dubitatione, ſeq. ad te litteras daturos eſſe dixerunt. QVORVM *intereſt,* } ad quos ex Caeſaris actis uel utilitas, uel honor peruenit. OTII *cauſſa* } magna enim oriretur omnium rerum perturbatio, ſi ea, quae Caeſar egit, in dubium uocarentur. OFFICII *tui,* } ex ipſa ſententia perſpicuum fit, Officij ſui, legendum. ueteres tamen libri, Tui.

T · POMPONII · ATTICI VITA

PER . CORNELIVM . NEPOTEM



POMPONIVS *Atticus, ab origine ultima stirpis Romanae generatus, perpetuo a maioribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. patre usus est diligente, indulgente, & ut tũ erant tẽpora, diti, in primisq. studioso litterarum. hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudiuit. erat aũt in puero, praeter docilitatem ingenij, summa suauitas oris, et uocis, ut non solũ celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret. qua ex re a pueritia nobilis inter aequales ferebatur, clariusq; exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo aequo ferre possent. itaq. incitabat omnes studio suo. quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marij filius, M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi deuinxit, ut nemo ijs perpetuo fuerit carior. pater mature decessit. ipse adolescẽtulus propter affinitatem P. Sulpicij, qui tribunus pl. interfectus est, non expers fuit illius periculi. namq. Anicia, Pomponij consobrina, nupserat Seruio fratri Sulpicij. itaque, interfecto Sulpicio, postea quã uidit Cinnano tumultu ciuitatem esse perturbatã, neq. sibi dari facultatem pro dignitate uiuendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis ciuium, cum alij Sullanis, alij Cinnanis fauerent partibus, idoneum tempus ratus studijs obsequendi suis, Athenas se contulit: neque eo secius adolescentem Marium, hostem iudicatum, iuuit opibus suis: cuius fugam pecunia subleuauit. ac, ne illa peregrinatio detrimentũ aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. hic ita uixit, ut uniuersis Atheniensibus merito esset carissimus. nam praeter gratiam, quae iam in adolescentulo magna erat, saepe suis opibus inopiam publicam leuauit. cum enim uersuram facere publice necesse esset; neque eius condicionem aequam haberent; semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram umquam ab ijs acceperit, neque longius, quam dictum esset, debere passus sit. quod utrumque erat ijs salutare. nam neque indulgendo inueterascere eorum aes alienum patiebatur, neque multiplicãdis usuris crescere. auxit hoc officium alia quoque liberalitate: nam uniuersos frumento donauit, ita ut singulis VI. modij tritici darentur, qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur. hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus uideretur. quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, ciuemq. facere studerent. quo beneficio ille uti noluit. quod non nulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanam alia adscita. Quam diu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. itaque aliquot ipsi, & Phidiae locis sanctissimis posuerunt. hunc enim in omni procuratione reip. actorem, auctoremq. habebant. Igitur primum illud munus fortunae, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperij, ut eandem & patriam haberet, & domum: hoc specimen prudentiae, quod, cum in eam se ciuitatem contulisset, quae antiquitate, humanitate, doctrinaq. praestaret omnes, ei unus ante alios fuerit carissimus. Huc ex Asia Sulla decedens cum uenisset; quam diu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis & humanitate, & doctrina. sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus uideretur. tanta autẽ erat suauitas sermonis Latini, ut appareret in eo natiuum quendam leporem esse, non adscitum. idem poemata pronunciabat & Graece, & Latine sic, ut supra nihil posset. quibus rebus factum est, ut Sulla numquam a se dimitteret, cuperetq. secum deducere. qui cum persuadere tentaret, Noli, oro te, inquit Pomponius, aduersum eos me uelle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. at Sulla, adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quae Athenis acceperat, proficiscens iussit deferri. Hic complures annos moratus, cum & rei familiari tantum operae daret quantum nõ indiligens deberet paterfamilias; & omnia reliqua tempora aut litteris, aut Atheniensium reip. tribueret, nihilo minus amicis urbana officia praestitit. nam & ad comitia eorum uentitauit: &, si qua res maior acta est, non defuit: sicut Ciceroni omnibus eius periculis singularem fidem praebuit: cui ex patria fugienti HS CC & quinquaginta millia donauit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigrauit Romam, ut opinor, L. Cotta, & L. Torquato cos. quem diem sic uniuersa ciuitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrumis desiderij futuri dolorem indicaret. Habebat auunculum Q. Caecilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli diuitẽ, difficillima natura: cuius sic asperitatem ueritus est, ut, quẽ nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam senectutem retinuerit beneuolentiam. quo facto, tulit, pietatis fructum: Caecilius enim moriens testamento adoptauit eum, heredemq. fecit ex dodrante. ex qua hereditate accepit circiter centies HS. erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni: easq. nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiscipulatu uiuebat coniunctissime, multo etiam familiarius, quam cum Quincto: ut iudicari possit, plus in amicitia ualere similitudinem morum, quam affinitatem. utebatur autem intime Q. Hortensio, qui ijs temporibus principatum eloquentiae tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius: & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetq. talium uirorum copula. In rep. ita est uersatus, ut semper optimarum partium & esset, & existimaretur, neque tamen se ciuilibus fluctibus committeret; quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se ijs dedissent, quam qui maritimis iactarentur.*

honores non petiit, cum ei pateret propter uel gratiam, uel dignitatem; quod neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri sine periculo, corruptis ciuitatis moribus. ad hastam publicam numquam accessit. nullius rei neque praes, neque manceps factus est. neminem suo nomine, neque subscribens accusauit. in ius de sua re numquam iit. iudicium nullum habuit. multorum consulum, praetorumq. praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in prouinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum, qui ne cum Q. quidem Cicerone uoluerit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset. non enim decere se arbitrabatur, cum praeturam gerere noluisset, assedclam esse praetoris. qua in re non solum dignitati seruiebat, sed etiam tranquillitati, cum suspiciones quoque uitaret criminum. quo fiebat, ut eius obseruátia omnibus esset carior, cum eam officio, non timori, neque spei tribui uiderent. Incidit Caesarianum ciuile bellum, cum haberet annos circiter sexaginta. usus est aetatis uacatione, neque quoquam se mouit ex urbe. quae amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. ipsum Pompeium coniunctum non offendit. nullum ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores, aut diuitias ceperant: quorum partim inuitissimi castra sunt secuti, partim summa cum eius offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Caesari fuit grata, ut uictor cum priuatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis filium Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit. sic uetere instituto uitae effugit noua pericula. Secutum est illud occiso Caesare, cum respub. penes Brutos uideretur esse, & Cassium, ac tota ciuitas se ad eum conuertisse uideretur: sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiarius, quam hoc sene, neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in conuictu. Excogitatum est a quibusdam, ut priuatum aerarium Caesaris interfectoribus ab equitibus Romanus constitueretur. id facile effici posse arbitrati sunt, si & principes illius ordinis pecunias contulissent. itaque appellatus est a C. Flauio, Bruti familiari, Atticus, ut eius rei princeps esse uellet. at ille, qui officia amicis praestanda sine factione existimaret, semperq. a talibus se consiliis remouisset; respondit, si quid Brutus de suis facultatibus uti uoluisset, usurum, quantum eae paterentur; sed neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. sic ille consensionis globus huius unius dissensione disiectus est. Neque multo post superior esse coepit Antonius, ita, ut Brutus & Cassius prouinciarũ, quae iis dicis caussa datae erant a consulibus, desperatis rebus, in exsulium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniã simul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abiecto Bruto, Italiaq. cedẽti HS c m muneri misit: eidem in Epiro absens ccc iussit dari: neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neq. desperatos reliquit. Secutum est bellum gestum apud Mutinam. in quo si tantum eum prudentem dicam; minus, quam debeam, praedicem; cum ille potius diuinus fuerit; si diuinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus augetur, neque minuitur. Hostis Antonius iudicatus, Italia cesserat. spes restituendi nulla erat. non solum inimici, qui tamen erant potentissimi, & plurimi, sed etiam qui aduersariis eius se dabant, & in eo laedendo aliquam consecuturos sperabant commoditatem, Antonii familiares sequebantur, uxorem Fuluiam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam exstinguere parabant. Atticus, cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad Antonium uiolandum, sed e contrario familiares eius, ex urbe profugientes, quantum potuit, texit; quibus rebus indiguerunt, adiuuit. P. uero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. ipsi autem Fuluiae, cum litibus distineretur, magnisq. terroribus uexaretur, tanta diligentia officium suum praestitit, ut nullum illa praestiterit uadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit. quin etiam, cum illa fundum secunda fortuna emisset in diem, neque post calamitatem uersuram facere potuisset, ille se interposuit, pecuniamque sine fenore, sineq. ulla stipulatione credidit, maximum existimans quaestum, memorem, gratumq. cognosci, simulq. aperire, se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum. quae cum faciebat, nemo eum temporis caussa facere poterat existimare. nemini enim in opinionem ueniebat, Antonium rerum potiturum. sed sensus eius a non nullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos ciues uideretur. ille autem sui iudicii, potius, quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent. conuersa fortuna est. ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis, & Bruti. itaque ad aduentum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem: latebatq. apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paullo ante, optem tulerat. tanta uarietas his temporibus fuit fortunae, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio, aut periculo. habebat secum Gellium Canium, aequalem, simillimumq. sui. hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quod cũ eo, quem puerum in ludo cognorat, adeo coniuncte uixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creuerit. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus suis amicis esset inimicus, eosq. uellet proscribere, multis hortantibus: tamen Attici memor fuit officii, & ei, cum requisisset, ubi nam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimq. ad se ueniret: se eum, & Gellium Canium de proscriptorum numero exemisse. ac, ne quod periculum incideret, quod noctu fiebat, praesidium ei misit. sic Atticus in summo timore nõ solumm sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, praesidio fuit. neque enim suae solum a quoquam auxilium petiit salutis, sed coniunctim, ut appareret nullam seiunctam sibi ab eo uelle fortunam. quod si gubernator praecipua laude fertur, qui nauem ex hieme, mariq. scopuloso seruat: cur non singularis eius existimetur prudentia, qui ex tot, tamque grauibus procellis ciuilibus ad incolumitatem peruenit? quib. ex malis ut se emerserat, nihil aliud egit, quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. cum proscriptos praemiis imperatorum uulgus conquireret, nemo in Epirum uenit, cui res ulla defuerit: nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est: qui etiã post proelium Philippense, interitumq. C. Cassii, & M. Bruti, L. Iulium Mocillam praetoriũ, & filiũ eius, Aulumq. Torquatum, ceterosq. pari fortuna perculsos insti-

teris

terit tueri, atque ex Epiro ijs omnia Samothraciam supportari iusserit. difficile enim est omnia persequi, & non necessaria. illud unum intelligi uolumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse. id ex ipsis rebus, ac temporibus iudicari potest; quod non florentibus se uenditauit, sed afflictis semper succurrit, qui quidem Seruiliam Bruti matrem non minus post mortem eius, quam florentem, coluerit. sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit, quod neque, si quam iniuriam acceperat, nō malebat obliuisci, quam ulcisci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia: quae autem ipse tribuerat, tam diu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. itaque hic fecit, ut uere dictum uideatur: Sui cuique mores fingunt fortunam. neque tamen prius ille fortunam, quam se ipse, finxit, qui cauit, ne qua in re plecteretur. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate coniunctus adolescenti Caesari, cum propter suam gratiam, & Caesaris potentiam nullius condicionis non haberet potestatem, potissimum eius deligeret affinitatem, praeoptaretq. equitis Romani filiam generosarum nuptijs. atque harum nuptiarum conciliator fuit (non enim est celandum) M. Antonius triumuir reip. cuius gratia cum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate pecuniae, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. nam cum L. Saufeij, equitis Romani, aequalis sui, qui cum eo complures annos, studio ductus philosophiae, habitabat, habebatq. in Italia pretiosas possessiones, triumuiri bona uendidissent, consuetudine ea, qua tum res gerebantur; Attici labore, atque industria factum est, ut eodem nuncio Saufeius fieret certior, se patrimonium amisisse, & recuperasse. idem L. Iulium Calidum, quem post Lucretij, Catulliq. mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem, uere uideor posse contendere, neque minus uirum bonum, optimisq. artibus eruditum, post proscriptionem equitum, propter magnas eius Africanas possessiones, in proscriptorum numerum a P. Volumnio, praefecto fabrum Antonij, absentem relatum, expediuit. quod in praesenti utrum ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit iudicare; quod in eorum periculis non secus absentes, quam praesentes amicos Attico esse curae, cognitum est. Neque uero minus ille uir, bonus paterfamilias habitus est, quā ciuis. nā cū esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator: neque tamen non in primis bene habitauit, omnibusq. optimis rebus usus est. nam domum habuit in colle Quirinali Caecilianam, ab auunculo hereditate relictam, cuius amoenitas non aedificio, sed silua constabat. ipsum enim tectum, antiquitus constitutum, plus salis, quam sumptus, habebat: in quo nihil commutauit, nisi si quid uetustate coactus est. Vsus est familia, si utilitate iudicandum est, optima; si forma, uix mediocri. namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi, & plurimi librarij; ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset. pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni: neque tamen horum quemquam, nisi domi natum, domiq. factum, habuit: quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae. nam & non in temperanter concupiscere, quod a pluribus uideas, continentis debet duci; & potius diligentia, quam pretio, parare, non mediocris est industriae. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus, omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. supellex non modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. Nec praeteribo, quamquam non nullis leue uisum iri putem. Cum in primis lautus esset eques Romanus, & non parum liberaliter in domum suam omnium ordinum homines inuitaret; scimus, non amplius, quam terna millia aeris, peraeque in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum. atque hoc non auditum, sed cognitum praedicamus. saepe enim, propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus. nemo in conuiuio eius aliud ἀκρόαμα audiuit, quam anagnosten: quod nos quidem iucundissimum arbitramur. neque umquam sine aliqua lectione apud eum cenatum est: ut non minus animo, quam uentre, conuiuae delectarentur. namque eos uocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Cum tanta pecuniae facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutauit, nihil de uitae consuetudine; tantaq. usus est moderatione, ut neque in HS uicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit, neque in HS centies affluentius uixerit, quam instituerat, pariq. fastigio steterit in utraque fortuna, nullos habuerit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam uillam, neque in Italia, praeter Ardeatinum, & Nomentanum, rusticum praedium. omnisq. eius pecuniae reditus constabat in Epiroticis, & urbanis possessionibus. ex quo cognosci potest, eum usum pecuniae non magnitudine, sed ratione metiri solitum. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. itaque eius comitas non sine seueritate erat, neque grauitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis uererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religiose promittebat; quod non liberalis, sed leuis arbitrabatur, polliceri quod praestare non posset. Idem in nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem uideretur agere. usquam suscepti negotij eum pertaesum est: suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Marij, Q. Hortensii, A. Torquati, multorum praeterea equitum Romanum negotia procuraret. ex quo iudicari poterat, non inertia, sed iudicio fugisse reip. procurationem. Humanitatis uero nullum afferre maius testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Sullae fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cum aequalibus autem suis Q. Hortensio, & M. Cicerone sic uixerit, ut iudicare difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus. quamquam eum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quinctus carior fuerit, aut familiarior. ei rei sunt indicio, praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in uulgus sunt editi, sexdecim uolumina epistolarum ab consulatu eias usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quae qui legat, non multum desideret historiam contextam eorū temporum. sic enim omnia de studijs principum, uitijs ducum, aemulationibus reip. perscripta sunt, ut nihil in his non appareat; & facile existimari possit, prudentiā quodam modo esse diuinationem. non enim Cicero ea solum, quae uiuo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam,

etiã, quae nunc usu ueniunt, cecinit, ut uates. De pietate autem Attici quid plura commemorē? cum hoc ipsum uere gloriantem audierim in funere matris suae, quam extulit annorum nonaginta, cum esset septem, & sexaginta, se numquam cum matre in gratiam rediisse, numquam cum sorore fuisse in simultate. quam prope aetate aequalem habebat. quod est signum, aut nullam umquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut, quos amare deberet, irasci eis, nefas duceret. neque id fecit natura solum, (quamquam omnes ei paremus) sed etiam doctrina, nam & principum philosophorum ita percepta habuerat praecepta, ut his ad uitam agendam, non ad ostentationem, uteretur. moris autem maiorum summus imitator fuit, antiquitatisq. amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo uolumine exposuerit, quo magistratus ornauit, nulla. n. lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populo R. quae non in eo suo tempore sit notata. &, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorũ uirorum propagines possimus cognoscere. fecit hoc idem separatim in alijs libris, ut, M. Bruti rogatu, Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumerauerit, notans, qui a quoque ortus, quos honores, quibusq. temporibus cepisset. pari modo, Marcelli Claudij, de Marcellorum; Scipionis Cornelij, & Fabij Maximi, de Fabiorũ, & Aemiliorũ: quibus libris nihil potest esse dulcius ijs, qui aliquã cupiditatem habent notitiae clarorũ uirorum. Attigit quoque poeticē; credimus, ne eius expers esset suauitatis. namque uersibus, qui honore, rerum gestarũ amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit, ita, ut sub singulorum imaginibus facta, magistratusq. eorum non amplius quaternis, quinisq. uersibus descripserit: quod uix credendum sit, tantas res tam breuiter potuisse declarari. Est etiam unus liber graece confectus de consulatu Ciceronis. Hactenus Attico uiuo, edita a nobis sunt. nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse noluit, reliqua persequemur, &, quantum potuerimus, rerum exemplis lectores, docebimus, sicut supra significauimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam. namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem peruenit imperatoris, diui Iulij filij, cum iam ante familiaritatē eius esset consecutus nulla alia re, quam elegãtia uitae, qua ceteros ceperat principes ciuitatis, dignitate pari, fortuna humiliores. tanta. n. prosperitas Caesarem est consecuta, ut nihil ei non tribueret fortuna, quod cuiquam ante detulerit, & conciliarit, quod ciuis Romanus quiuit consequi. Nata autem est Attico neptis ex Agrippa, cui uirginem filiam collocauit. hanc Caesar uix anniculam Ti. Claudio Neroni, Drusilla nato, priuigno suo, despondit. quae coniunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. quamuis ante haec sponsalia, non solum cum ab urbe abesset, numquam ad suorum quemquam litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret in primis, quid legeret, quibusq. in locis, & quam diu esset moraturus: sed &, cum esset in urbe, & propter suas infinitas occupationes minus saepe, quam uellet, Attico frueretur, nullus dies temere intercessit, quo non ad eum scriberet, quo aliquid de antiquitate ab eo requireret; modo aliquam quaestionem poeticam ei proponeret; interdum iocans eius uerbosiores eliceret epistolas. ex quo accidit, cum aedes Iouis Feretij in Capitolio, ab Romulo constituta, uetustate, atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Caesar eam reficiendam curaret. Neque uero a M. Antonio minus absens litteris colebatur, adeo ut accurate ille ex ultimis terris, quid ageret, quid curae sibi haberet, certiorem faceret Atticum. hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantae sit sapientiae, eorum retinere usum, beneuolentiamq., inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quãtam fuit intercedere necesse inter Caesarē, atque Antonium; cum se uterque principem non solum urbis Romae, sed orbis terrarum esse cuperet. Tali modo cum septem, & septuaginta annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia fortunaq., creuisset; (multas enim hereditates nulla alia re, quam bonitate, consecutus) tantaque. prosperitate usus esset ualetudinis, ut annis XXX medicina non indiguisset: nactus est morbum, quem initio & ipse, & medici contempserunt: nam putarunt esse τεινεσμόν: cui remedia celeria, faciliaq. proponebantur. in hoc cum tres menses sine ullis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subito tanta uis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. atque antea quidem morbi diuturnitatem moleste ferebat, prius quam hoc ei accideret: postquam uero in dies dolores accrescere, febresq. accessisse sensit; Agrippam generum ad se accersiri iussit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumq. Peducaeum. hos ut uenisse uidit, in cubitum nixus: Quantam, inquit, curam diligentiamque in ualetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum uos testes habeam, nihil opus est pluribus uerbis commemorare. quibus quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret. reliquum est, ut egomet mihi consulam. id uos ignorare nolui. nam mihi stat, alere morbum desinere. namque his diebus quidquid cibi sumpsi, ita produxi uitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. quare a uobis peto, primum ut consilium probetis meum, deinde ne frustra dehortando conemini. Hac oratione habita, tanta constantia uocis, atque uultus, ut non ex uita, sed ex domo in domum uideretur migrare; cum quidem Agrippa eum flens, atque osculans oraret, atque obsecraret, ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret, &, quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi, suisq. reseruaret, praeces eius taciturna sua obstinatione depressit. sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leuiorq. morbus esse coepit: tamen propositum nihilo secius peregit. itaque die quincto postquam id cõsilium inerat, prid. kal. Apr. Cn. Domitio, C. Sosio cos. decessit. elatus est in lecticula, ut ipse praescripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima uulgi frequentia. sepultus est iuxta uiam Appiam, ad quinctum lapidem, in monumento Q. Caecilij, auunculi sui.

IN · ATTICI · VITAM SCHOLIA
PAVLLI · MANVTII



IN antiquissimo libro eruditissimi uiri, acerrimoq. iudicio praediti, Oberti Gifanii, ante hanc Attici uitam leguntur haec uerba: Ex libro Cornelij Nepotis de Latinis historicis. POMPONIVS *Atticus* } praenomen omisit: est enim hic T. Pomponius Atticus. In Gifanij libro legitur praenomen, T. AB *origine ultima* } hoc dicit, quia Romani multi ex diuersis Italiae locis originem ducebant: Pomponiae uero gentis in ipsa urbe Roma origo prima fuit. STIRPIS *Romanae generatus* } notandum genus loquendi, Stirpis Romanae generatus: quod ego non sane libenter imitabor. Si dixisset, E stirpe Romana generatus, erat usitatius. fortasse, Generatus, glossema fuit. PERPETVO } senator enim numquam fuit, nec honores appetiuit. caussam Nepos infra exponit, his uerbis: Honores non petijt, cum ei paterent propter uel gratiam, uel dignitatem; quod neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri sine periculo, corruptis ciuitatis moribus. EQVESTRVM *obtinuit dignitatem* } non igitur in senatore tantum, sed etiam in equite dignitas, uerum in senatore maior: itaque senatorius ordo Maior appellabatur, Minor equestris. PATRE *usus est diligente* } in qua re diligente? utrum in re domestica, an in filio litteris & bonis artibus instruẽdo? malim omnino ad filium referri, propter uerbum, Vsus est; &, quia sequitur, Indulgente: quod neque pater filium negligeret, nec tamen in eum esset acerbior. VT *tum erant tempora, diti* } cum Nepos haec scriberet, maiores erant ciuium Romanorum diuitiae, quam uiuente Attici patre: propterea dicit, Vt tum erant tempora. maiores autem fuisse diuitias, & inde luxum emersisse, idem Nepos apud Plinium li. x. c. 39. ostendit his uerbis: Me iuuene, uiolacea purpura uigebat, cuius libra denarijs centum ueniebat, nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quae in libras denarijs mille non poterat emi. Hac Lentulus Spinther, aedilis curulis, primus in praetexta usus improbatur: qua purpura quis non iam, inquit, triclinaria facit? Dibapha tunc dicebatur, quae bis tincta esset, ueluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes paene commodiores purpurae tinguntur. Attici patris diuitiae quae fuerint, infra cognoscitur, cum ait Nepos: Tanta usus est moderatione, ut neque in HS uicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit, neque in HS centies affluentius uixerit, quam instituerat. OMNIBVS *doctrinis* } quibus? rhetorica, historia, poetica, fortasse & mathematicis: quamquam hoc apud Graecos usitatius. Grammaticam uero cur necessariam fuisse credamus, cum Latina lingua tum omnes uterentur, & eo quisque meliore, quo melius loquerentur ij, a quibus esset educatus? itaque de C. Curione proditũ est, ex domestica tantum consuetudine bonum oratorem fuisse. & de Gracchis fratribus ita scripsit Cicero in libro de claris oratoribus: Legimus epistolas Corneliae, matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. IMPERTIRI } accommodato usus est uerbo ad puerilem aetatem, quae particeps quidem fieri omnium doctrinarum potest, plane uero eas consequi nequaquam potest. ORIS, *& uocis* } quae duo maxime gratiam oratori conciliant. Gifanij liber Oris, atque uocis. CELERITER *acciperet* } cum, Celeriter, magis congrueret, Arriperet: & ita Cicero locutus in oratione pro Comoedo: Quo quisque est solertior, & ingeniosior, eo docet iracundius, ac laboriosius. quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi uidet, discruciatur. & de Senectute: Graecas litteras sic auide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. A PVERITIA } liber Gifanij, In pueritia. recte. GENEROSI } genere illustres, claris parentibus, & familijs nati. nã Atticus, qui & patrẽ, & maiores equites tantũ habuerat, non gestis magistratib. claros, generosus non erat. Sic infra: His rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa potissimũ eius diligeret affinitatẽ, praeoptaretq. equitis Romani filiã generosarũ nuptijs. L. TORQVATVS, } Manliae gentis, qui consul fuit cũ L. Cotta biennio ante Ciceronẽ cõsulem. nominatur infra. C. MARII *filius* } qui, Praeneste a Lucretio Offella obsessus, desperata salute ipse sibi manus intulit. Gifanij liber, C. Marius filius. & sane antiquus loquendi modus. SIC *sibi deuinxit* } abest uerbum Sibi a Gifanij libro. P. SVLPICII } clari oratoris, quem Cicero loquentẽ induxit in libris de Oratore. INTERFECTVS } cum de abrogando Sullae, Mithridaticum bellum gerenti, imperio legem ferret. ILLIVS *periculi* } quod Sulpicij omnibus & amicis, & propinquis imminebat a uictore Sulla. SERVIO } praenomen familiare Sulpiciorum. Hic ueteres libri habent, M. Seruio: quod mendosum uidetur; cum duo praenomina simul esse non possint: nisi si hoc quasi priuilegium fuit eorum, Sulpiciorum,

ciorum,quibus praenomen esset Seruius.nam ueteres nummi reperiuntur, sic inscripti. L. SERVIVS. RVFVS. Cognomen autem Sulpiciae gentis, Rufus, esse, oratio nona in Antonium declarat. CINNANO *tumultu* } post obitum C.Marij septimum consulis. OBSEQVENDI } seruiendi. nam & Cicero, Obsequi ualetudini, & Seruire ualetudini, dixit. HOSTEM *iudicatum* } a uictore Sulla, urbem obtinente. MAGNAM *partem fortunarum* } quippe qui, praeter Ardeatinum, & Nomentanum, rusticum praedium in Italia nullum habuerit. mobilia uero transijci facile possunt. PRAETER *gratiam* } qua ualebat adolescentulus. VERSVRAM *facere* } mutuam pecuniam sumere, quae cum fenore postea redderetur. Vsuram facere, ante mendose. NEQVE *ejus condicionem aequam haberent* } pecuniam enim nō nisi iniquo fenore poterant inuenire. IPSE *se interposuit,* } ipse pecuniam dedit Atheniensibus. Infra: Ille se interposuit, pecuniamq. sine fenore, sineq. ulla stipulatione credidit. QVI *modus* } male in quibusdam libris, Modius, legitur. nam, cum Nepos Romanam mensuram ad Graecam redigere uellet, Qui modus mensurae, inquit, id est qui sex modij Medimnus Athenis uocatur. quod si, Modius legatur, uidebitur hoc dicere, modium Athenis Medimnum appellari: quod falsum esse constat: nam Medimnus Atticus sex modios capit. quod Suidas (ut alios omittam) plane docet. Gifanij liber; Septem modij tritici, habet distincte. COMMVNIS *infimis* } humanitate. PAR *principibus* } grauitate. quae summa laus est, diuersam personam suscipere pro ratione temporum, atque hominum. AMITTI *ciuitatem Romanam alia adscita.* } quod uerum est, ut intelligitur ex oratione pro Balbo. Alia adscita, pro, cum adsciscitur, cum assumitur alia. Vsitatius uidebatur, In aliam adscito. adsciscimur enim nos in ciuitatem. non ciuitas adsciscitur: & Cicero pro Archia, Perficiam, inquit, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit ciuis, a numero ciuium, uerum etiam, si non esset, putetis adsciscēdum fuisse. Et pro Balbo: Modo adsciscatur ab ea ciuitate, cuius esse se ciuitatis uelit. PHIDIAE } Atheniensi. Memini, cum homo doctus legendum putaret, Piliae: quae fuit uxor Attici: cum nulla sit mutationis caussa. nam & id, quod sequitur, Hunc enim in omni procuratione reip. actorem, auctoremq. habebant; ad Phidiam potius, quam ad Atticum, referri debet: & uxorem Atticus duxit aliquanto post quam Romam remigrauit. HABEBANT } habebat, legendum putat Gifanius. ut ad Atticum referatur. MVNVS *fortunae* } quod potest omnibus contingere: itaque optandum potius, quam laudandum. quod uero sua prudentia Atticus effecerit, ut nobilissimae omnium ciuitati carissimus ante alios unus esset: id summa laude dignum. DEMVM: } cum in patria multi non habitauerint. IN *eam ciuitatem* } Athenas. ANTIQVITATE, } ideo Αυτόχθονες, id est indigenae, Athenienses dicti. Conditas autem Athenas ante urbem Romam annis octingentis, proditum est. HVMANITATE, *doctrina,* } ep. 1. l. 6. ad Torquatum: In ea urbe es, ubi nata, & alta est ratio, ac moderatio uitae. Et in oratione pro Flacco: Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur. Et l. 1. de Orat. Vt omittam illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas. VNVS *ante alios fuerit carissimus* } Gifanij liber, Vnus ei fuerit carissimus. Ex *Asia* } Mithridate uicto. SVLLA } sic scribebant ueteres, non Sylla, uitantes Graecas litteras in Romanis nominibus. DECEDENS } proconsul. GRAECE *loquebatur,* } unde fortasse adeptus est Attici cognomen. TANTA *autem erat suauitas sermonis* } Gifanij liber, Tanta autem suauitas erat sermonis. VT *supra nihil posset.* } modus loquendi: & idem ualet, Vltra. Cicero ep. 1. l. 1. ad Att. Oratio scripta elegantissime sententijs, uerbis, ut nihil possit ultra. Gifanij liber, Vt supra nihil posset addi. NVMQVAM *a se dimitteret* } addi malim, Eū, quam subaudiri. Gifanij liber, Nusquam. NOLI *&c.* } quis probabit hunc modum loquendi, Noli uelle? cū in, Noli, includatur, Velle. ADVERSVM *eos* } aduersum factionem Marianā, in qua fuerat P. Sulpicius, Attici affinis, ut supra demonstratum est. OMNIBVS *eius periculis* } Gifanij liber, In omnibus eius p. Ex *patria fugienti* } P. Clodij rogatione pulso. HS CC *& quinquaginta millia donauit.* } scutatorum septem millia, & quingentos. TRANQVILLATIS } Sulla rerum potito. Cicero in Topicis: Vt aut perturbentur animi, aut tranquillentur. L. TORQVATO } Attici familiarissimo, ut supra. QVEM *diem* } Quem discedentem, postulare sententia uidetur. Q. CAECILIVM, } epist. 1. l. 1. ad Att. FAMILIAREM *L. Luculli,* } qui Mithridatem, Tigranemq. uicit. Valerius Max. l. 7. c. 9. hunc Caecilium, ait, cum semper ostendisset, uelle se heredem relinquere L. Lucullum, Atticum reliquisse, praeter opinionem omnium: sed eius cadauer populum Romanum reste circumdatum, per uiam traxisse. TESTAMENTO *adoptauit,* } propterea praenomen, & nomen ab eo sumpsit Atticus. Vide inscriptionem ep. 20. l. 3. ad Att. Ex *dodrante.* } Dodrans nouem unciae sunt, id est nouem assis partes: &, ut As pro tota hereditate capitur, unde dicimus, Heres ex asse; sic Dodrans pro nouem hereditatis partibus. CENTIES HS. } centies centena millia nummum, id est, scutatorum trecenta milia. SOROR *Attici* } Pomponia, de cuius moribus uide in ep. 1. l. 5. ad Att. Cum ea postea Quinctus diuortium fecit. ut in ep. 13. l. 14. ID *quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetq. talium uirorum copula.* } Simile illud infra: Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantae sit sapientiae, eorū retinere usum, beneuolentiamq., inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam &c. CIVILIBVS *fluctibus* } maritimae tempestati administrationem reip. confert. MORE *maiorum* } sine fuco, & fallacijs. ep. 1. l. 1. ad Att. Prensat unus P. Galba, sine fuco, & fallacijs, more maiorum. EFFVSIS *ambitus largitionibus* } Gifanij liber, Effusi. NEQVE *geri* } Neque e rep. Gifanij liber. AD *hastam publicam numquam accessit,* } bona ciuium Romanorum publicata, quae ad hastam in auctione ueniebant, numquam emit. NEQVE *praes, neque manceps* } Praes est, qui, a magistratu interrogatus, praestaturum se promittit; Manceps, qui a populo aliquid emit, aut conducit.

ducit. Varro, Festus. NEMINEM *suo nomine, neque &c.* } Gifanij liber, Neminem neque suo nomine, neque &c. IVDICIVM *nullum habuit.* } opinor dici, iudicem inter litigantes Atticum numquam fuisse. PRAEFECTVRAS *delatas* } praefecturas fabrû, quae deferebantur honoris gratia. NE *cum Q. quidem Cicerone* } sororis suae uiro. IN *Asiam,* } quam post praeturam Quictus per triennium administrauit. EIVS *obseruantia* } cum aliquem obseruaret. VSVS *est aetatis uacatione,* } per aetatem licuit ei esse otioso. NEQVE *quoquam se mouit* } liber Gifanij, Neque se quoquam mouit. AD *Pompeium* } in Graeciam. CONIVNCTVM } amicitia sibi coniunctum. NON *offendit.* } Pompeianos tamen offendit, si uerum est, quod scripsit Cicero ep. 6. lib. XI. Numquam de te ipso, nisi crudelissime, cogitatum est. Et ibidem : De Fannio consoler te? perniciosa loquebantur de mansione tua. Et proxime : Omnes, qui in Italia remanserant, hostium numero habebantur, ORNAMENTVM, } ornamentum & diuitias uocat. QVORVM *partim* } pro, Partim alii, ut Phil. 8. Cum partim e nobis ita timidi sint, ut omnem populi R. beneficium memoriam abiecerint, partim ita a rep. auersi, ut se hosti fauere praeseferant. SVMMA *cum eius offensione,* } Caesar enim, qui domi remansissent, amicorum numero se habiturum esse dixit; Pompeius, hostium. De bello ci. l. I. FILIVM *Q. Ciceronem* } liber Gifanij, Filium, & Q. Ciceronem. ut intelligatur de utroq. Quincto. BRVTOS } Marcum, & Decimum, qui cum C. Cassio, M. Bruti sororis uiro, principes coniurationis in Caesarem fuere. AD *eum* } ad Atticum, propter amicitiam, quae illi cum M. Bruto summa erat. Gifanii liber, Ad eos. ILLE *adolescens* } cum Caesarem Brutus occidit, quadragenarius erat; praeturam enim gerebat: & tamen Adolescens uocatur. Hanc loquendi consuetudinem & apud alios notauimus, ut in Commentariis, quos in Epist. fam. composuimus, ostendimus. QVAM *hoc sene,* } Infra: Humanitatis nullum afferre maius testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Sullae fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto. ILLIVS *ordinis* } Gifanii liber, Eius ord. C. FLAVIO, } qui fuit postea praefectus opificum in exercitu Bruti. Plutarchus. Nominatur & a Cicerone in epistola ad Brutum. CVM *quoquam* } priuatim. COITVRVM } in commune concilium. ANTONIVS } consul. PROVINCIARVM, } prouinciarum desperatis rebus: sic enim coniungo: ut sit sensus: Diffisi prouinciis, quae illis datae fuerant, in exsulium abierunt. Prouincias illis datas nominant Plutarchus, & Appianus, Bruto Cretam, Cassio Libyam. DICIS *caussa* } sic omnino magis placet, quam, Necis caussa. non enim Antonius & Dolabella consules prouincias ob necem Caesaris eis dederunt, sed ut eis caussam darent ab urbe discedendi, ne quid ab irata plebe paterentur. nam, Dicis caussa, ualet, ad speciem: ut uir doctissimus Laelius Taurellus primus obseruauit. Cicero in Verrem libro 4. Vt posset dicere, se emisse, Archagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis caussa daret. id est, non ut re uera emeretur argentum, sed ut emptum uideretur. Plinius l. 28. c. 2. Si pontifici id accidat, dicis caussa epulanti. Arnobius initio libro 4. contra Gentes: An ita, ut assolet, dicis caussa &c. Est omnino obscurus hic loquendi modus, uerum ita prisci illi Romani loquebantur. Nam Varro libro 5. de lin. Lat. Et illa antiqua, inquit, Dicis caussa. Antiquum igitur erat, Dicis caussa, Varronis aetate. Idem infra: Dicis caussa fiebant quaedam, neque item facta, neque item dicta semper. Suspicor etiam eiusdem esse generis illud pro Murena: Sed an ne tu, dicis qui caussa uindicaueris? Quod a Iureconsultis obscuritatis caussa usurpatum, Cicero significat. HS C M } scutatorum tria millia. CCC } trecenta millia nummum, senatorum nomen millia. APVD *Mutinam* } obsidente D. Brutum Antonio. nota res. DIVINVS } a diuinatione, non a diuinitate: ut infra cognoscitur. AVGETVR } Gifanii liber, Agitur. HOSTIS *Antonius iudicatus* } maxime Ciceronis opera: cuius exstant in illum orationes. ITALIA *cesserat:* } proelio uictus ad Mutinam a Pansa & Hirtio consulibus, & ab Octauiano, caussam reip. defendentibus. QVI *aduersariis eius se dabant,* } sic Cicero locutus in epist. ad M. Coelium libro 2. Da te homini: complectetur, mihi crede. COMMODITATEM } Gifanii liber, Commendationem. Verum in spatio, quod uersus dirimit, legitur, Vel, Commoditatem. SEQVEBANTVR } pro, insectabantur, studio nocendi. Gifanii liber, Insequebantur. FVLVIAM } quae fuerat uxor primum P. Clodii, Ciceronis inimici, de inde C. Curionis, qui periit in Africa Caesariano ciuili bel. P. VOLVMNIO } praefecto fabrum Antonii, ad quem sunt epistolae Ciceronis libro 7. fam. PRAESTITERIT *uadimonium* } quanto melius, si per ueteres libros liceat, Stiterit uadimonium. Cum haec scripsissem, incidi in librum Gifanii, in quo, Stiterit uadimonium, perspicue legitur. IN *diem,* } ut solueret post aliquod tempus. VERSVRAM *facere* } mutuam pecuniam a feneratoribus sumere. ILLE *se interposuit,* } sic & supra locutus. SINE *ulla stipulatione* } sine ulla promissione per stipulationem facta, qua sibi de recuperanda pecunia caueretur. SENSVS *eius* } liber Gifanii, Sensim is. ILLE *autem sui iudicij,* } pro, suum iudicium, non alienum, sequens: a se ipso, non ab aliorum opinione, pendens. CONVERSA *fortuna est* } Gifanii liber, Conuersa subito fort. IMPERATORVM } Octauiani, Antonii, Lepidi, qui, societate aduersus libertatem inita, exercitum ad urbem duxerunt, plurimosq. ciues, bene de rep. sentientes, & maxime suû quisque proscripsit inimicum. Eosdem infra Imperatores appellat. GELLIVM *Canium* } liber Gifanii, Gellium Canum. SVIS *amicis* } Gifanii liber, Eius amicis. SE *eum, & Gellium Canum* } Gifanii liber, Se eum, & illius Canum. PRAESIDIO *fuit.* } Gifanii liber, Praesidium fuit. sed in spatio, quod uersus dirimit, scriptum est, Vel, Praesidio. CONIVNCTIM } Gifanii liber, Coniuncti. VT *se emerserat,* } pro, Vt emerserat. Cicero de Harusp. resp. Ista serpens, quae hic delitescit, tum se emergit, & fertur illuc. Simile est, Erumpo. nam &, Erumpit malum, &, Erumpit se malum, dicitur. Coelius ep. 14. lib. 8. ad Ciceronem:

nem:Sic illi amores,& inuidiosa coniunctio non ad occultam recedit obtrectationem,sed ad bellum se erumpit.Et Virgilius l.1.Georg.Densa inter nubila sese Erumpunt radij. EMERSERAT : } liber Gisanii,Emerserit. IN *Epirum* } in qua possessiones Atticus habebat. QVI *etiam* } hoc ad proxima superiora referri non potest : sed ab eo , multis uerbis interpositis, pendet,Nihil aliud egit,&c. A TORQVATVM } ad quem sunt Ciceronis epistolae l.6.fam. INSTITERIT *tueri* } Cicero l.3. de Orat. Crassum institit coercere.Liber Gisanii,Instituerit.SAMOTHRACIAM } quo confugerant post Philippense proeliũ. DIFFICILE *enim est*}abest uerbũ Enim a uetere Gisanii libro.TEMPORARIAM,}exigui temporis . Vsus est uterque Plinius hoc uerbo. NON *florentibus se uenditauit*,}non ostendit se fauere florentibus , & eorũ fortunarum sequi.SERVILIAM}& Plutarchus eam Bruto superstitem fuisse auctor est . QVOAD *ille gratus erat*,}quamdiu gratiam referebat is,qui acceperat.nam,si gratus ille non erat,qui acceperat;nec ipse.quae tribuerat,recordabatur.ita,cum grati animi significatione delectaretur ; si quis tamen ingratus esset,non offendebatur. SVI *cuique mores fingunt fortunam*.}infra: Lectores docebimus , suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.Plautus in Trin.Sapiens ipse fingit fortunam sibi. Nonius in eo uersu Virgilii:Fortuna omnipotens,& ineluctabile fatum: haec subiungit : Sensibilitatis eius non leuis ratio est,quae prima sententia philosophica accipit intellectum,quae ait , Sui cuique mores fortunam fingunt,omnipotés fortuna esse desinit.quod Sallustius mire:Fortuna simul cum moribus immutatur, & reliqua.Hinc Iuuenalis:Nullum numen abest,si sit prudentia;sed nos Te facimus, Fortuna , deam, caeloq.locamus.Gisanii liber,Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus. PRIVS *ille fortunam*}Gisanii liber,Ille prius fortuna. NE *qua in re plecteretur* } ne quid committeret,quod nocere sibi posset: ne qua culpa sibi malum strueret.Gisanii liber,Ne qua in re iure plecteretur.M.VIPSANIVS *Agrippa*, } cuius hodieq.monumentũ insigne téplum Pantheon, Ioui Vltori dicatũ,Romae exstat.EQVITIS *R.filiam*} quam Atticus unicam habuit. GENEROSARVM}quib.clari parentes,aut maiores fuissent. NON *enim est*} Gisanii liber, Non est.n.TRIVMVIR *reip.*}& nummi antiqui,& lapides Capitolini , & ipsa historia docet,omnino legendum,R.P.C.idest,Reip.constituendae. VSVS *sit ea*,}ea gratia. SVB *ipsa proscriptione*}in ipsa proscriptione,dũ proscriptio fuit. STVDIO *ductus philosophiae*,}eius philosophiae, cuius auctor fuit Epicurus;in qua haeresi Atticus quoq. fuit.Cicero ep.1.l.7.ad Att.Dederam equidem L.Saufeio litteras; sed,ut philosophi ambulant,has tibi redditum iri putabã prius . Et ep. 6.l.4.Ipsius uicem minime dolemus,non ut Saufeius,& uestri.Quibus uerbis,& Saufeium,& Atticũ Epicureos fuisse, demonstrat . Epicurei.n.sua tantum curabant,alienam uicem non dolebant. L.IVLIVM *Calidum* } Gisanij liber, L.Iuliũ Calidiũ.ELEGANTISSIMVM *poetam*,}cuius hodie poema nullũ,ac ne mentio quidé,quod ego sciã, apud quéquã reperitur. POST *proscriptionem*}Gisanij liber, Quem post proscriptioné.EQVITVM,} inter quos fuit Iulius Calidus.proscripti auté sunt equites a triũuiris,quia fauerant interfectorib. Caesaris.Supra: Excogitatũ est a quibusdam,ut priuatũ aerariũ Caesaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur.IN *praesenti*}tum,cũ amicũ suũ ab imminenti periculo liberauit.NEQVE *uero minus*} abest uerbũ Minus a uetere libro Gisanij.ut sit praecisum loquẽdi genus . NEMO *illo minus fuit emax*, } quae magna laus est in patre familias:Itaque Cato,Patrem familias,inquit,uendacẽ,non emacẽ, esse oportet. Et Cicero in Paradoxis:Non esse emacem,uectigal est.MINVS *aedificator:*}infra: Nullam suburbanam,aut maritimam sumptuosam uillam habuit. OMNIBVSQ. *optimis rebus usus est*}quia dixerat , Nemo illo minus fuit emax: ueritus,ne quis eũ sordidum fortasse,quendam, aut in uictu restrictionem,quá deceret,fuisse crederet,quasi correctionis loco intulit,omnibus tamen eum optimis rebus usum esse. IN *colle Quirinali*} unde illud ep.44.l.12.ad Att.De Caesare uicino scripseram ad te , quia cognoram ex tuis litteris. eum σύνναον Quirini malo,quam Salutis.CAECILIANAM,}aut hoc abundat , ut glossema sequentium uerborum:aut uulgatum eius domus nomen ponere Nepos uoluit.Liber Gisanij,Tamphilianam.FAMILIA}serui significantur,ut alibi.FORMA,}specie.QVI *non utrumque horum pulchre facere posset.*} qui nó & anagnostis,& librarii,si opus esset,officio fungi posset. ARTIFICES *ceteri,quos cultus domesticus desiderat*,}qui sunt hi ? anagnostae iam nominati sunt,& librarij,& litterati serui ; supersunt glutinatores librorum,medici,coqui,sutores,tonsores,balneatores,condi, cellarii,promi,procuratores peni , atrienses,mediastini,alii praeterea.NEQVE *tamen horum quemquam,nisi domi natum* } hoc illud confirmat, Nemo illo minus fuit emax.ostendit.n.Atticum seruis usum esse non peregrinis pretio emptis, sed uernis. DOMI *factum*,}domi erudirum.hoc ad Attici diligentiam pertinet;illud, Domi natum , ad continentiã. ELEGANS,*non magnificus;*}elegantiae studiosus,quae modum non praeteriret . OMNI *diligentia*} Gisanii liber,Omnisq.diligentia.TERNA *millia aeris,peraeque in singulos menses*}uerisimile uix uidetur. nam tria millia assium, scutati dumtaxat triginta sunt,ita cogemur credere , expendisse Atticum singulos scutatos singulis diebus,nihil amplius.quod si uel in opsonium tantum expendatur , parum omnino uideri possit.nisi si quis hoc dicat,multo,quam nunc,uiliorem annonam eo tempore fuisse : quod tamen ex Varrone, Plinio , & alijs falsum esse constat.Quare,si tollatur,Aeris ; multo similior summa fiet: subaudietur.n. Nummum:& ita erunt scutati nonaginta.ALIVD ἀκρόαμα,}cum sequatur, Anagnosten, appareret hic, ἀκρόαμα, sumptum esse non pro re, quae recitatur,sed pro eo,qui recitat:ut in oratione pro Sextio:Non solum spectator,sed actor,& acroama. SINE *aliqua lectione* } sine anagnoste. CENATVM *est:*} nam prandium non dicitur conuiuium: & parce ueteres prandebant,cenabant largius . TANTA *pecuniae accessio* } ex auunculi hereditate. IN *HS.uicies* } in scutatis sexaginta millibus. IN *HS. centies* } in scutatis trecentis millibus. PARI *fastigio* } eadem semper usus moderatione. IN *utraque fortuna* } & in

HS uicies

HS uicies,& in HS centies. NVLLOS *habuerit hortos* } liber Gifanij, Nullos habuit hortos. ARDEATINVM } liber Gifanj, Arrentinum. ex quo Gifanius legendum putat, Aretinum. VRBANIS } erant enim & rustica,& urbana praedia, sed urbana uiliora. EVM *usum* } Gifanij liber, Vsum cum. NON *magnitudine, sed ratione* } sumptus enim nihilo maiores fecit in HS centies hereditate relictis, quam facere solitus erat in HS uicies: contra quam in plerisque euenit; quorum auctis copijs, libido simul augetur. EIVS *comitas non sine seueritate erat, neque grauitas sine facilitate.* } quod praestare, summae prudentiae est: natura enim in alterutram fere partem inclinamus. Eadem laude Cicero ornat Sex. Aufidium in epistola ad Cornificium. Est, inquit, ita temperatis moderatisq. moribus, ut summa seueritas cum humanitate iungatur. Et ad Q. fr. epist. 1. lib. 1. Haec illius seueritas acerba uideretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. RELIGIOSE } non temere, sed cum quadam religione, considerata primum facultate rei, quam rogabatur. IN *nitendo quod semel admisisset*, } uidetur hoc paullo durius: nam Niti aliquam rem, usitatum non puto. Quod semel admisisset, ualet, quod semel, facturum se, pollicitus esset. Gifanij liber, Annuisset, pro, Admisisset. CICERONVM, } Marci, & Quincti, fratrum. CATONIS, *Marij,* } miror, cum praenomen addiderit Hortẽsio, & Torquato, cur omiserit Catonis, & Marij. praeterea Marius, quem supra legimus Attici familiarem fuisse, perijt Attico admodũ adolescente. Quare placeret potius M. Catonis, quam, Catonis, Marij. Cum haec scripsissem, repeti scriptum in Gifanij libro, Catonis Marci. SEXDECIM *uolumina* } pro sexdecim libros: nam singuli libri singulis uoluminibus continebantur. Plinius quoque suos de Naturali historia libros appellat Volumina. AB *consulatu* } quaedam etiam ante consulatum, nonnullae & in praetura scriptae, ut ostendimus in Commentarijs. AEMVLATIONIBVS *Reip.* } liber Gifanij, Mutationibus Reip. SE *numquam cum matre in gratiam redijsse,* } consequens posuit pro antecedente. nemo enim in gratiam redit, nisi qui prius iratus erat. AETATE *aequalem* } abest, Aetate, a Gifanij libro. NEQVE *id fecit natura solum, sed etiam doctrina* } ex utraque enim absoluta uirtus exoritur. Cicero pro Archia: Idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quaedam, conformatioq. doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere. In epistola quoque ad Catonem: Si quisquam fuit umquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem sentire uideor, ratione, atque doctrina, ab inani laude & sermonibus uulgi; ego profecto is sum. MAGISTRATVS *ornauit.* } ornamenta magistratuum exposuit. NEQVE *res illustris est populo R.* } hic uidetur esse liber ille, de quo in Bruto sic: Omnium rerum memoriam breuiter, & perdiligenter cõplexus est. Et in Oratore: Conseruatis, notatisq. temporibus, nihil cum illustre praetermitteret, annorũ septingentorum memoriam uno libro colligauit. Gifanij liber, Populi R. IVNIAM *familiam* } ex qua fuit M. Brutus. MARCELLI *Claudij* } cognomen nomini praeposuit, ut proxime infra, Scipionis Cornelij: quod alij quoque interdũ fecere. DE *Marcellorum:* } non dixit, De Claudiorum, ex qua gente Marcelli fuere, sed, De Marcellorum, ut proprie Marcellos indicaret: cum eiusdem Claudiae gentis, praeter Marcellos, alij quoque fuerint, ut Pulchri, & Nerones, utrique patricij; Marcelli uero plebeij. Si quis autem hoc, De Marcellorum, unde regatur, quaerat, fortasse non inueniet. quid significetur, tamen constat. SCIPIONIS *Cornelij,* } fortasse qui socer fuit Pompeij Magni. FABII *Maximi* } opinor, qui consul cum C. Caesare fuit, & ultimo consulatus die mortuus est. ep. 30. l. 7. fam. DE *Fabiorum* } abest, De, a libro Gifanij. AEMILIORVM. } Aemilij ad Scipionem nihil pertinent: Corneliorum, malim. CREDIMVS, *ne eius expers esset suauitatis.* } excusatio quaedã, quasi parum uiro graui conuenire uideretur, uersibus operam dare. propterea uerbo quoque usus est, operam, studiumq. minuente, cum dixit, Attigit poeticen, non Complexus est, Coluit, & similia. LIBER *Graece confectus de consulatu Ciceronis* } ep. 1. l. 2. Puer tuus mihi litteras abs te, & Commentarium consulatus mei, Graece scriptum, reddidit. Et infra ibidem: Illa tua (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta uisa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta contempserant. IN *affinitatem peruenit imperatoris*, } quia neptem Attici, ex Agrippa natam, uix anniculam, Caesar Ti. Claudio Neroni, Drusillae filio, priuigno suo, despondit. DIVI *Iulij filij,* } filij adoptiui, cum ex eius sororis filia natus esset. Gifanij liber, Diui filij. DIGNITATE *pari, fortuna humiliores.* } utrum hos Attico, an Caesari cõparat? si Attico; quo modo dignitate pari? non enim eques Romanus tot consularibus uiris dignitate comparandus. quo modo etiam fortuna humiliores? principes. n. ciuitatis humili fortuna non sunt, si comparentur Attico. Aptius igitur imperatori cõparantur; a quo fortuna quidem uincuntur, dignitate tamen, quae a fortuna non pendet, sed oritur ex rebus & honorib. bene & e rep. gestis, pares sunt. Hoc apparet ex ijs, quae sequuntur. CAESAREM } qui nondũ Augustus, uiuo adhuc Antonio, uocabatur. Gifanij liber, Caesarum cum est conf. QVOD *ciuis* } Gifanij liber, Quod nemo adhuc ciuis. COLLOCAVIT } Gifanij liber, Collocarat. CLAVDIO *Neroni* } qui post Augustũ imperauit. NECESSITVDINEM } summam amicitiam, quae iam erat inter eos. SVAS *infinitas occupationes* } Gifanij liber, Infinitas suas occ. NVLLVS *dies temere intercessit.* } pro, nullus fere dies. Cicero ep. 1. l. 1. ad Q. Fr. Qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris, ac muneris non temere, nisi libertis suis, deferebant. AEDES } Gifanii liber, Aedis. Ex *ultimis terris* } ex Aegypto. NACTVS *est morbum*, } pro incidit. Suetonius in Tito: Nactus est febrim. Terentius in And. More hominum euenit; ut, quod sim nactus mali, prius rescisceres tu, quam ego, quod tibi euenit boni. PVTARVNT *esse τιγασμὸν,* } legendum arbitror, Τεινασμὸν, uel Τεινεσμὸν: cum ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι deducatur. Est autem morbus e phlegmate uiscoso & salso, in extremis intestinis congregato; quo generatur corporis purgandi cupiditas, nec tamen egeritur quidquã nitendo. Gifanii liber, Latinis litteris, habet, Tenesmõ. SINE *ullis doloribus* } hoc signo licuit intelligere, τεινεσμὸν non esse. nam is morbus dolore nũquã uacat, ut docet Cornelius Celsus. FISTVLA *putris eruperit.* }

quae nasci non solet ἐκ τοῦ τραύματος. itaque falsa duplici signo medicorum illorum coniectura. Gifanij liber, Fistulae puris eruperit. ACCERSIRI } liber Gifanij, Accersi. CORNELIVM *Balbum*, } Gaditanum, Attici familiarem, ut Ciceronis epistolae declarant. Pro eo exstat oratio. PEDVCAEVM. } & hic Attici pernecessarius. epist. 1. lib. 10. NIXVS } liber Gifanij, Innixus. NIHIL *opus est* } liber Gifanij, Nihil necesse est. DEHORTANDO *conemini*. } liber Gifanij, Dehortando impedire conemini. TVM *atoque* } licet graui morbo. TEMPORIBVS *superesse* } uitae spatio. DEPRESSIT. } plus est, quam, Contempsit. IVXTA *uiam Appiam*, } sepeliri enim intra urbem & lex XII. tabularum, & decreta pontificum uitabant. nonnullis tamen, ut Fabricio, uirtutis caussa tributum, prodidit Cicero libro 2. de leg. Id & C. Poblicio datum a Senatu sequens indicat inscriptio, sub Capitolio, ad Forum Traiani.


C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS
VIRTVTISQVE . CAVSSA , SENATVS
CONSVLTO . POPVLIQVE . IVSSV . LOCVS
MONVMENTO . QVO . IPSE . POSTEREIQVE
EIVS . INFERRENTVR . PVBLICE . DATVS . EST

IN·EPISTOLAS
M·TVLLII·CICERONIS
AD·M·IVNIVM·BRVTVM
ET. AD. Q. CICERONEM
F R A T R E M,
P A V L L I . M A N V T I I
COMMENTARIVS

ALFONSO · CARAFAE PRAESTANTISSIMO. IUVENI ANTONII. MARCHIONIS. MONTISBELLI FILIO.

Paullus Manutius, Aldi filius, S. D.





I suo quaeque res merito penderetur, Alfonse Carafa, hominum esset in uirtute uigilantium praeclara condicio; contraque, quos auersa a ratione uoluntas ad malas artes, & flagitiosa consilia traducit, cum ijs pessime semper ageretur; eorumq. docti exemplo, sapientius deinde alij non modo suis, uerum etiam publicis rationibus consulerent. itidem enim, ut e corruptis seminibus uitiosae fruges, sic a malis exemplis improba studia, a laudabilibus optima nascuntur. uerum hoc totum secus est. quippe non modo ad reprehendendum, quae reprehendi iure possunt, procliuiores, quam ad laudandum, quae laude digna sunt, omnes fere sumus; nec satis aequa lance turpe, & honestum examinamus; quae debemus pariter, alterum odisse, alterum diligere: sed etiam saepe facimus, ut eas res, easq. actiones, quarum caussas ignoramus, quaeq. recte ne an secus fiant, diiudicare non possumus, accusemus tamen, acerrimaq. uituperatione, quae interdum efferri laudibus oporteret, ea deprimamus. Ac, ne me putes, Alfonse clarissime, huius initium sermonis temere detulisse: ego nunc, si nescis, meam, meam dico? immo uero communem utriusque nostrum caussam ago. aut enim uterque agimus egregie; aut uterque similiter peccamus. Audis ne tu uoces in Latinae linguae nomen irrumpentes, hominum obtrectantium, qui rei pulcherrimae scientiam reprehendant, qui nos derideant, ludosq. faciant, atque etiam, si dijs placet, odio dignos existiment, quod operae tantum, ac temporis in hoc tam nobili studio collocemus? tu fortasse non audis, totus in litteras abditus, multorum a consuetudine seiunctus aut, si audis, negligis opinor, magnis non tam fortunae, in qua tamen ipsa multum inest, quam rerum omnium laudabilium praesidijs ad omnia munitus. me uero, humili hominem loco, hac una tibi Romani sermonis cupiditate parem, ceteris rebus omnibus inferiorem, ista sane, quae feriunt aures meas, uehementer commouent: non quod ea, quibus

utuntur,

utuntur, argumenta firma ſint; quae oſtendam eſſe inania: ſed quod, ut eam quiſque uirginem, cuius amore flagret, intactam ab iniuria, puram ab omni labe uelit, ſic ego, quaſi lutoſis maculis adſperſam, ac foedatam eloquentiam, quam ſemper dilexerim, cum adſpicio, ſenſibus intimis afficior, ſic, ut ferre non poſſim. Obijciunt illud primum: quatenus aliquid cognoſci poſſit, eatenus in eo laborandum: Latinam linguam obſoleuiſſe iam, & exſtinctam paene totam eſſe: quam enim hodie nationem, ut omnes animo perluſtrentur, Latine loqui? quod uero ex ea ſuperſit in libris, minimum id eſſe, tamquam aliquod inane ſimulacrum corporis exanimis: quocirca neque ſciri perfecte, cum exiguam partem libri contineant, neque pronunciari decenter, cum ſermonis uſus euanuerit, a nobis poſſe. Secundo loco ſtatuunt: ut abſolute percipi, quod negant, Latina lingua poſſit; mirari ſe tamen etiam atque etiam, cur induſtriam in ea perdiſcenda tam diuturnam ponamus. uitio quidem id fieri uoluntatis, & iudicij: dignitatem in re tantam non eſſe, ut haerere per tot annos in hoc ſtudio debeamus. Concludunt poſtremo: ut de perfecta cognitione, de dignitate, ac praeſtantia concedatur; tamen eſſe, cum, ea pulſa, ſucceſſerit alia, minime neceſſariam. Haec iſti: quae ſpecie aliquid uidentur; ego, re nihil eſſe, ſi quando me praeſente diſputantur, oſtendo. conuenit inter nos, eſſe aliquid in omnibus facultatibus, atque artibus extremum; quo noſtra ſtudia cum peruenerint, quieſcendum. ſed hoc extremum quibus terminis metimur, rei ne natura, an uulgi opinione? ſi opinione uulgi: licet propemodum otioſe uiuere: mediocria, quae putantur excellere, quaeramus: id ſatis eſt: illa ſumma, ubi ſummum decus habitat, quae uulgus ignorat, omittamus. ſin extremum illud eſſe uolumus, quo peruentum cum eſt, progredi longius non licet: moderata ſtudia non dantur. perfectam enim ſcientiae laudem adipiſci, maximi operis eſt: itaque hoc extremum, quod, opinor, Natura nouit una, ſapiens nemo umquam ſe putauit eſſe conſecutum. exſtant, litterarum clariſſimis teſtata monumentis, exempla ſummorum philoſophorum; qui cum aetatem in abditarum rerum perſcrutanda notitia contriuiſſent, multaq. partim legendo, partim cogitando praeclara & eximia reperiſſent; latere tamen adhuc, magnis inuolutam difficultatibus, ueritatem, & aliquid ſibi, atque adeo multum eſſe quaerendum exiſtimabant. Eadem nunc, aut certe ſimilis admodum noſtra ratio eſt. Quaerimus id, quod in Latina lingua perfectum putamus. non aſſequemur. eſto: uerum tamen, quo plus, ut aſſequamur, contenderimus. eo ſcilicet propius, ſi quid ſtudio proficitur, accedemus. At laboris, & induſtriae terminus tamen ſtatuendus aliquis eſt. concedo: ſed hoc quidem, ſi diligenter attendatur, nihil aliud eſt, quam perfectum ipſum definire. hoc enim ad unum noſtri labores intenduntur: hoc unum noſtra ſpectat induſtria. perfectum autem ipſum ego mihi certe ab hominibus imperitis definiri nolo. definiant ij, quibus utor magiſtris, Cicero, Caeſar, Terentius, Plautus; quorum ex libris, quae Latinae linguae ſit elegantia,

quae

quae ubertas, quae uis, facile possum intelligere. quae si, non dico quanta sunt; (immensa enim esse uideo) sed si ea mihi magna ex parte comparassem; modum fortasse facerem studio meo: sed, ut inter hos, qui nunc homines uiuunt, aliquid esse uideamur, nihil tamen, si uere de nobis ipsis iudicare uolumus, prae illis uiris, quorum exstant satis multa scripta diuinitus, nihil inquam plane sumus. quare, quod ad scribendum attinet, habemus abunde, quod imitemur. De pronunciatione uero minimum laboro. quid enim? an putamus in ijs ipsis, qui tum Romae uiuebant, eandem pronunciandi rationem fuisse? non fuit. confluebant in urbem, illecti spe summorum magistratuum, quod habuit illis temporibus praemium eloquentia, oratores, ex uniuersa Italia. caussas agebant Romani homines pariter & peregrini, sono uocis dissimiles, pronunciatione diuersi: suam tamen quisque, pro eo, quantum quisque ualebat ingenio, laudem ferebat. si Curibus educatum, aut Arpini, orantem in foro audires; Sabinum statim, aut Arpinatem agnosceres. neque tamen a forensi opera, & a iudicijs propterea quisquam est exclusus, quia minus Romane, hoc est, quia minus apte, minus ue decenter, pronunciaret. nunc ipsum; in hac, qua Itali omnes utimur, lingua est ne omnium in disiunctis & longinquis urbibus simillima pronunciatio? mehercule ne in ijsdem quidem. Venetijs enim (domestico utar exemplo) aliter in urbe media, aliter in extrema loquuntur. quapropter nimis iniusto priuilegio damnabitur Latina lingua; si, quod in ceteris linguis usu uidemus euenire; ut non modo diuersis, uerum etiam ijsdem & temporibus, & locis non similiter omnes pronuncient, id ei praecipuum opponatur: cuius etiam magnis ac praestantibus meritis aliquid largiri, tum humanitatis, tum aequitatis esset. Secundum erat de dignitate. in quo; non tam equidem quid ipse respondeam, quam quid istos in hanc mentem impulerit, quaero. Ita ne? dignitatem Latinae litterae non habent? humiles; & obscurae sunt litterae illae, quae populi Romani nomen extollunt, atque illustrant? quae summorum imperatorum fortiter & praeclare gesta per omnes gentes cum laude disseminant? quae maiores opes, quã ulla umquam lingua, maiora suorum meritorum praemia in orbis terrarum domina ciuitate sunt adeptae? Sed ineptus sim, si me patronum Latinae linguae profitear: quae tantum possidet eloquentiae, ut, ipsa suã caussam si agat, facile se ab aduersariorũ calumnia uindicare possit. Nũc, quod isti postremo loco argumentũ, quasi postrema in acie subsidium firmissimum, collocant, uideamus in eo quantũ roboris ac neruorũ sit. plus enim est fortasse, quã ut cõtemnere, minus certe, quã ut pertimescere debeamus. Nusquam, inquiunt, uiget usus Latini sermonis: aliter nunc omnes loquimur. id uerum est. si quid igitur in Latinam linguã studij confertur, opera non bene ponitur. hoc falsum. duplex autem est, qua utor, ratio probandi. Primum illud suscipio, ac defendo: non, quaecumque necessaria non sint, propterea spernenda esse omnia, atq. explodenda; deinde, si spectetur utilitas, ita Latinam utilem esse linguam, ut etiam necessaria

 uideatur.

uideatur. Quae sunt, quae uere, & proprie necessaria dicimus? nimirum ea, quibus carere nullo modo possumus. huiusmodi sunt primum elementa, deinde, quibus famem, frigoraq. arcemus, uictus, uestimenta, aedes, aut ea, quibus haec parantur; praeterea, in publicis rebus leges, & magistratus, in priuatis seueritas, & uigilantia. ex hoc numero Latinam certe non esse linguam, facile concedo. neque enim is ego sum, qui libenter cum ueritate pugnem. Sed praeter haec, quibus hominum uita sustinetur, ac regitur, quam multa sunt, minime necessaria, quae tamen habemus in delicijs, quae amamus, quae etiam honore prosequimur? gemmas, & uasa pretiose caelata, columnas marmoreas, laqueata tecta, sericas uestes, textiles picturas, artem in uocibus, & fidibus, odores in unguentis, condimenta in cibis, haec certe, & huius generis sexcenta, non ut necessitati pareret, sed ut sensibus satisfaceret, inuenit industria. quae quin habeant iucunditatis & ornamenti plurimum, nemo negat. quod si, quae sensus iuuant, & laboriose quaesita sunt, & retinentur accurate: quanto nobis ea, quae animum oblectant, potiora debent esse? pascitur animus magnitudine rerum: quid Liuij sublimius historia, quae populi R. bellicam uirtutem commemorat? grauitate sententiarum: quis Cicerone prudentius, quis eruditius disputat? elegantia uerborum, & copia: quis eodem ornatior, quis uberior? uarietate scriptorum: quod genus Romanae litterae desiderant? poetas habent egregios, historicos, oratores, philosophos etiam excellenti doctrina claros. quae si uera sunt; (sint, necne, res ipsa declarat: ambigere non licet) & si uoluptatem studiosis Latina lingua parit incredibilem; possum istis tribuere, quod uolunt, necessariam uulgo non esse, dum ipsi contra, quod ratio postulat, atque exigit, hoc mihi tribuant, amandam esse uehementer, atque expetendam. Sed haec ad eam, qua legendo fruimur, uoluptatem pars attinet: nunc, quod eram alterum pollicitus, de utilitate uideamus. Omnes linguae, aliarum admistione linguarum, si moderata sit, augentur; si nimia, corrumpuntur, atque intereunt. quod enim recipitur, id esse debet eiusmodi, ut recipientis naturam sua ui, suaq. magnitudine non exsuperet. itaque sermo hic noster Italicus multas Gallici sermonis, multas Hispanici, quasdam etiam aliarum nationum habet partes. caussam si quaerimus: non alia, quam earum gentium interuentus, & consuetudo, fuit. quod si Gallorum, aut Hispanorum immensa multitudo, (exempli caussa dictum a me sit: omen quidem inane esse uolo) sed si earum nationum maior aliqua uis in Italiam irruperit, ac permanserit: maior simul inducetur Gallici, aut Hispanici sermonis usus; & fortasse aduenticium illud usque eo ualebit, ut hoc domesticum uincat, suisq. sedibus expellat. quod olim Romanae linguae contigit: quam, multarum aetatum spatio, multis maximarum rerum adiumentis auctam, atque confirmatam, diuersis tamen populis Italiam occupantibus, diuersarum linguarum impetus oppressit. Cum igitur lingua linguam amplificet; nostraq. haec Italica, non multis abhinc

hinc saeculis orta, nec admodum liberaliter praemiorum nutrimentis educata, non ita dum adoleuerit, ut suis contenta iuribus esse possit: statuo sic, atque concludo; accessionem ei fieri maiorem non posse, quam si cum Latina coniungatur: non modo, quia nulla plenior, aut ornatior; uerum etiam, quia nulla similior: ex quo sequitur, ut ad coeundam cum ea societatem nulla commodior. Est igitur litterarum Romanarum cum per se laudabilis admodum, & iucunda tractatio, tum uero, si quidem hunc ipsum, quo nunc utimur, auctum, exornatumq. sermonem cupimus, magnopere necessaria. Atque haec tu quoque uides, Alfonse ingeniosissime, tuumq. iudicium cum mea sententia coniungis. itaque, cum a prima pueritia ad eloquentiae Romanae cupiditatem incumbere coepisses; postea te non ambitio, quae saepe praeclare iacta fundamenta uirtutis euertit, non commodum, non illa, bonis artibus inimica, uoluptas ab hoc studio deduxit. ac ne nunc quidem langues; cum tamen omnia uideas ardere bello, armorumq. strepitu aures tuae quotidie personent; sed contines te in tuis perennibus studijs; animumq. tum alijs magno principe dignis uirtutibus, tum uero maxime excolis eloquentia, doctorem in ea, ducemq. nactus, diuino quodam munere, uirum excellentem, Ioannem Paullum Flauium; qui te nouo quodam, planeq. admirabili genere disciplinae, abductum a uulgi erroribus, per directam semitam ad eximium illud ueteris Romanae linguae decus facile perducet. quamquam me, nonnumquam de statu Latinae linguae cogitantem, miseratio quaedam acerbo cum dolore tangit: quod ita futurum animo cernam, ut haec, per tot iam saecula, a tot ingenijs, tam diligenter culta, Latine scribendi ratio, quae parentem nostram Italiam nobilitauit, quae tot in nos merita contulit, aetate demum nostra, nisi remedium aliquod diuinitus exstiterit, suam honestatem omnem neglecta prorsus in perpetuum amittat. quod si rebus inclinatis, iā iamq. cadentibus opem ferre quisquam potest; unus est auus tuus, Paullus IIII, Pontifex Max. cuius esse partes uidentur, ut ereptum nobis temporum dicam, an hominum iniuria optimarum artium usum restituat. quem tu quoque finem spectas, ut audio. &, quia recte sentientibus numquam praemia defuerunt; ob eam caussam futurum homines augurantur, ut eius dignitatis, quae summae proxima est, insignia breui omnino consequaris. quod cum euenerit; laetabor primum tua, deinde cōmunium studiorum caussa. qui enim tuos impetus ad laudē nunc uidemus, tuosq. plane sensus intelligimus; an, ubi ad istam uoluntatē auctoritas, atq. opes accesserint, fore dubitemus, ut a te ipso dissentias. Praestabis Alfonse tu quidē alia praeclara, te ipso scilicet digna, tuaq. familia, in qua florere uides heroes permultos, gloria circūfluentes, uirtutis in studio defixos: maxime uero gratiā referes optime de te meritae Latinae linguae, eamq. paullatim Italia edentem, & ad trāsalpinas nationes, magno nostro dedecore, migrantē, in suā sedem, domiciliumq. reuocabis. cuius gloriae caussa, si monendus es, monitorē ad te; sin rogandus, supplicē uolui mittere cōmenta-

rium hunc meum in epiſtolas ad M. Brutum, & ad Q. fratrem: qui cum tibi ſtudia commendat eloquentiae, in quibus ego per tot annos, utinam cum aliqua laude, magno certe cum labore uerſor, commendat ſimul, paullo tamen uerecundius, ſe ipſum, & uigilias meas: quarum fructus mihi erit uberrimus tum beneuolentia, tum iudicium tuum. quaeſiui omnino, idq. mihi primum fuit, poſteritatis utilitatem; quod eſt proprium familiae noſtrae: ſed in te ipſum ſimul, cum huic operam commentario darem, ſpectaui. tu ſi probas ea, quae litteris mandamus; ſi faues induſtriae, optimeq. te eſſe animatum erga mea ſtudia ſignificas: ego me, quae ſumma ſunt, omnia conſecutum putabo. Venetijs. CIↃ IↃ LVII.

EPISTOLARVM
M. TVLLII. CICERONIS
AD
M. IVNIVM. BRVTVM
Brutiq. ad Ciceronem

ARGVMENTVM



Vius libri epistolae quia non ita sunt obscurae, ut interpretationis lumen desiderent, non haerebimus admodum in sententijs: non nulla, ad historiam, aut ad eruditionem quae pertineant; quae, ut extra rem propositam fortasse uideantur, utilitatem tamen aliquam habebunt; persequi, & indagare consilium est. Post interitum C. Caesaris, M. Brutus, qui coniurationis in illum particeps, atque etiam auctor, princepsque fuerat, Cretam prouinciam a senatu accepit administrandam; nec ita multo post, plebis concitatae furorem extimescens, urbe cessit; redituque desperato, cum in Creta non multum neque sibi, neque reip. praesidij putaret esse, intendit animum ad Macedoniam: quam ei Q. Hortensius praetor, Hortensii oratoris filius, facile tradidit. nam Caesar, de Parthica expeditione cogitans, & magistratus in triennium creauerat, & prouincias diuiserat: ex quibus Macedoniam regi a M. Bruto, absoluta praetura, uoluerat. ad eum igitur Macedoniae praefectum Cicero scribit. & sunt etiam ad Ciceronem aliquot, unaq. sane praeclara ad T. Pompeium Atticum, Bruti epistola. Ac sciendum est, scriptos esse a Cicerone, praeter eos, qui nunc exstant, multos praeterea epistolarum libros, ad C. Caesarem iuniorem, ad Pansam, ad Hirtium, ad hunc ipsum Brutum. itaque contenti non fuimus inscriptione uulgata; neque, librum, tantum, sed, librum primum epistolarum ad M. Brutum, inscripsimus. sic enim citari a Nonio animaduertimus; qui librum quoque octauum epistolarum ad eundem nominat.



EPISTOLARVM M . TVLLII . CICERONIS AD M . IVNIVM . BRVTVM BRVTIQ. AD CICERONEM LIBRVM . I.

PAVLLI . MANVTII COMMENTARIVS



Cicero S. D. Bruto 1.



CLODIVS, *tribunus pl. designatus, ualde me diligit, uel, ut ἐμφατικώτερον dicam, ualde me amat. quod cum mihi ita persuasum sit, non dubito, (bene enim me nosti) quin illum quoque iudices a me amari. nihil enim mihi minus hominis uidetur, quam non respondere in amore iis, a quibus prouocere. is mihi uisus est suspicari, nec sine magno quidem dolore, aliquid a suis, uel per suos potius inimicos ad te esse delatum, quo tuus animus a se esset alienior. non soleo, mi Brute, quod tibi notum esse arbitror, temere affirmare de altero. est enim periculosum, propter occultas hominum uoluntates, multiplicesq. naturas. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, indicatum, multa eius indicia, ad scribendum non necessaria. uolo enim hoc testimonium tibi uideri potius, quã epistolam. auctus Antonii beneficio est: eius ipsius beneficii magna pars a te est. itaque eum, saluis nobis, uellet saluum. in eum autem locum rem adductam intelligit, (est enim, ut scis, minime stultus) ut utrique salui esse non possint: itaque nos mauult. de te uero amicissime & loquitur, & sentit. quare, si quis secus ad te de eo scripsit, aut si coram locutus est; peto a te etiam atque etiam, mihi ut potius credas, qui & facilius indicare possim, quam iste nescio quis, & te plus diligo. Clodium tibi amicissimum existima, ciuemq. talem, qualis & prudentissimus, & fortuna optima esse debet. Vale.*

EXPLANATIO

M. Antonio,
P. Cornelio Dolabella, COS.



CICERO *Bruto* } Potest ambigi, patricius, an plebeius fuerit hic Brutus. patricium fuisse, Posidonius philosophus, eumq. secutus Plutarchus contendit: Brurum enim eum, qui reges eiecit, tres filios habuisse, duos, quos participes coniurationis in remp. ultimo supplicio, patre consule spectante, affectos, historiae narrant; tertium, unde Iunia gens propagata est; & a quo M hic Brutus originem duxit. Contra, plebeium ut ut fuisse credamus, Dionysij Halycarnassei facit auctoritas. nam, etsi Plutarchum, pro eo, ac debeo, plurimi facio: tamen Halycarnasseum, qui nititur argumentis, libentius, hac quidem in re, auctorem sequor. Plutarchi est simplex, & nuda narratio. nam illud nescio quid, quod affert ex Posidonio; ipsius Posidonij aetate fuisse Romae praestantes

tes ex ea gente uiros, quorum forma ad similitudinem imaginis accederet illius Bruti, qui ciuitatem dominatu regio liberauit, ita plane nihil est, ut refellendum non existimem. Noster autem Cicero cũ in Philippicis orationibus, & in libro de claris oratoribus dixit idem, quod postea Posidonius, & Plutarchus; potuit id Bruto gratificari; quem cum unice diligebat, tum ad studium libertatis recuperandae facilius impelli posse existimabat, si ab illo Bruto, qui primus Romae iugum seruitutis uirtute depulerat, progenitum ostenderet. Dionysij ratio haec est; eaque, ut mihi uidetur, admodum firma. Si L. ille Brutus, qui libertatem Romae constituit, uirilem stirpem reliquisset; eius posteri patricij fuissent. quod si patricij; consulatum sine dubio multi gessissent. at per annos cc, quod fasti declarant, consul Romae Iunius nemo fuit. nam, quod Scaeuas, & Bubulcos, qui Iunij fuerunt, consules uideas, cc, ut dixi, post reges exactos annis; hoc potius docemur argumento, plebeios fuisse, quam patricios: cum in consulatu collegas habuerint de gente patricia; eo porro tempore consules fuerint, cum eum magistratum duobus patricijs mandari lex Licinia uetaret. Praeterea in eiusdem Dionysij historia tribunum pl. uideo Brutum quendam, plebeiae partis defensorem acerrimum; item alterum in oratione pro Quinctio; quos, ut opinor, de gente Iunia fuisse, nemo negabit; &, plebeios fuisse, ideo putandum est, quod, tribunatum pl. plebeijs tantum hominibus deferri, leges iuberent. Accedit illud, quod nec aediles pl. de patricia gente creabantur. at Festus M. Iunium Brutum aedilem pl. nominat. Liuius sane duos tantum nominat Bruti filios: in quos, coniurationis crimine conuictos, animaduersum est. sed uerbum addit nullum, unde, tertium praeterea Bruti filium fuisse, possit intelligi. Apud Dionem eadem fere, quae apud Liuium, leguntur: ut non facile, utrum senserit, dijudicare liceat. itaque dubitatio ex Dionysio, & Plutarcho, Posidonioque tota nascitur. quanquam ego quidem, cum argumenta illa tria, quae posui, cum animo meo considero, unum, de nullo Iunio per cc annos, post reges eiectos, consule; alterum, de Brutis, quos Dionysius, & Cicero nominant, tribunis pl. tertium de aedile pl. apud Festum: non admodum esse uideo, cur dubitem. & ab eo Bruto, quem contra patres multa pro plebe gessisse Dionysius memorat, potuit M. Brutus, Seruiliae filius, ceterique Bruti eius aetatis ortum trahere: is porro ab aliquo L. Bruti patricij liberto. nam liberti ita familiae nomen assumebant, ut patricij, ab homine patricio manumissi, tamen esse non possent. CLODIVS } cum sit hic Clodius tribunus pl. designatus; quo honore patriciam gentem leges excludebant; ex ijs Clodijs, qui Pulchri, aut ex ijs, qui Nerones cognominabantur, qui utrique patricij fuerunt, esse non potuit. fuit igitur ex Clodijs Marcellis. aut, si Pulchrum, uel Neronem uelis esse, nec tamen patricium; dic, a Pulchrorum, aut Neronum liberto genus duxisse: cum, etsi libertos a gente patricia leges remouerent, eorum tamen posteris aditum ad magistratus darent. TRIBVNVS *pl.* } Non uidetur praetermittendum, quod Plutarchus in libro τῶν προβλημάτων scriptum reliquit, tribunatum pl. magistratum non esse; cum neque purpuram habeat; neque lictoribus utatur; neque sella curuli sedens ius dicat; neque potestatem, creato dictatore, deponat, more omnium magistratuum. Cicero tamen magistratuum appellat in oratione pro P. Quinctio. Et, quod ait Plutarchus de purpura, id refellit idem Cicero pro Cluentio: qui, quo loco de L. Quinctij tribuni pl. intolerabili superbia uerba facit, Vultum, inquit, atq. amictũ atq. illam usq. ad talos demissam purpurã recordemini. DESIGNATVS } designabantur tribuni pl. comitijs tributis: quod institutum est anno ab urbe condita CCLXXXIII, consulibus T. Quinctio Capitolino, Ap. Claudio Sabino: cum ad id tempus comitijs curiatis designati essent. designabantur autem ante consules, ut ex prima epistola ad Atticum satis dilucide patet: & ante eosdem etiam magistratum inibant, nempe IIII id. Dec. quod ex Dionysio, Liuioque planum fit. nam, quod in Pediani libris impressum est, tribunos pl. nonis Dec. magistratum inire solitos; id mendosum esse puto. nam, ut omittam Liuij testimonium, in quo momenti multum statuo esse; Dionysius cum de quarto id. Dec. primo tribunatus pl. die mentionem facit, adiungit illud, μεχρὶ τοῦ νῦν, cum dicat, suis quoque temporibus idem seruari. eoque magis adducor, ut suspicer de mendo; quod, quem locum Ciceronis, qui est in libro secundo in Verrem, Pedianus ibi exponit; in eo Ciceronem de alio magistratu potius, quam de tribunatu pl. locutum esse, facile perspiciet, si quis animum paullo accuratius aduerterit. nam si de tribunatu plebis intellexisset, numquam Sulpicium a Manlio, & Cornificio, quos proximis superioribus uerbis tribunos pl. nominauerat, separasset. nec uero de Sulpicio ullo, nisi patricio, memini me legisse. etiam illud addo. nonis Dec. quo die actum est in senatu de coniuratis, non fuisse M. Catonem tribunum pl. des. patet ex oratione pro Sextio. Hoc satis esse ad hunc locum uidetur: reliqua persequemur in libro de magistratibus. VALDE *me amat.* } sic in epistola ad Dolabellam: Tantum accessit ad amorem, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse. Et ad Appium: Nihil est, quod beneuolentia, uel amore potius effici non possit. A *suis, uel per suos potius* } correctione usus est, ut id ab inimicis Clodij non delatum modo, sed fictum etiam & excogitatum significaret. nam, A *suis*, officium continet deferendi: PER *suos*, fictum ab ipsis, & studiose compositum ostendit. Vel dic subaudiri, scriptum: quod uerbum omiserit Cicero, quia delatum potius, quam scriptum, ab inimicis Clodii uellet ostendere. ut sententia sit haec: scriptum a suis inimicis, uel per eos potius coram tecum esse actum. infra, paullo planius, Si quis, inquit, secus ad te de illo scripsit, aut si coram locutus est. OCCVLTAS *hominum uoluntates, multiplicesque naturas* } eandem fere sententiam translatis uerbis exornat in epistola ad Quinctum fratrem: Multis simulationum inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura. Et in oratione pro Marcello: Cum in animis hominum tantae latebrae sint, tanti recessus. TESTIMONIVM } testes enim dumtaxat ea de re, qua de agitur, testimonium dicunt: cetera tacent. item ego, cum

cum indicia multa ad animum Clodij probandum possim colligere, omittam: de ipsa tantum re, cuius caussa hanc epistolam scripsi, hoc dicam, Clodium de te amicissime & loqui, & sentire. AVCTVS *Antonii beneficio est.* } caussa, cur Antonium Clodius uellet saluum. quia tamen beneficium illud a Bruto simul acceperat; utrumque, si fieri posset, saluum uoluisset: quia non poterat, Brutum malebat. A TE *est*: } quia tu simul cum Antonio beneficium illud in Clodium contulisti. quod autem beneficium hoc fuit? forsitan ipse tribunatus: quem, Antonio consule, & Bruto praetore suffragantibus, obtinere facile potuit. INTELLIGIT } qui Antonium de regno, nos de libertate cogitantes uidet. QVALIS *& prudentissimus*, } qualis debet esse is, qui & prudentissimus, & idem optima fortuna sit. bonos enim ciues diligit, malos odit, qui prudens est: qui uero optima fortuna, mutationem non quaerit: sicuti cōtra, qui fortuna sunt deteriore, uetera odere, noua exoptant, ut ait Sallustius in Catilina. ergo, cum Clodius Antonium saluis nobis uelit saluum; nos tamen mauult; quia distinguit honestum a turpi, propter summam prudentiam; & stabilem remp. cupit, propter optimam fortunam.

Cicero S. D. Bruto. z.

CVM haec scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen; tristes enim de Bruto nostro litterae, nunciique afferebantur. me quidem non maxime conturbabant. his enim exercitibus, ducibusque, quos habemus, nullo modo poteram diffidere. nec assentiebar maiori parti hominum. fidem enim consulum non condemnabam, quae suspecta uehementer erat: desiderabam non nullis in rebus prudentiam, & celeritatem: qua si essent usi, iam pridem remp. recuperassemus. non enim ignoras, quanta momenta sint in rep. temporum; & quid intersit, idem illud utrum ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur. Omnia, quae seuere decreta sunt hoc tumultu, si, aut quo die dixi sententiam, perfecta essent, & non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt ut agerentur, non tardata, & procrastinata, bellum iam nullum haberemus. Omnia, Brute, praestiti reip. quae praestare debuit is, qui esset eo, quo ego sum, gradu senatus populique iudicio collocatus: nec illa modo, quae nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, uigilantiam, patriae caritatem. ea sunt enim, quae nemo est, qui non praestare debeat. ego autem ei, qui sententiam dicat in principibus de rep. puto etiam prudentiam esse praestandam. nec me, cum mihi tantum sumpserim, ut gubernacula reip. prenderem, minus putarim reprehendendum, si inutiliter aliquid senatui suaserim, quā si infideliter. Acta quae sint, quaeque agantur, scio perscribi ad te diligenter. Ex me autem illud est, quod te uelim habere cognitum, meum quidem animum in aciem esse, neque respectum ullum quaerere, nisi me utilitas ciuitatis forte conuerterit: maiores autem partes animi te, Cassiumque respiciunt. Quamobrem ita te para, Brute, ut intelligas, aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem remp. esse faciendam, aut, si quid offensum sit, per te esse eandem recuperandam.

EXPLANATIO

C. Vibio Pansa,
A. Hirtio. COS.

QVAMQVAM nec ita difficiles hae sunt quinque sequentes epistolae, ut interpretationem admodum desiderent; & Carolus Sigonius, uir doctissimus, tum ad eas emendandas, tum etiam ad explanandas industriae plurimum contulit; quaedam tamen attingemus, ne frustra interpretis officium suscepisse uideamur. DISCRIMEN } obsidente M. Antonio D. Brutum Mutinae inclusum. qua de re in epistola ad Cassium, lib. XII. fam. & in omni fere historia. TRISTES } quia, rerum inopia, quibus uita sustentatur, uix iam uideretur obsidionem ferre posse. DVCIBVSQ. } duobus consulibus, Pansa, & Hirtio, & Octauiano: a quibus acie mox uictus est Antonius. SVSPECTA } ob languorem. nā & Q. Cicero sic ad Marcum fratrem de Hirtio, & Pansa scripsit, cum adhuc designati essent: Quos ego penitus noui libidinum, & languoris effeminatissimi animi plenos. qui nisi a gubernaculis recesserint, maximum ab uniuerso naufragio periculum est. AN *post decernatur, suscipiatur, agatur.* } uitiosa compositio. est enim integer uersus hexameter: quod ipse uitandum in Oratore suo monuit. idem peccauit epist. 5. in eo loco, De te etiam dixi tum, quae dicenda putaui. qui est ibi quoque integer hexameter. IS } uir summis perfunctus honoribus. SENATVS } qui Ciceronem saepe decretis honorificentissimis ornauit. POPVLIQ. } in summo dignitatis gradu se Cicero dicit populi iudicio collocatum, quia populi suffragiis honores omnes consecutus erat. SOLA } quia sunt in potestate nostra. non enim ab omnibus prudentia postulatur, quam praestare multi, naturae uitio, non possunt. EGO *autem* } non modo fidem, uigilantiam, patriae caritatem, sed etiam prudentiam praestandam esse puto. CVM *mihi tantum sumpserim.* } cum ad remp. administrandam me contulerim. Si quis enim quid suscipit, nec sustinet; reprehensione uacat. IN *aciem esse*, } uel, In aciem, dixit, ut motum animi sui declararet, quasi, In aciem spectare: uel antiquo more locutus est, In aciem, pro, in acie: ut in oratione pro lege Manilia: Cū nostros portus in praedonum fuisse potestatem sciatis. & Plautus in Amphitr. Mihi in mentem non

fuit. quae notaui: Gellius lib. 1.cap.7.In aciem igitur,in pugnam, quae inter Antonium ducesq. reip. breui futura uidebatur. NEQVE *respectum ullum quaerere,* } neque quoquam respicere. CONVERTERIT } nisi aliquid existat eiusmodi, quo, propter utilitatem reip. animum meum respicere oporteat. TE,*Cassiumq.* } qui,Caesare interfecto,Italia excesserant,copiasq.pro reip. partibus comparabant. C. Cassium cum M.Bruto,uxoris suae fratre,item D.Bruto, & aliis, C.Caesari manus attulisse, nemo nescit. BENE *res gesta* } ad Mutinam. MELIOREM *remp.esse faciendam,* } sic ad Cassium,ep.x.lib.12.Te in Italiam uenire cum exercitu:ut,si haec ex sententia confecta essent,consilio,atque auctoritate tua,sin quid forte titubatum esset, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. SI *quid offensum sit,* } si aduersi quid euenerit:quod dixit ep.6.ad Cassium,lib.xii.

Cicero S. D. Bruto. 3.

PLACI *animum in remp.egregium,legiones,auxilia,copias ex litteris eius. quare exemplum tibi missum arbitror,perspicere potuisti.Lepidi, tu necessarij, (qui,secundum fratrem,affines habet,quos oderit,proximos) leuitatem,& inconstantiam,animumq.semper inimicum reip. iam credo tibi ex tuorum litteris esse perspectum. Nos exspectatio sollicitat, quae est omnis iam in extremum adducta discrimen. est enim spes omnis iam in Bruto expediendo, de quo uehementer timebamus. Ego hic cum homine furioso satis habeo negotij Seruilio: quem tuli diutius,quam dignitas mea patiebatur; sed tuli reip. causa, ne darem perditis ciuibus hominem parum sanum illum quidem, sed tamen nobilem,quo concurrerent: quod faciunt nihilo minus: sed eum alienandum a rep.non putabam.finem feci eius ferendi. coeperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret.In Planci uero caussa exarsit incredibili dolore,mecumq. per biduum ita contendit, & a me ita fractus est,ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore. Atque in hac contentione ipsa, cum maxime res ageretur ad v. id. April. litterae mihi in senatu redditae sunt a Lentulo nostro,de Cassio, de legionibus,de Syria: quas statim eum recitauissem, cecidit Seruilius, complures praeterea. sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt. sed acerbissime tulit Seruilius,assensum esse mihi de Planco. Magnum illud monstrum in rep. est, sed quo* *

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

PLANCI } L.Munatij Planci,ad quem scripsit Cicero lib.x.fam. EGREGIVM, } ut litteris ostendebat:nam postea defecit ad Antonium. LEGIONES, } ueteranas tres,tironum unam.ep.xxiv.lib. x.fam. AVXILIA, } Gallorum. COPIAS, } quidquid habet copiarum,sic ep. 6. Exercitum, copias, legiones. LEPIDI } M.Aemilij Lepidi: de quo Velleius haec lib. 2. Lepidus Pontifex Max. in locum Caesaris furto creatus,decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur. TVI *necessarii,* } M.Bruti sororem in matrimonio habebat. SECVNDVM *fratrem,* } post fratrem. sic ad Atticum: Secundum te nihil mihi est solitudine amicius.Lepidi frater fuit L. Paullus, qui consulatum cum C. Marcello gesserat.mox a fratre ad necem traditus,societate a triumuiris perdendae reip.facta. Plutarchus in Antonio. AFFINES } te,& C.Cassium.Bruti enim sorores duae altera Lepido, altera Cassio nupserat. LEVITATEM,*& inconstantiam,* } prodita rep.ad Antonium desciuerat. quod factum excusare ipse conatur ep. ultima lib.x.fam.Eius uidelicet ingenium probe nouerat D.Brutus,qui eum appellauit hominem uentosissimum,ep.9.lib.xi.fam. EXPEDIENDO, } obsidione liberando. SERVILIO } qui consul fuerat cum C.Caesare. NOBILEM } gestis honoribus. NEMINEM *liberum duceret.* } omnes, tanquam seruos,con temneret. IN *Planci caussa* } hac de re in ep.12.lib.x.fam. A LENTVLO *nostro,* } is est,cuius epistolae duae sunt lib.xii.fam.post hoc tempus conscriptae. DE *legionibus,de Syria,* } Cassius & legiones cōparauerat,& Syriam ad reip.partes traduxerat. CECIDIT } fracto animo, utpote qui Antonio faueret. ASSENSVM *esse mihi* } de Planco ornando,quia scripserat ad senatum,se,& exercitum suum praesto ad omnia pro libertate reip.futurum.ep.8.& 12.lib.x.fam. SED *quo* } mutilus locus.

Brutus S. D. Ciceroni 4.

LITTERAS *tuas ualde exspecto, quas scripsisti post nuncios nostrarum rerum,& de morte Trebonij. non enim dubito, quin mihi consilium tuum explices. Indigno scelere & ciuem optimum amisimus, & prouinciae possessione pulsi sumus: quam recuperari facile; est neque minus turpe,aut flagitiosum erit,post recuperari. Antonius adhuc est nobiscum: sed mediusfidius & moueor hominis precibus;& timeo,ne illum aliquorum furor excipiat. plane aestuo. quod si scirem, quid tibi placeret: sine solicitudine essem id enim optimum esse, persuasum esset mihi. quare quamprimum fac me certiorem, quid tibi placeat. Cassius noster Syriam,legiones Syriacas habet, ultro quidem a Murco, & a Marcio, & ab exercitu ipso accersitus. Ego scripsi*

psi ad Tertiam sororem, & ad matrem, ne prius ederent hoc, quod optime ac felicissime gessit Cassius, quam tuum consilium cognouissent, tibiq. uisum esset. Legi orationes duas tuas, quarum altera kalendis Ian. usus es, altera de litteris meis, quae habita est abs te contra Calenum. nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem. Nescio, animi, an ingenij tui maior in his libellis laus contineatur. Iam concedo, ut uel Philippici uocentur: quod tu quadam epistola iocans scripsisti. Duabus rebus egemus Cicero, pecunia, & supplemento: quarum altera potest abs te expediri, ut aliqua pars militũ istinc mittatur nobis, uel secreto consilio aduersus Pansam, uel actione in senatu; altera, quae magis est necessaria, neque meo exercitui magis, quam reliquorum. Hoc magis doleo, Asiam nos amisisse: quam sic uexari a Dolabella audio, ut iam non uideatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonij. Vetus Antistius me tamen pecunia sublenauit. Cicero filius tuus sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus numquam dimittere uideatur cogitationem, cuius sit filius. Quare, quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui tibi est carissimus; illud tribue iudicio meo ut tibi persuadeas, non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos. Kalendis Apr. Dyrrhachio.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

NOSTRARVM *rerum*, } quas ipse, & Cassius gesserant, traductis ad se magnis copiis, capto etiam C. Antonio, Marci fratre. Plutarchus, Appianus, Dio. DE *Morte Trebonij*, } post nuntios de morte Trebonii, quem Dolabella Smyrnae occiderat, eiusq. prouinciam occuparat. CONSILIVM *tuum* } dimittendus ne sit an retinendus C. Antonius: de quo etiam paullo post subiungit haec: si scirem, quid tibi placeret: sine solicitudine essem. tum a Bruto captum, & Plutarcho, alijsq. constat. SCELERE } Dolabellae. CIVEM *optimum* } C. Trebonium. PROVINCIAE } Asiae, quam senatus Trebonio administrandam dederat. epist. 16. lib. XII. NEQVE *minus turpe*, } hoc uidetur dicere: non minus turpe erit, Asiam sero a nobis recuperari, quam turpe fuit eam amitti. ANTONIVS } Caius, Marci frater, qui anno superiore praetor fuerat. ADHVC } apparet, de eo iam antea Brutum ad Ciceronem scripsisse. PRECIBVS, } cum oraret Antonius Brutum, ut se dimitteret. NE *illum aliquorum furor excipiat* } ne illum, alienarum a me dilationibus meis, ducem sibi libenter arripiant male de rep. sentientes: quorum furori aptam occasionem dare nollem. AESTVO } inopia consilii laboro; usitatus loquendi modus. A *Murco, & a Marcio*, } Cassius ipse in epistola ad Ciceronem, quae lib XII. fam. legitur Murcum, Crispum, Bassum, Allienum nominat, a quibus traditas sibi legiones dicit. Marcii mentionem nullam facit. TERTIAM } Cassii uxorem: quam cum matre Seruilia a C. Caesare stupratam Suetonius, & alii tradiderunt. EDERENT } diuulgarent. Hoc } Syriacas legiones ad Cassium iuisse. KAL. *Ian.* } Philippica V. significatur. DE *litteris meis*, } Philippica X. ANIMI } quia caussam reip. acriter, & libere defendas. LIBELLIS } liber interdum pro oratione accipitur, ut hic, alibi quoque. IAM *concedo*, } quasi antea non concessisset: quod arrogantia quaedam uideretur, eodem nomine eas orationes appellare, quo suas in Philippum Demosthenes appellauerat. ADVERSVS *Pansam* } consulem: qui discedere ex Italia milites nolebat, quo maiores ipse copias, cum Antonio, Mutinam obsidente, pugnaturus, habere posset. epistola sequenti. ACTIONE *in senatu*: } hoc opponitur ad id, quod proxime dixit, secreto consilio. nam, agere in senatu, est palam agere. RELIQVORVM } hic aliquid desideratur: quod quale fuerit, diuinare non licet. hoc tantum dicam, cum hac sententia non uideri satis congruere quae subsequuntur, Hoc magis doleo &c. sed illud aptius coniungi posse, Vetus Antistius me tamen pecunia subleuauit. totum autem illud, Hoc magis doleo, &c. inferius collocandum, absoluta iam pecuniae mentione. VETVS } cognomen est, non praenomen Antistii. nam & cognomina interdum praeponuntur, ut, Crispus Sallustius, Paullus Aemilius, Gallus Caninius. PECVNIA } uicies HS Bruto dedit. ep. 15. & Plutarchus in Bruto. MIHI *se probat* } coniunxerat se Ciceronis filius cum Bruto Plutarchus. ANIMI *magnitudine*, } ab hoc Cicerone uictum proelio C. Antonium, ait Plutarchus. NON *fore illi abutendum gloria tua*, } non necesse futurum, ut quo possit ad paternos honores peruenire, tua gloria potius, quam sua uirtute nitatur.

Cicero S. D. Bruto. 5.

DATIS *mane ad III. id. Apr. Scaptio litteris, eodem die tuas accepi kalendis Apr. Dyrrhachio datas, uesperi. itaque mane prid. id. Apr. cum a Scaptio certior factus essem, non esse eos profectos, quibus pridie dederam, & statim ire, hoc paullulũ exaraui ipsa in turba matutinae salutationis. De Cassio laetor, & reip. gratulor, mihi etiam qui, repugnante, & irascente Pansa, sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur, & quidem audacter dicebam, sine nostro. S. C. iam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum, quae dicenda putaui. Haec ad te oratio perferetur: quoniam te uideo delectari Philippicis nostris. Quod me de Antonio consulis: quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex his litteris*

ris, quam mihi misisti, Dolabella Asiam uexare uidetur, & in ea se gerere taeterrime. compluribus autem scripsisti, Dolabellam a Rhodijs esse exclusum. qui si ad Rhodum accessit, uidetur mihi Asiam reliquisse. id si ita est, istic tibi censeo commorandum: sin eam semel coepit; mihi crede, non erit, at in Asiam censeo persequendum. nihil mihi uideris hoc tempore melius acturus. Quod egere te duabus necessarijs rebus scribis, supplemento, & pecunia: difficile consilium est. non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te posse uideam, praeter illas, quas senatus decreuit, ut pecunias a ciuitatibus mutuas sumeres. De supplemento autem non uideo quid fieri possit. tantum enim abest, ut Pansa de exercitu suo, aut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam moleste ferat, tam multos ad te ire uoluntarios: quo modo equidem credo, quod his rebus, quae in Italia decernũtur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur: quo modo autem multi suspicantur, ne te quidem nimis firmum esse uelit, quod ego non suspicor. Quod scribis te ad Tertiam sororem scripsisse, ut ne prius ederent ea quae egesta a Cassio essent, quam mihi uisum esset: uideo te ueritum esse id, quod uerendum fuit, ne animi partium Caesaris, quo modo etiã nunc partes appellantur, uehementer commouerentur. sed ante quam tuas litteras accepimus, audita res erat, & peruulgata. tui etiam tabellarij ad multos familiares tuos litteras attulerant. quare neque supprimenda, res erat, praesertim cum id fieri non posset: neque, si posset, non diuulgandũ potius. quam occultãdum, putaremus. De Cicerone meo, &, si tantum est in eo, quantum scribis, tantum scilicet quantũ debeo, gaudeo: &, si, quod amas eũ, eo maiora facis; id ipsum incredibiliter gaudeo, a te eũ diligi.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

SCAPIO } duos Scaptios, Bruti familiares, nominat Cicero in ep.i.& 3.lib.VI. ad Att. EXARAVI } exarare, est raptim scribere. LAETOR, } quod Syriam, & Syriacas habeat legiones. IRASCENTE *Pansa,* } de hoc in epistola 7.lib.XII.fam. SINE *nostro* s.c. } sic ad Cassium, in epist.7. libro XII. fam. Promisi, & prope confirmaui, te non exspectasse, nec exspectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more remp. defensurum. DE *te etiam dixi tum, quae dicenda putaui.* } integer exameter, ut ep.2. quod ibi notauimus. HAEC *ad te oratio perferetur* } Philippica IX. DE *Antonio* } de Caio. epistola superiore. BRVTI } Decimi. EXITVM } utrum, uicto Antonio, seruetur Brutus; an aduersi quid eueniat. FACVLTATES, } rationes pecuniae colligendae. DECERNVNTVR, } decernebatur de utroque consule aduersus Antonium mittendo, ut D. Brutus obsidione liberaretur. NVLLAS *copias nimis magnas* } quia cum firmissimo, & maximo Antonii exercitu confligendum erat. NE *te quidem* } quod ne te quidem, non modo Antonium, nimis firmum esse uelit. ETIAM *nunc partes appellantur,* } Caesare interfecto, caussam tamen eius contra libertatem tuebantur multi. NEQVE, *si posset, non diuulgandum potius,* } &, si posset, diuulgandum potius.

Cicero S. D. Bruto. 6.

QVAE litterae tuo nomine recitatae sunt idibus Apr. in senatu, eodemq. tempore Antonij, credo ad te scripsisse tuos: quorum ego nemini concedo: sed nihil necesse erat eadem omnes. Illud necesse, me me ad te scribere, quid sentirem de tota cõstitutione huius belli, & quo iudicio essem, quaq. sententia. Voluntas mea, Brute, de summa rep. semper eadem fuit, quae tua; ratio quibusdam in rebus, non omnibus, paullo fortasse uehementior. Scis mihi semper placuisse, non rege solum, sed regno liberari remp. tu lenius, immortali omnino cũ tua laude: sed, quid melius fuerit, magno dolore sensimus, magno periculo sentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem, quae oratione confici non poterant: ego omnia ad libertatem, quae sine pace nulla est: pacem ipsam bello, atq. armis effici posse arbitrabar. studia non deerant arma poscentium: quorum repressimus impetum, ardoremq. restrinximus. itaque res in eum locum uenerat, ut, nisi Caesari Octauiano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis, & turpissimi M. Antonij ueniendum fuerit, quo cum, uides, hoc tempore ipso quod sit, quantumque certamen. id profecto nullum esset, nisi tum conseruatus esset Antonius. Sed haec omitto. res enim a te gesta memorabilis & paene caelestis, repellit omnes reprehensiones; quippe, quae ne laude quidem satis idonea affici possit. Extitisti nuper uultu seuero: exercitum, copias, legiones idoneas per te breui tempore comparasti. Dij immortales, qui ille nuncius, quae illae litterae, quae laetitia senatus, quae alacritas ciuitatis erat? nihil umquam uidi tam omnium consensione laudatum. Erat expectatio reliquiarũ Antonij, quem equitatũ, legionibusq. magna ex parte spoliaras. ea quoq. habuit exitum optabilem. nam tuae litterae, quae recitatae in senatu sunt, & imperatoris, & militum uirtutem, & industriam tuorum in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset de his litteris referri; & nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansae consulis incidissent, honos quoq. iustus, & debitus dijs immortalibus, decretus esset. Ecce tibi idibus Ap. aduolat mane celer Pilus, qui uir, dij boni, quam grauis, quam constans, quam bonarũ in rep. partium? hic epistolas affert duas. unam tuo nomine, alterã Antonij. dat Seruilio tribuno pl. ille Cornuto: recitantur in senatu. ANTONIVS PROCOS. magna admiratio, ut si esset recitatum, Dolabella imperator: a quo quidem uenerat tabellarij, sed nemo Pili similis, qui proferre litteras auderet, aut magistratibus reddere. Tuae recitantur, breues illae quidem, sed in Antonium admodum lenes. uehementer admiratur senatus. mihi autem non erat explicatum, quid agerem. falsas dicerem? quid, si tu eas approbasses? confirmarem?

non erat dignitatis tuae. itaque ille dies silentio. Postridie autem, cum sermo increbuisset, Pilusque oculos uehementius hominum offendisset, natum omnino est principium a me. de proconsule Antonio multa. Sextius caussae non defuit post me, cum, quanto suum filium, quanto meum in periculo futurum, diceret, si contra proconsulem arma tulissent. nosti hominē: caussae non defuit. dixerunt etiam alij. Labeo uero noster nec signum tuum in epistola, nec diem appositum, nec te scripsisse ad tuos, ut soleres. hoc cogere uolebat, falsas litteras esse. &, si quaeris, probabat. Nunc tuum est consilium, Brute, de toto genere belli. uideo te lenitate delectari, & eum putare fructum esse maximum. praeclare quidem, sed alijs rebus, alijs temporibus locus esse solet, debetq. clementiae. nunc quid agitur Brute? templis deorum immortalium imminet hominum egentium & perditorum spes, nec quidquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus, necne. cui parcimus? aut quid agimus? his ergo consulimus, quibus uictoribus uestigium nostrum nullum relinquetur? nam quid interest inter Dolabellam, & quemuis Antoniorum trium? quorum si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Haec ut ita sentiret senatus, populusq. R. & si res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio, atque auctoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam. neque dissolutum a te quidquam homines exspectant, nec crudele. huius rei moderatio facilis est, ut in duces uehemens sis, in milites liberalis. Ciceronem meum, mi Brute, uelim quam plurimum tecum habeas. uirtutis disciplinam meliorem reperiet nullam, quā contemplationem, atq. imitationē tui. XVI. kal. Mai.

SCRIPTA, & obsignata iam epistola, litterae mihi redditae sunt a te, plenae rerum nouarum, maxime que mirabiles; Dolabellam quinque cohortes misisse in Cherrhonesum. adeo ne copijs abundat, ut is, qui ex Asia fugere dicebatur, Europam appetere conetur? quinque autem cohortibus quidnam se facturum arbitratus est, cum tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes? quas quidem cohortes spero iam tuas esse, quoniam latro ille tam fuit demens. & tuum consilium uehementer laudo, quod non prius exercitum Apollonia, Dyrrhachioq. mouisti, quam de Antonij fuga audisti, Bruti eruptione, populi R. uictoria. itaque quod scribis, postea statuisse te, ducere exercitum in Cherrhonesum, nec pati sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium populi R. facis ex tua dignitate, & e rep. Quod scribis de seditione, quae facta est in legione quarta de Antonijs: quod dicam, in bonam partem accipias: magis mihi probatur militum seueritas, quam tua. Te beneuolentiam exercitus, equitumq. expertum esse, uehementer gaudeo. De Dolabella, ut scribis, si quid habes noui, facies me certiorem. in quo ualde delector, me ante prouidisse, ut tuum iudicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi: & id ualde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad remp. ut nunc iudico, ad dignitatem tuam. Quod scribis, me maximo otio egisse, ut insectarer Antonios; idq. laudas; credo ita uideri tibi: sed illam distinctionem tuam nullo pacto probo. scribis enim, acrius prohibenda bella ciuilia esse, quam in superatos iracundiam exercendam. uehementer a te Brute dissentio: neque clementiae tuae concedo: sed salutaris seueritas uincit inanem speciem clementiae. quod si clementes esse uoluerimus, numquā deerunt bella ciuilia. sed de hoc tu uideris. de me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo: Mihi quidem aetas acta ferme est; tua istuc refert maxime. opprimemini, mihi crede, Brute, nisi prouideritis. neque enim populum semper eundem habebitis, neque senatum, neque senatus ducem. haec ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta. nihil potest esse uerius. XIV. kal. Mai.

EXPLANATIO

ANTONII } C. Antonij, qui erat in Bruti potestate. NEMINI *concedo*: } in te amando. EADEM *omnes* } scribere. QVAE *tua*; } defendendam libertatem aeque sensimus, ego fortasse paullo seuerius. SED *regno* } ad Cassium, ep. I. lib. XII. fam. Non regno, sed rege liberati uidemur. interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. tabulae figuntur: immunitates dantur: pecuniae maximae describuntur: exsules reducuntur: s. c. falsa referuntur. MAGNO *dolore* } ob ea, quae consul fecit Antonius. MAGNO *periculo* } ob Mutinae obsidionem. qua si potiretur Antonius, ad urbem se cum omnibus copijs hostili animo referret. RECENTI *illo tempore*, } statim post Caesaris necem. AD *pacem* } conserebas. ideo, neminem praeterea necandum, censebas. AD *libertatem*, } cum agenda omnia dicerem, ut, rege sublato, etiam regno liberaremur: itaque Antonium, quique cum eo contra libertatem sentirent, armis esse persequendos. QVAE *sine pace nulla est*: } itaque, quod ad studium pacis attinet, minime a te dissentiebam: sed in pacem sine armis effici posse sperabas, ego secus. ARMA *poscentium*; } fortium, & bonorum ciuium. RESTINXIMVS. } non hoc de seipso dicit, qui pacem sine armis effici non posse duxerat. sed de iis, qui Bruti sententiam secuti, impetum pugnare cupientium repressérant. ITAQVE } culpam notat eorum, qui studio pacis in summum discrimen remp. adduxerant. CAESARI *Octauiano* } qui nisi fuisset, Antonii reditus a Brundisio, unde se cum Macedonicis legionibus referebat, pestis patriae fuisset. epist. 25. lib. XII. fam. & Philippica III. V. VI. XIII. XIV. ad Atticum epist. 7. libro XVI. & hic epist. 7. & in historiis. ILLAM *mentem* } ut Antonium ab urbe auerteret. RES *a te gesta* } cum tyrannum occidisti. REPELLIT *omnes reprehensiones*; } est enim tanta, ut nihil nobis a te postea praetermissum, liceat reprehendere. NVPER } quod antea non feceras: qui conseruari Antonium uolueras. VVLTV *seuero*, } anteà leniter agebas: nuper autem consilio mutato, seuerum uultum ostendere coepisti. ANTONII } C. Antonii. EXITVM *optabilem*. } cum se Bruto omnes plane C. Antonii copiae cum ipso duce dedidissent. CICERONIS *mei*, } pugnasse Ciceronis filium cum C. Antonio, & uicisse, Plutarchus narrat. RE-

FERRI }

FERRI } ad senatum. a quo autem referri, cum abessent ambo consules, ad D. Brutum obsidione liberandum profecti, a praetore urbano, qui, absentibus consulibus, consulare munus more maiorum susti nebat; ut ep.12.lib.x.fam. TEMPVS *turbulentissimum* } cum inter Antonium & duces reip. pugna exspectaretur, D. Bruto uix iam Mutinae sustinente. HONOS } supplicationes significari constat. IVSTVS, } quia rem supplicationibus dignam gessisses. DIIS *immortalibus* } quorum ad templa, gratias acturus pro re bene gesta, supplex populus accedebat. ep.18.l.xi. Tuo, inquit, nomine gratulationem ad omnia deorum templa fecimus. ECCE *tibi* } Tibi, ornatus gratia, posuit, ut alibi saepe. Sic, At tibi, dixit, epist. 2.lib.9.fam. SERVILIO } M.Seruilio, de quo ep.7.lib.xii.fam. CORNVTO } praetori urbano, de quo ep.12.lib.x.fam. MAGNA *admiratio*, } nam si proconsul C.Antonius, cur aduersus eum pugnauit Brutus? sin recte Brutus; cur proconsul Antonius uocetur? DOLABELLA *imperator*: } qui Trebonium occiderat. nec enim, qui remp. oppugnant, ullo honore digni sunt. ANTONIVM } eundem Caium significat. DIGNITATIS *tuae* } quia, si proconsul est Antonius; tantum abest, ut laudandus sis, ut etiam reprehendendus, quod contra proconsulem arma ceperis. INCREBVISSET } de inscriptione illa, Antonius proconsul. OFFENDISSET; } quia litteras C. Antonii cum illa inscriptione attulisset. MVLTA } dixi, cur illa mihi non probaretur inscriptio. SEXTIVS } P.Sextius, pro quo exstat Ciceronis oratio. CAVSSAE } caussam appellat id, quod agitur, ut alibi quoque. SVVM *filium*, } qui erat in castris Bruti. LABEO } Seguliae gentis cognomen. COGERE } exprimere, obtinere. PROBABAT. } quod alibi dicit, fidem facere, pro, persuadere. CVI *parcimus*? } Bruti consilium reprehendit, qui C.Antonio parcendum putabat. NAM *quid interest* } aeque hostes reip. sunt tres Antonii fratres, Marcus, Caius, Lucius, ut Dolabella, quem bello persequendum statuimus. DVRI *fuimus* } cum eum, tamquam hostem, armis persequendum decreuimus. RES *ipsa* } quia tum a Dolabella, tum a tribus Antoniis imminere summum reip. periculum omnes uidebant. AVCTORITATE } auctoritas est opinio quaedam sapientiae, atque uirtutis, aetate, rebus gestis, honoribusq. parta. DEFENDAM } amicitiae caussa. NON *relinquam meam*. } quia meliorem puto. DISSOLVTVM } nimiam clementiam, reip. periculosam, cui dixit iam non esse locum his rebus, & his temporibus. INDVCES } C. Antonium, qui uenerat in Bruti potestatem, significat. VEHEMENS } acrior. laudat moderationem, sed ita, ne ducibus parcatur: ut moderatio sit, quod ad milites tantum, qui se dediderant, pertinet, quibus ignoscendum censet. nam ducibus, qui nefarium bellum comparauerint, parcendum negat. IMITATIONEM *tui*. } sic ad Lentulum, ep.7.lib.1. fam. Lentulum nostrum in primis imitatione tui fac erudias. nulla enim erit hac praestantior disciplina. MAXIMEQ. *mirabiles*. } litterae mirabiles, mihi quidem non ualde satisfacit, nec usitatum puto. quod si, Litterae plenae rerum nouarum, maximeq. mirabilium, legas; tum uero non loquendi modo genus, uerum ipsa quoque sententia mirifice satisfaciet. Ac uideo ita scriptum esse in libro Paulli Manutii: quo in libro solebat ille (quod ex ipso, cum uiueret, audierim) miniatulis litteris ea notare, quae in antiquis exemplaribus, contra quam esset in impressis, animaduerterat. DOLABELLAM } P.Cornelius Dolabella Ciceronis antea gener, cum aliquandiu bonum ciuem simulasset, ut etiam columnam illam, Caesari erectam, euerteret; ad extremum, corruptus ab Antonio, reip. caussam deseruit; &, Syriae administratione a populo accepta, uictus a Cassio, & Laodiceae oppressus, seruo suo ceruicem feriendam praebuit. Haec ex historia. quae auctoritatibus singula confirmare, putidum uidetur. Vnum addam, patricius fuerit, an plebeius, in dubium uocari posse. uerum dubitationem prorsus omnem tollit Dio; qui, transisse illum ad plebem, lib.42. tradit. Suspicari fortasse aliquis posset, Dolabellam ex Cornelio Liuium esse factum, mutato gentis nomine Liuiae testamento; qua de re in epistola ad Atticum 8.lib.7. ideoq., cum Liuij essent plebeij, tribunum pl. fieri potuisse. sed inuenio illum Cornelium, non Liuium, aliquot annis post epistolam illam a Cicerone de Liuiae testamento scriptam. nam epist.36.lib.xiii.P.Cornelium uocari dicit eum, qui Dolabellae beneficio ciuitate a Caesare, uicto iam Pompeio, donatus erat. & Dio eo, quo diximus, loco, P.Cornelium Dolabellam, neque praenomine, neque nomine, neque cognomine immutato, tribunum pl. appellat. ut fortasse a Cornelio aliquo sit adoptatus. EX *Asia fugere* } ex Asia cedentem Dolabellam, & in urbem Laodiceam receptum, C.Cassius, cui Dolabellae oppugnandi curam senatus mandauerat, cum xii. legionibus obsedit. Appianus. CVM *tu eo* } dictum paullo durius uideri potest: cum neque Cicero ipse eodem modo locutus alibi sit, neque quisquam, quod sciam, de ijs, qui optime Latine scripsisse existimantur. at si, Eo haberes, ita accipias, quasi, prope eum locum haberes; ferri fortasse posset: ut genus loquendi, quale illud, sit, cum dicebant, Esse ad urbem, hoc est esse prope urbem. APOLLONIA, *Dyrrhachioq.* } ubi suas copias eo consilio Brutus continuerat, ut, si forte Antonius ad Mutinam exercitum reip. fugasset, quamprimum eas in Italiam ad tuendam remp. posset traijcere. ANTONII } Marci; quem D.Brutus Mutina, ubi ab eo per aliquot menses obsessus fuerat, erumpens, & cum eo Pansa, & Hirtius consules, adhibito Octauiano, acie fuderunt. POPVLI *Romani uictoria* } ciuis enim loco Antonius non erat, hostis iam a senatu iudicatus. SCELERATISSIMO *hosti* } Dolabellam quoque senatus in hostium numerum retulerat. itaque cum dixerit, Hosti, uere dixit: cum, Sceleratissimo, deprompsit maledictum ex ipsius pessime factis, ac praecipue ex C.Trebonii caede; quem Smyrnae, noctu subito aduentu oppressum, occiderat. infra quoque scelus ei attribuit, cum ait: Vt sceleris poenas persoluat. LVDIBRIO } qui se putaret cum quinque legionibus populi Romani imperium turbare posse. TVA *dignitate*, } dignitas est in ijs, qui uel summos magistratus administrarunt, uel maximas res pro patria gesserũt. primũ illud, ut opinor, Cic. nõ spectauit, cũ dixit, dignitas: quos. n. magistratus Brutus gesserat?

ferat? praeturam ille quidem, sed & a Caesare datam, nec tamen omnem in ciuitate. nã post idus Martias, paucis interiectis diebus, metu Antonij, plebisq. ab eo concitatae, urbe excessit: ut per nouem menses integros minime praeturam in urbe exercuerit. alterum igitur, de meritis in remp. significasse potius uidetur, cum eius, qui ciues suos a tyrannide uindicasset, dignitas postularet, ut idem hostem populi Romani bello peteret. DE *Antonijs* } illam seditionem concitauit C. Antonius Marci frater, cum esset in potestate Bruti. itaque explano, De Antonijs, de partibus Antonianorum fratrum subleuandis. Quod autem infert, Magis mihi probatur militum seueritas, quam tua; significat id, quod a Dione scriptum legimus; cum milites ipsi, qui seditionem fecerant, ut delictum suum quodam modo corrigerent, seditionis auctores occiderunt, quaestoremq. etiã & legatos C. Antonij ad necem depoposcerunt: quos Brutus, ad clementiam magis, quam ad seueritatem, propensus, nauibus impositos, quasi mox mari demersurus, male de se meritos tamen seruauit: ipsiq. etiam Antonio, cuius opera bis iam conflata seditio erat, iterum pepercit. Miror autem, quid sibi uoluerint, qui hoc loco pro Antoniis Catonios, & nullo sensu, & contra ueterum librorum fidem, reposuerunt. BENEVOLENTIAM *exercitus*, } Credo, cum auctores seditionis occiderunt, quo beneuolentiam erga Brutum declararent. PROVIDISSE } operam dedisse, & a senatu impetrasse, ut decreta nostra ne exspectares, ipse ad arbitrium tuum, uti res poscere uideretur, bellum administrares. VT *nunc indico*, } quia uideo, ex ijs rebus, quas geres, multum accessurum ad dignitatem tuam. tunc id esse e rep. intelligebam, nunc e tua etiam dignitate iudico futurum; cũ ita te & copijs instructum, & animo paratum uideam, ut & remp. in libertatem uindicare, & te ipsum laudibus illustrare possis. MAXIMO *otio* } ita ueteres libri, sine dubio mendose. quid enim elicitur sententiae? ego mallẽ, Maximo animo, non omnino procul a uetere scriptura. nam si, animo, tribus dumtaxat litteris linea superimposita, scribas, sic, aĩo; neque contra consuetudinem facias, & facilem fuisse ex, animo, in, otio, mutationem, facile perspicias. ANTONIOS, } tres fratres, Marcum, Caium, Lucium: qui ut hostes a senatu iudicarentur, maxime Ciceronis opera est perfectum. NEQVE *clementiae tuae concedo*. } neque concedo, clementior ut ipse sis, quam ego sum. INANEM *speciem* } est enim clementia specie quidem praeclara, sed re ipsa nonnumquam perniciosa. qui enim ita sunt perditi, ut ne beneficio quidem affecti prauitatem mentis exsuere possint, praestat eos tollere, quam seruare. Brutus tamen, cum C. Antonio de concitata seditione pepercisset, iterum ei, in eiusdem culpae crimine deprehenso, ueniam tribuit. MIHI *quidem &c.* } quod in epistola ad Atticum Graece dixit, βεβίωται; hic Latine, Plautinis uerbis, acta aetas est. & inter illum locum, & hunc aliquantum est in sententia similitudinis. ibi enim, Mihi quidem βεβίωται; uiderint iuuenes: hic,

,, Mihi quidem aetas acta ferme est, tua istuc refert maxime.

emendandi autem sunt, qui typis impressi circumferuntur, Plautini libri. nam, ut in ijs nunc omnibus legitur,

Mihi quidem aetas acta est; tua istuc refert maxime; uersus neque iambicus esse, neque trochaicus potest. itaque dictio, ferme, illuc est ex hoc Ciceronis loco transferenda. SENATVS *ducem* } se ipsum designat: cuius fuit in senatu singularis auctoritas. Ex *oraculo* } uere. nam, ut Cicero futurum prouidit, ita cecidit. in quo singularem illius prudentiam licet agnoscere. Caussae autem, in quas intuens mouebatur, ut assiduis, & in eam sententiam accuratissime scriptis litteris Brutum in Italiam accerseret, huiusmodi ferme erant. Imminebat M. Antonius libertati, pecunijs, quas de templo Opis abstulerat, & legionibus, quas e Macedonia in Italiam euocauerat, instructus. praesidium reip. in quattuor maxime hominibus erat, in D. Bruto, qui Galliam cisalpinam, a senatu datam, administrabat; in adolescente Octauiano, qui priuato consilio exercitum comparauerat; in consulibus, Pansa, & Hirtio, qui, delectu acerrime habito, eas collegerant copias, quae ad impetus Antonij reprimendos sufficere uideretur. Quid igitur erat, cur Brutum Cicero, quasi publicae caussae diffidens, tam saepe, tamq. uehementer, ut in Italiã ueniret, hortaretur? Primum incertos belli casus, Martemq. communem extimescebat: itaque, si quid accideret, adesse Brutum, quo ciuitas, perditis rebus, tamquam ad arcem, confugeret, exoptabat. deinde non admodum erat, cur ab ipsis ducibus confideret. D. Brutus bene ille quidem de rep. sentiebat; nec erat quidquã de illius uoluntate dubitandũ: sed eius exercitus etsi numero amplissimus, firmitate tamen erat exiguus; quippe qui magnam partem ex tironibus constaret. tres reliqui suspecti esse poterant, Octauius, quod esset a C. Caesare adoptatus, quodq. ueteranis fere Caesaris militibus uteretur; Pansa & Hirtius, quod Caesarianas partes ciuili bello semper fouissent, & a Caesare magnis beneficijs ornati, percussores illius Brutum & Cassium, libertatis auctores, nequaquam amare possent. atque hanc animi uoluntatem Pansa, diuturna simulatione obtectam, aperuit ultimo uitae die; cum ex illis uulneribus iam iamq. moriens, quae aduersus Antonium pugnans accepisse pro rep. ac libertate uidebatur, Octauium, lectulo assistentem, multis uerbis est cohortatus, ut, quoniam, quidquid resp. uirium habuerat, totum id ad ipsum unũ, profligato Antonio, consulibus interfectis, infirmo D. Bruti exercitu, belli fortuna contulisset, occasione uteretur, & de patris ulciscenda nece consilium susciperet. Siue igitur Antonius uicisset, praecauendum erat, ne uacuam ac destitutam in remp. uictor irrueret: quod malum Bruti praesentis exercitus arcere poterat: siue, ut uinceretur, casus tulisset, id ipsum plane, quod euenit, Cicero metuebat; ne non satis in ijs esset constantiae, ac fidei, quibus ipsa se resp. necessitate coacta commiserat. Vere igitur dixit, Haec ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta. aduentum enim suum in Italiam Brutus ita distulit, ut spatium Antonio & Octauio dederit coeundae in publicam perniciem societatis.

Cicero

Cicero S. D. Bruto 7.

NOSTRAE *res meliori loco uidebantur, scripta enim ad te certo scio, quae gesta sunt. Quales tibi saepe scripsi, consules tales exstiterunt. Caesaris uero pueri mirifica indoles uirtutis. utinam tam facile eum florentem & honoribus, & gratia regere, ac tenere possimus, quã facile adhuc tenuimus. est omnino illud difficilius: sed tamen non diffidimus. persuasum est enim adolescenti, & maxime per me, eius opera nos esse saluos, & certe, nisi is Antonium ab urbe auertisset, periissent omnia. triduo uero, aut quatriduo ante hanc rẽ pulcherrimam, timore quodam perculsa ciuitas tota ad te se cum coniugibus, & liberis effundebat: eadem recreata ad* VII. *Kal. Mai. te huc uenire, quam se ad te ire, malebat. quo quidem die magnorum meorum laborum, multarumq. uigiliarum fructum cepi maximum si modo est aliquis fructus ex solida, ueraq. gloria. nam tantae multitudinis, quantum capit urbs nostra, concursus est ad me factus. ea cum usque in Capitolium deductus, maximo clamore, atque plausu in Rostris collocatus sum. nihil est in me inane; neque enim debet: sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatioq. me commouet: propterea quod, popularem me esse in populi salute, praeclarum est. Sed haec te malo ab aliis audire. Me uelim de tuis rebus, consiliisq. facias diligentissime certiorem: illudq. consideres, ne tua liberalitas dissolutior uideatur. sic sentit senatus, sic populus R. nullos umquam hostes digniores omni supplicio fuisse, quam ciues, qui hoc bello contra patriam arma ceperunt. quos quidem ego omnibus sententiis ulciscor, & persequor, omnibus bonis approbantibus. tu quid de hac re sentias, tui iudicii est. ego sic sentio, triũ fratrum unam, & eandem esse caussam. Consules duos bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus. Hirtius quidem in ipsa uictoria occidit, cum paucis diebus magno proelio ante uicisset. nam Pansa fugerat, uulneribus acceptis, quae ferre non potuit. reliquias hostium Brutus persequitur, & Caesar. hostes autem omnes iudicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt. itaque id S. C. plerique interpretantur etiam ad tuos siue captiuos, siue dediticios pertinere. equidem nihil desserui durius, cum nominatim de C. Antonio decernerem; quod ita statueram, a te cognoscere caussam eius senatum oportere. x. kal. Mai.*

EXPLANATIO

Pansa consule, Hirtio interfecto.

GESTA *sunt.* } ad Mutinam; cum duo consules, Pansa & Hirtius, & pro praetore Caesar Octauianus cum Antonio pugnarunt. SAEPE *scripsi* } fortasse, quod eorum uoluntatem suspectam haberet M. Brutus; qui eos C. Caesaris, olim contra remp. pugnantis, in praesidiis fuisse meminisset. INDOLES *uirtutis.* } uirtutem enim uiris attribuimus, indolem pueris, & adolescentibus. & quamquam Octauianus e pueris iam excessisset, cum annum aetatis, ut Velleius lib. II. & Tacitus lib. XIII. scripserunt, undeuicesimum tunc ageret; tamen ad earum rerum, quas contra Antoniũ pro rep. gesserat, maiorem admirationem saepe puerum Cicero appellat, ut in epistola ad Cornificium: Puer egregius praesidium sibi primum, & nobis, deinde summae reip. comparauit. Et in alia ad D. Brutum: Ne adolescentẽ, uel puerum potius Caesarem iudices temere fecisse. & Philippica IV. Laudo, laudo uos Quirites, cum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, uel pueri potius. HONORIBUS } non praesentibus: magistratum enim nullum adhuc gerebat, tantum erat pro praetore: sed iis, quos, uideo fore, ut optime de rep. meritus assequatur. GRATIA } quia nihil extraordinarium in libera ciuitate sperare quisquam potest, nisi gratia ualeat. recte igitur honores, & gratiam coniunxit: quod utrunque animos facere potest male cogitanti. GRATIA, } ex amicitiis propinquitatibus, clientelis Caesaris mortui collecta. PERSVASVM *est* } hoc illi persuasum non esse, magis e rep. fuisset. haec enim illum ad immoderatam potentiae cupiditatem exstulit opinio. ANTONIVM } cum Macedonicis legionibus Brundisio redeuntem. fam. lib. 12. epist. 25. & ad Att. epist. 7. lib. 16. & Phil. III. IV. V. XIII. & XIV. ANTE *hanc rem pulcherrimam* } ante proelium Mutinense. *Effundebat:* cum ad te in Macedoniam traiicere decreuisset, si Antonius pugna uicisset. Idem scribit ad C. Cassium his uerbis. Brutus Mutinae uix iam sustinebat: qui si conseruatus erit; uicinus: sin; quod dii omen auertant, omnis omnium cursus est ad uos. AD XII. *kal. Maii:* } quo die de profligatis Antonii copiis nuncium accepit. IN *Capitolium* } ut Ioui Opt. Max. propter uictoriam gratias agerem. IN *rostris collocatus* } ut inde Pansae litteras de uictoria recitaret. quod ab ipso factum tradit Appianus lib. III. Illud addo, de Rostris uerba facere priuato cuiquam non licuisse, nisi magistratus ei concionem daret. *Collocatus* igitur, concione a magistratu data. GRATIARVM *actio*, } quod eo auctore bellum contra M. Antonium decretum susceptumq. esset, ut Philippicae orationes declarant. POPVLAREM *me esse* } quod alioqui in malam partem accipi soleret. nam fere ad seditiones excitandas, & statum reip. perturbandum, populi studium quaerebatur. sed, popularem esse in populi salute, praeclarum est: ut ipse in quadam epistola, Facti iam sumus in re salutari populares. LIBERALITAS } liberalitatem posuit pro clementia: quia capto C. Antonio, & seditiones concitanti, Brutus tamen pepercerat. quem ut occideret, dicitur a Cicerone litteras accepisse,

pisse, ut apud Plutarchum legimus. VNAM *& eandem esse caussam.* } hostium loco omnes pariter esse habendos. quod si ita est, cur tu C. Antonium seruas? cum ipsi Marcum & Lucium, eius fratres, armis persequamur. CONSVLES *duos* } Hirtium & Pansam. DVMTAXAT *bonos:* } non etiam fortes & strenuos: quoniam uterque ceciderat. bonos autem, bene sentientes. HIRTIVS *quidem* } corrigit quod dixerat, Dumtaxat bonos: sed corrigit tantum modo quod ad Hirtium attinet. FVGERAT: } Bononiam. Appianus. FERRE *non potuit* } ideo bonus magis, quam fortis. PERSEQVITVR, } lentius tamen, quam oportuit: quod habuit spatium Antonius sui recreandi. uide infra, & epist. fam. 173. SIVE *captiuos, siue deditcios,* } rursus ad C. Antonium redit. fuit enim grauissimum Ciceronis odium in Antonios. Adiungit autem, Siue deditcios, quia non proelio captus erat C. Antonius a Bruto, sed se ipse dediderat. leniores autem in deditcios, quam in captiuos, debemus esse. sed omnium eandem esse caussam Cicero uolebat, odio uidelicet permotus: quod tamen dissimulat duobus modis, primum, cum interpretationem illam alijs adscribit; deinde, cum infert, Nihil disserui durius.

Brutus S. D. Cicero. 8.

QVANTA *sim laetitia affectus, cognitis rebus Bruti nostri, & consulum, facilius est tibi existimare, quam mihi scribere. cum alia laudo, & gaudeo accidiße, tum quod Bruti eruptio non solum ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad uictoriam adiumento. Quod scribis, trium Antoniorum unam atque eandem caussam esse; quid ego sentiam, mei iudicij esse: statuo nihil, nisi hoc; senatus aut populi R. iudicium esse de ijs ciuibus, qui pugnantes non interierunt. At hoc ipsum, inquies, inique facis, qui hostilis animi in remp. homines ciues appelles. Immo iustißime. quod enim non dum senatus censuit, nec populus R. iußit, arroganter non praeiudico, neque reuoco ad arbitrium meum illud quidem non muto, quod ei, quem me occidere res non coegit, neque crudeliter quidquam eripui, neque dissolute quidquam remisi; habuiq. in mea potestate, quo ad bellum fuit. multo quidem honestius iudico, magisq. quod concedere poßit resp. miserorum fortunam nō insectari, quam infinita tribuere potentibus, quae cupiditatem, & arrogantiam incendere poßint. qua in re, Cicero, uir optime, ac fortißime, mihiq. merito & meo nomine, & reip. carißime, nimis credere uideris spei tuae, statimque, ut quisque aliquid recte fecerit, omnia dare, ac permittere: quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animum. quae tua est humanitas, aequo animo te moneri patieris, praesertim de communi salute: facies tamen, quod tibi uisum fuerit: etiam ego, cum me docueris. nunc Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppreßum esse Antonium gauisi simus; neu semper primi cuiusque mali excidendi caussa sit, ut aliud renascatur ille peius. nihil iam neque opinantibus, aut patientibus nobis aduersi euenire potest, in quo non cum omnium culpa, tum praecipue tua futura sit, cuius tantam auctoritatem senatus ac populus R. non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera ciuitate unius esse potest: quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter tueri debes. prudentia porro, quae tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. alia omnia sic adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari poßint tuae uirtutes. unum hoc, grato animo, liberaliq. profectum, cautiorem, ac moderatiorem liberalitatem desiderat. nihil enim senatus cuiquam dare debet, quo male cogitantibus exemplo, aut praesidio sit. itaque timeo, de consulatu, ne Caesar tuus altius se adscendisse putet decretis tuis, quam inde, si consul factus sit, descensurum. quod si Antonius ab alio relictum regni instrumentum occasionem regnandi habuit: quonam animo fore putas, si quis, aucto re non tyranno interfecto, sed ipso senatu, putat se imperia quaelibet concupiscere posse? quare tum & facilitatem, & prouidentiam laudabo tuam, cum exploratum habere coepero, Caesarem honoribus, quos acceperit, extraordinarijs fore contentum. alienae, igitur, inquies, culpae me reum facies? prorsus alienae; si prouideri potuit, ne existeret. quod utinam inspectare poßis timorem de illa meum. His litteris scriptis, te consulem factum audiuimus. tum uero incipiam proponere mihi remp. iustam, & iam suis nitentem uiribus, si istuc uidero. Filius ualet, & in Macedoniam cum equitatu praemissus est. Idibus Mai. ex castris.*

EXPLANATIO

Nullis consulibus, caesis Pansa & Hirtio.

BRVTI *nostri, & consulum,* } Decimi Bruti, & Hirtij, & Pansae, consulum; qui Antonium pugna uicerant. & obseruandum, cum eius particeps uictoriae Caesar Octauianus fuisset, tamen hic a Bruto non nominatum; qui cum & ut Caesaris filium odio prosequeretur, & pugnare contra Antonium nō tam pro rep. ut uidebatur, quam priuatae potentiae caussa suspicaretur. quam suspicionem res ipsa deinde comprobauit. IVDICIVM *eße de ijs ciuibus,* } ad senatum, aut ad populum R. spectare, ut iudicet de ijs ciuibus, qui M. Antonium in bello secuti, pugnantes non interierint. itaque ego de C. Antonio, qui in mea potestate est, per me ipse non statuam: sed senatui, aut populo Rom. iudicandum relinquam. QVOD *enim non senatus censuit,* } cur ego in C. Antonium durius aliquid statuam, cum id senatus aut populi

populi R. iudicium esse debeat? iustissime igitur facio, cum in eum, ut in hostem, non animaduerto: siquidem senatui, aut populo R. suam potestatem praeripere non debeo. RES *non coegit*, } Non accidit, ut ego eum occiderem: quoniam se ipse mihi, eiusq. legio tradidit. QVIDQVAM *eripui*: } hoc ideo dicit, quia ornamenta militaria illi reliquerat. Plutarchus. DISSOLVTE: } neque crudelis in eripiendo fui, neque dissolutus in remittendo: custodiui enim illum diligenter. QVOAD *bellum fuit*: } in Italia. quasi nunc, M. Antonio deuicto, belliq. timore sublato, de Caio dimittendo, aut certe Romam mittendo Brutus cogitet. quem tamen non multo post, cum de Ciceronis & Decimi Bruti nece cognouisset, occidi iussit. Plutarchus. TRIBVERE *potentibus*, } aculeus in Ciceronem, qui Octauianum honoribus extraordinarijs ornabat. Quod autem pro, potentibus, in Bessarionis antiquo libro scriptum est, petentibus; respuo. nam tum in uoce, potentibus, Bruti, de libertate admodum timentis, animus magis exprimitur: tum relatio illa, miserorum, & potentibus, uim in sententia, concinnitatem habet in uerbis. CVPIDITATEM, *& arrogantiam* } cupiditas & de bonis, & de improbis hominibus usurpatur: ipsa per se neque turpitudinem habet, neque laudem. addit igitur, Et arrogantiam; quod potest aliquis cupere, quae non licet, neque tamen ea per arrogantiam occupare. TRADVCI *ad mala consilia* } uerus uates de Octauiano. LARGITIONIBVS: } honoribus, qui supra modum deferantur: quibus, etiam qui recte sentiat, nonnumquam corrumpitur, & deprauatur. ubi enim maiorem aliquam potentiam nacti sumus, tantum abest ut humilia cogitemus, ut etiam ad altiora animum extollamus. Est autem hic largitio, in tribuendis honoribus nimia liberalitas. nam largitio pecuniae locum hic habere non uidetur. NEV *semper &c.* } hoc dicit. Caesarem occidimus; sed regiam potestatem M. Antonius, Caesare nequior, assumpsit. ita uidendum est, ne, dum in Antonio tollendo sumus, haec sit caussa, ut Octauianus, potentia elatus, Antonio peior existat. NEQVE *opinantibus, aut patientibus nobis* } siue id nobis non opinantibus, siue patiētibus euenerit. aeque enim nobis uitio dabitur. Et aduerte, hanc loquendi consuetudinem ueteres adamasse, ut libentius dicerent, Neque opinanti, quam, non opinanti; ut exemplis intelligitur. QVANTA *maxima* } antiqua locutio, ut de oratore lib. I. M. Cato eloquentia tanta fuit, quantam illa tēpora, atque illa aetas ferre maximā potuit. Dixit etiam Celsus, bonus latinitatis auctor: Vt tumor, quantus maximus esse potest, se ostendat. Et ipse Brutus infra, ep. 20. SED *etiam prudenter* } subaudi, sentiendo. potest enim aliquis bene sentire, nec tamen prudenter. quod obiectum est Ciceroni; quasi, cum in remp. optime fuerit animatus, ei tamen male consuluerit, quia nimis extulit Octauianum. TVAE *uirtutes* } In Bessarionis libro, Tuae uirtutis, uideo scriptum esse, & coniungi cum sequentibus: ut sit, Tuae uirtutis unum hoc. Mihi; ut dicam, quod sentio; neque scriptura uetus, neque impressis libris recepta satis probatur. uetere quid significetur, non uideo. recens primum non caret suspicione mendi, quod ab antiqua discrepat: deinde occurrit animo quiddam fortasse probabilius. periodum enim libentius ita concluderem; Alia omnia sic ad sunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint. Tuae uirtutes, additū fortasse est, ut, quaenam essent illa, quae cum quolibet antiquorum comparari possent, exponeretur. GRATO *animo, liberaliq. profectum*, } Laudem cum turpitudine coniungit, quo sit reprehensio tolerabilior: quod ingenij, atque artis est. Et in cohortationibus, praeceptum Ciceronis est in epistola ad Trebonium, ut laudes eum, quem cohortere. sic Brutus Ciceronem primum laudat ut gratum & liberalem, deinde reprehendit ut minus cautum, nec satis in tribuendis honoribus moderatum. nam ex Ciceronis sententia senatus & lictores, & cetera imperij ornamenta, nomen propraetoris, dignitatem senatoriam, sententiae praetorio loco dicendae potestatem Octauiano decreuerat: post uictoriam autem Mutinensem quinquaginta dierum supplicationes. Philippica V. & XIV. & Plutarchus. EXEMPLO, *aut praesidio* } utrumque refertur ad illud, Male cogitantibus: ut tamen, male cogitantibus, ambigue dictum sit, hoc sensu: *Exemplo*, male cogitantibus ijs, qui cum dari aliquid a senatu, contra quam legibus & more maiorum liceat, uiderunt, incendi facile possunt, ut eadem concupiscant: *Praesidio*, ei, qui accepit a senatu, male cogitanti. ITAQVE *timeo &c.* } sensus hic est, cum uestris decretis honorem propraetoris contra leges habuerit; uereor, ne putet se altius adscendisse, cum ad hos extraordinarios honores adscendit, quam sit adscensurus, si inde ad consulatum adscenderit. plus enim est ex priuato loco ad praetorium adscendere, quam ex praetorio ad consularem; cum praesertim Octauius annum ageret XIX, cum praetorum iura consecutus est. timeo, inquit, ne plus putet esse, quod iam habet, quam quod habendum restat; ideoq. in consulatus cupiditatem facile ueniat. quod ita contigit. nam Octauius, consulibus ad Mutinam occisis, consul fieri uoluit: quod cum non impetrasset, iratus quasi ob ignominiam, prodita reip. caussa cum Antonio ac Lepido societatem iniuit. placet igitur legi, adscensurum, pro descensurum. alioqui cum satis erit perplexa, tum inepta quoque uidebitur sententia. NON *tyranno*, } regnandi enim instrumenta facilius arripimus, si a senatu deferuntur. quod de Octauiano timendum est; quam si a tyranno relinquantur: qua occasione usus est Antonius. INTERFECTO: } non solum tyranno, quem imitari turpe fuit, sed eo tyranno, qui est interfectus; cuius exitum timere debuit Antonius. duae igitur dictiones, *Tyranno interfecto*, altera turpitudinem, altera periculum designat. IMPERIA *quaelibet* } quae restant; praeturam ipsam, consulatum, atque adeo dictaturam. FACILITATEM } in tribuendis honoribus. PROVIDENTIAM: } ad futura dispicienda. putas enim Caesarem extraordinarijs honoribus, quos illi decreuistis, fore contentum. TE *consulem factum* } scribit Appianus, Ciceronem in senatu consuluisse, ut amissis consulibus Octauianus surrogaretur, eiq. deinde aliquis collega adderetur, qui adolescentiam illius quasi magister regere & moderari posset: senatum affecti aetati aetate hominis ineptam ambitionē risisse. satis enim pa-

tuit, quo ſpectaret. FILIVS } filium Ciceronis, qui Athenis philoſophiae operam dabat, Brutus ſecum abduxit, & equitibus praefecit. fam. lib. 12. epiſt. 14. Dio, Plutarchus.

Cicero S. D. Bruto 9.

AD v. Kal. Mai. cum de ijs, qui hoſtes iudicati ſunt bello perſequendis ſententiae dicerentur, dixit Seruilius etiam de Ventidio, & ut Caſſius perſequeretur Dolabellam. cui cum eßem aſſenſus, decreui hoc amplius, ut tu, ſi arbitrarere vtile, exq. rep. eſſe, perſequerere Dolabellam bello: ſi minus id commodo reip. facere poſſes, ſiue non exiſtimares e rep. eße, ut in iiſdem locis exercitum contineres. nihil honorificentius potuit facere ſenatus, quam ut tuum eſſet iudicium, quid tibi maxime conducere reip. uideretur. equidem ſic ſentio: ſi manum habet, ſi caſtra, ſi ubi conſiſtat vſpiam Dolabella; ad fidem, & ad dignitatem tuam pertinere, eum perſequi. De caſſii noſtri copijs nihil ſciebamus. neque enim ab ipſo vllae litterae: neque nũciabatur quidquã, quod pro certo haberemus. quantopere autem interſit, opprimi Dolabellam, profecto intelligis; tum ut ſceleris poenas perſoluat; tum ne ſit, quo ſe latronum duces ex Mutinenſi fuga conferant. atque hoc mihi iam ante placuiſſe, potes ex ſuperioribus meis litteris recordari. quamquam tum & fugae portus erat in tuis caſtris, & ſubſidium ſalutis in tuo exercitu. quo magis nunc liberati, ut ſpero, periculis, in Dolabella opprimendo occupati eſſe debemus. ſed haec cogitabis diligẽtius, ſtatues ſapienter: facies nos, quid conſtitueris, & quid agas, ſi tibi videbitur, certiores. Ciceronem noſtrum in ueſtrum collegium cooptari uolo. exiſtimo omnino abſentium rationem ſacerdotum comitijs poſſe haberi. nam etiam factum eſt antea. Caius enim Marius, cũ in cappadocia eſſet, lege Domitia factus eſt augur: nec, quo minus id poſtea liceret, vlla lex ſanxit. eſt etiam in lege Iulia, quae lex eſt de ſacerdotijs proxima, his verbis: Qui petit, cuius ue ratio habebitur. *aperte indicat, poſſe rationem haberi etiam non praeſentis. hac de re ſcripſi ad eum, ut tuo iudicio uteretur, ſicut in rebus omnibus. tibi autem ſtatuendum eſt de Domitio, & de Catone noſtro. ſed quamuis liceat abſentis rationem haberi, tamen omnia ſunt praeſentibus faciliora. quod ſi ſtatueris in Aſiam tibi eundum, nullo erit ad comitia noſtros accerſendi facultas. omnino, Panſa uiuo, celeriora omnia putabamus. ſtatim enim collegam ſibi ſurrogaſſet: deinde ante praetoria, ſacerdotum comitia fuiſſent. nunc per auſpicia longam moram uideo. dum enim vnius erit patricius magiſtratus, auſpicia ad patres redire non poſſunt. magna ſane perturbatio. tu tota de re quid ſentias, velim me facias certiorem. III. non. Mai.*

EXPLANATIO

Nullis conſulibus.

SERVILIVS *etiam de Ventidio.* } Seruilius Iſaurici filius, is, qui C. Caeſaris collega fuerat in conſulatu: Ventidio Baſſo Mulione, qui ex humili admodum fortuna ad conſulatum eſt euectus. primusq. Romanorum de Parthis triumphum duxit. Gellius lib. xv. cap. 4. IISDEM *locis* } ubi eſſes. nam, utrum in Macedonia eſſet, nec ne, fortaſſe ignorabatur. non erat certe, cum epiſtolam proximam ſuperiorem ſcripſit: cum dicat a ſe filium Ciceronis in Macedoniam cum equitatu eſſe praemiſſum. AD *fidem, & ad dignitatem* } cum enim tyrãnum uita priuaſti, quaſi tuam in eo fidem obſtrinxiſti, eodem te in remp. animo ſemper futurum. perſequi igitur miniſtros, imitatoresq. tyranni, qui tyrannum ipſum occideris, tuae fidei uidetur eſſe. *Dignitatem*: in primis. n. hoc te decet, tuisq. praeclare factis dignum eſt. SCELERIS } quia remp. non ſolum deſeruit, ſed etiam oppugnauit: multoq. etiam magis, quia C. Trebonium occiderat. Hoc } ut perſequerere Dolabellam bello. TVM: } cum te ad perſequendum Dolabellam litteris hortabar. FVGAE: } bonorum, ſi ad Mutinam ſecunda fortuna uſus eſſet Antonius. VT *ſpero:* } dubitat adhuc, neque ſine cauſſa: nam Antonij equitatus integer paene omnis ex proelio diſceſſerat: praeterea Ventidius ſuas legiones tres cum eo coniunxerat: & habebat ipſe legionem ſecundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem. fam. ep. 33. lib. x. & epiſt. 10. 13. lib. xi. VESTRVM *collegium* } pontificum minorum. pontifex enim erat Brutus. epiſt. 19. SACERDOTVM *comitijs*: } ratio creandorum ſacerdotum haec fuit. Creati ſunt a collegio pontificum uſque ad conſules C. Marium, & C. Fimbriam: qui fuit annus ab urbe condita DCL: quo anno Cn. Domitius tribunus pl. lege lata inſtituit, ut populi comitijs crearentur: ut ex oratione II. in Rullum, & ex Suetonio in Nerone cognouimus. rurſus uictor Sulla eorum creandorum poteſtatem, populo ereptam, collegio pontificum reſtituit, ut eſt Dionis hiſtoriarum XXXVII. collegimus. mox Labienus tribunus pl. lege Domitia renouata, ius creationis a pontificibus ad populum tranſtulit, anno ab urbe condita DCXCI. ut ex eodem Dionis loco perſpicuum eſt. Eiuſdem fere ſententiae, nouo aliquo iure adſcripto, legem tulit C. Caeſar dictator. poſtremo conſul M. Antonius, qui triumuir fuit, pontificibus ueterem cooptandi poteſtatem, lege lata, reſtituit, ut apud Dionem legimus lib. XLIV. in extremo. quam tamen a Panſa conſule ſequenti anno eſſe abrogatam, oſtendimus in libro de legibus Romanis, quem propediem edituri ſumus. HABERI *poſſe*: } lex quidem, quae uetaret, non erat: conſuetudo tamen non ferebat. itaque lib. II. ad Atticum, Quoniam, inquit, Nepos proficiſcitur, cuinam auguratus deferatur. Nimirum ſignificat, Nepotis abſentis rationem haberi

haberi comitijs augurum nō posse. IN *Cappadocia*} quo profectus erat, specie quidem ad uota matri deorum peragenda, re uera ad bellum excitandum. Plutarchus. LEGE *Domitia*} populi comitijs, ut Cn. Domitius tribunus pl. lege sanxerat. AVGVR:} augures sacerdotum numero continentur. lex autem Domitia de omnibus sacerdotijs erat. QVI *petit, cuius ue ratio habebitur*, } qui petit, de praesentibus est: cuius ue ratio habebitur, de absentibus. DE *Domitio*, *& de Catone nostro*} altero L. Domitij Ahenobarbi, altero M. Catonis Vticensis filio, utroque arctissima affinitate Brutum attingente. nam duas Porcias, Vticēsis filias, alteram Ahenobarbus in matrimonio habuerat, alteram Brutus habebat: ut etiā alio loco diximus. ASIAM} non, quae de tribus orbis partibus una numeratur, sed, quae prouincia est Ciliciae finitima. COLLEGAM *sibi surrogaßet*} locus multis difficultatibus obstructus: quem tamen, ut spero, ita explicabimus, atque aperiemus, ut ad ueritatem nemo non possit, aditu patefacto, peruenire. Ac primum illud ponatur, Ciceronem Bruto significare, ut, si eundum sibi statuit in Asiam, decernat ante de Marco filio; utrum uelit eum ad sacerdotum comitia Romam uenire, praesentemq. petere; an in Asiam una proficisci. quo si proficiscatur, incōmoda sequuntur illa. primū, si accersere eum ad comitia uoluerimus, facultatem nobis omnem auferet locorū longinquitas. sin, ut absens petat, placebit: infirma spe nitemur: cū sint omnia praesentibus faciliora, quā absentibus. Accedit illud, quo maxime Cicero perturbatur, quia, quando futura sacerdotum comitia sint, ignorat. nam cū ea non nisi a consulibus, aut ab interrege, aut a pontifice maximo haberi possint; consules porro hoc tempore nulli sint; interrex creari non possit; pontifex maximus M. Lepidus ab urbe absit: sequitur, ut de comitiorum illorum die prorsus incerta coniectura sit. quam ob caussam de filio accersendo constituere non potest. itaque totam rem ad Bruti cōsilium ac prudentiam reijcit. Quod autem dixi, comitia sacerdotum solis cōsulibus habere licuisse, aut, si consules non essent, interregi; probatur hoc modo. Pansa uiuo, celeriora omnia fuissent: mortuo, futurum, ut tardiora sint, Cicero uidet. cur tardiora? nimirū quia quae potestas surrogandorum sacerdotū penes consules erat, ea, sublatis consulibus, ad eos magistratus, qui supererāt, non trāsferebatur. hoc ita esse, satis, ut opinor, illa uerba declarant: Nunc per auspicia longam morā uideo. Cum igitur, praeter cōsules, ex ordinarijs magistratibus habere sacerdotum comitia nullus posset: simile ueri est, ab interrege haberi ob eam caussam potuisse, quod interrex eodem, quo consules, iure esset; utpote qui creandis consulibus habere comitia posset. praetores aūt eodem, quo consules, iure non erant. nā, quamuis collegae consulum dicerentur, minime tamen consularia comitia, ac ne praetoria quidem, habere poterāt. quod a Messalla in libro de auspicijs traditū, obseruauimus. longae igitur morae, quam Cicero timet, haec est caussa; quod, exstinctis consulibus, neq. magistratus tūc erat, qui sacerdotes comitijs rogare posset; & interrex toto anno creari a senatu nō poterat. sic.n. mos maiorū obtinuerat, ut, cum nullus iam esset patricius magistratus, tunc demum interrex a senatu crearetur. at hoc anno, mortuis Hirtio & Pansa consulibus, alij tamen supererāt patricij magistratus, ut praetores, aediles curules. ita nodus erat difficilis: quia neq. praetor, aut aedilis curulis habere sacerdotum comitia poterat; &, qui potuisset, interrex, is ne crearі posset, eorum caussa fiebat. auspicia.n. quibus eum patres creare soliti erant, (nihil enim, neq. publice, neq. priuatim, maioris rei, sine auspicijs, apud ueteres gerebatur) redire ad ipsos non poterant, dum uel unus esset patricius magistratus. exspectandū igitur erat, donec patricij magistratu, annuo munere essent perfuncti. tunc.n. creatus interrex a patricijs senatoribus comitia primum consulibus rogandis, deinde sacerdotibus habuisset. Aut intellige sic. Comitia primum consularia interrex habuisset, deinde consules creati sacerdotum comitia ipsi habuissent. quod similitudinem ueritatis maiorem habet: ut interregis una cura de rogandis consulibus esset; consules deinde reliqua perficerent. Quaeri potest; cur, quemadmodum Crispinus consul morti proximus, secundi belli Punici temporibus, dictatorē dixit; ne resp. sine consulibus esset, (iam.n. & M. Marcellus, collega ipsius, interfectus erat) itidem Pansa, summo in uitae discrimine constitutus, dictatorem non dixerit; a quo & consulum, & sacerdotum, aut saltē consulum, qui deinde sacerdotes rogarent, haberi comitia possent. Hanc dubitationem facile tollet historia. non.n. quo tempore Pansa petijt, creari dictatorem licebat: cum dictatoris nomen M. Antonius consul funditus iam e rep. sustulisset. PANSA *uiuo*} is Bononiae perierat ex uulneribus Mutinensi proelio acceptis. SVRROGASSET,} in locum Hirtij eodem proelio interfecti. PRAETORIA,} designandis insequētis anni praetoribus. de consularibus comitijs, quae ante praetoria fiebant, ideo nō meminit, quia designati iam erant a C. Caesare, Parthicum bellum cogitante, qui post Hirtium & Pansam consules essent, L. Munatius Plancus, & D. Iunius Brutus. Et praetorijs antecessisse sacerdotum comitia, quod deorum immortalium religionē rebus humanis aequum esset anteponi, uel hic locus perspicue demonstrat. SACERDOTVM *comitia*} haec non, ut magistratuum, quotannis, sed, cum surrogandus aliquis esset in demortui locum, habebantur. PVR *auspicia*} quae ad patricios magistratus pertinebant, nec ad senatum, nisi cum ij non essent, transferri poterant. VNVS} quasi dicat, duo nunc sunt, praetor, & aedilis curulis. patricij.n. magistratus dicebantur ij, qui, maiorum aetate, patriciorum caussa ex gentibus patricijs erant instituti. AD *patres*} non dicit, ad senatum, in quem non soli patricij, sed plebeij quoque, in primisq. qui ex equestri essent ordine, legebantur; sed, ad patres: quod, a solis patricijs senatoribus creari interregem, moris esset. & quamquam, patres, interdum pro uniuerso senatu usurpatur; proprie tamen de patricijs dicebatur; quibus aditus in senatum initio solis patuit. itaque in epistola ad Paetum, A I patres, inquit, censeo, reuertare: plebeij quam fuerint importuni, uides: cum de patricijs Paeti maioribus intelligeret. REDIRE} tunc redeunt, cum, magistratibus nullis dum designatis, quod saepe ciuium in dissensionibus contingit, annus abijt.

Brutus S. D. Ciceroni 10.

NOLI *exspectare, dum tibi gratias agam. iam pridem hoc ex nostra necessitudine, quae ad summam beneuolentiam peruenit, sublatum esse debet. Filius tuus a me abest. in Macedonia congrediemur. iussus est enim Ambraciam ducere equites per Thessaliam: & scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. cum eum uidero, (quoniam nobis permittis) communiter constituemus de reditu eius ad petitionem, aut ad commendationem honoris. Tibi Glycona, medicum Pansae, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissime commendo. audimus, eum uenisse in suspicionem Torquato de morte Pansae, custodiriq. ut paricidam. nihil minus credendum est. quis enim maiorem calamitatem morte Pansae accepit? praeterea est modestus homo, & frugi, quem ne utilitas quidem uideatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, & quidem ualde rogo, (nam Achilleus noster non minus, quam aequum est, laborat) eripias eum ex custodia, conserue sque. hoc ego ad meum officium priuatarum rerum aeque, atque ullam aliam rem, pertinere arbitror. Cum has ad te scriberem litteras, ab Satrio, legato C. Trebonij, reddita est mihi epistola, a Tullio, & Deiotaro Dolabellam caesum, fugatumq. esse. Graecā epistolam tibi misi Cycherei cuiusdam ad Satrium missam. Flauius noster de controuersia, quam habet cum Dyrrhachinis hereditariam, sumpsit te iudicem. rogo te, Cicero, & Flauius rogat, rem conficias. quin ei, qui Flauium fecit heredem, pecuniam debuerit ciuitas, nō est dubium: neque Dirrhachini infitiantur: sed sibi donatum aes alienum a Caesare dicunt. noli pati, a necessarijs tuis necessario meo iniuriam fieri. XXII. Kal. Iun. ex castris, ad imam Candauiam.*

EXPLANATIO

Nullis consulibus.

GRATIAS *agam.* } quod eam sententiam dixisti, qua mihi honorificentius nihil esse potuit, ut meum esset liberum iudicium de bello gerendo. AVT *ad commendationē honoris* } ut, si comitia sacerdotum essent, peteret: si non essent, honorem suum ad insequentis anni comitia commendaret: quibus absens peteret, ne abesset ab exercitu, tam necessario reip. tempore. IN *suspicionem* } legimus & apud Suetonium, suspectam Pansae mortem fuisse, medicumq. Glyconem custoditum esse, quasi uenenum uulneri indidisset. quod & Tacitus lib. I. significat his uerbis: Caesis Hirtio, & Pansa, (siue hostis illos, seu Pansam uenenum uulneri affusum, siue milites Hirtium, & machinator doli Caesar abstulerat) utriusque copias occupauisse. TORQVATO: } cur Torquato potissimum? quia Pansae quaestor fuerat, ut ex Appiano cognouimus; consulisq. sui mortem persequebatur, pro ea necessitudine, quae inter consulem & quaestorem fuit: quam ad paternam caritatem accessisse, traditum est. epist. fam. lib. XIII. ubi M. Bruto Varronem, eius quaestorem, commendat: & in Diuinatione. ACHILLEVS } pro, Achilles: ad Graecam inflectendi rationem, ut cum dixit, Achilleos nostri. TREBONII } quem Asiae praefectum Dolabella Smyrnae occiderat. TVLLIO: } Tullio Cimbro, qui Bithyniam administrabat. Dio lib. XLVII. Appianus lib. III. Plutarchus in Bruto. FLAVIVS } in exercitu Bruti opificum praefectus: quo in extrema illa Philippensi pugna caeso, dicitur Brutus in illius mentione uehementer suspirasse. Plutarchus. NECESSARIIS *tuis* } erat enim Dyrrhachium in fide Ciceronis. itaque lib. XIV. ad Terentiam, Ciuitas, inquit, haec semper a me defensa est. Et ad Atticum lib. III. Quod mei studiosos habui Dyrrhachinos, ad eos perrexi. Et in oratione pro Plancio: Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi. IMAM } ultimam: quae longissime distat ab urbe Roma. sic Horatius,

,, --haec Ianus summus ad imum
,, Perdocet.

CANDAVIAM } cuius montes Dyrrhachio LXXIX. distare, Plinius tradit.

Brutus S. D. Ciceroni 11.

L. BIBVLVS *quam carus mihi esse debeat, nemo melius iudicare potest, quam tu, cuius tantae pro rep. contentiones, solicitudinesq. sunt, fuerunt. itaque uel ipsius uirtus, uel nostra necessitudo debet conciliare te illi. quo minus multa mihi scribenda esse arbitror. uoluntas enim te mouere debet nostra; si modo iusta est, aut pro officio necessario suscipitur. in Pansae locum petere constituit. eam nominationem a te petimus. neque coniunctiori dare beneficium, quam nos tibi sumus, neque digniorem nominare potes, quam Bibulum. De Domitio, & Appuleio quid attinet me scribere, cum ipsi per se tibi commendatissimi sint? Appuleium uero tu tua auctoritate sustinere debes. sed Appuleius in sua epistola celebrabitur. Bibulum noli dimittere ex sinu, tantum iam uirum, ex quanto, crede mihi, potest euadere, qui uestris paucorum respondeat laudibus.*

EXPLA-

EXPLANATIO

Nullis consulibus.

BIBVLVS} Bruti priuignus. fuit enim M. Calpurnij Bibuli, qui C.Caesaris collega fuerat in consulatu, ex Porcia filius; quae post obitum prioris uiri Bruto nupsit. Sed uidentur duo Bibuli sacerdotium cupiuisse, ut est ep.18. Brutus autem priuignum solum commendauit. Plutarchus in Bruto, & Catone. Et, hunc de M.Bibuli liberis primum non fuisse, praenomen ipsum declarat. fuisset enim Marcus, non Lucius, ex uetere consuetudine. Marcus autem, ut opinor, perierat aliquanto ante, interfectus a Gabinianis militibus. Valerius cap.1.lib. III. CVIVS *tantae pro rep.*} haec uerba indicant, cum dixit, Quam carus mihi esse debeat, non significasse propter affinitatem, sed propter Bibuli uirtutem studiumq. erga salutem reip. SI *modo iusta est, aut pro officio &c.*} cum dixit, *Iusta*, ad uirtutem Bibuli spectauit; qua ornari, iustum erat eum, *Pro officio necessario*, ad necessitudinem, qua Bibulum attingebat: ut uel hoc nomine eius caussa uelle cogeretur. IN *Pansae locum*,} ut pontifex minor creetur. ep.18. auctor rhetoricorum ad Herennium itidem locutus est lib.1. Augur damnatus de pecunijs repetundis, in demortui locum qui petat, nominauit. quam loquendi rationem qui non intelligebant. pro, *In Pansae locum*, fecerunt, Is *Pansae locum*, non modo contra ueterem Latinae loquendi consuetudinem, uerum etiam contra quam in antiquis libris scriptum est. NOMINATIONEM} ut tu de eo referas. sic Cicero auguratum petens, a duobus auguribus nominatus erat, Pompeio & Hortensio. neque enim a pluribus licebat. Philippica II. & de claris orat. APPVLEIVM *uero*} quasi Ciceronis auctoritate Appuleius magis, quam Domitius, egeret, genere inferior, & patre natus minus nobili. CELEBRABITVR.} laudabitur a me, tibiq. commendabitur. quasi dicat: sed haec epistola Bibuli solum caussa scripta est: neminem admisceo. DIMITTERE *ex sinu*,} ita loquimur de ijs hominibus, aut rebus, quae nobis carissimae sunt. ad Quinctum fratrem lib.II. ep.12. Iam pridem istum canto Caesarem. mihi crede in sinu est, neque ego discingor. EX *quanto potest euadere*,} ex tanto uiro, quantus iam est, facile potest euadere, qui uestras paucorum laudes assequatur. quasi & magnus uir esset Bibulus, nec tamen Ciceronis adhuc, paucorumq. similium laudibus par; sed qui, cum in uia uirtutis tantum processisset, eos aliquando assecuturus uideretur.

Cicero S. D. Bruto. 12.

MVLTOS tibi commendo, & commendem necesse est. optimus enim quisque uir, & ciuis sequitur iudicium tuum: tibiq. omnes fortes uiri nauare operam, & studium uolunt: nec quisquam est, quin ita existimet, meam apud te & gratiam, & auctoritatem ualere plurimum, sed C.Nasennium, municipem Suessanum, tibi ita commendo ut neminem diligentius, Cretensi bello, Metello imperatore, octauum principem duxit: postea in re familiari occupatus fuit. hoc tempore, cum reip. partibus, tum tua excellenti dignitate commotus, uellet per te aliquid auctoritatis assumere. fortem uirum, Brute, tibi commendo, frugi hominem, &, si quid ad rem pertinet, etiam locupletem. pergratum mihi erit, si eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

EXPLANATIO

Nullis consulibus.

SEQVITVR IVDICIVM *tuum*;} uolunt omnes boni idem, quod tu, remp. liberari: in eoq. te ducē sequuntur. MVNICIPEM *Suessanum*} cum duae sint Suessae, Arunca, & Pometia; utram intelligit? Pometiam. nam Aruncam fuisse coloniam, non municipium, ex Velleio cognoscitur. METELO *imperatore*} qui a Creta deuicta Creticus est cognominatus, & cum Q. Marcio Vatia consulatum gessit. Plutarchus in Pompeio. OCTAVVM *principem*} in quauis legione erant, aetas prima, Hastatorum; altera, Principum; tertia, Triariorum, quae, Velitibus exceptis, diuidebantur singulae in decem centurias, qui & manipuli dicebantur. prima Hastatorum centuria, primus Hastatus, secunda secundus, & eodem modo usque ad decimam uocabatur. sic primus Princeps, secundus Princeps. primus autem Triarius non dicebatur, sed primus pilus. centuriones autem centurio primi Hastati, centurio primi Principis, centurio primi pili. Velites autem in centurias non diuidebantur, ut Polybius lib. VI. docet. Nasennius igitur octauum principem, id est octauam centuriam Principum, duxerat sub Metello. sic apud Caesarem li.6. III. de bel.Gal. T.Baluentius anno superiore primum pilum duxerat.

Cicero S. D. Bruto. 13.

FVNGERER officio, quo tu functus es in meo luctu, teq. per litteras consolarer, nisi scirem, ijs remedijs, quibus meum dolorem tu leuasses, te in tuo agere ac uelim, facilius, quam tunc mihi, nunc tibi tute mede are.

medeare. est enim alienum tanto uiro, ut es tu, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse. me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua a nimio macrore deterruit. cum enim mollius tibi ferre uiderer, quam deceret uirum, praesertim eum, qui alios consolari soleret, accusasti me per litteras grauioribus uerbis, quam tua consuetudo ferebat. itaque iudicium tuum magni aestimans, idq. ueritus, me ipse collegi, & ea, quae didiceram, legeram, acceperam, grauiora duxi, tua auctoritate addita. Ac mihi tum Brute officio solum erat, & naturae, tibi nunc populo, & scenae, ut dicitur, seruiendum est. nam cum in te non solum exercitus tui, sed omnium ciuium, ac paene gentium coniecti oculi sint; minime decet, propter quem fortiores ceteri sumus, eum ipsum animo debilitatum uideri. quamobrem accepisti tu quidem dolorem, (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit) & est dolendum in tam graui uulnere: ne id ipsum, carere omni sensu doloris, sit miserius, quam dolere: sed, ut modice, ceteris utile est, tibi necesse est. Scriberem plura, nisi ad te haec ipsa nimis multa essent. Nos te, tuumq. exercitum exspectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, uix satis liberi uidemur fore. De tota rep. plura scribam, & fortasse iam certiora ijs litteris, quas Veteri nostro cogitabam dare.

EXPLANATIO

Nullis consulibus.

FVNGERER *officio,* } assequi non possum, qua in re tantam iacturam fecisset Brutus, aut quod accepisset tantum uulnus, ut hac tam exquisita consolatione indigeret. suspicarer aliquid de Porcia uxore, quam Nicolaus philosophus ex quadam epistola, quae Bruti nomine circumferebatur, uiuo adhuc marito mortem sibi consciuisse, colligebat; nisi & grauiter Plutarchus illam Nicolai opinionem conuelleret, & ego alia haberem argumenta, quibus, hanc epistolam nullo modo ad Porciae mortem referri posse, facile intelligo. nam, ut alia omittam, Brutus ipse infra ad Atticum scribens, Valetudinem, inquit, Porciae meae tibi curae esse, non miror. Neque uero est, quod quisquam dicat, fieri posse, ut inuersus sit ordo epistolarum; utq. illa Bruti ad Atticum, quae posterior legitur, ante hanc tamen scripta fuerit. etenim, cum haec a Cicerone scripta est, non dum erat ob Octauio superatus Antonius. id uel ex eo intelligi potest, quod ad finem ita scribit: Nos te, tuumq. exercituum exspectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, uix satis liberi uidemur fore. Nempe igitur adhuc in ambiguo res erat. at uero illam alteram, superato iam Antonio, scriptam fuisse, nemo ignorare potest, qui eam legerit. Quare, ut dixi, de Porciae morte non est, cur possimus intelligere. Quid igitur? omnino sciri posse non arbitror: nisi, quidquid est, magnum aliquid sit, necesse est; cum & ei Cicero nihil in terris simile fuisse dicat, & in tota epistola multa ponat, quae insigniter magnitudinem uulneris, a Bruto accepti, amplificēt. quid autem fuerit, cum diligenter & accurate cogitauerim, reperire, uerum ut fatear, non queo. IN *meo luctu,* } in obitu Tulliolae: quam cum illi carissimam esse constaret, susceptum ex amissa dolorem lenire litteris praestantes uiri uoluerunt, Ser. Sulpicius, M. Brutus, Caesar ipse, cum eo tempore in Hispania contra Pompeii liberos pugnaret. IIS *remedijs,* } rationibus & argumentis ex philosophia depromptis: VT *es tu,* } Quantus es tu, consuetudo amat. est igitur minus usitata locutio notanda. CVM *rationes, tum auctoritas tua* } haec enim ad consolandum plurimum ualent. itaque & Sulpicio per litteras consolanti idem respondet lib. IV. fam. Me non oratio tua solum, sed etiam auctoritas consolatur. Notanda sunt quasi capita quaedam consolationis. OFFICIO, *& naturae* } officio, quod immoderatus luctus turpis uideretur, praesertim in me ipso, quem aetas, & dignitas, & res gestae a muliebri mollitia deterrerent: Naturae, quae moriendi legem, communem omnibus, ita sanxisset, ut abrogari numquā posset. POPVLO, *& scenae* } omnibus hominibus: quod omnia tua facta aeque manifesta sunt, ut ea, quae histriones in scena, spectante populo, agunt. FORTIORES *ceteri sumus,* } exemplo tuo, qui tyrannum occidisti, ad fortitudinem excitati. CVI *simile in terris nihil fuit* } adhuc considero, ad quem haec uerba referri possint, cum, ut ostendi, neque ad matrem possint, neque ad uxorem. NE *id ipsum,* } nā, ut scripsit in IV. Tusculana, id ipsum nihil dolere, immanitatis est in animo, stuporis in corpore. VT *modice,* } doleamus. VIX *satis liberi* } quasi solidam libertatem praeter Brutum nemo spectaret, ne ex iis quidem, qui tum reip. caussam contra M. Antonium in Italia tuebantur, praesertim cum Octauiū Caesaris nomen incitare contra libertatis auctores uideretur. Plutarchus etiam unum M. Brutum legitima reip. iura cogitasse tradit. scripsit idem ad C. Cassium his uerbis: Vt omnia, ut spero, prospere succedant, multum interest te uenire. exigua est enim spes reip. Et ad ipsum Brutum infra scribens, indicat, se non optime sperare de rep. ne hostibus quidem uictis. ep. 19. VETERI } Antistio. ep. 15. intelligit autem eas litteras, quarum infra initium est, Etsi daturus eram.

Cicero S. D. Bruto. 4.

NVLLAS *adhuc a te litteras habebamus, ne famam quidem, quae declararet, te, cognita senatus auctoritate, in Italiam adducere exercitum: quod ut faceres, idq. maturares, magnopere desiderabat resp.*

ingraue-

ingrauescit enim in dies intestinum malum, nec externis hostibus magis, quam domesticis, laboramus: qui erant omnino ab initio belli, sed facilius frangebantur. erectior senatus erat, non sententijs solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus. erat in senatu satis uehemens, & acer Pansa, cum in ceteros huius generis, tum maxime in socerum. cui consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Caesare reprehenderes, nõ nulla in Hirtio. huius belli fortuna, ut in secundis, fluxa; ut in aduersis, bona. erat uictrix resp. caesis Antonij copijs, ipso expulso. Bruti deinde ita multa peccata, ut quodam modo uictoria excideret e manibus: perterritos, inermes, saucios non sunt nostri duces persecuti: datumq. Lepido tempus est, in quo leuitatem eius, saepe perspectam, maioribus in malis experiremur. sunt exercitur boni, sed rudes, Bruti, & Planci. sunt fidelissima, & maxima auxilia Gallorum. sed Caesarem, meis consilijs adhuc gubernatum, praeclara ipsum indole, admirabiliq. constantia, improbissimis litteris quidam, fallacibus interpretibus, ac nuncijs impulerunt in spem certissimam consulatus. quod simul atque sensi, neque ego illum absentẽ litteris monere destiti, nec accusare praesentes eius necessarios, qui eius cupiditati suffragari uideantur: nec in senatu sceleratissimorum consiliorum fontes aperire dubitaui. nec uero ulla in re memini aut senatum meliorem, aut magistratus: numquam enim in honore extraordinario potentis hominis, uel potentissimi potius (quando quidem potentia iam in ui posita est, & armis) accidit ut nemo tribunus pl. nemo alio magistratu, nemo priuatus auctor existeret. sed in hac constantia, atque uirtute, erat tamen sollicita ciuitas. illudimur enim, Brute cum militum delicijs tum imperatoris insolentia. tantum quisque in rep. posse postulat, quantum habet uirium. non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium ualet, non iudicium, non existimatio ciuium, non posteritatis uerecundia. Haec ego multo ante prospiciens, fugiebam ex Italia, tum, cum me uestrorum adictorum fama reuocauit. incitasti uero tu me, Brute, Veliae. quamquam enim dolebam in eam me urbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberauisset, quod mihi quoque quondam acciderat, periculo simili, casu tristiore: perrexi tamen, Romamq. perueni; nulloq. praesidio quatefeci Antonium; cõtraq. eius arma nefanda. praesidia, quae oblata sunt, Caesaris consilio, & auctoritate firmaui. qui si steterit idem, mihiq. paruerit, satis uidemus habituri praesidij. sin autem impiorum consilia plus ualuerint, quam nostra, aut imbecillitas aetatis non potuerit grauitatem rerũ sustinere: spes omnis in te. quamobrem aduola obsecro, atque eam remp. quam uirtute, atque animi magnitudine magis, quam euentis rerum, liberasti, exitu libera. omnis omnium concursus ad te futurus est. hortare idem per litteras Cassium. spes libertatis nusquam, nisi in uestrorum castrorum praesidus, est firmos omnino & duces habemus ab occidente, & exercitus. hoc adolescentis praesidum equidem adhuc firmum esse confido; sed ita multi labefactant, ut, ne moueatur, interdum extimescam. Habes totum reip. statum, qui quidem tum erat, cum has litteras dabam. uelim deinceps meliora: sin aliter fuerit, quod dij omen euertant, reip. uicem dolebo, quae immortalis esse debeat. mihi quidem quantulum reliqui est?

EXPLANATIO

Nullis consulibus.

COGNITA *senatus auctoritate*, } occisis consulibus ad Mutinam, Octauiani potentiam senatus suspectam habere coepit, praesertim cum is, ut alteri e consulibus sufficeretur, postularet. itaque Brutum e Graecia decreto reuocauit, sed frustra. nam, inter Antonium, Lepidum, Octauianum conspiratione contra remp. facta, trium uirorum armis oppressa sunt omnia. AVCTORITATE } non hic, ut alibi, senatus auctoritas a senatusconsulto differt. qui enim simile ueri est, cum in aperto discrimine resp. uersaretur, Octauiani opibus post Antonii fugam immoderate auctis, senatum in tanta re auctoritate fuisse contentum? quod, ut ostendimus in libro de senatu, uoluntatem quidem senatus indicabat, infirmior tamen erat, quam senatusconsultum. FRANGEBANTVR } Non Octauianum designat, qui ab initio belli optime sentire de rep. uisus est: nec in eum, Frangebantur, ullo modo conuenit: sed Antonij studiosos maxime intelligit. SOCERVM } nisi me coniectura fallit, Pansae socer fuit Q. Fusius Calenus. coniecturam inde duco, quod eum uideo a Pansa consule sententiam primum rogari; qui tamen neque dum consul fuerat, neque Ciceroni certe rebus gestis, & meritis in remp. antecellebat. ut hoc ei deferre honoris, nisi propinquitate moueretur, Pansa non debuerit. Recitemus Ciceronis uerba ex oratione X. in Antonium. Necessitatem, inquit, mihi attulit paullo plura dicendi, sententia eius, qui rogatus est ante me. & infert proxime: Quae est enim ista tua oratio Calene? quae mens? qui nunquàm post Kal. Ianuarias idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat. Et in IIX. in eundem, posteaquam Caleni consilium de pace cum Antonio iungenda satis multis uerbis exagitauit, subiungit haec: Satis multa cũ Fusio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore. Credo autem, qui generi querelam moderate ferat, aequo animo laturum amici. quo in loco quin Caleni gener Pansa, qui consul erat, demonstretur, uix putauerim posse dubitari. conuenit enim, Generi querelam, cum huius epistolae uerbis, Vehemens & acer Pansa, cum in ceteros huius generis, tum maxime in socerum. GEREBATVR, } tum, cum senatus erat erectior. NON *nulla in Hirtio.* } Hirtius enim ante Pansam ad Mutinam peruenit. Pansae aduentu duobus proelijs confecta res est. ideo solum Hirtium nominat. VT *in secundis, fluxa; ut in aduersis, bona.* } huius belli fortuna neque secunda plane fuit, neque aduersa. nam, si secundas res cogitemus, in hoc minus

nus felices fuimus, quod uictoria nostri duces usi non sunt, hostibusq. spatium ad instaurandum bellum dederunt: sin aduersas, hoc prospere successit, quod proelio uicimus. ergo est hoc, quamobrem laetemur, quod erat uictrix resp. caesis Antonij copijs, ipso expulso: illud cur doleamus, quod post uictoriam ita multa peccata a D. Bruto, ut quodam modo uictoria exciderit e manibus. ijsdem uerbis de se ipso usus est in epistola ad Atticum libro IV. ep. I. Ita sunt res nostrae, ut in secundis fluxae; ut in aduersis, bonae. BRVTI *deinde* } Et sententia patet; & ita scriptũ est in antiquis libris. miror tamen, cur istam culpam in D. Brutum nominatim Cicero contulerit, cur non potius in Octauianum, quem a Bruto, ut Caesaris filium, non amari, probe nouerat: cuius certe grauius, quam D. Bruti, peccatum illud fuit, quod Antonium, ex Mutinensi proelio fugientem, persecutus non est. habebat enim copias ueteranorum militum firmissimas: at D. Brutus & tirones, & omnium rerum inopia, propter diuturnam obsidionem, pessime acceptos: quod ipse in quadam epistola, suam tarditatem in Antonio persequendo excusans, conqueritur. praeterea ipse Cicero proximi uerbis non uni Bruto id tribuit, sed inter duces communicat: ait enim: Perterritos, inermos, saucios non sunt nostri duces persecuti. uidendum igitur, an glossa fuerit dictio, Bruti, ad illud, peccata, scripta ab homine imperito, qui quod Bruti, Octauianiq. commune fuerat, id unius Bruti proprium putarit. LEVITATEM *eius*, } etiam D. Brutus in quadam epistola hominem uentosissimum appellat. & epist. 19. Lepidus inconstantior, Antonius impurior. BONI, } bene sentientes, sed a robore infirmi, ob ueteranorum infrequentiam. fam. l. 12. LITTERIS, } ab urbe missis. fam. l. 12. INTERPRETIBVS: } ijs, qui mandata ferunt, & referunt: ut illud in epistola Planci, fam. libro X. Do operam, ut Lepidum ad huius rei societatem incitem. utor in hac re adiutoribus, interpretibusque fratre meo, & Laterense, & Furnio. Et in Verrem: Haec non occulte, non per amicos, atque interpretes; sed palam de loco superiore ageret pro imperio & potestate. SPEM *certissimam*: } si peteret, certo adepturum. NECESSARIOS } ad propinquos & amicos refertur. De L. tamen Marcio Philippo accipiendum non crediderim; quem de rep. potius, quam de Octauiani potentia. laborasse, demonstrant illa uerba in Bruti ad Atticum epistola: Quid prosunt Ciceroni, quae de libertate patriae, de dignitate, de morte, exsulio, paupertate scripsit copiosissime? quanto magis illa callere uidetur Philippus, qui priuigno minus tribuerit, quam Cicero, qui alieno tribuit? & apud Suetonium legimus haec de Octauio: Vrbe repetita, hereditatem adijt, dubitante matre, uitrico ueto Marcio Philippo consulare multum dissuadente. CONSILIORVM *fontes* } cum dicerem, a quibusdam in eam spem Octauianum esse impulsum; qui armare illum contra Brutum & Cassium, hoc est, contra libertatem cuperent. EXTRAORDINARIO } ideo quia consulatum nemo inibat, nisi annnum aetatis quadragesimum tertium absoluisset. extra ordinem quandoque iunioribus ea dignitas demandabatur. POTENTISSIMI } Hirtij enim & Pansae uictores exercitus solus occupauerat. AVCTOR } neque ad populum, neque in senatu. MILITVM *delicijs*. } cum milites, omissa ueteris disciplinae seueritate, per summam indulgentiam a duce corrupti, facilius libidinem illius secuturi, quam imperium reip. uideantur. DELICIIS igitur, perniciosa licentia, qua sibi eorum animos imperator deuinxit. IMPERATORIS *insolentia*. } qui ex uictoria ita insolens est factus, ut consulatum audeat postulare. FVGIEBAM *ex Italia*, } in Graeciam proficiscens. qua tota de re plenius in Philippica I. & epist. 25. libr. XII. fam. VESTRORVM } Bruti, & Cassij: de quibus Phil. I. CONSILIO, *& auctoritate* } adolescentem enim, militibus instructum, consilio, quo illa aetas indiget, iuui, & auctoritate publica contra Antonium armaui. Plutarchus in Cic. MAGIS, *quam euentis rerum*, } tyranno enim a te interfecto, libertas consequi debuit: quod secus accidit: non dum enim resp. sui iuris est. PRAESIDIIS } Principijs, esse uideo in antiquis libris: quos ego libenter sequi soleo. hic tamen teneo me paullisper. uam etsi, principia, locum in castris fuisse, non ignoro: mihi tamen noue, nec satis ad exprimendam sententiam accommodate dictum uidetur. cur enim, In principijs uestrorum castrorum, potius quam, in uestris castris? quibus in totis certe, hoc est, in uniuerso Bruti exercitu, non in principijs, hoc est, in parte aliqua, spes erat posita libertatis. praesidiis, uel unus antiquus liber si haberet, probarem multo magis, quam, principiis. esset aperta sententia, esset usitata locutio. AB *occidente*, } in Hispania. uidetur Sextum, Pompeii Magni filium, & Asinium Pollionem significare. ADOLESCENTIS: } Octauiani. Sequitur ita aperta translatio, ut indicanda non sit, firmum, labefactant, moueatur. QVANTVLVM *reliqui est?* } quasi dicat: Mea ipsius caussa non nimis dolebo: cui quantulum uitae superest? uos id potius iuuenes cogitate: quorum istuc refert maxime.

Brutus S. D. Ciceroni 15.

VETERIS Antistij talis animus est in remp. ut non dubitem, quin & in Caesare, & Antonio se praestiturus fuerit acerimum propugnatorem communis libertatis, si occasioni potuisset occurere. nam qui in Achaia congressus, P. Dolabella milites, atque equites habente, quoduis adire periculum ex insidijs paratissimi ad omnia latronis maluerit, quam uideri aut coactus esse pecuniam dare, aut libenter dedisse homini nequissimo, atque improbissimo, is nobis ultro & pollicitus est, & dedit XX HS ex sua pecunia, &, quod multo carius est, se ipsum obtulit, & coniunxit. huic persuadere coepimus, ut imperator in castris remaneret, remq. publicam defenderet. statuit eundem sibi, quoniam exercitum dimisisset: statim uero rediturum ad nos confirmauit, legatione suscepta, nisi praetorum comitia habituri essent consules. nam illi ita sentienti de rep.

rep. magnopere auctor fui, ne differret tempus petitionis suae. cuius factum omnibus gratum esse debet, qui modo iudicarit hunc exercitum esse reip. tibi tanto gratius, quanto maiore animo, gloriaq. libertatem nostram defendis, & dignitatem, si contigerit nostris consilijs exitus, quem optamus, perfuncturus es: ego etiam, mi Cicero, proprie, familiariterq. te rogo, ut Veterem ames, uelisq. esse quamamplissimum. qui etsi nulla re deterreri a proposito potest, tamen excitari tuis laudibus, indulgentiaq. poterit, quo magis amplexetur, ac tueatur iudicium suum: & mihi gratissimum erit.

EXPLANATIO

Nullis consulibus.

ET IN *Caesare, & Antonio* } fuit, cum Caesaris nomine Octauianum acciperem: nunc aliter sentio. nam neque de Octauiano remp. defendente, neque de eodem oppugnante accipi potest. defensio non dum eius ulla fuerat, neque fuit ante Mutinensem pugnam: oppugnatio item nulla, nisi post Antonium ad Mutinam fugatum. ergo de Octauiano, non est, ut possimus intelligere. de Caesare dictatore dictum potius uidetur. hic enim primus, post eum Antonius remp. oppugnauit. Quod autem infertur, Si occasioni potuisset occurrere; id non eo refero, ut eius belli, quod C. Caesar contra communem libertatem gessit, breuitate exclusum Antistium a nauanda reip. opera existimem; (non enim aut laboris, aut temporis parum in eo Caesar consumpsit) uerum, quia uoluerit quidem, sed ideo non potuerit; quia uoluntatem minime subsecuta sit occasio. ideo enim occasioni occurrere non potuit, quod ea sese illi non obtulit. non igitur ei tempus, non uoluntas, sed res ipsa defuit. IN *Achaia* } cui, ut opinor, praeerat: aut certe in qua exercitum habebat: quod infra patet. CONGRESSVS } cum Dolabellae in Syriam proficiscenti occurrisset. PARATISSIMI } ut qui etiam C. Trebonium per insidias occiderit. XX HS } non uiginti sestertiorum millia, quod Bruto exercitus habenti minimum subsidium fuisset; sed uicies sestertiorum, id est, ad nostratis pecuniae rationem, scutatorum aureorum sexaginta millia. confirmat Plutarchus in Bruti uita, scribens, ab hoc Antistio tradita Bruti quinquaginta myriades: quae sunt quingenta millia denarium, id est uices centena millia nummum. & saepe occurrimus in has notas, quae non ex aperta significatione, sed multiplici numero sunt exponendae, ut in epist. ad Sextium, lib. V. fam. tricies quinquies, non, ut in uulgatis libris legitur, XXXV. & ad D. Brutum, lib. XI. quadringenties, ubi legitur, CCCC. & alibi non raro. EVNDVM } Romam. LEGATIONE } libera: quam senatus dabat. CONSVLES } apparet, aut hanc epistolam ante mortem Hirtij & Pansae scriptam esse, aut Brutum, cum scripsit, Mutinensis proelij nuncium nondum accepisse. DIGNITATEM *perfuncturus* } quãto maior tua dignitas futura est. sic Terentius, opinor in Adelphis: Functus est officium probi adolescentis. duriuscule tamen dictum, Perfuncturus dignitatem, pro consecuturus dignitatem. nec, Perfungi, uideo quo modo hoc significare posit: nec usquam a ueteribus ad hanc sententiam usurpatur. malim, non ita magna litterarum mutatione, Dignitatem perfruiturus. quo participio & Cicero ipse usus est. &, Fruor, Plautus cum quarto casu usus est. TVIS *laudibus*, } si tu eum de optimo in remp. studio laudaueris. INDVLGENTIA } tua in illum facilitate: si gratificaberis illi quacumque re poteris.

Brutus S. D. Ciceroni 16.

ETSI *daturus eram Messallae Coruino continuo litteras, tamen Veterem nostrum ad te sine litteris meis uenire nolui. Maximo in discrimine resp. Brute, uersatur; uictoresq. rursus decertare cogimur. id accidit M. Lepidi scelere, & amentia. quo tempore cum multa propter eam curam, quam pro rep. suscepi, grauiter ferrem, tum nihil tuli grauius, quam me non posse matris tuae precibus cedere, non sororis. nam tibi, quod mihi plurimi est, facile me satisfacturum arbitrabar. nullo enim modo poterat caussa Lepidi distingui ab Antonio, omniumq. iudicio etiam durior erat, quod, cum honoribus amplissimis a senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam paucis ante diebus praeclaras litteras ad senatũ misisset. repente non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrimum terra, mariq. gerit: cuius exitus qui futurus sit, incertum est. ita, cum rogamur, ut misericordiam liberis eius impertiamus, nihil affertur, quo minus summa supplicia, si, quod Iuppiter omen auertat, pater puerorum uicerit, subeunda nobis sint. Nec uero me fugit, quam sit acerbum, parentum scelera filiorum poenis lui: sed hoc praeclare legibus comparatum est, ut caritas liberorum amiciores parentes reip. reip. redderet. itaque Lepidus crudelis in liberos, non is, qui Lepidum hostem iudicat. atque ille, si, armis positis, de ui damnatus esset; quo in iudicio certe defensionem non haberet: eandem calamitatem subirent liberi, bonis publicatis. quamquam, quod tua mater, & soror deprecatur pro pueris, id ipsum, & & multa alia crudelior nobis omnibus Lepidus, Antonius, & reliqui hostes denunciant. itaque maximam spem hoc tempore habemus in te, atque exercitu tuo. cum ad reip. summam, tum ad gloriam, & dignitatem tuam uehementer pertinet, te in Italiam, ut ante scripsi, uenire quam primum: eget enim uehementer tum uiribus tuis, tum etiam consilio resp. Veterem pro eius erga te beneuolentia, singulariq. officio libenter ex tuis litteris complexus sum; eumq. cum tui, tum reip. studiosissimum, amantissimumq. cognoui. Ciceronem meum propediem, ut spero, uidebo. tecum enim illum, & te in Italiam celeriter esse uenturum confido.*

EXPLANATIO

Nullis conſulibus.

MESSALLAE } Bruti amiciſſimo, qui deinde apud Auguſtum opibus & gratia floruit. de hoc epiſt. 19. & Dio lib. XLIX. CORVINO } Dubium non eſt, hunc originem ducere a Valerio illo, cui a Coruo, qui ei pugnanti opem tulit, Corui cognomen eſt inditum. qui ſi Coruus dictus eſt, ut ueteres tum lapides, tum nummi teſtantur; quod a Carolo Sigonio, uiro doctiſſimo, & in examinanda antiquitate diligentiſſimo, notatum eſt: uidetur & hic Coruus potius, quam Coruinus, eſſe nominandus. quamquam non nihil in dubium me reuocat ueterum librorum conſenſio; in quibus eſſe uideo, Coruino: & quod Manilius poeta, qui Auguſti temporibus uixit, Coruinum, non Coruum, nominat. MATRIS *tuae* } quae ſocrus erat Lepidi. ep. 17. CEDERE, } non enim licuit, cum Lepidum hoſtem iudicaremus, eius liberos excipere. omnes enim eadem lege tenentur. SATISFACTVRVM } facile meam cauſſam probaturũ; ut meã excuſationẽ, & ſatisfactionẽ acciperes. HONORIBVS *ampliſsimis* } ut etiã illi ſtatua in Roſtris erecta ſit. infra ep. 19. DE *ui damnatus eſſet;* } Perduelles, hoc eſt, ij, qui contra remp. arma ſuſcepiſſent, de duobus alterum effugere non poterant, ut aut, ſi pergerent inſanire, armis petiti debitas patriae poenas exſoluerent; aut, ſi ſe intra diem praefinitam ad ſanitatem recepiſſent, iudicio de ui omnino damnarentur. EANDEM *calamitatem ſubirent* } quanto magis, cum eorum pater arma non poſuerit, & in furore perſeuerauerit, neque intra tempus a ſenatu conſtitutum ad ſanitatem redierit. CONSILIO } in bello, exercitu eius reſp. indigebat; uictis hoſtibus, conſilio, ut urbanae res componerentur. ſimile illud eſt in epiſtola ad C. Caſſium: Te in Italiam uenire cum exercitu, perſuaſum erat ciuitati: ut, ſi haec ex ſententia confecta eſſent, conſilio, atque auctoritate tua; ſin quid forte titubatum eſſet, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. & ad ipſum Brutum infra, epiſtola 19. & 20. ET *te* } hoc aut uidetur abundare, cum iam dixerit, Tecum; aut ita corrigendum, ut legas, Eſſe; & illud, Eſſe, quod poſtea ſequitur, tollas.

Brutus S. D. Ciceroni 17.

DE *M. Lepido uereri me cogit reliquorum timor. qui ſi eripuerit ſe nobis; quod, uelim, temere, atque iniurioſe de illo ſuſpicati ſint homines: oro, atque obſecro te, Cicero, neceſſitudinem noſtram, tuamq. in me beneuolentiam obteſtans, ſororis meae liberos obliuiſcaris eſſe Lepidi filios, meq. his in patris locum ſucceſſiſſe exiſtimes. hoc ſi a te impetro, nihil profecto dubitabis pro his ſuſcipere. aliter alij cum ſuis uiuunt: nihil ego poßum in ſororis meae liberis facere, quo poſſit expleri uoluntas mea, aut officium. quid uero aut mihi tribuere boni poſſunt; ſi modo digni ſumus, quibus aliquid tribuatur; aut ego matri, ac ſorori, puerisq. illis praeſtaturus ſum, ſi nihil ualuerit apud te, reliquumq. ſenatum contra patrem Lepidum Brutus auunculus? ſcribere multa ad te neque poſſum prae ſolicitudine, ac ſtomacho; neque debeo. nam, ſi in tanta re, tamq. neceſſaria uerbis mihi opus eſt ad te excitandum, & confirmandum; nulla ſpes eſt, facturum te, quod uolo, & quod oportet. quare noli exſpectare longas preces: intuere me ipſum, qui hoc a te uel a Cicerone coniunctiſſimo homine, priuatim, uel a conſulari, tali uiro, remota neceſſitudine priuata, debeo impetrare. quid ſis facturus, uelim mihi quamprimũ reſcribas. Kal. Quinct. ex caſtris.*

EXPLANATIO

Nullis conſulibus.

DE M. *Lepido uereri* } de induſtria, uereri dixit potius, quam timere: ut aliquid tamen ſe de Lepido ſperare ſignificet. SOLICITVDINE } de pueris: quos Brutus & immerentes, & ſororis ſuae filios, affici poena, inique ferebat. STOMACHO, } in patrem Lepidum. A CONSVLARI, *tali uiro* } uel, inquit, coniunctionis noſtrae, uel reip. cauſſa impetrare hoc a te debeo. uterque enim ita de illa meriti ſumus, ut hoc potiſſimum nomine gratificari alter alteri debeat.

Cicero S. D. Bruto. 18.

BREVES *tuae litterae: breues, dico? immo nullae. tribus ne uerſiculis his temporibus Brutus ad me? nihil ſcripſiſſem potius. & requiris meas. quis umquam ad te tuorum ſine meis uenit? quae aũt epiſtola nõ põdus habuit? quae ſi ad te perlatae nõ ſunt, ne domeſticas qdẽ tuas perlatas arbitror. Ciceronis ſcribis te lon-*

te longiorem daturum epistolam. recte id quidem: sed haec quoque debuit esse plenior. ego autem, cum ad me de Ciceronis abs te discessu scripsisses, statim extrusi ta bellarios, litterasq. ad Ciceronem, ut, etiam si in Italiam uenisset, ad te rediret. nihil enim mihi iucundius, nihil illi honestius. quamquam aliquoties ei scripseram, sacerdotum comitia mea summa contentione in alterum annum esse reiecta; quod ego cum Ciceronis caussa elaboraui, tum Domitij, Catonis, Lentuli, Bibulorum: quod ad te etiam scripseram. sed uidelicet, cum illam pusillam epistolam tuam ad me dabas, non dum erat tibi id notum. quare omni studio a te, mi Brute, contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas, tecumq. adducas. quod ipsum, si remp. cui susceptus es, respicis, tibi iam iamq. faciendum est. renatum enim bellum est, idq. non paruo scelere Lepidi. exercitus autem Caesaris, qui erat optimus, non modo nihil prodest, sed etiam cogit exercitum tuum flagitari: qui si Italiam attigerit; erit ciuis nemo, quem quidem ciuem appellari fas sit, qui se non in tua castra conferat. etsi Brutum praeclare cum Planco coniunctum habemus. sed non ignoras, quam sint incerti animi hominum, & infecti partibus, & exitus proeliorum. quin etiam, si, ut spero, uicerimus, tamen magnam gubernationem tui consilii, tuaeq. auctoritatis res desiderabit. subueni igitur per deos, idq. quamprimum; tibiq. persuade, non te idibus Martiis, quibus seruitutem a tuis ciuibus repulisti, plus profuisse patriae, quam, si mature ueneris, profuturum. II. id. Quinct.

EXPLANATIO

BREVES } ualde breuitatem Brutus amabat in scribendo, tum quia natura seuerior, tum quia Stoicorum disciplinae se penitus addixerat. estant Graecae eius epistolae breuissimae. & hanc eius consuetudinem Plutarchus, Appianusq. commemorant. PONDVS } cum grauissimis de rebus scriptae sint omnes. EXTRVSI } non dicit, conuiciis male acceptos tabellarios, qui tuas litteras attulerat, dimisi, sed, propere tabellarios cum litteris ad Ciceronem misi. MEA *summa contentione* } cur, Summa contentione? non, in alterum annum, etiam nemine contendente, produci ea necesse erat; cum, ut supra satis copiose ostendimus, ea qui habere posset, magistratus nullus esset? forte (tale enim aliquid est cogitandum) habuisset ea praetor; forte, pontifex maximus, paene dixi. sed, hoc fieri non potuisse, in mentem uenit: cum, qui pontifex maximus erat, M. Lepidus, is in urbe non esset. IN *alterum annum* } ut Cicero filius adesse posset. QVAMQVAM } quamquam ex litteris meis cognoscere potuit, non esse, cur petitionis suae caussa rediret, cum in alterum annum comitia sint reiecta. epistola 9. DOMITII, *Catonis, Lentuli, Bibulorum:* } qui erant in castris Bruti, & in collegium pontificum minorum cooptari cupiebant, neque tamen ad petitionem mature satis uenire poterant: ideo, ut praesentes petere possent, in alterum annum comitia protruserat. De Domitio, & Catone ante diximus. Lentulum non opinor eius Lentuli filium fuisse, qui Spinther dictus est, & consul Ciceronem ab exsulio reuocauit. nam is hoc tempore Asiam prouinciam regebat, ut est ex ipsius epistola satis apertum, fam. lib. XII. itaque priuatus esse in castris Bruti non poterat. De Bibulis quoque supra, epist. XI. SVSCEPTVS, } genitus. unde, suscipere libros ex aliqua, pro gignere. LEPIDI, } quia se cum Antonio coniunxerat. OPTIMVS, } optime in remp. animatus. ut ad mentem potius, quam ad uires, referatur. INFECTI *partibus*, } quod alii cum aliis sentiant: quod eos uitium, quasi labes aliqua, inficit, atque contaminat. NON *dum erat.* } &c. non enim scripsisses Ciceronem meum a te discessurum. CVM *Planco coniunctum* } Plancus tamen paullo post, cum Antonio societate inita, reipublicae caussam deseruit. IDIBVS *Martiis:* } quo die Caesarem in curia Pompeia occisum ita notum est, ut superuacanea significatio sit.

Cicero S. D. Bruto. 19.

MESSALLAM *habes: quibus igitur litteris tã accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quae gerantur, quaeq. sint in rep. quam tibi is exponet, qui & optime omnia nouit, & elegantissime expedire, & deferre ad te potest? caue enim existimes, Brute, (quamquam non necesse est ea me ad te, quae tibi nota sunt, scribere: sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio praeterire) caue putes, probitate, constantia, cura, studio reip. quidquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, uix in eo locum ad laudandum habere uideatur: quamquam in hac ipsa sapientia plus apparet: ita graui iudicio, multaq. arte se exercuit in uerissimo genere dicendi. tãta autem industria est, tantumq. euigilat in studio, ut non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia habenda uideatur. Sed prouehor amore. non enim id propositum est huic epistolae, Messallam ut laudem, praesertim ad Brutum; cui & uirtus illius non minus, quam mihi, nota est, & haec ipsa studia, quae laudo, notiora. quem cum a me dimittens grauiter ferrem, hoc leuabar uno, quod ad te, tamquam ad alterum me, proficiscens, & officio fungebatur, & laudem maximam sequebatur. Sed haec hactenus. Venio nunc, longo sane interuallo, ad quandam epistolam, qua mihi multa tribuens; unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius, & tamquam prodigus. tu hoc; alius fortasse, quod in animaduersione, poenaque durior: nisi fortasse utrumque tu. quod si ita est, utriusque rei meum iudicium tibi cupio esse notissimum:*

simum: neque solum ut Solonis dictum usurpem, qui & sapientissimus fuit ex septem, & legum scriptor solus ex septem. is remp. contineri duabus rebus dixit, praemio, & poena. est scilicet utriusque rei modus, sicut reliquarum, & quaedam in utroque genere mediocritas. sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. quid ego autem secutus in bello sim in sententijs dicendis, aperire non alienum puto. Post interitum Caesaris, & uestras memorabiles id. Martias, Brute, quid ego praetermissum a uobis, quantâq. impendere reip. tempestatē dixerim, non es oblitus. magna pestis erat depulsa per uos, magna populi R. macula deleta, uobis uero parta diuina gloria: sed instrumentū regni delatū ad Lepidū, & Antoniū: quorū alter inconstantior, alter impurior, uterque pacē metuens, inimicus otio. his ardentibus perturbandae reip. cupiditate quod opponi posset praesidiū, non habebamus: erexerat enim se ciuitas in retinenda libertate consentiēs. nos tū nimis acres. uos, fortasse sapientius, excessistis urbe ea, quam liberastis: Italiae, sua uobis studia profitenti, remisistis. itaque, cum teneri urbem a paricidis uiderem, nec te in ea, nec Cassium tuto esse posse, eamq. armis oppressam ab Antonio: mihi quoque ipsi esse excedendum putaui. taetrum enim spectaculum, oppressa ab impijs ciuitas, opitulandi potestate praecisa. sed animus idem, qui semper, infixus in patriae caritate, discessum ab eius periculis ferre non potuit. itaque in medio Achaico cursu, cum Etesiarum diebus Auster me in Italiā, quasi dissuasor mei consilij, retulisset, te uidi Veliae, doluiq. uehementer. cedebas enim, Brute, cedebas: quoniam Stoici uestri negant fugere sapientis. Romam ut ueni, statim me obtuli Antonij sceleri, atque dementiae. quē cū in me incitauissem, consilia inire coepi, Brutina plane, (uestri enim haec sunt propria sanguinis) reip. liberandae. longa sunt, quae restant, praetereunda: sunt enim de me. tantum dico, Caesarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si uerum fateri uolumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. huic habiti a me honores, nulli quidem Brute, nisi debiti, nulli, nisi necessarij. ut enim primum libertatem reuocare coepimus, cum se non dum ne Decimi quidem Bruti diuina uirtus ita commouisset, ut iam id scire possemus; atque omne praesidium esset in puero, qui a ceruicibus nostris auertisset Antonium; quis honos ei non fuit decernendus? quamquam ego illi tum uerborum laudem tribui, eamq. modicam: decreui etiam imperium: quod quamquam uidebatur illi aetati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. quid enim est sine imperio exercitus? statuam Philippus decreuit; celeritatem petitionis primo Seruius, post maiorem etiam Seruilius. nihil tum nimium uidebatur. sed nescio quo modo facilius in timore benigni, quam in uictoria grati reperimur. ego enim, D. Bruto liberato, cum laetissimus ille ciuitatis dies illuxisset, idemq. casu Bruti natalis esset, decreui, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur. in eoq. sum maiorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiae tribuerunt, cui uos pontifices ad aram in Velabro facere soletis, quod ego cum dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimae uictoriae sempiternam uolebam. atque illo die cognoui, haud paullo plures in senatu maleuolos esse, quam gratos. Eos per ipsos dies effudi, si ita uis, honores in mortuos Hirtium, & Pansam, Aquilam etiā: quod quis reprehendit, nisi qui, deposito metu, praeteriti periculi fuerit oblitus? accedebat ad beneficij memoriam gratam ratio illa, quae etiam posteris posset esse salutaris. exstare enim uolebam in crudelissimos hostes monumenta odij publici sempiterna. Suspicor illud minus tibi probari, quod a tuis familiaribus, optimis illis quidem uiris, sed in rep. rudibus, non probatur, quod, ut ouanti introire Caesari liceret, decreuerim. ego autem (sed erro fortasse: nec tamen is sum, ut mea me maxime delectent) nihil mihi uideor hoc bello sensisse prudentius. cur autem ita sit, aperiendum non est; ne magis uideas prouidus fuisse, quam gratus. hoc ipsum nimium: quare alia uideamus. D. Bruto decreui honores, decreui L. Planco. praeclara illa quidem ingenia, quae gloria inuitantur: sed senatus etiam sapiens, qui, qua quemque re putat, modo honesta, ad remp. iuuandum posse adduci, hac utitur. At in Lepido reprehenditur: cui cum statuam in Rostris statuissemus, iidem illam euertimus. Nos illum honore studuimus a furore reuocare: uicit amentia leuissimi hominis nostram prudentiam. nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in euertenda boni. Satis multa de honoribus. nunc de poena pauca sunt dicenda. Intellexi enim ex tuis saepe litteris, te in ijs, quos bello deuicisti, clementiam tuam uelle laudari. existimo equidem, nil a te nisi sapienter: sed, sceleris poenam praetermittere, (id enim est, quod uocatur ignoscere) etiam si in ceteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. nullum enim bellum ciuile fuit in nostra rep. omnium quae memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracumque pars uicisset, tamen aliqua forma esset futura reip. hoc bello uictores quam remp. simus habituri, non facile affirmarim: uictis certe nulla umquam erit. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum seueras, neque tam ulciscendi caussa, quam ut & in praesens sceleratos ciues timore ab impugnanda patria deterrerem; & in posterum documentum statuerem, ne quis talem amentiam uellet imitari. quamquam haec quidem sententia non magis mea fuit, quam omnium. in qua uidetur esse illud crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, poena peruenit. sed id & antiquum est, & omnium ciuitatum: siquidem etiam Themistoclis liberi eguerunt. &, si iudicio damnatos eadem poena sequitur ciues; qui potuimus leniores esse in hostes? Quid autem queri quisquam potest de me; qui si uicisset, acerbiorem se in me futurum fuisse confiteatur, necesse est? Habes rationem mearum sententiarum, de hoc genere dumtaxat honoris, & poenae. nam de ceteris rebus quid senserim, quidq. censuerim; audisse te arbitror. Sed haec quidem non ita necessaria: illud ualde necessarium Brute, te in Italiam cum exercitu uenire quamprimum. summa est exspectatio tui: qui si Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium. siue enim uicerimus; qui quidem pulcherrime uiceramus, nisi Lepidus perdere omnia, & perire ipse cum suis concupiuisset: tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem ciuitatis statum. siue etiam nunc certamen reliquum est: maxima spes est cum in auctoritate tua, tū in exercitus tui uiribus. Sed propera per deos. scis, quantum sit in temporibus, quantum in celeritate.

ritate. Sororis filiis quam diligenter consulam, spero te ex matris, & sororis litteris cogniturum. qua in caussa maiorem habeo rationem tuae uoluntatis, quae mihi carissima est, quam, ut quibusdam uideor, constantiae meae. sed ego nulla in re malo, quam te amando, constans & esse, & uideri. Vale.

EXPLANATIO

SVBTILIVS } subtilitas in scriptis est, non tenuitas, & humilitas, sed accuratus quidam ordo, nihil ut praetermittatur. ELOQVENTIA, } fuit orator Messalla suae aetatis praestantissimus. Plinius & alij. Tacitus uisum quibusdam Cicerone mitiorem, & dulciorem, & in uerbis magis elaboratum, significat in dialogo de oratoribus, uitamq. produxisse in medium usque Augusti principatum. OFFICIO: } in temp. SEQVEBATVR, } cum ad caussam reip. defendendam proficisceretur, in quo summam laudem uidebat esse constitutam. QVANDAM *epistolam*: } eam, cuius initium est, Quanta sim laetitia affectus, ep.7. VTRVMQVE } quod & honores Octauiano extraordinarios decreuisset, & in Lepidum Lepidiq. liberos nimis grauem poenam statuisset. quamquam, quod ad animaduersionem attinet, communiter etiam accipi potest de sententijs, quas contra malos ciues dixit. NEQVE *solum ut Solonis dictum usurpem*, } possem me iudicio Solonis, sapientissimi uiri, aduersus reprehensionem tuam defendere; qui praemio, & poena contineri remp. dixit: sed ego non hoc solum faciam, ut meum factum Solonis auctoritate excusem: caussam etiam adiungam consilij mei; ut ostendam, cum & de praemio, & de poena sententias dixi, quid spectauerim. PRAETERMISSVM } satellitem tyranni M. Antoniũ, saepe queritur, simul cum tyranno interfectum non esse. Vellem, inquit in epistola ad Trebonium, me ad illas epulas inuitasses: reliquiarum nihil haberemus. INCONSTANTIOR, } Lepidus, qui modo libertatis, modo regni cupidus uideretur. etiam ep.14. leuitatem illi adscribit. NIMIS *acres*. } cum omnes acceptam a uobis libertatem retinere uellemus; uos autem libertatis auctores (tacite Cassii & Bruti discessum ex Italia reprehendit) urbem uestram, Antonii armis oppressam, desereretis, qui etiam, Italiae sua uobis studia profitenti, remisistis. MIHI *quoq. ipsi* } indicat se non fuisse discessurum, nisi Brutus & Cassius, quos maxime subsidium ferre oppressae reip. oportuerat, ante discessissent. & duplicem affert pro se ipso defensionem, tum quod ipsorum liberatorum exemplo discesserit, tum quod propere tamen redierit, qui discessum a reip. periculis ferre non posset. ETESIARVM *diebus auster* } quasi discessum meum dii non probarent, qui etesiarum diebus austrum spirare praeter consuetudinem uoluerint. etesiae autem in orientem nauigantibus secundi sunt, auster in occidentem: itaque Ciceroni Graeciam petenti prosperi etesiae, contra auster. TE *uidi* } Veliae. supra, & Philippica 1. SAPIENTIS. } Stoici, quorum sectam Brutus, ab auunculo suo M. Catone institutus, sequebatur, fugere negabant esse sapientis: quem nulla re perturbari, nihil timere affirmabant: ita sequebatur, ut nec fugeret: timet enim, qui fugit. A CERVICIBVS } cum Antonius, Macedonicis legionibus instructus, bonis iratus urbem peteret, Octauianus priuato consilio se opposuit. ep.25. li.XII. fam. & Philippica III. IV. V. HONORIFICVM, } placeret, Nimis honorificum. PHILIPPVS } L. Marcius Philippus, qui consulatum gessit cum Marcellino, Octauiani uitricus. epist.21. CELERITATEM } magistratus, ut celerius posset petere, quam leges permitterent. id autem Ser. Sulpicius decreuit. sed, cum ille decreuisset, ut Octauianus uerbi gratia decem annis celerius, quam per leges liceret, petere posset, Isaurici filius Seruilius decreuit, ut etiam aliquanto celerius. quod autem Seruius decreuit, opinor hoc est, ut tamquam quaestorius petere posset Octauius: quod Seruilius, ut tamquam praetorius. ep.8. REPERIMVR } non omnino displiceret, Reperiuntur, ut est in antiquis libris. potest enim subaudiri, homines. LARENTIAE } quae populo Romano agros, Turacem, Semurium, Lincerium, & Solinium reliquit: ex quo est annuis parentationibus honorata. Varro, Ouidius, Macrobius lib.1. Sat. Vos *pontifices* } minores, quorum in collegio Brutus fuit: nam in lib. de claris orat. ita loquitur: Audiui Sulpicium studiose, & frequenter Sami; cum ex eo, ius nostrum pontificium, qua ex parte cum iure ciuili coniunctum esset, uellem scire. IN *Velabro* } hic uidetur de secunda potius Larentia, quam de priore, accipiendum. uide Plutarchum in Romulo. SEMPITERNAM *memoriam* } ubi sunt, qui se libros impressos sine scriptorum ope facile putant posse corrigere? haec, haec nimirum temeritas antiquorum scripta maculis innumerabilibus inquinauit. neque uero dum repressum est hoc malum, sed in dies, ut uideo, serpit magis. id adeo iis libris, qui quotidie typographorum quorundam ex officinis prodeunt, legendis intelligo. Hic in duabus uocibus, Sempiternam memoriam, me quoque hactenus, ut ingenue confitear, cum ceteris, πεζῇ ἀν ἰχάλυ... μέλλοντα. nec dubitaui, quin ita recte legeretur, sensu satis aperto. nunc, a Bessarionis libro dictionem, Memoriam, cum uiderem abesse; omissam primum incuria librarii sum opinatus; deinde, cum accuratius animum intendissem, agnoui ueritatem, & Memoriam, abundare, prorsus iudicaui. quod a nemine fuerat animaduersum. & est pulcherrima sententia. ideo, inquit, decreuit, ut in fastis ad eum diem, quo uictus esset ad Mutinam Antonius, Bruti nomen adscriberetur; quia notam esse in fastis uolebam, quae uictoriam illam futuris etiam gentibus testaretur. notam enim hic pro signo, ac monumento quodam accipio. quod quibus occultum fuit, ii, Memoriam, de suo intruserunt, ut esset, notam memoriam. confirmat igitur nostram correctionem primum libri scripti auctoritas, deinde sententia; quam ego in hac emendandi ratione maxime soleo

ieo spectare; postremo ipsemet Cicero, qui eadem de re, paullo post, iisdem fere uerbis usus est. Infert enim: *Exstare uolebam in crudelissimor hostes monumenta odij publici sempiterna.* AQVILAM *etiam* } unum ex percussoribus Caesaris, qui perierat in proelio Mutinensi. fam. l. x. ep. 33. APERIENDVM *non est*, } quid significat? hoc opinor; ideo se id sensisse, non tam ut pro beneficio gratiam referret, quam ut Octauianus, ouationis honore illectus, in urbem rediret, statimq., ut mos erat, imperiũ deponeret: itaq. eius exercitus ad alium transferretur: quae fuisset reip. summa cautio. timendum enim erat, id quod euenit, ne Octauianus, cum exercitus in sua potestate haberet, ad persequendam patris mortem animum conuerteret. hoc est, ut opinor, in quo se Cicero prouidum fuisse significat. Hoc *ipsum nimium* } aperire nolebam, cur ita esset; aperuisse tamen nimis uideor; cum dixi, ne magis uidear prouidus fuisse, quam gratus. quare hac de re uerbum ne addamus. transeamus ad alia. HONORE } non est haec dictio Bessarionis in libro: & potuit esse glossa. THEMISTOCLIS } qui proditionis est damnatus, eiusq. bona publicata. Plutarchus, & Aemilius Probus. IVDICIO } de ui. ep. 16. QVISQVAM } ex ijs, quos ego hostes iudicandos censui. SI *uicisset* } ad Mutinam. loquitur enim de M. Antonij secta. SORORIS *tuae filijs* } Lepidi filijs: quos, cum pater Lepidus hostis esset iudicatus, bonisq. omnibus exsutus, ad inopiam redactos necessarijs rebus sustentabat.

Brutus S. D. Ciceroni 20.

PARTICVLAM litterarum tuarum, quas misisti Octauio, legi, missam ab Attico mihi. Studiũ tuum, curaq. de salute mea nulla me noua uoluptate affecit. non solum enim usitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter, atque honorifice dixeris, aut feceris. at dolore, quantum maximum capere animo possum, eadẽ illa pars epistolae scriptae ad Octauiũ de nobis affecit. sic enim illi gratias agis de rep. tam suppliciter, ac demisse. quid scribam? pudet condicionis, ac fortunae: sed tamen scribendum est. commendas nostram salutẽ illi; quae morte qua nõ perniciosior? ut prorsus prae te feras, non sublatam dominationem, sed dominum commutatum esse. uerba tua recognosce, & aude negare, seruientis aduersus regem istas esse preces. unum ais esse, quod ab eo postuletur, & exspectetur, ut eos ciues, de quibus uiri boni, populusq. R. bene existimet, saluos uelis. quid, si nolit? non erimus? atqui non esse, quam esse per illum, praestat. ego mediusfidius non existimo, tam omnes deos auersos esse a salute populi R. ut Octauius orandus sit pro salute cuiusquam ciuis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum. iuuat enim magnifice loqui, & certe decet aduersus ignorantes, quid pro quoque timendum, aut a quoque petendum sit. hoc tu Cicero posse fateris Octauium, & illi amicus es; aut, si me carum habes, uis Romae uideri; cum, ut ibi esse possem, commendandus puero illi fuerim? cui quid agis gratias, si, ut nos saluos esse uelit, & patiatur, rogandum putas? an hoc pro beneficio est habendum, quod se, quam Antonium, esse maluerit, a quo ista petenda essent? uindici quidem alienae dominationis, non uicario, eequis supplicat, ut optime meritis de rep. liceat esse saluis? ista uero imbecillitas, & desperatio, cuius culpa non magis in te residet, quam in omnibus alijs, & Caesarem in cupiditatem regni impulit; & Antonio post interitum illius persuasit, ut interfecti locum occupare conaretur; & nunc puerum istum extulit, ut tu iudicares, precibus esse impetrandam salutem talibus uiris, misericordiaq. unius uix etiam nunc uiri tutos fore nos, haud ulla alia re. quod si Romanos nos esse meminissemus; non audacius dominari cuperent postremi homines, quam id nos prohiberemus; neque magis irritatus esset Antonius regno Caesaris, quam ob eiusdem mortem deterritus. Tu quidem consularis, & tantorum scelerum uindex. quibus oppressis, uereor, ne in breue tempus dilata sit abs te pernicies, qui potes intueri, quae gesseris, simul & ista uel probare, uel ita demisse, ac facile pati, ut probantis speciem habeas? quod autem tibi cum Antonio priuatum odium? nempe, quia postulabat haec; salutem ab se peti; precariam nos incolumitatem habere, a quibus ipse libertatem accepisset; esse arbitrium suum de rep. quaerenda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur; scilicet, ut, illo prohibito, rogaremus alterum, qui se in eius locum reponi pateretur, an ut esset sui iuris, ac mancipij resp.? nisi forte non de seruitute, sed de condicione seruiendi recusatum est a nobis. atqui nõ solum bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam, sed etiam beneficijs, atque honoribus, ut participes, frui, quantis uellemus. quid enim neget ijs, quorum patientiam uideret maximum suae dominationis praesidium esse? sed nihil tanti fuit, quo uenderemus fidem nostram, & libertatem. hic ipse puer, quem Caesaris nomen incitare uidetur in Caesaris interfectores, quanti aestimet, si sit commercio locus; posse nobis auctoribus tantum, quantum profecto poterit; quoniam uiuere, & pecunias habere, & dici consulares uolumus? ceterum nequidquam perierit ille: cuius interitu quid gauisi sumus; si, mortuo, nihilominus seruituri eramus? nulla cura adhibetur. sed mihi prius omnia dij, deaeq. eripuerint, quam illud iudicium, quo non modo heredi eius, quem occidi, non concesserim, quod in illo non tuli, sed ne patri quidem meo, si reuiuiscat, ut, patiente me, plus legibus, ac senatu possit. An hoc tibi persuasum est, fore ceteros ab eo liberos, quo inuito nobis in ista ciuitate locus non sit? qui porro id, quod petis, fieri potest, ut impetres? rogas enim, uelit nos saluos esse. uidemur ergo tibi salutem accepturi, cum uitam acceperimus? quam, si prius dimittimus dignitatem, & libertatem, qui possumus accipere? An tu, Romae habitare, id putas incolumem esse? res, non locus, oportet, praestet istuc mihi. neque incolumis Caesare uiuo fui, nisi postquam illud conscivi facinus: neque usquam exsul esse possum, dum, seruire, & pati contumelias, peius odero malis omnibus alijs. non ne hoc est in easdem tenebras recidisse? ab eo, qui tyranni nomen adsciuit sibi, (cum in Graecis ciuitatibus liberi tyrannorum, oppressis illis, eodem supplicio afficiantur)

citantur) petitur; ut uindices, atque oppreßores dominationis salui sint? hanc ego ciuitatem uidere uelim, aut putem ullam. quae ne traditam quidem, atque inculcatam libertatem recipere poßit, plusq. timeat in puero nomen sublati regis, quam confidat sibi; cum illum ipsum qui maximas opes habuerit, paucorum uirtute sublatum uideat? Me uero posthac ne commendaueris Caesari tuo, ne te quidem ipsum, si me audies. ualde care aestimas tot annos, quot ista aetas recipit, si propter eam caußam puero isti supplicaturus es. Deinde, quod pulcherrime fecisti, ac facis in Antonio, uide, ne conuertatur a laude maximi animi ad opinionem formidinis. nam, si Octauius tibi placet, a quo de nostra salute petendum sit; non dominum fugisse, sed amiciorem dominum quaesisse uideberis. quem quod laudas ob ea, quae adhuc fecit; plane probo: sunt enim laudanda, si modo contra alienam potentiam, non pro sua suscepit eas actiones. cum uero iudicas tantum illi non modo licere, sed etiam a te ipso tribuendum esse, ut rogandus sit, ne nolit esse nos saluos: nimium magnam mercedem statuis. id enim ipsum illi largiris, quod per illum habere uidebatur resp. neque hoc tibi in mentem uenit, si Octauius illis dignus sit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat; iis, qui illud malum exciderint, cuius istae reliquiae sunt, nihil, quo expleri poßit eorum meritum tributurum unquam populus R. si omnia simul congesserit. Ac uide, quanto diligentius homines metuant, quam meminerint, quia Antonius uiuat, atque in armis sit: de Caesare uero quod fieri potuit, ac debuit, transactum est, neque iam reuocari in integrum potest. Octauius is est, qui quid de nobis iudicaturus sit, exspectet populus R.? nos ij sumus, de quorum salute unus homo rogandus uideatur? ego (ut istuc reuertar) is sum, qui non modo non supplicem, sed etiam coerceam postulantes, ut sibi supplicetur. aut longe a seruientibus abero; mihiq. esse iudicabo Romam, ubicumque liberum esse licebit; ac uestri miserebor, quibus nec aetas, neque honores, neque uirtus aliena dulcedinem uiuendi minuere poterit. mihi quidem ita beatus esse uidebor, si modo constanter, ac perpetuo placebit hoc consilium, ut relatam putem gratiam pietati meae. quid enim est melius, quam, memoria recte factorum, & libertate contentum, negligere humana? sed certe non succumbam succumbentibus; nec uincar ab ijs, qui se uinci uolunt; experiarque, & tentabo omnia, neque desistam abstrahere a seruitio ciuitatem nostram. si secuta fuerit, quae debet, fortuna; gaudebimus omnes: sin minus; ego tamen gaudebo. quibus enim prius haec uita factis, aut cogitationibus traducatur, quam ijs, quae pertinuerint ad liberandos ciues meos? te, Cicero, rogo, atque hortor, ne defatigere, neu diffidas; semper in praesentibus malis prohibendis, futura quoque, nisi ante sit occursum, explores, ne se insinuent. fortem, & liberum animum, quo & consul, & nunc consularis remp. uindicasti, sine constantia, & aequabilitatem nullam esse putaris. fateor enim, duriorem esse condicionem spectatae uirtutis, quam incognitae. benefacta pro debitis exigimus. quae si aliter eueniunt, ut decepti ab his, infesto animo reprehendimus. itaque, resistere Antonio Ciceronem, & si magna laude dignum est; tamen, quia ille consul hunc consularem merito praestare uidetur, nemo admiratur. idem Cicero, si flexerit aduersus alios iudicium suum, quod tanta firmitate, ac magnitudine animi direxit in exturbando Antonio, non modo reliqui temporis gloriam eripuerit sibi, sed etiam praeteriti euanescere coget: (nihil enim per se amplum est, nisi in quo iudicij ratio exstat) quia neminem magis decet, remp. amare, libertatisq. defensorem esse, uel ingenio, uel rebus gestis, uel studio, atque efflagitatione omnium. quare non Octauius est rogandus, ut uelit nos saluos esse: magis tute exsuscita, ut eam ciuitatem, in qua maxima gessisti, liberam, atque honestam fore putes, si modo sint populo duces ad resistendum improborum consilijs.

EXPLANATIO

Nullis consulibus.

DE REP. } ab eo contra M. Antonium defensa. CONDICIONIS } pudet eo nos redactos condicionis, ac fortunae, ut commendandos Octauio putes. Vel explana, condicionis tuae, ac fortunae, qui homo consularis, tantis rebus gestis, nunc cum isto puero tam suppliciter, tam demisse agas. NON *perniciosior* } si precario habeatur. QVID *pro quoque timendum* } nam neque est, cur de nobis timidus, aut solicitus sis; cum ipsi nihil timeamus, & ita animati simus, ut honestam mortem turpi uitae anteponamus: neque hoc ab Octauio petendum est, ut nos uelit esse saluos: nimium enim illi tribuis. SI *me carum habes, uis Romae uideri;* } ideo quia me carum habes, uis Romae uideri amicos Octauio? quoniam quidem, ut ibi esse possem, (hoc pertinet ad illud, Si me carum habes.) commendandum illi puero me putasti. CVI *quid agis gratias,* } si optime sentit de republica; quod tu existimare uideris, cum illi gratias agis: cur eum rogas de salute bonorum ciuium, hoc est nostra? aut igitur gratiae non sunt agendae, si rogandus est; aut, si aguntur, rogandus certe non est. VINDICI *quidem &c.* } si Octauius uindex est, ut tu iudicas, & ultor dominationis Antonij, non, ut ego uereor, uicarius: absurde facis, o Cicero, qui ei remp. defendenti supplices pro ijs, qui optime de rep. meriti sunt. amicis enim, & earundem partium studiosis non supplicamus. non enim opus est. In hoc loco, uideo quibusdam in libris impressum esse, pro, Ecquis supplicat, Sed quis supplicat, adscripta asterisci nota, quae mendum significet. nostri libri ueram, germanamq. Ciceronis scripturam referunt, distinctione tantum a mendi suspicione uindicati. quod enim pro, Et quis supplicat, fecimus, Ecquis supplicat; in eo mutatio nulla est. fuit enim hic multis in locis in impressis libris error, ut, Et quis, pro, Ecquis, legeretur. quod

tur. quod uitium ubique fere minimo negotio sanauimus. IMBECILLITAS, *& desperatio* } puto illud maxime tempus designari, cum Pompeius eiectus est ex Italia. quo tempore boni ciues si utrumque reliquissent, ac solam remp. respexissent: tum certe, uel pudore, uel ui, uterque tum dux, tum exercitus discessisset ab armis. sed contigit, ut alij alterum metuentes ad alterum confugerent; alij ignauia, ac desperatione remp. relinquerent. quo facto Caesar in regni cupiditatem est impulsus. quod idem & Pompeius cogitabat; ut saepe queritur Cicero. TANTORVM *scelerum* } tyrannidis Antonianae. QVID *enim negct* } cum sit de praeteritis commemoratio; Negaret, probarem magis: idq. conueniret cum insequenti uerbo, Videret, & cum antecedentibus proximis, Potuimus, Vellemus. HIC *ipse puer*, } non modo Antonius, sed Octauius ipse, eius, quem occidimus, filius, summi beneficij loco ducet, si, nobis permittentibus, regiam potestatem obtineat. itaque nobis esset illo domino perhonorifica seruiendi condicio: uerum non de seruiendi condicione agimus: ipsam seruitutem, quaecumque sit, odimus, ac detestamur. QVONIAM *uiuere* } in Ciceronem, cum stomacho, qui pluris uitam, & pecunias, & honores faceret, quam libertatem. SI *mortuo*, } si, illo occiso, alteri seruituti eramus. HEREDI *eius, quem occidi*, } Octauio, Caesaris heredi, & adoptatiuo filio. DIMITTIMVS } abijcimus. in ea uita, inquit, in qua neque dignitas, neque libertas est, salus esse nulla potest. QVI *tyranni nomen adsciuit sibi*, } Octauius enim Caesaris nomen assumpsit; cum testamento & filius adoptatus esset, & institutus ex dodrante heres. NIMIVM *magnam mercedem statuis* } summam potestatem illi tribuis; quae merces est earum rerum, quas contra Antonium gessit, certe nimis magna. ILLVD *malum* } prioris Caesaris tyrannidem. HOMINES *metuant* } timor facit, ut quibusdam plus potestatis, quam respublica patitur, largiamur. sed ijsdem meminisse deberemus, hoc ipso timore nostro factum esse, ut Antonius ad tantam potentiam peruenerit. ista enim imbecillitas animi, & desperatio, Antonio persuasit, ut interfecti Caesaris locum occupare conaretur. DE *Caesare uero* } quorsum de Caesare, cum de Antonio loquatur? Cum, inquit, uidisset Antonius ex metu, & languore nostro Caesarem regnandi occasionem arripuisse, eius exemplum secutus est. uerum, quod ad Caesarem regnandi occasionem arripuisse, eius exemplum secutus est. uerum, quod ad Caesarem attinet, transactum est: occidimus illum: nunc, ne idem possit Octauius, cauendum est. NON *modo non supplicem* } posterius, Non, in Bessarionis libro non est: & potest subaudiri. quo loquendi genere usum saepe esse Ciceronem, ostendimus in scholijs, quae in familiares epistolas adolescentuli edidimus. VIRTVS *aliena* } nostra scilicet, qui tyrannum occidimus: quorum exemplo fortiores esse, & uitam minus aliquanto, quam libertatem, diligere debebatis. PIETATI *meae* } erga patriam: quae me ad praeclarum illud facinus excitauit, cui pietati debitum praemium esse persolutum existimabo, si modo, quod tum sensi, idem in reliqua uita sensero. NON *succumbam succumbentibus*, } uos non imitabor, iugum seruitutis sponte recipientes. NEC *uincar ab ijs* } uincerer enim a uobis, si uestra imbecillitas me com moueret, & de mea ueteri sententia deduceret. VINCI *uolunt* } quia sponte succumbunt. GAVDEBIMVS *omnes* } etiam ij, qui succumbunt. hic ostendit Ciceronem optime sentire de republica, cuius secunda fortuna laetaturus sit, sed dulcedini succumbere. NEV *diffidas* } etenim, ob desperationem, etiam ante rempublicam perdiderant: ut in hac ipsa epistola, supra. CONSVL } in opprimenda coniuratione Catilinae. CONSVLARIS } in Antonio persequendo. QVIA *ille consul* } quia consulatus ille tuus praeclarissime administratus postulat, ut talem te consularem praestes. DIREXIT } si pueris haec scriberem, essem in ostendendis translationum luminibus diligentior, ut hic in duobus uerbis, & translatis, & antithetis, Flexerit, Direxit. sed haec ipsa se ostendunt. nostrum autem consilium id fuit, quoniam pueris simul, & uiris satisfacere non possem, uiris ut mallem. IVDICII *ratio* } ubi enim iudicium apparet, ibi laus recte agentem sequitur. si quis autem casu potius, quam iudicio, recte agit, id amplum, uereq. laudabile nec habetur, nec est. porro, iudicium ibi esse constat, ubi factis facta congruunt, perpetuamq. in recte agendo aequabilitatem, & constantiam tuemur.

Bruto S. D. Attico. 21.

SCRIBIS *mihi, mirari Ciceronem, quod nihil significem umquam de suis actis. quoniam efflagitas, coactu tuo scribam, quae sentio. Omnia fecisse Ciceronem optimo animo, scio. quid enim mihi exploratius esse potest, quam illius animus in remp.? sed quaedam mihi uidetur, quid dicam, imperite uir omnium prudentissimus, an ambitiose fecisse, qui ualentissimum Antonium suscipere pro rep. non dubitauit? nescio quid scribam tibi, nisi unum, pueri & cupiditatem, & licentiam potius esse irritatam, quam repressam a Cicerone; tantumq. eum tribuere huic indulgentiae, ut se maledictis non abstineat, ijs quidem, quae in ipsum dupliciter recidunt, quod & plures occidit uno, seq. prius oportet fateatur sicarium, quam, obijciat Cascae, quod obijcit; & imitatur in Casca Bestiam. an, quia non omnibus horis iactamus idus Martias, similiter atque illi nonas Decembres suas in ore habet, eo meliore condicione Cicero pulcherrimum factum uituperabit, quam Bestia, & Clodius reprehendere illius consulatum soliti sunt? Sustinuisse mihi gloriatur bellum Antonij togatus Cicero noster. quid hoc mihi prodest, si merces Antonij oppressi poscitur in Antonij locum successio? & si uindex illius mali auctor exstitit alterius, fundamentum, & radices habituri altiores, si patiamur? ut iam ista, quae facit, non dominationem, non; sed dominum Antonium timentis sint. ego autem gratiam non habeo, si quis, dum*

dum ne irato seruiat, rem ipsam non deprecatur. Immo triumphus, & stipendium decernitur, & omnibus decretis ornatur. pudeat conspicere fortunam, cuius nomen susceperit. consularis hoc, an Ciceronis est? quoniam tacere non licuit, leges, quae tibi necesse est molesta esse. etenim ipse sentio, quanto cum dolore haec ad te scripserim. nec ignoro, quid sentias in rep. & quam desperatam quoque sanari putes posse. nec mehercle te Attice reprehendo. aetas enim, mores, liberi segnem efficiunt: quod quidem etiam ex Flauio nostro perspexi. sed redeo ad Ciceronem. Quid inter Saluidenum, & eum interest? quid autem amplius ille decerneret? Timet, inquies, etiam nunc reliquias belli ciuilis. quisquam ergo ita timet profligatum, ut neque potentiam eius, qui exercitum uictorem habeat, neque temeritatem pueri putet extimescendam esse? an hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia iam, ultroq. deferenda putat? o magnam stultitiam timoris, id ipsum, quod uerearis, ita cauere, ut, cum uitare fortasse potueris, ultro accersas, & attrahas. nimiũ timemus mortem, & exsulium, & paupertatem. haec mihi uidentur Ciceroni ultima esse in malis: &, dum habeat, a quibus impetret, quae uelit, & a quibus colatur, ac laudetur, seruitutem, honorificam modò, non aspernatur; si quidquam in extrema, ac miserrima contumelia potest honorificum esse. Licet ergo patrem appellet Octauius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat: tamen illud apparebit, uerba rebus esse contraria. quid enim tam alienum ab humanis sensibus est, quam eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero sit? atqui eo tendit, id agit, ad eum exitũ properat uir optimus, ut sit illi Octauius propitius. Ego uero iam ijs artibus nihil tribuo, quibus scio Ciceronem instructissimum esse. quid enim illi prosunt, quae pro libertate patriae de dignitate, quae de morte, exsulio, paupertate scripsit copiosissime? quanto autem magis illa callere uidetur Philippus, qui priuigno minus tribuerit, quam Cicero, qui alieno tribuat? Desinat igitur gloriando etiam insectari dolores nostros. quid enim nostra, uictum esse Antonium, si uictus est, ut alij uacaret, quod ille obtinuit? tametsi tuae litterae dubia etiam nũc significant. Viuat hercule Cicero, qui potest, supplex, & obnoxius; si neque aetatis, neque honorum, neq. rerum gestarum pudet. ego certe, qui cum ipsa re bellum geram, hoc est cum regno, & imperijs extraordinarijs, & dominatione, & potentia, quae supra leges se esse uelit, nulla erit tam bona cõdicio seruiendi, qua non deterrear; quãuis sit uir bonus, ut scribis, Antonius: quod ego numquam existimaui. sed dominũ ne parentem quidem maiores nostri uoluerunt esse. Te nisi tantum amarem, quãtum Ciceroni persuasum est diligi ab Octauio, haec ad te non scripsissem. dolet mihi, quod tu non stomacharis, amantißimus tum tuorum omnium, tum etiã Ciceronis. sed persuade tibi, de uoluntate propria mea nihil esse remissum, de iudicio largiter. neque enim impetrari potest, quin, quale quidque uideatur ei, talem quisque de illo opinionem habeam. Vellem mihi scripsisses, quae condiciones essent Atticae nostrae. potuissem tibi aliquid de meo sensu perscribere. Valetudinẽ Porciae meae tibi curae esse nõ miror. Denique, quod petis, faciam libenter: nam etiam sorores me rogant: & hominem noro, & quid sibi uoluerit.

EXPLANATIO

Nullis consulibus.

DE SVIS *actis* } pro republica contra Antonium: de quibus laudari uoluisset: ut etiam de exstincta coniuratione Catilinae, scripsit ad Pompeium, se mirari, quod nihil significasset. fam. lib. v. QVID *dicam, imperite &c.* } significat, & stultitiae Ciceronem accusandum, & ambitionis: cum tamen in utroque uideatur eum excusare. sed imperitum in eo significat, quod plus Octauio tribuerit, quam e rep. esset: ambitiosum, quod, modo habeat, a quibus colatur, ac laudetur, seruitutem non recusat: ita ob stultitiam & ambitionem Octauium Antonianae dominationis uicarium constituit. QVI *ualentissimum &c.* } in quo certe ambitio esse non potuit: sed fuit studium constantissimum, & singularis in patriam pietas, qua permotus ualentissimum Antonium suscipere non dubitauit inimicum. PVERI } Octauij. INDVLGENTIAE } usque eo indulget Cicero Octauio, ut maledicat Cascae. MALEDICTIS } in Cascam. mirari autem satis non possum, Ciceronem Caesaris necem obiecisse Cascae. & id tamen Bruti uerba declarant. PLVRES *occidit uno* } crimini dat Cascae. & sicarium appellat, quia Caesarem occiderit. at, si hominem occidere, crimen est: quanto grauius ipse peccauit, qui consul non unum, sed quinque occidit, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium. OBIICIAT *Cascae* } cur Cascae potius, quam ceteris coniuratis? forte, quia gratificari uellet Octauio, potissimum in Cascam incenso, qui primus Caesari uulnus inflixit, a Cimbro impedito. Suetonius, Plutarchus. IMITATVR *in Casca Bestiam.* } ita reprehendit Cascam ob pulcherrimum factum, ut Bestia Ciceronem ob ea, quae in consulatu gesserat, reprehendere solebat. & ut tunc iniquus in Ciceronem Bestia, sic nunc in Cascam Cicero. Casca autem hic e gente Seruilia fuerat, unus e percussoribus Caesaris. fuerunt enim in illa coniuratione duo Seruilij Cascae, duo Bruti, tres Cassij, Q. Hortensius, Hortensij oratoris filius, C. Trebonius, Cn. Domitius, L. Tillius Cimber, Q. Ligarius, Cornellius Cinna, Labeo, P. Turullius, P. Cornelius Lentulus, Caecilius & Bucolianus fratres, Rubius Rex, M. Spurius, (quamquam, Spurius, mendosum est: non enim duo praenomina simul esse possunt) Ser. Sulpicius Galba, Sextius Naso, Pontius Aquila, Minucius Basillus; & alij, quorum nomina in ijs libris, qui ad nostram aetatem peruenerunt, non exstant; quorum nemo, praeter Cn. Domitium, L. Domitij Ahenobarbi filium, naturali morte perijt. quod si liceret uti coniectura, adiungerem Torqua-

torum, Marcellorum, Metellorum, Bibuli liberos, Pompeianorum, id est reip. partium, studiosis: item, Epidium Marullum, & collegam eius Caesetium Flauum, tribunatu pl. a Caesare priuatos. IDVS *Martias* } quo die Caesarem occidimus. NONAS *Decembris* } quo die de coniuratis in carcere supplicium est sumptum. Eo *meliore condicione* } minus turpiter nos uituperabit de Caesaris nece, quam illum Calpurnius Bestia, & P. Clodius de coniuratorum supplicio reprehendere soliti sunt? hic est Bestia, qui tribunus pl. Ciceronem extremo consulatus die concionis habendae potestate priuauit; si Plutarcho credas. sed ego maiorem ipsi Ciceroni fidem habeo: qui sibi concionaturo non L. Calpurnium Bestiam, sed Q. Metellum Nepotem ait obstitisse. uide epist. 11. lib. v. fam. SVCCESSIO } quae laus Ciceronis est, sustinuisse Antonium; si patitur eius locum ab Octauio posci? AVCTOR *exstitit* } extraordinarijs enim honoribus Octauio decernendis cupiditatem illius, & licentiam irritauit. NON *dominationem, non* } hoc loquendi genere ueteres esse usos, cum aliquid paullo studiosius affirmarent, ostẽdimus in commentarijs ad Atticum lib. x. epist. 9. REM *ipsam* } seruitutem. TRIVMPHVS } ouatio, quam Octauio, quia Mutinensi proelio Antonium uicisset, Cicero decreuit. FORTVNAM } & condicionem turpem: ut illud in superiore proxima eiusdem Bruti epistola: Pudet condicionis, ac fortunae. CVIVS *nomen susceperit* } cuius nomen his factis sibi comparauit. potest enim & turpissimus, & omnium miserrimus iure dici. CONSVLARIS *hoc* } eius, qui summos habuit magistratus. CICERONIS } eius, qui maximas res pro patria gessit, artiumq. nobilissimarum cognitione excellit. & est uis in nomine, ut in epistola Sulpicij: Noli te obliuisci Ciceronem esse. hic multum discrepant ueteres libri a nostris. habent enim: Pudet concupiscere fortunam, cuius nomen susceperit consularis, ut Ciceronis est. quos si sequimur, ita exponemus. Pudor ab ea fortuna consularis hominis concupiscenda, cuius nomẽ susceperit, quemuis deterrere debet: ea, inquam, fortuna, quae Ciceronis est. uidebitur omnino paullo durius: sed nec ubique dictio Bruti mollis est. TIBI *necesse est molesta esse* } cum uideas te quoque in Cicerone notari, qui nullam reip. partem suscipias, sed communi caussae tãquam indormias. quamquam ego te non reprehendo: tua enim alia caussa est. nam cum antea semper a rep. abstinuisti, tum uero hoc tempore aetas, mores, liberi segnem efficiunt. reprehendendo autem Ciceronem, quia, quod ab adolescentia praeclarissime fecit, ut in patria iuuanda totus esset; id nunc, extrema fere aetate, turpiter omittit. DESPERATAM } excusat Atticum, in eodem errore cum Cicerone uersantem. non parcit autem Ciceroni; quia, cum non idem, quod Atticus, uitae genus secutus esset, facere idem, quod Atticus, cum excusatione non poterat. PERSPEXI } ex ijs, quae mihi Flauius, sibi a se responsa, narrauit, cum negasti te principem esse uelle priuati aerarij Caesaris interfectoribus constituendi. hac tota de re Nepos in Attici uita. SALVIDENVM, } Q. Saluidenum Rufum, Octauij studiosissimum. Dio, Suetonius, Appianus. DECERNERET } profligato enim Antonio, supplicationes Cicero decreuerat quinquaginta dierum, tribus reip. ducibus, Pansae, Hirtio, qui consules erant, & Octauiano, quem etiam ante uictum Antonium extraordinarijs honoribus ornandum censuerat. de supplicationibus in Phil. XIV. de honoribus in V. RELIQVIAS *belli ciuilis*. } ob eam caussam, inquies, Cicero ornat Octauiũ, quia timet etiam nunc ab Antonio. at illi timendum ab Octauio magis esset, qui & exercitibus ualet, & propter aetatem facile potest ad temeritatem impelli, quam ab Antonio, qui iam profligatus uoluntatem potius ad nocendum, quam uires, habebit. AMPLITVDINEM } summam potentiam, cum uictores exercitus in eius manu sint. ID *ipsum* } regnum, & summam unius potestatem. VLTIMA } extrema, & maxima. REFERAT *omnia* } quaecumque habet, Ciceroni omnia referat accepta. DE *dignitate*, } haec omnia scripsit, ut patriae libertas omnibus rebus anteponeretur. scripsit autem maxime in quaestionibus Tusculanis. &, *De dignitate*, in quo sita sit uera dignitas. DE *morte* } contemnenda: cum tamen re ipsa aliter ostendat, cui mors, exsulium, & paupertas ultima in malis uidentur esse. nam, nisi ita esset, non id ageret, ut propitium haberet Octauium. PRIVIGNO } Octauio. eius enim matrem Atiam, post obitum prioris uiri, uxorem duxerat Philippus. GLORIANDO } cum gloriaretur, plus beneficij a se in remp. esse collatum, quam ab ijs, qui Caesarem occiderant; quoniam illi quasi radicem tyrannidis Antonium reliquissent, ipse Antonij bellum togatus sustinuisset, atque oppressisset. DOLORES *nostros* } quos insectari, & augere non deberet: cum satis ex eo doloris sit, quod, occiso tyranno, remp. tamen liberatam non uidemus. QVID *enim nostra &c.* } uide supra in hac ipsa epistola eandem sententiam alijs uerbis expressam. DVBIA } non ita uictum esse Antonium, ut ab eo nihil timere possit respublica. VT *scribis*, } fuit inter Atticum, & M. Antonium amicitia, & quidem summa: Atticum 1., uictis in Italia reip. partibus, de proscriptorum numero Antonius eximit. NON *stomacharis*, } ut ego. ideo autem non stomacharis, quia Ciceronis amantissimus es. quamquam ego quoque eiusdem amantissimus sum. persuade enim tibi, de ueteri meo erga illum amore nihil esse detractum, de iudicio multũ. itaque & stomachor, nec tamen minus amo. Vel, Nunc stomacharis, ut est in antiquis libris. dicet enim hoc: Dolet mihi, quod tu nũc stomacharis ob ea, quae de amicissimo tui Cicerone scripsi. DE *uoluntate* } sumamus hic quiddãm a philosophis, ut sententia pateat illustrius. Amor in uoluntate est, opiniones in mente. uelle, nolle, in nostra potestate est: opinari, nõ est. qualis enim quidque uidetur, talem de illo necesse est opinionem habeamus. ergo, cum uoluntas mea propria sit, iudicium non sit: laudandus uideor, qui, quod possum, & quod in me est, facio, ut Ciceronem amem; excusandus, qui de eo non optime iudicem; cum id a me necessitas quaedam, & quasi mentis imperium exprimat. LARGITER } hoc aduerbiũ apud ueteres interdum uim nominis habuit: itaque dixit Plancus, Largiter acerbitatis, pro, multum acerbitatis, in concione, quam Pedianus recitat. & Plautus in Truculento, Largiter uini: in Rudente,

largiter argenti, largiter mercedis. CONDICIONES } Atticae condiciones uocat, quia pertinebant ad Atticam Attici filiam: de qua, ut opinor, in matrimonium collocanda quiddam Atticus scripserat. DENIQVE } extremum hoc est, quod ad tuas litteras respondeam. SORORES } ipsius Bruti, altera uxor M. Lepidi, altera C. Cassij. HOMINEM } nescio quem, litteris ab Attico, & a Bruti sororibus commendatum.

M. Cicero S. D. M. Bruto. 22.

CVM saepe te litteris hortatus essem, ut quamprimum reip. subuenires, in Italiamq. exercitum adduceres; neque id arbitrarer dubitare tuos necessarios; rogatus sum a prudentissima, & diligentissima femina, matre tua, cuius omnes curae ad te referuntur, & in te consumuntur, ut uenirem ad se ad IIX. Kal. Sext. quod ego, ut debui, sine mora feci. cum autem uenissem, Casca aderat, & Labeo, & Scaptius. at illa retulit, quaesiuitque, quidnam mihi uideretur, arcesseremus ne te, atque tibi id concedere putaremus; an, tardare, & commorari te, melius esset. Respondi id, quod sentiebam, & dignitati, & existimationi tuae maxime conducere: te primo quoque tempore ferre praesidium labenti, & inclinatae reip. quid enim abesse censes mali in eo bello, in quo uictores exercitus fugientem hostem persequi noluerunt? & in quo incolumis imperator, honoribus amplissimis, fortunisq. maximis, coniuge, liberis, uobis affinibus ornatus, bellum reip. indixerit? quid dicam, in tanto senatus populiq. consensu; cum tantum resideat intra muros mali? Maximo autem, cum haec scribebam, afficiebar dolore, quod, cum me pro adolescentulo, ac paene puero resp. accepisset uadem, uix uidebar, quod promiseram, praestare posse. est autem grauior, & difficilior animi, & sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero, quam pecuniae, obligatio. haec enim solui potest; & est rei familiaris iactura tolerabilis: reip. quod spoponderis, quemadmodum soluas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis? quamquam & hunc, ut spero, tenebo, multis repugnantibus. uidetur enim esse indoles, sed flexibilis aetas, multiq. ad deprauandum parati; qui, splẽdore falsi honoris obiecto, aciem boni ingenij perstringi posse confidunt. itaq. ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, ut omnes adhibeã machinas ad tenendũ adolescentem, ne famã subeam temeritatis. quamquam quae temeritas est? magis n. illum, pro quo spopondi, quam me, obligaui. nec uero paenitere põt remp. me pro eo spopondisse. qui fuit in rebus gerendis tum suo ingenio, tũ mea promissione constantior. Maximus aũt, nisi me fortasse fallit, in rep. nodus est inopia rei pecuniariae. obdurescunt enim magis quotidie boni uiri ad uocẽ tributi; quod ex centesima collatũ, impudenti censu locupletũ, in duarum legionum praemijs omne consumitur. impendent aũt infiniti sumptus tum in hos exercitus, quibus nunc defendimur, tũ uero in tuum. nam Cassius noster uidetur posse satis ornatus uenire. Sed & haec, & multa alia coram cupio, idq. quamprimum. De sororis tuae filijs, non exspectaui, Brute, dum scriberes. omnino ipsa tempora (bellum. n. ducetur) integram tibi caussam reseruant. sed ego a principio, cum diuinare de belli diuturnitate non possem, ita caussam egi puerorum in senatu, ut te arbitror e matris litteris potuisse cognoscere. nec uero ulla res erit umquam, in qua ego non, uel uitae periculo, ea dicam, eaq. faciã, quae te uelle, quaeq. ad te pertinere arbitrabor. Vale. VI. Kal. Sext.

EXPLANATIO

NEQVE *id arbitrarer dubitare* } idemq. arbitrarer sentire tuos necessarios. MATRE *tua* } Catonis Vticensis sorore uterina. nam, si fuisset ex eodem patre, non Seruilia, sed Porcia fuisset, cum feminae eius, gentis nomine appellarentur, qua ex gente earum patres essent. CASCA, *& Labeo* } duo ex percussoribus Caesaris. Plutarchus. SCAPTIVS } duos Scaptios familiares Brutus habuit. epist. 3. lib. VI. FVGIENTEM *hostem* } Antonium ad Mutinam profligatum. IMPERATOR } M. Aemilius Lepidus. VOBIS *affinibus* } Bruto, & Cassio. nam ex duabus Bruti sororibus alteram Cassius, alteram Lepidus in matrimonio habebat. QVID *dicam, in tanto &c.* } Adderem hoc, In tanto senatus populiq. consensu, nisi uiderem addi non uere posse, cum tantum resideat intra muros mali, multis Antonio fauentibus, multis etiam Octauium contra Caesaris percussores incitantibus. ACCEPISSET *uadem* } nimium omnino pro Octauiano promisit, ac spopondit Cicero, uel Antonij odio, contra quem Octauianus eo tempore bellum gerebat, uel ut ipsum studij, & amoris in eum sui testimonio ad tuendam remp. magis incitaret. nam cum ei summos honores sua sententia decreuisset; exercitum ueteranorum subito praeter spem omnium comparasset, impetus Antonij nefarios, ad urbem cum exercitu irruentis, in Galliam auertisset; haec subiunxit, quae leguntur in Phil. V. Audebo etiam obligare fidem meam P. C. uobis, populoq. Romano; quod profecto, cum me nulla uis cogeret, facere non auderem; pertimescerem q. in re maxima periculosam opinionem temeritatis. promitto, recipio, spondeo, P. C. Caesarem talem semper fore ciuem, qualis hodie sit, qualemq. eum maxime uelle, & optare debemus. FALSI *honoris* } consulatus. ep. 14. & Plancus in epistola. MEA *promissione* } propter ea, quae de illo reip. promiseram. operam enim dedi, ne promisisse temere uiderer. OBDVRESCVNT } Aptius esset, Obsurdescunt: ut sit, Obsurdescunt ad uocem tributi. quam coniecturam, non dubito, quin

omnes paullo humaniore doctrina politi comprobent. similiter locutus est in Laelio. Cum tot signis, inquit, natura ostendat, quid uelit: obsurdescimus tamen nescio quo modo, nec ea, quae ab ea monemur, audimus. Tributum autem recusabant boni uiri, quia, post deiectam a Paullo Macedoniam, nullum omnino tributum populus Romanus pependerat. de quo Ciceronis uerba subscripsimus. Omni, inquit lib. II. off. Macedonum gaza potitus est Paullus: tantum in aerarium pecuniae inuexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. quod Plinius quoque lib. XXXIII. epist. 3. & Plutarchus in Paullo confirmat. Ex *centesima* } ut de centum nummis unus tribuatur singulis mensibus. IMPVDENTI *censu* } in hoc enim impudentes sunt locupletes, quod multo minus soluunt, quam deberent. PRAEMIIS } non stipendiis, sed praemijs ante uictoriam promissis: in quae haud paullo plus pecuniae, quam in stipendia, erogabatur. ORNATVS } instructus pecunia. & sane ad cogendas pecunias aptior erat Cassius, qui etiam auaritiae nomine male audiit. Plutarchus in Bruto, & epist. 10. lib. VIII. fam. DVM *scriberes* } dum eos mihi commendares. consulebam illis iam antea diligenter. ep. 20. INTEGRAM *tibi caussam reseruant.* } uideo fieri posse, ut tu eos e numero hostium eximas. nam si te absente bellum in Italia contra improbos ciues susceptum conficeretur; prodesse illis nihil posses. cum uero bellum ducatur; satis mature poteris cum exercitu tuo in Italiam uenire, & his malis unus ipse finem imponere. quo beneficio affecta respublica nihil tibi petenti denegabit. itaque ipsa tempora integram tibi caussam puerorum reseruant, ut possis illis consulere. exitus enim huius belli in aduentum tuum differetur. CVM *diuinare &c.* } feci eorum caussa, quae potui, magis quia te ipsum diligo, quam quia fore putarem, ut tuo exercitusq. tui auxilio egeremus. praeter amicitiam nostram nihil spectaui. A PRINCIPIO *ita caussam egi* } cum de Lepido, eiusq. filiis ageretur, distingui filiorum caussam a patris caussa uolebam.


EPISTOLARVM
M. TVLLII. CICERONIS
AD
QVINCTVM FRATREM

ARGVMENTVM

MORALIS admodum est haec epistola: & , cum ad unum Q. Ciceronem scripta sit, omnibus tamen prouinciarum, aut ciuitatum rectoribus norma quaedam, & bene agendi regula esse potest. Est autem totum eius argumentum, admonitio. nam hanc unam ob caussam scribit ad Quinctum fratrem, ut ei proponat ea, quae si faciat, honori suo praeclare consulat. ea porro diuiditur in laudem, uituperationem, cohortationem: laudem, quia, ut ipse scripsit in epistola, opinor, ad Trebonium, multum refert, si laudes eum, quem cohortere: uituperationem, quia dissuadendi locus est optimus, cum turpitudinem ostendimus: cohortationem, ut eius, qui admonet, propensa quaedam ad eius, qui admonetur, laudem uoluntas ac studium declaretur. Laudat Cicero Quinctum a fortitudine, sapientia, humanitate, continentia, integritate, & usu rerum gerendarum: uituperat ab iracundia, obiecta illi ab omnibus fere, qui e Graecia Romam proficiscebantur. Hortatur primum, ut aequo animo ferat annuam imperii accessionem: & in sustinendo negotio facilitatem ostendit, cum dicat, obuenisse illi imperium nullis fere fortunae motibus expositum, sed quod uirtute & animi moderatione facillime possit administrari: deinde, ut suis tantum committat, quantam in unoquoque fidem esse cognouerit: postremo, ne aures praebeat falsa dicentibus; ne quid iniustum ad aliorum arbitrium anulo signet; accensum quem diligat, animaduertat; ne quid insolens lictor faciat; caueat ab assentatoribus; cum seueritate regat seruos; ne quid, quod ad imperium suum, uel ad remp. attineat, seruis etiam fidelibus committat. sit ipse integer & continens; det operam, ut in omnibus, quos secum habebit, sit pudor: familiaritate prouinciarum, & Graecorum percaute & diligenter utatur; disciplinam adhibeat regendae familiae grauem, & constantem; facilis sit in audiendo, lenis

do, lenis

do, lenis in discernendo, diligens in satisfaciendo, ac disputando: omnibus, quibus praeest, utilitatem afferat: ius aequaliter & diliganter dicat; curetq. ut idem faciant ij, quibus aliquam partem eius muneris concesserit: constantiam & grauitatem adhibeat, quae non solum gratiae, uerum etiam suspicioni resistat; linguam in iracundia contineat; in tuendis honoribus, quos adeptus est, operam ponat; quandoquidem esset in ijs ciuitatibus cum imperio & potestate, in quibus uirtutes suas consecratas, & in deorum numero collocatas uidebat. Haec ad argumentum. Quod ad prouinciam; praeerat Quinctus propraetor Asiae, quae minor dicitur; quae ab ortu solis Lycaonia & Phrygia, ab occasu Aegeo mari, a meridie Aegyptio pelago, a Septemtrione Paphlagonia terminatur. cumq. prouinciarum administratio annua fere esset; praefuit tamen per triennium, successorem senatu non mittente; sicuti & Siciliae per triennium praefuerat Verres. praetor autem saepe in hac epistola Quinctus nominatur; quod ij, qui praetura functi in prouincias mitterentur, & propraetores, & praetores appellantur, quandoque etiam proconsules. itaque Suetonius in Augusto, Exstant, inquit, M. Ciceronis epistolae, quibus Quinctum fratrem, parum secunda fama proconsulatum Asiae administrantem, hortatur, & monet, imitetur in promerendis socijs uicinum suum Octauium. & libro v. epistolarum, quae familiarium nomine significantur, epistolae leguntur, Q. Metelli proconsulis titulo inscriptae; cum is ex praetura in prouinciam missus esset; & Suetonius Caesarem, cum ex praetura Hispaniam sortitus esset, proconsulem appellat. neque solum, qui consules non fuerant, proconsules tamen uocabantur; sed contra etiam, qui consules fuerant, praetores in prouincia dicebantur. itaque in ijsdem epistolis lib. II. Quod ego, inquit, officio quaestorio te adductum reticere de praetore tuo non moleste ferebam. cum loquatur de M. Bibulo, qui consul fuerat cum C. Caesare: quem rursus proconsulem appellat epistola prima, etiam tertia lib. xv. De hoc copiosius in nostro commentario in epist. fam. lib. I. epist. I.



IN · EPISTOLARVM

M · TVLLII · CICERONIS

AD

QVINCTVM · FRATREM


LIBRVM. I.

PAVLLI. MANVTII

COMMENTARIVS



Marcus S. D. Quincto fratri. 1.



ESTI non dubitabā, quin hanc epistolam multi nuncij, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura; tuq. ante ab alijs auditurus esses, annū tertium accessisse desiderio nostro, & labori tuo: tamen existimaui a me quoque tibi huius molestiae nuncium perferri oportere. nam superioribus litteris, non unis, sed pluribus, cum iam ab alijs desperata res esset, tamen tibi ego spem maturae decessionis afferebam; non solum, ut quamdiutissime te iucunda opinione oblectarem; sed etiam, quia tanta adhibebatur & a nobis, & praetoribus contentio, ut rem posse confici non diffiderē. nunc, quoniam ita accidit, ut neque praetores suis opibus, neque nos nostro studio quidquam proficere possemus: est omnino difficile non grauiter id ferre; sed tamen nostros animos, maximis in rebus & gerendis, & sustinēdis exercitatos, frāgi, & debilitari molestia non oportet. Et, quoniā ea molestissime ferre homines debēt, quae ipsorū culpa, cōtracta sunt: est quiddam in hac re mihi molestius ferendum, quam tibi. factum est enim mea culpa, contra quam tu mecum & proficiscens, & per litteras egeras, ut priore anno non succederetur. quod ego, dum saluti sociorū consulo, dum impudentiae non nullorum negotiatorum resisto, dum nostram gloriam tua uirtute augeri, expeto, feci non sapienter, praesertim cum id commiserim, ut ille alter annus etiam tertium posset adducere. quod quoniam peccatum meum esse confiteor; est sapientiae, atque humanitatis tuae, curare, & perficere, ut hoc, minus sapienter a me prouisum, diligentia tua corrigatur. Ac, si te ipse uehementius ad omnes partes bene audiendi excitaris, non ut cum alijs, sed ut tecum iam ipse certes; omnem tuam mentem, curam, cogitationē, ad excellentem in omnibus rebus laudis cupiditatem incitaris: mihi crede, unus annus additus labori tuo, multorum annorum laetitiam nobis, gloriam uero etiā posteris nostris affert. Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas, aut demittas animum, ne ue te obrui, tamquam fluctu, sic magnitudine negotij sinas, contraq. erigas, ac resistas, siue etiam ultro occurras negotijs. neque enim eiusmodi partem reip. geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit, & diligentia. quod si tibi, bellum aliquod magnum, & periculosum administranti, prorogatum imperium uiderem, tremerem animo; quod eodem tempore esse intelligerem etiam fortunae potestatem in nos prorogatam. nunc uero ea pars tibi reip. commissa est, in qua aut nullam, aut perexiguam partem fortuna tenet, & quae mihi tota in tua uirtute, ac moderatione animi posita esse uideatur. nullas, ut opinor, insidias hostium, nullā proelij dimicationem, nullam defectionem sociorum, nullam inopiam stipendij, aut rei frumentariae, nullā seditionem exercitus pertimescimus: quae persaepe sapientissimis uiris acciderunt; ut, quemadmodum gubernatores optimi uim tempestatis, sic illi fortunae impetum superare non possent. tibi data est summa pax, summa tranquillitas, ita tamen, ut dormientem gubernatorem uel obruere, uigilantem etiam delectare possit. Constat enim ea prouincia primum ex eo genere sociorum, quod est ex hominum omni genere humanissimum;

mum;deinde ex eo genere ciuium,qui aut, quod publicani sunt,nos summa necessitudine attingunt;aut, quod ita negotiantur,ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio incolumes se fortunas habere arbitrantur. At enim inter hos ipsos exsistunt graues cõtrouersiae, multae nascuntur iniuriae,magnae contentiones consequuntur.Quasi uero ego id putem,non te aliquantum negotij sustinere. intelligo permagnum esse negotium, & maximi consilij:sed memento,consilij me hoc esse negotium magis aliquanto,quam fortunae,putare. quid est enim negotij,continere eos,quibus praesis,si te ipse contineas?id autem sit magnum,& difficile ceteris, sicut est difficillimum;tibi & fuit hoc semper facillimum,& uero esse debuit;cuius natura talis est,ut etiam sine doctrina uideatur moderata esse potuisse;ea autem adhibita doctrina est,quae uel uitiosissimam naturam excolere possit. tu cum pecuniae,cum uoluptati, cum omnium rerum cupiditati resistes,ut facis;erit,credo, periculum,ne improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum comprimere non possis. nam Graeci quidẽ sic te,ita uiuentem,intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria,aut etiam e caelo diuinum hominem esse in prouinciam delapsum putent. Atque haec nunc, non ut facias,sed ut te facere,& fecisse gaudeas, scribo. praeclarum est enim,summo cum imperio fuisse in Asia triennium sic,ut nullum te signum, nulla pictura,nullum uas,nulla uestis,nullum mancipium, nulla forma cuiusquam,nulla condicio pecuniae, quibus rebus abundat ista prouincia,ab summa integritate,continentiaq. deduxerit. quid autem reperiri tam eximiũ, aut tam expetendum potest,quam istam uirtutem,moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris,neque esse abditam,sed in luce Asiae,in oculis clarissimae prouinciae, atque in auribus omnium gentiũ, ac nationum esse positam?non itineribus tuis perterreri homines, non sumptu exhauriri, non aduentu commoueri;esse,quocumque ueneris,& publice, & priuatim maximam laetitiam; cum urbs custodem, non tyrannum,domus hospitem,non expilatorem recepisse uideatur. His autem in rebus iam te usus ipse profecto erudiuit,nequaquam satis esse,ipsum hasce habere uirtutes, sed esse circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia prouinciae non te unum, sed omnes ministros imperij tui socijs, ciuibus, & reip. praestare uideare. quamquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae: de quibus honore, & dignitate,& aetate praestat Tubero:quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere,quos uelit,& possit imitari. Allienus autem,noster cum animo,& beneuolentia,tum uero etiam imitatione uiuendi.Nam,quid ego de Gratidio dicam? quem certo scio ita laborare de existimatione sua,ut propter amorem in nos fraternum, etiam de nostra laboret.Quaestorem habes non tuo iudicio delectũ, sed eum, quem sors dedit. hunc oportet & sua sponte esse moderatum,& tuis institutis,ac praeceptis obtemperare.Quorum si quis forte esset sordidor, ferres eatenus,quoad per se negligeret eas leges, quibus est adstrictus; non ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quaestum uteretur. neque enim mihi sane placet, praesertim cum hi mores tantum iam ad nimiam leuitatem, & ambitionem incubuerint, scrutari te omnes sordes, excutere unumquemque eorum, sed, quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos,eos, quos tibi comites,& adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa resp. dumtaxat finibus ijs praestabis, quos ante praescripsi. quos uero aut ex domesticis conuictionibus, aut ex necessarijs apparitionibus tecum esse uoluisti, qui quasi ex cohorte praetoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia praestanda nobis sunt. sed habes eos tecum,quos possis recte facientes facile diligere, minus consulentes existimationi tuae facillime coercere.a quibus,rudis eum esses, uidetur potuisse tua liberalitas decipi. nam,ut quisque est uir optimus,ita difficillime esse alios improbos suspicatur. nunc uero tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam superiores, cautiorem etiam, ac diligentiorem. Sint aures tuae, quae id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte, & simulate quaestus caussa insusurretur. Sit anulus tuus, non ut uas aliquid, sed tamquam ipse tu; non minister alienae uoluntatis, sed testis tuae. Accensus sit eo etiam numero,quo eum maiores nostri esse uoluerunt, qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris, ac muneris non temere,nisi libertis suis, deferebant; quibus illi quidem non multo secus, ac seruis, imperabant. Sit lictor non suae, sed tuae lenitatis apparitor; maioraq. praeferant fasces illi, ac secures dignitatis insignia quam potestatis.Toti denique sit prouinciae cognitum, tibi omnium, quibus praesis,salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas. Denique haec opinio sit, non modo ys,qui aliquid acceperint, sed ijs etiam,qui dederint,te inimicum, si id cognoueris, futurum. neque uero quisquam dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos,qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari. nec tamen haec oratio mea est eiusmodi, ut te in tuos aut durum esse nimium, aut suspiciosum uelim. nam si quis est eorum,qui tibi biennij spatio numquam in suspicionem auaritiae uenerit,ut ego Caesium, & Chaerippum,& Labeonem & audio,&,quia cognoui,existimo: nihil est,quod non & ijs,& si quis est alius eiusmodi,& cõmitti,& credi rectissime putẽ.sed si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris: huic nihil credideris,nullam partem existimationis tuae commiseris. In prouincia uero ipsa si quem es nactus,qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis ante fuerit ignotus,huic quantum credendum sit, uide: non quin possint multi esse prouinciales uiri boni: sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura: frons,oculi, uultus persaepe mentiuntur, oratio uero saepissime. quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniae cupiditate adducti careant ijs rebus omnibus, a quibus nos diuulsi esse non possumus; te autem, alienum hominem,ament ex animo,ac nõ sui commodi caussa simulent? mihi quidem permagnum uidetur. praesertim si ijdem homines priuatum nõ fere quemquam, praetores semper omnes amant. Quo ex genere si quem forte tui cognosti amantiorem,(fieri enim potuit)quam temporis: hunc uero ad tuum numerum libenter adscribito. sin autem id non perspicies: nullum erit genus in familiaritate cauendum magis: propterea quod &

omnes

omnes uias pecuniae norunt; & omnia pecuniae caussa faciunt; &, quicum uicturi non sunt, eius existimationi consulere non curant. Atque etiam e Graecis ipsis digenter cauendae sunt quaedam familiaritates, praeter hominum perpaucorum, si qui sunt uetere Graecia digni, sic uero fallaces sunt permulti, & leues, & diuturna seruitute ad nimiam assentionem eruditi. quos ego uniuersos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio, amicitiaq. coniungi dico oportere. nimiae familiaritates eorum neque tam fideles sunt; (non enim audent aduersari nostris uoluntatibus) & uero inuident non nostris solum, uerum etiam suis. Iam qui in eiusmodi rebus, in quibus uereor etiam ne durior sim, cautus esse uelim, ac diligens; quo me animo in seruis esse censes? quos quidem cum omnibus in locis, tum praecipue in prouinciis regere debemus. quo de genere multa praecipi possunt: sed hoc & breuissimum est, & facillime teneri potest: ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, ut si iter Appia uia faceres; ne ue intereße quidquam putent, utrum Tralles, an Formias uenerint. At, si quis est ex seruis egregie fidelis; sit in domesticis rebus, & priuatis: quae res ad officium imperij tui, atque ad aliquam partem reip. pertinebunt, de ijs rebus ne quid attingat. multa enim, quae recte committi seruis fidelibus possunt, tamen, sermonis, & uituperationis uitandae caussa, committenda non sunt. Sed nescio quo pacto ad praecipiendi rationem delapsa est oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei praecipiam, quem ego, in hoc praesertim genere, intelligam prudentia non esse inferiorem, quam me, usu uero etiam superiorem? sed tamen, si ad ea, quae faceres, auctoritas accederet mea, tibi ipsi illa putaui fore iucundiora. Quare sint haec fundamenta dignitatis tuae, tua primum integritas, & continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor; delectus in familiaritatibus & prouincialium hominum, & Graecorum percautus, & diligens, familiae grauis, & constans disciplina. quae cum honesta sine in his priuatis nostris, quotidianisq. rationibus; in tanto imperio, tam deprauatis moribus, tam corruptrice prouincia, diuina uideantur, neceße est. Haec institutio, atque haec disciplina potest sustinere in rebus statuendis, & decernendis eam seueritatem, qua tu in ijs rebus usus es, ex quibus non nullas simultates cum magna mea laetitia susceptas habemus.. nisi forte me Paconij nescio cuius, hominis ne Graeci quidem, ac Mysi, aut Phrygis potius, querelis moueri putas, aut Tuscenij, hominis furiosi, ac sordidi uocibus; cuius tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum aequitate. Haec, & cetera plena seueritatis, quae statuisti in ista prouincia, non facile sine summa integritate sustineremus. quare sit summa in iure dicendo seueritas, dum modo ea ne uarietur gratia, sed conseruetur aequabilis. sed tamen parui refert, abs te ipso ius dici aequaliter, & diligenter, nisi idem ab is fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem uideretur non sane magna ueritas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota iuris dictione maxime sustinere. in qua scientiae, praesertim prouincialis, ratio ipsa expedita est: constantia est adhibenda, & grauitas, quae resistat non solum gratiae, uerum etiam suspicioni. Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in discernendo, in satisfaciendo, ac disputando diligentia. his rebus nuper Cn. Octauius iucundißimus fuit: apud quem primus lictor quieuit, tacuit accensus: quoties quisque uoluit, dixit, & quam uoluit diu. quibus ille rebus fortasse nimis lenis uideretur, nisi haec lenitas illam seueritatem tueretur. cogebantur Sullani homines, quae per uim, & metum abstulerant, reddere. qui in magistratibus iniuriose decreuerant, eodem ipsis priuatis erat iure parendum. haec illius seueritas acerba uideretur; nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. quod si haec lenitas grata Romae est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, tot auxilia, tanta uis, tanta senatus auctoritas: quam iucunda tandem praetoris comitas in Asia potest esse? in qua tanta multitudo ciuium, tanta sociorum, tot urbes, tot ciuitates unius hominis nutum intuentur: ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio. quare permagni hominis est, & cum ipsa natura moderatu, tum uero etiam doctrina, atque optimarum artium studiis eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus is praesit, desideretur. Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperii: cuius summa grauitas ab illo Philosopho cum singulari comitate coniungitur: quos quidem libros non sine caussa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat. nullum est enim praetermißum in iis officium diligentis, & moderati imperii. eaq. si sic coluit ille, qui priuatus futurus numquam fuit: quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est, ut redderent, & ab iis legibus datum est, ad quas reuertendum est? Ac mihi quidem uidentur huc omnia eße referenda iis, qui praesunt aliis, ut ij, qui eorum in imperio erunt, sint quambeatissimi: quod tibi & eße antiquissimum, & ab initio fuiße, ut primum Asiam attigisti, constante fama, atque omnium sermone celebratum est. Est autem non modo eius, qui sociis, & ciuibus, sed etiam eius, qui seruis, qui mutis pecudibus praesit, eorum, quibus praesit, commodis, utilitatisq. seruire. cuius quidem generis, constare inter omnes uideo, ab te summam adhiberi diligentiam, nullum aes alienum nouum contrahi ciuitatibus, uetere autem magno, & graui multas abs te esse liberatas: urbes complures dirutas, ac paene desertas, in quibus unum Ioniae nobilissimam, alteram Cariae, Samum, & Halycarnaßum, per te esse recreatas: nullas esse in opidis seditiones, nullas discordias: prouideri abs te, ut ciuitates optimatum consiliis administrentur: sublatis Mysiae latrocinia, caedes multis locis repressas, pacem tota prouincia constitutam, neque solum illa itinerum, atque agrorum, sed multo etiam plura, & maiora opidorum & furta, & latrocinia esse depulsa: remotam a fama, & a fortunis, & ab otio locupletum illam acerbissimam, ministram praetorum auaritiae, calumniam: sumptus, & tributa ciuitatum ab omnibus, qui earum ciuitatum fines incolant, tolerari aequaliter: facillimos esse aditus ad te: patere aures tuas querellis omnium: nullius inopiam, ac sollicitudinem non modo illo populari accessu, ac

tribunali, sed ne domo quidem; & cubiculo esse exclusam tuo; denique imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiae, mansuetudinis, humanitatis. quantum uero illud est beneficium tuum, quod iniquo, & graui uectigali acdiliciorum, magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti? Enimuero, si unus homo nobilis queritur palam, te, quod edixeris, ne ad ludos pecuniae decernerentur, HS c c sibi eripuisse: quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine, quicumque Romae ludos facerent, quod erat iam institutum, erogaretur? Quamquam has querellas hominum nostrorum illo consilio oppressimus, quod in Asia nescio quonam modo, Romae quidem non mediocri cum admiratione laudatur; quod, cum ad templum, monumentumq. nostrum ciuitates pecunias decreuissent; cumq. id & pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficijs summa sua uoluntate fecissent; nominatimq. lex exciperet, ut ad templum, monumentumq. capere liceret; cumq. id, quod dabatur, non esset interiturum, sed in ornamentis templi futurum; ut non mihi potius, quam populo R. ac dij immortalibus datum uideretur; tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, uoluntas, accipiendum non putaui, cum alijs de caussis, tam etiam ut animo aequiore ferrentij, quibus nec deberetur, nec liceret. Quapropter incumbe toto animo, & studio omni in eam rationem, quia adhuc usus es, ut eos, quos tuae fidei, potestatiq. senatus, populusq. R. commisit, & credidit, diligas, & omni ratione tueare, ut esse quam beatissimos uelis. quod si te sors Afris, aut Hispanis, aut Gallis praefecisset; immanibus, ac barbaris nationibus: tamen esset humanitatis tuae, consulere eorum commodis, & utilitati, salutiq. seruire. cum uero ei generi hominum praesimus, non modo in quo ipsa sit, sed etiam a quo ad alios peruenisse putetur humanitas: certe ijs eam potissimum tribuere debemus, a quibus accepimus. non enim me hoc iam dicere pudebit, praesertim in ea uita, atque in ijs rebus gestis, in quibus non potest residere inertiae, aut leuitatis ulla suspicio, nos ea, quae consecuti sumus, ijs studijs, & artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisq. traditae. Quare, praeter communem fidem, quae omnibus debetur, praeterea nos isti hominum generi praecipue debere uidemur; ut, quorum praeceptis simus eruditi. apud eos ipsos, quod ab ijs didicerimus, uelimus exprimere. Atque ille quidem princeps ingenij, & doctrinae Plato tum denique fore beatas resp. putauit, si aut docti, & sapientes homines eas regere coepissent, aut, qui regerent, omne suum studium in doctrina, ac sapientia collocassent. hanc coniunctionem uidelicet potestatis, & sapientiae, saluti censuit ciuitatibus esse posse. quod fortasse aliquando uniuersae reip. nostrae, nunc quidem profecto isti prouinciae contigit, ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in uirtute, atque humanitate percipienda plurimum a pueritia studij fuisset, & temporis. Quare cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiae prorogatus esse uideatur. quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quam nos in deducendo; perfice, ut laetitia prouinciae desiderium nostrum leniatur. etenim, si in promerendo ut tibi tanti honores haberentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus; multo maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiã debes. Equidem, de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te ante. semper eos putaui, uulgares essent, uiles; si temporis caussa constituerentur, leues: si uero, id quod ita factum est meritis tuis tribuerentur, existimabam multam tibi in ijs tuendis operam esse ponendam. Quare, quoniam in istis urbibus cum summo imperio, & potestate uersaris, in quibus tuas uirtutes consecratas, & in deorum numero collocatas uides, in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quis tantis hominum opinionibus, tantis de te iudicijs, tantis honoribus debeas, cogitabis. id autem erit eiusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, prouideas saluti, ut te parentem Asiae & dici, & haberi uelis. Atque huic tuae uoluntati, ac diligentiae difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si aduersamur, ordinem de nobis optime meritum, & per nos cum rep. coniunctum, & a nobis, & a rep. disiungemus. sin autem omnibus in rebus obsequimur; funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiam commodis consulere debemus. Haec est una, si uere cogitare uolumus, in toto imperio tuo difficultas. nam, esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coercere, & iuris aequabilem tenere rationem, facilem te in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis, admittendisq. praebere, praeclarum magis est, quam difficile. non est enim positum in labore aliqua, sed in quadam inductione animi, atque uoluntate. Illa caussa publicanorum quantam acerbitatem afferat socijs, intelleximus ex ciuibus, qui nuper in portorijs Italiae tollendis non tam de portorio, quam de non nullis iniurijs portitorum querebantur. quare non ignoro, quid socijs accidat in ultimis terris, cum audiuerim in Italia querellas ciuium. Hic te ita uersari, ut & publicanis satisfacias, praesertim publicis male redemptis, & socios perire non sinas, diuinae cuiusdam uirtutis esse uidetur, idest tuae. Ac primum Graecis id, quod acerbissimum est, quod sunt uectigales, non ita acerbum uideri debet: propterea quod sine imperio populi R. suis institutis per se ipsi ita fuerunt: nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi uectigal sine publicano non potuerunt, quod ijs aequaliter Sulla descripserat. non esse autem leniores in exigendis uectigalibus Graecos, quam nostros publicanos, hinc intelligi potest, quod Caunij nuper omnes ex insulis, quae erant ab Sulla Rhodijs attributae, confugerunt ad senatum, nobis ut potius uectigal, quam Rhodijs, penderent. quare nomen publicani neque ij debent horrere, qui semper uectigales fuerunt; neque ij aspernari, qui per se pendere uectigal non potuerunt; neque ij recusare, qui postulauerunt. simul & illud Asia cogitet, nullam a se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem absuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur. id autem imperium cum retineri sine uectigalibus nullo modo possit, aequo animo parte aliqua, suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium. Quod si genus ipsum, & nomen publicani non iniquo animo sustinebunt; poterunt ijs consilio, & prudentia tua reliqua uideri mitiora. possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam,


sed

sed potius commoditatem conficiendi negotij, & liberationem molestiae. potes etiam tu id facere, quod & fecisti egregie, & facis, ut commemores quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus; ut, remoto imperio, ac ui potestatis, & fascium, publicanos cum Graecis gratia, atque auctoritate coniungas. sed & ab ijs, de quibus optime tu meritus es, & qui tibi omnia debent, hoc petas, ut facilitate sua nos eam necessitudinem, quae est nobis cum publicanis, obtinere, & conseruare patiantur. Sed quid ego te haec hortor, quae tu non modo facere potes tua sponte sine cuiusquam praeceptis, sed etiam magna iam ex parte perfecisti? non enim desistunt nobis agere quotidie gratias honestissimae, & maximae societates. quod quidem mihi iccirco iucundius est, quod idem faciunt Graeci. difficile est autem, ea, quae commodis, utilitate, & prope natura diuersa sunt, uoluntate coniungere. At ea quidem, quae supra scripta sunt, non, ut te instituerē, scripsi: (neque enim prudentia tua cuiusquam praecepta desiderat) sed me in scribendo commemoratio tuae uirtutis delectauit. quamquam in his litteris longior fui, quam aut uellem, aut quam me putaui fore. Vnum est, quod tibi ego praecipere non desinā; neque te patiar, quantum in me erit, cum exceptione laudari. omnes enim, qui istinc ueniunt, ita de tua uirtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis summis laudibus excipiant unam iracundiam. quod uitium cum in hac priuata, quotidianaq. uita leuis esse animi, atque infirmi uidetur: tum uero nihil est tam deforme, quam ad summum imperium etiam acerbitatem naturae adiungere. quare illud non suscipiam, ut, quae de iracundia dici solent a doctissimis hominibus, ea tibi nunc exponam; cum & nimis longus esse nolim, & ex multorum scriptis ea facile possis cognoscere. illud, quod est epistolae proprium, ut is, ad quem scribitur, de ijs rebus, quas ignorat, certior fiat, praetermittendum esse non puto. Sic ad nos omnes fere deferunt, nihil, cum absit iracundia, te fieri posse iucundius; sed, cum te alicuius improbitas, peruersitasq. commouerit, sic te animo incitati, ut ab omnibus tua desideretur humanitas. quare, quoniam in eam rationem uitae nos non tam cupiditas quaedam gloriae, quam res ipsa, ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit: caueamus, quantum efficere, & consequi possumus, ut ne quod in nobis insigne uitium fuisse dicatur. Neque ego hoc nunc contendo, quod fortasse cum in omni natura, tum iam in nostra aetate difficile est, mutare animum, &, si quid est penitus insitum moribus, id subito euellere: sed te illud admoneo, ut, si hoc plene uitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quam prouidere ratio potuit, ne occuparetur; ut te ante compares, quotidieq. meditere, resistendum esse iracundiae; cumq. ea maxime animum moueat, tum tibi esse diligentissime linguam continendam; quae quidem mihi uirtus non interdum minor uidetur, quam omnino non irasci. nam illud est non solum grauitatis, sed non numquam etiam lentitudinis. moderari uero & animo, & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere, & tenere in sua potestate motum animi, & dolorem, etsi non est perfectae sapientiae, tamen est non mediocris ingenij. atque in hoc genere multo te esse iam commodiorem, mitioremq. nunciant. nullae tuae uehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullae contumeliae perferuntur: quae cum abhorrent a litteris, ab humanitate, tum uero contraria sunt imperio, ac dignitati. nam si implacabiles sunt iracundiae, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa leuitas: quae tamen, ut in malis, acerbitati anteponenda est. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis; credo propterea, quod tibi hominom iniuriae, quod auaritia, quod insolentia praeter opinionem accidebat, & intolerabilis uidebatur; secundus autem multo lenior; quod & consuetudo, & ratio, &, ut ego arbitror, meae quoque litterae te patientiorem, lenioremq. fecerunt: tertius annus ita esse debet emendatus, ut ne minimam quidem rem quisquam possit ullam reprehendere. Ac iam hoc loco non hortatione, neque praeceptis, sed precibus tecum fraternis ago, totum ut animum, curam, cogitationemq. tuam ponas in omnium laude undique colligenda. quod si in mediocri statu sermonis, ac praedicationis nostrae res essent; nihil abs te eximium, nihil praeter aliorum consuetudinem postularetur. nunc uero, propter earum rerum, in quibus uersati sumus, splendorem, & magnitudinem, nisi summam laudem ex ista prouincia assequimur; uix uidemur summam uituperationem posse uitare. ea nostra ratio est, ut omnes boni cum faueant, tum etiam a nobis omnem diligentiam, uirtutemq. & postulent, & exspectent; omnes autem improbi, quod cum ijs bellum suscepimus sempiternum, uel minima re ad reprehendendum contenti esse uideantur. Quare, quoniam eiusmodi theatrum est totius Asiae, celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, iudicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes, uocesq. referantur: contende, quaeso, atque elabora, non modo ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse uideare. Et, quoniam mihi casus urbanam in magistratibus administrationem reip. tibi prouincialem dedit, & si mea pars nemini cedit; fac, ut tua ceteros uincat. Simul & illud cogita, nos non de reliqua, & sperata gloria iam laborare, sed de parta dimicare: quae quidem non tam expetenda fuit, quam tuenda nobis est. Ac si mihi quidquam esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi iam partus est: nunc uero res sic sese habet, ut, nisi omnia tua facta, atque dicta nostris rebus istinc respondeant, ego me tantis meis laboribus, tantisq. periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. quod si, ut amplissimum nomen consequeremur, unus praeter ceteros adiuuisti: certe idem, ut id retineamus, praeter ceteros elaborabis. non est tibi his solis utendum existimationibus, ac indicijs, qui nunc sunt, hominum, sed ijs etiam, qui futuri sunt. quamquam illorum erit uerius iudicium, obtrectatione, & maleuolentia liberatum. Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quaerere: quod si esset, tamen non negligeres, praesertim cum amplissimis monumentis consecrare uoluisses memoriam nominis tui: sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris: in qua cauendum est, ne, si negligentior fueris, non solum tibi parum consuluisse, sed tuis etiam inuidisse uidearis. Atque

haec non eo dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potius ut currentem incitasse uideatur. facies enim perpetuo, quae fecisti, ut omnes aequitatem tuam, temperantiam, seueritatem, integritatemq. laudent. sed me quaedam tenet, propter singularem amorem, infinita in te auiditas gloriae. quamquam illud existimo, cum iam tibi Asia, sicut unicuique sua domus, nota esse debeat; cum ad tuam summam prudentiam tantus usus accesserit; nihil esse, quod ad laudem attineat, quod non tu optime perspicias, & tibi non, sine cuiusquam hortatione, in mentem ueniat quotidie. Sed ego, qui, cum tua lego, te audire, & qui, cum ad te scribo, tecum loqui uideor, iccirco & tua longissima quaque epistola maxime delector, & ipse in scribendo saepe sum longior. Illud te ad extremum & oro, & hortor, ut, tamquam poetae boni, & actores industrij solent, sic tu in extrema parte, & conclusione muneris, ac negotij tui, diligentissimus sis; ut hic tertius annus imperij tui, tamquam tertius actus, perfectissimus, atque ornatissimus fuisse uideatur. id facillime facies, si me, cui semper uni magis, quam uniuersis, placere uoluisti, tecum semper esse putabis, & omnibus ijs rebus, quas dices, ac facies, interesse. Reliquum est, ut te orem, ut ualetudini tuae, si me, & omnes tuos ualere uis, diligentissime seruias.

EXPLANATIO

L. Afranio,
Q. Caecilio Metello, Celere, COS.



ACCESSISSE *desiderio nostro,* } quo te absentem desideramus. nostro, reditus in urbem tui. In hunc autem annum, qui fuit Quincto in administranda Asia tertius, incidit exsulium M. Tullij: ut est lib. 3. ad Att. & hic ep. 3. A PRAETORIBUS } qui non tam Quincti, quam sua ipsorum caussa, contendebant; ut, Quincto decedente, eorum aliquis ad regendam Asiam mitteretur. NON *nullorum negotiatorum* } quorum inhonestae cupiditati obuiam eundum censerem. uide infra, hac ipsa epistola. NOS *summa necessitudine attingunt,* } non solum, quia publicani equites erant, & ex equestri familia natus erat Cicero; sed etiam, quia ordinem equestrem semper defenderat, atque ornauerat, ad Atticum lib. 1. & oratione IV. in Catilinam. NOSTRI *consulatus beneficio* } quia, nisi ego coniurationem Catilinae consul oppressissem, impetus in omnium fortunas esset factus. GRAECI *quidem* } ipsi socii. prouinciã enim diuisit in duo genera, socios, & ciues: rursus ciues in duas species, publicanos, & negotiatores. infra, hac ipsa epistola. Graecos autem appellat Asianos, quia tum f re totus ille terrarum tractus Graeco sermone utebatur: itaque M. Coelius in quadam ad Ciceronem epistola Graecas pantheras uocat, quae in Cilicia capiebantur. NON *itineribus tuis perterreri homines* } cum alii pro consulibus, quacumque irent, socios expilarent. quo nomine Appium accusauit lib. VI. ad Att. NOSTER *cum animo* } Bessarionis liber, Noster & cum animo. forte, Noster est. QUEM *sors dedit* } sorte quaestores prouinciarum rectoribus dabantur. fam. lib. 2. ep. ultima. & in diuinatione, & alibi saepe. QUOAD *per se negligeret* } in priuatis rebus, quae ad ipsum dumtaxat pertineant: in ijs uero, quae ad tuam dignitatem spectant, ferre te nollem. COMITES, *& adiutores* } ut legatos, & quaestorem. FINIBUS *ijs* } dumtaxat in ijs rebus, quae ad ipsos priuatim pertinent, feras. QUASI *ex cohorte praetoris* } non dicit, ex cohorte, sed, quasi ex cohorte; quod in ea paullo nobiliores homines essent. nam accensi, ministri erant; cohors praetoria, comites consulares, ut exponit Pedianus in II. Verrina. HORUM *non modo facta, sed etiam dicta* } cur horum potius, quam eorum, quos resp. comites dedit? quia, quos ipsi probauimus, & delegimus, ij quacumque in re peccauerint, non tam ipsis, quam nobis, adscribitur. LIBERALITAS } rectius, ut opinor, in Bessarionis libro, Libertas. solent enim, qui minime fraudulenti sunt, ex ingenio suo ceteros pendere. NON *ut uas aliquod,* } quod assidue circumfertur. sed uide, quibus illum tradas, ne quis, accepta pecunia, signet ea, quae tu non probares. MINISTER } ne quis eo, quoties uelit, uti possit. Et fortasse hic tacite Statium libertum designat, de quo uide ep. 2. EO *etiam numero* } e numero bonorũ uirorum: quales eos maiores nostri esse uoluerunt, qui libertis in hoc utebantur, ut ijs imperare, & bene agendi leges imponere facilius possent. Accensus autem nomen ordinis fuit, & promotionis in militia, ut Pediani uerbis utar. OFFENDERIS } offensionem aliquam acceperis. sic locutus est Lucceius in epistola ad Ciceronem libro V. fam. & Caes. comm. de bel. ci. lib. I. & in Verrem. EX *eo genere hominum,* } prouinciales homines auaritiae notat. QUI *pecuniae,* } hoc non ab his uerbis pendet, Ex eo genere hominum. nam, si ita esset, ex iisdem uerbis illud quoque penderet, Te autem, alienum hominem, ament ex animo. ita, quo spectarent ea uerba, Qui potes reperire, perspicuũ nõ esset. quare ego sic totam sententiam dispono. Ex eo genere hominum, ex prouincialibus inquam, qui potes reperire, qui & pecuniae cupiditate adducti careant iis, quae a nobis coluntur, uirtutibus, & te, hominem alienum, ament ex animo, ac non sui commodi caussa simulent? mihi quidem difficile in primis uidetur. itaque cauendae sunt eorum familiaritates. IIS *rebus* } ijs uirtutibus, ut humanitate, & continentia. PRAETORES *super omnes* } quod est simulationis indicium. nam, si essent natura boni, & ad humanitatem propensi,

pensi, non tam praetores, quam priuatos homines, amarent. QVAM *temporis* } qui te ipsum potius, quam temporis caussa diligant. E GRAECIS *ipsis* } locutus enim hactenus est de negotiatoribus, qui quae stas caussa in prouincijs uiuunt. SIC *uero* } sed, uti nunc sunt, fallaces plerique sunt. nam uetus Graecia bonos permultos habebat. ET *inuident* } sic in omnibus impressis libris, praeter eos, qui postremi ex aedibus nostris, multis partibus meliores facti, prodierunt. occasionem nobis attulit coniecturae Bessarionis liber: in quo scriptum cum uideremus, Et non inuident, facile tum ex emendandi uetere cõsuetudine, tum ex Latini sermonis obseruatione sumus adducti, ut, ubi, non, legebatur, reponendum putaremus, uero, mutatione nulla: ut facile, qui libros manuscriptos cum impressis conferre soliti sũt, iudicabunt. quo ex numero Faernus meus excellit; qui singularem optimarum disciplinarum scientiam eximia huius quoque generis laude cumulauit. NON *enim audent* } nam aperte nobis aduersari non audent, quamuis male animati sint, sed occulte obtrectant. TRALLES, *an Formias* } Tralles in Caria, quae est in Asia minore, quam Quinctus regebat: Formiae in Campania. SVSTINERE } defendere, & tueri. nam alioqui summa seueritas in eo praetore posset reprehendi, cuius uitam labes aliqua turpitudinis & improbitatis inficeret. INHONESTISSIMAM *cupiditatem* } erant enim negotiatores, quorum cupiditas & impudentia esset poena coercenda. itaque dixit supra, Dum sociorum saluti consulo, dum impudentiae nonnullorum negotiatorum resisto, supra, hac ipsa epistola. NE *uarietur gratia* } dũ eadem sit seueritas in omnes: ne cui gratificans aliud alio tempore decernas. SVSTINERI } totum hoc, quidquid est oneris, iurisdictionis est. LENITAS *in differendo* } edicta sunt, ex quibus toto anno ius dicitur, decreta, quae in singulis interponuntur caussis. SATISFACIENDO, *ac disputando* } satisfacit iudex duobus modis, primum, cum litigantes facile ac libenter audit; deinde, cum eos, aduersus quos sententiam dederit, uultu & uerbis ita mulcet, & quasi consolatur, ut irati prorsus maleq. animati non discedant. hoc alterum genus hic intelligit Cicero. nam, quod ad audiendi facilitatem attinet, id primo loco iam posuit. DISPVTANDO, autem mendosum puto. non enim disputare praetor dicitur. Cic. in Partitionibus: Nam aut auscultator est modo, qui audit, aut disceptator, id est rei, sententiaeq. moderator. ex quo suspicor legendum, Disceptando. CN. *Octauius* } hic est, opinor, de quo infra ep. 2. qui fuit Augusti pater; & Macedoniam rexit, quae Quincti prouinciam attingebat. uidetur autem Caio potius, quam Cnaeo, praenomen ei fuisse. uide, quae notauimus in ad Atticum lib. II. ut omittam, quod infra, ep. 2. Bessarionis liber habet G. Octauius, corrupta quidem littera, sed qua tameq librarius Caium significare uoluerit. PRIMVS *lictor quieuit* } antea, Primus lictor qui fuit. uerum neque magna mutatio est inter F & E: & erit aperta sententia: ut sit, Quieuit, dicendi locum unicuique concessit: cum aliorum praetorum lictores obstrepere solerent, & silentium dicentibus imperare. Sequor autem in hoc meam consuetudinem libenter, ut, quid a quoque acceperim, confitear. nam, cum Romae adolescens admodum essem, anno M.D.XXXV. Octauius Pantagathus, uir eiusmodi, cuius assequi uirtutes nulla satis laudatione possum, amicis aliquot, quorum in numerum me quoque proximis superioribus diebus humanissime receperat, locum hunc ita esse emendandum indicauit. postea uero Ferrariae, cum has epistolas cum Benedicto Accolto, Cardinali Ciceronianae eloquẽtiae studiosissimo, subsecuarum horarum temporibus percurreret; renouatam memini, & ab utroque confirmatam eandem huius loci correctionem. itaq. sua manu in eo, quo tunc utebatur, libro Accoltus perscripsit. TVERETVR } propter hanc lenitatem excusabatur illa seueritas, quod ab eo cogebantur Sullani homines &c. GRATA *Romae est*, } in ijs, qui Romae magistratum gerunt. VBI *tanta arrogantia* } duabus de caussis lenitatem in magistratibus urbanis ualde laudari, mirum est; & quod in summa hominum arrogantia uix agnoscitur lenitas; & quod iniuriosus esse magistratus impune non potest; quoniam acerbius tractati, aliorum magistratuum auxilium implorant, maiorem potestatem contra minorem appellantes: ut eo minoris aestimanda lenitas uideatur, quoniam contra acerbitatem & iniurias tot magistratus, tot auxilia sunt. quod si, ubi tanta arrogantia est, ubi tot auxilia, tameq & grata est, & plurimi aestimatur lenitas: quanto magis in prouincia? in qua &c. NVLLA *conquestio*, } ubi de magistratu queri nemo potest. non est enim, ut Romae, ad quem confugiat, quem appellet. Nec tamen displiceret, uel placeret potius, Nulla quaestio; ut de iudicijs accipiatur; ad quae contra magistratuum iniurias in urbe appellatio est. sic triplex auxilium erit, iudicia, senatus, populus. CYRVS *ille* } is, cuius morientis orationem ad filios de animorum immortalitatem recitat Cicero in libro de senectute. NON *ad historiae fidem scriptus* } hoc exemplum non ob eam caussam Cicero attulit, ut ostenderet, Cyrum esse a Xenophonte scriptum; sed ut ex eius institutis argumentum caperet, prouinciarum rectoribus grauitatem esse cum humanitate iungendam. nam, si ea sic ille coluit, qui priuatus futurus numquam fuit: quonam modo, &c. Opinor igitur, non terminari sententiam in uerbo, scriptus, nec subaudiri, est; quod non nulli putant: sed pendere, donec excipiatur ab illa parte, Eaq. si sic coluit ille. ut sit, quod Graeci ἀνακόλουθον uocant. quale illud est in Tusculana secunda: Etenim, si orationes, quas nos multitudinis iudicio probari uolebamus, (popularis est enim illa facultas, & effectus eloquentiae est audientium approbatio) sed si reperiebantur non nulli, qui nihil laudarent, nisi quod imitari se posse confiderent, &c. Similia notauimus & apud Graecos multa. NOSTER *ille* } a nobis celebratus in libris de rep. infra, lib. III. & ad Atticum lib. IIII. & VI. et VII. & X. AD *quas reuertendum est?* } a quibus legibus imperium in alios accepimus, ijsdem, cum in urbem reuerterimus, nobis priuatis parendum erit. LIBERATAS *urbes* } placet potius uerbum, liberatas, ad ciuitates referri, quam

coniungi

coniungi cum ſequentibus. non enim, cum eadem de re, de aere, inquam, alieno, Cicero loqueretur, ciuitates & urbes dixiſſet; cum aliud ciuitas ſit, aliud urbs. quod facile declarat illud in epiſtola ad Dolabellam: Liberaſti & urbem periculo, & ciuitatem metu. item hic, ut a ciuibus aedificia diſtinguat, ciuitates ait aere alieno liberatas; urbes autem, quae dirutae fuerant, ac paenae deſertae, per Quinctum eſſe recreatas. SAMVM, *& Halycarnaſſum*, } Samum Ioniae, Halycarnaſſum Cariae, quae fuit Herodoti patria, & Dionyſij, eius, cuius exſtat de rebus Romanis uberrima, eademq. certiſſima hiſtoria. CALVMNIAM } fuerant enim quidam praetores in prouincia uſque eo auaritia perditi, ut accuſatores locupletum ipſi compararent, atque inſtruerent: quo maximos ex eorum condemnatione quaeſtus facerent. qualis Verres fuit. AB *omnibus, qui earum ciuitatum* } non ſatis fuiſſet ab ipſis ciuitatibus, ſed dixit, ab omnibus plane, qui fines earum incolunt. nam plerumque ciuitates impoſita tributa in homines oppidanos, atque agreſtes ita transferunt, ut tolerari uix poſſint. opinor autem, ciuitatum gloſſema fuiſſe. AEDILICIORVM, } aediles enim ad ſuos ludos imperare prouincijs pecunias ſolebant. NOSTRVM } non cum Quincto commune, ſed Marci proprium: quod infra patet. CIVITATES } Aſiae. MAGNIS *meis meritis*, } quibus Aſiam prouinciam affeceram. TVIS } in iſto imperio, quod tibi nunc eſt in tertium annum prorogatum. LEX } de repetundis; quae ſanciebat, ne cui aut capere pecunias liceret, aut conciliare. quod patet ex lib. VI. ad Att. & in Verrem. QVIBVS *nec deberetur*, } perſpicuum eſt aediles ſignificari. ISTI *hominum generi* } Graecis. CONSECRATAS } hoc dicit, quia iuſtitiae ceterarumq. uirtutum templa erant in Graecia. DE *nobis optime meritum*, } erant enim publicani ex ordine equeſtri, & Catilinae coniurationis temporibus equites conſuli Ciceroni aſſidue cum gladijs adſtiterant. pro Sextio, & poſt reditum in ſenatu, & I. in Catilinam. PER *nos* } uide orationem IV. in Catilinam. EOS *perire* } Aſiae ciuitates: quas publicani uectigalibus acerbe nimiũ uexabant. VLTIMIS *terris* } non orbis ultimi, nec imperij Romani, ſed admodum remotis. PVBLICIS *male redemptis*, } ideo uideris publicanis ſatisfacere uix poſſe, quoniam publica nimium magno conduxerunt: ut ob eam cauſſam acerbius a ſocijs exigere cogantur; neque tu tantum illis poſſis concedere, quo non plus poſtulent, atque efflagitent. SINE *publicano* } ipſae enim per ſe ciuitates non facile ad colligendum uectigal adducuntur, niſi ſit, qui praecipuam huius muneris curam gerat, & ſuo periculo a ſocijs exigat. quod faciebat publicanus. AEQVALITER } quo facilius ſine publicano exigi uidebatur poſſe. SVLLA *deſcripſerat* } id fuiſſe talentorum XX millia, &, cum duplum mutuantibus publicanis Aſiani ſe eſſe reddituros promitterent, facta eſſe C & XX millia, tradidit Plutarchus in Lucullo. CAVNII, } pars prouinciae Quincti: ſunt enim in Caria, & Caria in Aſia minore. RHODIIS *attributae* } quo beneficio? forte, quia Norbanum, Sulla repetente, reddendum cenſuerunt. GENVS *ipſum*, } uectigal. RELIQVA } ut publicanorum exactio. NON *legem ſpectare cenſoriam*; } quae in pactionibus faciendis conſuleret prouincialibus potius, quam publicanis. qua de cauſſa, cum pactiones facere cũ prouincialibus publicani ex lege cenſoria, utpote in ipſos iniquiore, omnino recuſarent; poſſunt, inquit Cicero, prouinciales quoquo modo pactiones facere cum publicanis, etiam ſi non ijs plane condicionibus, quae ſunt a cenſoribus in uectigalium locatione conſtitutae; ut ſcilicet negotium aliquando conficiant, & ea moleſtia liberentur, quam capiunt, cum ſe a publicanis quotidie appellari, atque urgeri uident. Et eſt a parum multis fortaſſe animaduerſum, legem cenſoriam hoc in loco, non re uera pro lege ad populum lata, ſed pro locatione ipſa, uſurpatam. cenſores enim ferendarum legum ius non habebant. cur autem non haberent, diximus in libro de legibus. *Cenſoriam* } de uectigalibus, quorum locandorum cura penes cenſores erat. quidquid autem publicanis prouinciales debebant, id uectigaliũ erat nomine contractum. COMMODITATEM } quid enim commodius, quam aere alieno liberari, nec, ut ante, uſuris exhauriri? SED *& ab ijs* } una in re duo monet fratrem; primum, ut, qua ualet gratia, atque auctoritate, ea cum Graecis publicanos coniungat; cum ita dicat, ſummam eſſe in publicanorum ordine dignitatem; ei ſe plurimum debere: deinde, non ut iam gratia, aut auctoritate cum prouincialibus agat, ſed ab ijs pro eo, quantum ei debent, quod plurimum eſt, petat, ut hoc ei de ipſis optime merito, quaſi mercedis loco, tribuant, ne quid aſpere nimium, aut acerbe contra rem aut uoluntatem publicanorum decernant. COMMODIOREM } ſuauiorem, ac faciliorem. SOCIETATES } publicanorum: erãt enim in plures ſocietates diſpertiti. fam. 207; IDEM *faciunt Graeci*. } quod argumento eſt, tua prudentia factum eſſe, ut inter eos conueniat. PROPE *natura* } ut ignis & aqua, ſic fere diuerſi eſſe uidentur publicani & ſocij; quod publicani ſuum commodum ſine ſociorum incommodo curare non poſſunt: quos tu tamen, inquit, amore & beneuolentia coniunxiſti. A DOCTISSIMIS *hominibus* } Ariſtotele in ethicis maxime, Platone in Philaebo, & in IV. de rep. RES *ipſa, ac fortuna* } Res; quia, patre nati equite Romano, Romae uiuentes, litteris a pueritia exculti, quid aliud ageremus, non erat. contulimus igitur nos ad remp. non tam ſtudio gloriae, quam quod genus illud uitae nobis potiſſimum cõuenire: ut ipſa res, ſtatus quidam, & condicio rerum noſtrarum deducere nos in hanc uitae rationem uideretur. *Fortuna*, quia potuit ea nos ad aliud uitae genus impellere. tres enim cauſſas attingit Cicero, cupiditatem gloriae, rem ipſam, fortunam: recte: nam priores duas, niſi accedat tertia, infirmas experimur. poſſet ita loqui, ſi quis caſu in uia inimico occurrens, petitus ab eo primum uerbis contumelioſe, deinde gladio cum periculo uitae, uim ui repellere dum uult, eum interficiat. dicet enim ad eleuandam culpam: Me non iam odium, aut ueteres inimicitiae, quam res ipſa ac fortuna ad hoc facinus adduxit. nam, ut eſſet in me cupiditas, non erat occaſio; neque uero cupiditas ſimul & occaſio ſatis ad perficiendam rem ualebant, niſi fortuna cum utraque conſenſiſſet. VT *te ante* } notandum, particulam,

Iam,ut,esse repetitam.quod alibi quoque factum a Cicerone animaduertemus,ut Acad.lib.2.Vt, quoniam Aristippus,&c.libro etiam III. de Fin.ne illud quidem consentaneum est, ut; si&c. LENTITVDINIS ʒ non solum,inquit,ut ne irascamur,grauitas facit;quod laudabile est;sed etiam lentitudo,hoc est,segnities quaedam naturae,quam Graeci dicunt ἀοργησίαν. in qua non modo laus, sed uitiū quoddam uidetur esse constitutum. THEATRVM *est totius Asiae* ʒ neque Est, neque Asiae Bessarionis habet liber. alter scriptus,Theatrum totius Asiae uirtutibus est datum.ego ex hac uarietate legendum conijcio sic: Theatrum tuis uirtutibus est datum.nam eo fidentius dictionem,Asiae,tollo, quod abest a Bessarionis libro.in eo tantum muto, quod pro, totius, lego, tuis, ita postulante sententiā. & opinor, cum ad dictionem, Theatrum, aliquis pro glossa adscripsisset, Asiae, eamq. mox in Ciceronis uerba esset recepta, ut ita legeretur, Theatrum tuis Asiae uirtutibus est datum, factum esse, Theatrum totius Asiae, magnamq. inde perturbationem esse consecutam. ILLA *omnia* ʒ non modo talem ut uirum te praestiteris, qualem illa postulant, sed etiam praestantiorem. MIHI *casus urbanam* ʒ casu accidit, ut ego in urbe, tu prouincia remp. gereres. Proprie tamen in Quincto magis,quam in Marco, casus nominatur. nam Quinctus iuit in prouinciam, quod, eundum ut esset, casus tulit: qui contra ferre potuisset, eundum ne esset.Marcus uero non casu non iuit in prouinciam,sed uoluntate,& consilio.prouinciam enim deposuerat;ut ipse in epistolis ad Metellum, Catonem, Atticū scribit. ET *si mea pars* ʒ abundare puto,Et. ELABORABIS ʒ Plane,& aperte, quod ad sententiam attinet; sed,quia nimium amamus antiquitatem, uisum est quod in Bessarionis libro uidimus, id notare. habet enim,Allaborabis.ut fortasse,allaborabis.usitatum est Horatio uerbum. QVAMQVAM *illorum* ʒ non satis intelligo, quid afferat ad sententiam uerbum,Quamquam.mallem,Quoniam; uel,Namque. AMPLISSIMIS *monumentis* ʒ scriptis annalibus,de quibus ad Att.lib.II. TERTIVS *actus* ʒ Quinctus, non tertius,extremus in comoedijs est actus: isq.perfectior,& ornatior uidetur.hic tertium annum imperij,quasi ultimum actum in fabula accipit,quando in administratione prouinciae ultimus est, sit, inquit,ita ultimus annus in prouincia perfectus, ut est ultimus actus in fabula.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 2.

STATIVS ad me uenit ad IIX. Kal. Nou. eius aduentus,quod ita scripsisti, direptum iri te a tuis, dum is abesset,molestus mihi fuit. Quod autem exspectationem tui,concursumq.eum,qui erat futurus,si una tecum decederet, neque antea uisus esset, sustulit, id mihi non incommode uisum est accidisse. exhaustus est enim sermo hominum; & multae emissae iam eiusmodi uoces ἀλλ' αἰεὶ τινα ζῶν τομάγαι. *quae te absente confecta esse laetor. Quod autem iccirco a te missus est, mihi ut se purgaret;id necesse minime fuit. primū enim numquam ille mihi fuit suspectus: neque ego, quae ad te de illo scripsi, scripsi meo iudicio: sed cum ratio, salusq. omnium nostrum, qui ad remp. accedimus, non ueritate solum, sed etiam fama niteretur; sermones ad te aliorum semper,non mea iudicia, perscripsi. qui quidem quam frequentes essent, & quam graues, aduentu suo Statius ipse cognouit. etenim interuenit nō nullorum querellis,quae apud me de illo ipso habebantur; & sentire potuit,sermones iniquorum in suum potissimum nomen erumpere. Quod autem me maxime mouere solebat, cum audiebam illum plus apud te posse, quam grauitas illius aetatis, & imperij prudentia postularet:quam multos enim mecum egisse putas, ut se Statio commendarem? quam multa autem ipsum* ἀφελῶς *mecum in sermone ita protulisse? id mihi non placuit; monui,suasi, deterrui. quibus in rebus etiam si fidelitas summa est; quod prorsus credo; quoniam tu ita iudicas: tamen species ipsa tam gratiosi liberti, aut serui dignitatem habere nullam potest, Atque hoc sic habeto, (nihil enim nec temere dicere, nec astute reticere debeo) materiam omnem sermonum eorum, qui de te detrahere uelint, Statium dedisse: & antea tantum intelligi potuisse, iratos tuae seueritati esse non nullos; hoc manumisso, iratis, quod loquerentur, non defuisse. Non respondebo ad eas epistolas, quas mihi reddidit L. Caesius: cui quoniam ita te uelle intelligo, nullo loco deero.quarum altera est ne Blaudenio Zeuxide: quem scribis certissimum matricidam tibi a me intime commendari. qua de re, & de hoc genere toto,ne forte me in Graecos tam ambitiosum factū esse mirere,pauca cognosce. Ego,cum Graecorum querellas nimium ualere sentirem, propter omnium ingenia ad fallendum parata;quoscumque de te queri audiui,quacumque potui ratione placaui. primum Dionysipolitas,qui erant inimicissimi mei,leniui; quorum principem Hermippum non solum sermone meo; sed etiam familiaritate deuinxi. Ego Apamensem Hephaestum, ego leuissimum hominem Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnaeum, ego nugas maximas omni mea comitate complexus sum, Nymphontem etiam Colophonium. quae feci omnia,non quo me aut ij homines,aut tota natio delectaret. pertaesum est enim leuitatis,assentionis,animorum non officijs,sed temporibus seruientium. sed, ut ad Zeuxim reuertar, cum is de M. Casellij sermone secum habito, quae tu scribis,ea ipsa loqueretur,obstiti eius sermoni, & hominem in familiaritatem recepi.Tua autem quae fuerit cupiditas tāta,nescio,quod scribis, cupisse te, quoniam Smyrnae duos Mysos insuisses in culeum, simile in superiore parte prouinciae edere exemplum seueritatis tuae, & iccirco Zeuxim elicere omni ratione uoluisse: quem, adductum in iudicium,fortasse dimitti non oportuerit;conquiri uero,& elici blandicijs,ut tu scribis,ad iudicium necesse non fuit, eum praesertim hominem, quem ego & ex suis ciuibus, & ex multis alijs quotidie magnis cognosco nobiliorem prope esse,quam ciuitatem suam. At enim Graecis solis indulgeo. quid L.Caecilium?nonne omni ratione placaui? quem hominē? qua ira? quo spiritu*

spiritu? quem denique, praeter Tuscenium, cuius caussa sanari non potest, non mitigaui? ecce supra caput homo leuis, ac sordidus, sed tamen equestri censu, Catienus. etiam is lenietur. cuius tu in patrem quod fuisti asperior, non reprehendo. certo enim scio, te fecisse cum caussa. sed quid opus fuit eiusmodi litteris, quas ad ipsum misisti? illum crucem sibi ipsi constituere, ex qua tu eum ante detraxisses: te curaturum, fumo ut combureretur, tota plaudente prouincia. Quid uero ad C. Fabium nescio quem? (nam eam quoque epistolam T. Catienus circumgestat) renunciari tibi, Licinium plagiarium cum suo paullo Miluino tributa exigerer. deinde rogas Fabium, ut & patrem, & filium uiuos comburat, si possit: sin minus, ad te mittat, uti iudicio comburantur. haec litterae abs te per iocum missae ad C. Fabium, si modo sunt tuae, cum leguntur, inuidiosam atrocitatem uerborum habent. ac si omnium mearum litterarum praecepta repetes; intelliges esse nihil a me, nisi orationis acerbitatem, & iracundiam, & si forte, raro litterarum missarum indiligentiam reprehensam. quibus quidē in rebus si apud te plus auctoritas mea, quam tua siue natura paullo acrior, siue quaedam dulcedo iracundiae, siue dicendi sal, facetiaeq. ualuissent: nihil sane esset, quod nos paeniteret. & mediocri dolore putas affici, cum audiam, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus uicinus C. Octauius? nam si te interioribus uicinis tuis, Cilicensi, & Syriaco anteponis; ualde magnum facis. atque is dolor est, quod, cum ij, quos nominaui, te innocentia non uincant. uincunt tamen artificio beneuolentiae colligendae; qui neque Cyrum Xenophontis, neque Agesilaum nouerint; quorum regū summo in imperio nemo umquam uerbum ullum asperius audiuit. sed haec a principio tibi praecipiens, quantum profecerim, non ignoro. nunc tamen decedens, id quod mihi iam facere uiderit, relinque, quaeso, quamiucundissimam memoriam tui. successorem habes perblandum cetera ualde illius aduentu tuo requirentur. In litteris mittendis, ut saepe ad te scripsi, nimium te inexorabilem praebuisti. tolle omnes, si potes, iniquas, tolle inusitatas, tolle contrarias. Statius mihi narrauit, scriptas ad te solere afferri, ab se legi, &, si iniquae sint, fieri te certiorem: ante quam uero ipse ad te uenisset, nullum delectum litterarum fuisse; ex eo esse uolumina selectarum epistolarum, quae reprehendi solerēt. hoc de genere nihil te nūc quidem moneo, sero est enim ac scire potes, multa me uarie, diligenterq. monuisse: illud tamen, quod Theopompo mandaui, cum essem admonitus ab ipso, uide per homines amantes tui, quod est facile, ut haec genera tollantur epistolarum primū iniquarum, deinde contrariarum, tum absurde, & inusitate scriptarum, postremo in aliquē contumeliosarum. Atque haec tam esse, quam audio, non puto: &, si sunt, occupationibus tuis minus animaduersa; nunc perspice & purga. Legi epistolam, quam ipse scripsisse Sulla nomenclator dictus est, non probandam. legi non nullas iracundias. Sed tempore ipso de epistolis: nam cum hanc paginam tenerem, L. Flauius, praetor designatus, ad me uenit, homo mihi ualde familiaris: is, mihi te ad procuratores suos litteras misisse, quae mihi uisae sunt iniquissimae, ne quid de bonis, quae L. Octauij Nasonis fuissent, cui L. Flauius heres est, deminuerent ante, quam C. Fundanio pecuniam soluissent; itemq; misisse ad Apollonienses. ne de bonis, quae Octauij fuissent, deminui paterentur prius, quam Fundanio debitum solutum esset. haec mihi uerisimilia non uidentur: sunt enim a prudentia tua remotissima. ne deminuat heres? quid, si inficiatur? quid, si omnino nō debet? quid? praetor solet iudicare, deberi? quid? ego Fundanio non cupio? non amicus sum? non misericordia moueor? nemo magis: sed uia iuris eiusmodi est quibusdam in rebus, ut nihil sit loci gratiae. atque ita, mihi dicedat Flauius, scriptum in ea epistola, quam tuam esse dicebat; te aut, quasi amicis tuis, gratias acturum, aut, quasi inimicis, incommoda laturum. quid multa? ferebat grauiter: id uehementer mecum querebatur: orabatque, ut ad te quamdiligentissime scriberem: quod facio; & te prorsus uehementer etiam atque etiam rogo, ut & procuratoribus Flauij remittas de deminuendo, & Apolloniensibus ne quid praescribas, quod contra Flauium sit amplius, & Flauii caussa, & scilicet Pompeii facias omnia. nolo mediusfidius ex tua iniuria in illum tibi liberalem me uideri. sed & te oro, ut tu ipse auctoritatem, & monumentum aliquod decreti, aut litterarum tuarum relinquas, quod sit ad Flauii rem, & ad caussam accommodatum. fert enim grauiter homo & mei obseruantissimus, & sui iuris dignitatisq. retinens, si apud te neque amicitia, neque iure ualuisse. &, ut opinor, Flauii aliquando rem & Pompeius, & Caesar tibi commendarunt; & ipse ad te scripserat Flauius, & ego certe. quare, si ulla res est, quam tibi me faciendam petente putes, haec ea sit. si me amas, cura, elabora, perfice, ut Flauius & tibi, & mihi quammaximas gratias agat. hoc te ita rogo, ut maiore studio rogare non possim. Quod ad me de Hermia scribis, mihi mehercule ualde molestum fuit. Litteras ad te parum fraterne scripseram; quas, oratione Diodoti, Luculli liberti, commotus, de pactione statim quod audieram, iracundius scripseram; & reuocare cupiebam. huic tu epistolae, non fraterne scriptae; fraterne debes ignoscere. De Censorino, Antonio, Cassio, Scaeuola, te ab ijs diligi, ut scribis, uehementer gaudeo: cetera fuerunt in eadem epistola grauiora, quam uellem. ὀρθὰν τὰν ναῦν, & ἅπαξ θανεῖν. maiora ista erunt. Meae obiurgationes fuerunt amoris plenissimae, quae sunt non nulla, sed tamen mediocria, & parua potius. ego te numquam ulla in re dignum minima reprehensione putassem, cum te sanctissime gereres. nisi inimicos multos haberemus. quae ad te aliqua admonitione, aut obiurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meae; in qua & maneo, & manebo; &, idem ut tu facias, non desistam rogare. Attalus Hypbemenus mecum egit, ut se ne impedires, quo minus, quod ad Q. Publiceni statuam decretum est, erogaretur, quod ego te rogo, & admoneo, ne talis uiri, tamq. nostri necessarij honorem minui per te, aut impediri uelis. Praeterea Aesopi tragoedi, nostri familiaris, Licinius seruus, tibi notus, aufugit. is Athenis apud Patronem Epicureum pro libero fuit: inde in Asiam uenit: postea Plato quidam Sardianus, Epicureus, qui Athenis solet esse multum, & qui tum Athenis fuerat, cum Licinius eo uenisset; cum eum fugitiuū postea esse ex Aesopi litteris cognosset, hominem comprehendit: & in custodiam Ephesi tradidit, sed in publicam, uel in pristinum, non satis ex litteris eius intelligere potuimus: tu, quoquo modo, quoniam Ephesi est, hominem inuestiges uelim, summaq. diligentia uel tecū deducas. noli spectare, quanti homo sit: parui enim

pretij

pretij est, qui iam nihil sit: sed tanto dolore Aesopus est affectus propter serui scelus, & audaciam, ut nihil ei gratius facere possis, quam si illum per te recuperarit. Nunc ea cognosce, quae maxime exoptas. Remp. funditus amisimus, adeo, ut Cato adolescens, nullius consilij, sed tamen ciuis Romanus, & Cato, uix uiuus effugeret, quod, cum Gabinium de ambitu uellet postulare, eeque praetores diebus aliquot adiri possent, uel potestatem sui facerent, in concionem adscendit, & Pompeium priuatus dictatorem appellauit. propius nihil est factum, quam ut occideretur. ex hoc, qui sit status totius reip. uidere potes. nostrae tamen caussae non uidentur homines defuturi: mirandum in modum profitentur, offerunt se, pollicentur. & quidem cum spe sum maxima, tum maiore etiam animo. spero superiores fore nos: confido animo, ut in hac rep. ne casum quidem ullum pertimescam. sed tamen se res sic habet. si diem nobis Clodius dixerit, tota Italia concurret, ut multiplicata gloria discedamus: sin autem ui agere conabitur, spero fore studijs non solum amicorum, sed etiam alienorum, ut ui resistamus. omnes & se, & suos liberos, amicos, clientes, libertos, seruos, pecunias denique suas pollicentur. nostra antiqua manus bonorum ardet studio nostri, atque amore. si qui antea aut alieniores fuerant, aut languidiores, nunc, horum regum odio, se cum bonis coniungunt. Pompeius omnia pollicetur, & Caesar: quibus ego ita credo, ut nihil de mea comparatione deminuam. tribuni pl. des. sunt nobis amici. consules se optime ostēdunt. praetores habemus amicissimos, & acerrimos ciues, Domitium, Nigidium, Memmium, Lentulum, bonos etiam alios, sed hos singulares. quare magnum fac animum habeas, & spem bonam. de singulis tamen rebus, quae quotidie gerantur, faciam te credo certiorem. Vale.

EXPLANATIO

C. Iulio Caesare,
M. Calpurnio Bibulo, COS.

STATIVS } Quincti libertus, gratiosior apud eum, quam deceret. QVOD *ita scripsisti*, } dubitationis quidquam subesse uidetur his uerbis. quasi dicat. Nisi tu ita scripsisses, aliter existimarem. Eodem illa uidentur spectare, quae, non multis interiectis uersibus, sequuntur: Quod prorsus credo; quoniam tu ita iudicas. DIREPTVM } quod rem domesticam, Statij studio, ac fidelitate conseruari Quinctus arbitraretur. NEQVE *antea uisus esset*, } ita scripserat Quinctus: Maxima fuisset Romae exspectatio, maximus hominum concursus in reditu meo, talis, inquam, qualis nūquam uisus est, si Statius una mecum de prouincia decessisset, Romamq. uenisset. itaque doleo illum sine me uenisse. Tu hoc doles, respondet Marcus: ego laetor: quae enim post eius reditum in re absentem coniecta sunt, ea tu maiore cum dolore praesens audisses, si tecum Statius uenisset. exhaustus igitur te absente totus est hominum sermo, & multae eiusmodi uoces, ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν: quae emissae iam sunt. Homeri uersus est in Οδ. ι, de Vlysse a Polyphemo pronunciatus: a quo tam pusillo, tamq. imbecillo miratur se esse excaecatum: qui ex uaticinio Eurimedis ab Vlysse quidem se id passurum, sed Vlysse aliquo magno ac formoso uiro, suspicabatur. uersus hi sunt integri:

Ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν καὶ καλὸν ἐδέγμην
Ἐνθάδ' ἐλεύσεσθαι, μεγάλην ἐπιειμένον ἀλκήν
Νῦν δέ μ' ἐὼν ὀλίγος τε, καὶ οὐτιδανὸς, καὶ ἄχικυς
Ὀφθαλμοῦ ἀλάωσον, ἐπεί μ' ἐδαμάσσατο οἴνῳ.

Nunc, qua ratione horum uersuum sententia, de Vlysse & Polyphemo ab Homero prolata, ad Quinctū & ad Statium accommodari possit, ut certe egregie potest, consideremus. Per triennium iam Quinctus Asiam rexerat. scripta enim est epistola in exitu fere anni tertij. rationem eius administrationis fama iā nuncijq. Romam pertulerant: satisq. notum erat, omnibus in rebus eum uti consilio Statij liberti; quod Cicero modo occulte, modo aperte conqueritur. exspectabant igitur homines liberti Statij aduentum in Vrbem cum Quincto, quasi τινὰ φῶτα μέγαν; a quo prouinciam esse administratam, tamquam a proconsule, audissent: qui cum uenisset, quasi decepti, itidem ut Polyphemus, iisdem, quibus ille, uersibus errorem suum poterant indicare. Quae igitur uoces, si cum Quincto Statius urbem esset ingressus, coniectae fuissent; eas in unum Statium, absente Quincto, emissas, Cicero gaudet; idq. modeste significat, cum ait, Id mihi non incommode uisum est accidisse: ne offenderet animum Quincti, ad iracundiā propensi, & de Statio optime existimantis. PROTVLISSE? } cum diceret, se a te plurimi fieri. QVONIAM *tu ita iudicas*: } de Statij fidelitate scripsit Quinctus & in ea epistola, qua manumissum Tironē gratulatus est his uerbis: Si n. mihi Statij fidelitas est tantae uoluptati: quanti esse in isto haec eadem bona debent, additis litteris, sermonibus, humanitate? BLAVDENIO, } ex urbe Blaudo, quae est in Phrygia; non Blandenio, ut est in quibusdam libris. DE *hoc genere toto* } cum ego tibi tam multos Graecos commendauerim. AD *fallendum* } eos, apud quos queruntur. astuti enim & ingeniosi ad fingendum & persuadendum Graeci sunt. INIMICISSIMI *mei* } feci tamen, ut, inimicitiarum ratione neglecta, eos in te lenirem. aut abūdat, Mei, & subaudiendum, Tui: quod magis placeret: quasi praeter ceteros Dionysipolitae de Quincto quererentur. HEPHAESTVM } in hac dictione ausus sum, contra meam consuetudinē, paullisper ab antiquis libris discedere. nam Hephaestum, pro Ephesium, reposui. cur enim dicat, Apamensem Ephesium, duarū ciuitatum nominibus coniunctis, unum hominem proprio, simulq. eius patriā uelit nominare, ut cū in-

fert.Megaristum Antandrium,Niciam Smyrnaeum,Nymphontem Colophonium? NVGAS *maximes* } leuissimos infimaeq. condicionis homines: qui nec nominandi sunt. DVO *Mysos* } ita scripsi,ut antiquitatem retineam. sic enim est in Bessarionis libro. sic & Virgilius locutus est:

,, Si duo praeterea tales Idaea tulisset
,, Terra uiros.

CAECILIVM? } hi sunt homines Romani,qui in prouincia Quincti negotiabantur. SANARI *non potest* } quia tu in eum grauissime animaduertisti. uide epist.1. ECCE *supra caput* } ecce praeter eos, quos significaui,occurrit animo meo,& quasi supra caput adstat,a me nominandus Catienus. SORDIDVS } obscurae arti deditus,quaestum fortasse sordidis rebus curans. EQVESTRI *censu*, } non ex equestri ordine;cuius census erat quadringenta millia nummum; sed eo censu, ut liceret ei per domesticam rem equestrem adipisci dignitatem. nam, quorum census infra quadringenta millia esset, ijs non licebat. MILVINO } uidetur fuisse Licinij seruulus, aut certe comes in rapinis hoc nomine. addit, Pullo, per iocum, ad rapacitatem indicandam:quia miluij rapaces. TRIBVTA } quod pecuniam quasi dominus imperaret,& minaciter exprimeret. quod praepotentes non nulli solent. DICENDI *sal,facetiaeq.* } quod acute dictis multorum animos offenderet. TVVS *uicinus* } qui in ipsa Asia sunt, & aliquam prouinciae tuae partem,a te demandatam,administrant. VALDE *magnum* } cum ironia. QVOS *nominaui* } Virgilium,& Octauium intelligit. hos enim duos nominauit: Cilicensis uero,Syriaciq. nomina non posuit. QVI *neque Cyrum* } cum tamen litteris exculti non sint. AGESILAVM } Lacedaemoniorum regem,qui in ore erat rhetorum declamantium,ut ait Suidas. INEXORABILEM } mallem,Exorabilem: ut,quia multis petentibus satisfacere Quinctus uoluerit,ideo scripserit iniquas,inusitatas,contrarias. TOLLE } da operam,ut colligantur,& supprimantur. hoc paullo post dicit apertius. SCRIPTAS } ab ijs,qui eas a Quincto petiuissent. quas fuisse iniquas,inusitatas, contrarias,cum ijdem homines & peterent eas, & scriberent, mirum non est. NVLLVM *delectum* } cum omnes peraeque litteras, quae ad te afferebantur, obsignari iuberes. SELECTARVM } quae ante ipsius aduentum anulo tuo fuissent obsignatae. VARIE } multis de rebus: in quibus,hoc quoque de genere quid sentirem, intelligere potuisti. VIDE *per homines amantes tui*, } da negotium hominibus amantibus tui,ut tecum simul uideát, ne qua a te scribatur epistola aut iniqua,aut cōtraria,aut absurda,aut inusitata, aut denique in aliquem contumeliosa. SVLLA *nomenclator* } de ministris Quincti:a quo scriptam epistolam, Quinctiq. anulo obsignatam,Cicero legerat, minime probandam. TEMPORE *ipso* } opportune haec de epistolis,a te paullo consideratius scribendis. L. FLAVIVS } Dio lib.XXXVII. nominat L.Flauium,Pompeij studiosissimum: qui tamen hic non est. nam ille tribunatum pl.gessit Afranio & Celere cos.ut etiam patet ex libro I.ad Atticum: hic autem,Pisone & Gabinio, praeturam, anno tantum uno post Afranij & Celeris consulatum.non enim arbitror,anno post tribunatum pl.proximo quemquam potuisse praetorem designari.quod si curulem aedilitatem omitti placuit: biennium tamen inter tribunatum & praeturā oportuit intercedere.itaque Domitius, & Ancharius,cum tribunatum gessissent, post annum,omissa aedilitate praeturam petierunt,& adepti sunt. uide orationem pro Sextio,& nostrum commentarium. de hoc autem Flauio, praetore designato,Dio libro XXXIIX. & Asconius in commentario orationis pro Milone. SI *infitiatur?* } deberi quidquam Fundanio. PRAETOR *solet* } praetor, ut in libro de legibus ostendimus,non iudicabat,sed ius dicebat. iudicabant autem iudices a praetore dati,cum alijs de caussis, tum etiam de ijs, in quibus, petita pecunia deberetur, nec ne,dijudicari oportebat. monet igitur Quinctum, contra consuetudinem eum fecisse, qui iudicauerit deberi. REMITTAS *de deminuendo*, } permittas, ut de bonis Octauij deminuere possint. AMPLIVS } hoc amplius te rogo, Flauij caussa, & scilicet Pompeij, qui Flauio amicissimus est, facias omnia. EX *tua iniuria in illum* } noli credere, me hac de re propterea tecum agere,quia liberalitatis laudem quaeram, ex eo facto, quod iniuriosum est. ego tuam iniuriam tolli uolo, existimationis tuae caussa: non id ago, ut uidear in Flauium liberalis. RELINQVAS } tempus enim discessionis appropinquabat; cum annuum praetoris imperium ultra Decembrem mensem non produceretur. IVRIS, *dignitatisq. retinens*, } qui neque de re, neque de dignitate sua quidquam detrahi passurus est. NEQVE *iure* } cum iudicare praetor non debueris, deberi. DE *pactione* } inter Graecos & publicanos a te facta. epist.1. IN *eadem epistola* } quam dixit se scripsisse iracundius. GRAVIORA } in te obiurgando. ὀρθὰν τὰν ναῦν } fortasse dicit hoc: Rectum nauis cursum teneamus: deinde, si res ita postulet, moriamur. quasi dicat: agamus, quod rectum est: reliqua omnia contemnamus.& est eius obiurgationis,qua paullo grauiore usus erat,excusatio. uerba graeca unde sumpserit, mihi quidem ignotum est. potuit a poeta mutuari;quod saepe solet. MAIORA *ista erunt*. } an hoc? ista, quae te moneo, quae ad te, simulq. ad me pertinent, maioris erunt momenti, quam illa, quorum caussa ille protulit haec uerba: ὀρθὰν, τὰν ναῦν ἅπαξ θανεῖν. sunt igitur eo nobis diligentius obseruanda. QVAE *sunt non nulla*, } hoc non ad ipsa uerba, quae antecedunt,sed ad eorum sententiam accommodat.quae,inquit,in te reprehendi,sunt omnino aliqua, sed tamen mediocria, & parua potius. SARDIANVS } Sardis urbs in Lydia fuit. DEDVCAS. } Romam. QVI *iam nihil sit*. } Non uideo, quo referatur particula, Iam: ac malim, Qui tam nihil sit: cum & seruus, & nequam seruus nihil omnino esse uideatur. homo nihil, ueteres dixisse, tradit Varro de analogia lib.II. CATO *adolescens*, } C.Cato,is, qui triennio post tribunus pl.rogationem promulgauit de abrogando Lentulo imperio.fam. ep.5.l.1. CONCIONEM } ab aliquo magistratu datam.nam alio qui, priuatus cum esset, concionari non potuisset. ad Atticum lib. IIII. PRIVATVS } cum a consule

dictator

dictator dici soleat. OCCIDERETVR. } hoc significant illa uerba Iulij Obsequentis: Propter Pompeij dictaturam ingens seditio in urbe fuit. quod esse factum Cicerone & Antonio cos. imperite falsoq. Obsequens tradidit: qui, cum & is, qui scripsit epitomen Liuianam, & Dio, C. Antonium a Dardanis fugatum Caesare & Bibulo cos. significent, Antonij calamitatem & Pompeij dictaturam simul statuerit, titulumq. fecerit, ad annum indicandum, Cicerone & Antonio cos. NOSTRAE *causae* } si diem nobis Clodius dixerit, qui nunc est tribunus pl. designatus. ET *quidem* } liber Bessarionis manuscriptus admodum a nostro impresso discrepat: habet enim sic: Vt quidam cum spe summa tum maiore etiam animo sperent superiores fore nos confidant animo &c. Ex hac scriptura uidetur non magna mutatione elici ueritas posse. optime enim cum sententia Ciceronis congruet, si legatur sic: Vt quidam, cum spe summa, tum maiore etiam animo, sperent, superiores fore nos; confidant adeo, ut in hac rep. &c. IN *hac rep.* } malim; In hac re. NE *casum quidem ullum* } ne fortuita quidem: quae tamen ideo uidentur pertimescenda, quia non sunt in potestate nostra. DIXERIT } ad populum, quod ciues Romanos indicta caussa contra legem Semproniam condemnarim. DISCEDAMVS: } ex iudicio. HORVM *regum* } Pompeij, Caesaris consulis, Crassi, qui perniciosam reip. societatem iniuerant. sic ad Atticum lib. II. Mirandum in modum reges odisse superbos. & eodem lib. Hoc uero regnum esse, ferri nullo pacto potest. & ibidem: Nec iam ipsi agri regnum uestrum ferre possunt. CAESAR } consul: qui Clodium iam ad plebem traduxerat. DE *mea comparatione* } ita credo, ut nihilo me languidius comparem, ac muniam. tale illud lib. II. harum epist. Pompeius se comparat, homines ex agris accersit. Ciceronem autem non admodum affirmanti Pompeio credidisse, indicat illud ad Atticum libro II. Alterum facio, ut caueam: alterum, ut non credam, facere non possum. & ibidem: Pompeius confirmat, eum nihil esse facturum contra me. mihi periculosum est credere. ad resistendum me paro. AMICI } omnes praeter Clodium, hoc est, nouem: ex quibus tamen, Cicerone in exsuliumprofecto, defluxit unus; & octo dumtaxat de reditu Ciceronis rogationem promulgarunt. hinc illa in oratione pro Sextio. De meo reditu octo tribuni promulgarunt. nam ex nouem, quos tunc habueram, unus me absente defluxit; qui cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit; quo magis nationis eius esse, quam generis, uideretur. Cuius loci sententiam in nostro in illam orationem commentario satis aperuimus. CONSVLES } designati, Piso & Gabinius: qui tamen se non, quales ostenderant, praestiterunt. PRAETORES } hos quoque designatos. DOMITIVM } L. Domitium Ahenobarbum, Caesaris inimicissimum; quem praetorem cum C. Memmio collega, quem hic Cicero nominat, de eius actis ad senatum retulisse, Suetonius prodidit. atque huius maxime praetoris metu consensisse Caesarem cum P. Clodio tribuno pl. de Ciceronis exsulio, facit illud, ut credam, quod in oratione pro Sextio scriptum est his uerbis: Illi autem, aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res superioris anni labefactari a praetoribus putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant; suaq. sibi propiora esse pericula, quam mea, loquebantur. NIGIDIVM } P. Nigidium Figulum, Romanorum omnium, uno excepto M. Varrone, doctissimum, ad quem est epistola lib. IV. fam. MEMMIVM } C. Memmium, eum, qui sacris Iuuentutis, quibus ipse praeerat, M. Luculli uxorem, ut Cicero in ad Atticum epistola iocatur, initiauit, quiq. Cn. Pompeij uxorem, per Curtium Niciam grammaticum, codicillis de stupro solicitauit: ut est in libro de claris grammaticis. LENTVLVM } non potest hic esse P. Lentulus Spinther, qui consul fuit anno proximo post Pisonem & Gabinium cos. distat autem biennio a consulatu praetura. Cn. Lentulum Marcellinum fuisse ne credam, eadem ratione adducor. gessit enim consulatum post Lentulum Spintherem. itaq. praetor, Pisone & Gabinio cos. uno tantum inter praeturam & consulatum anno interiecto, esse nō potuit. Quid, si de L. Lentulo, flaminis filio, intelligatur? ne hoc quidem licet. repugnat enim historia. nam qui potest hoc anno, id est eo, quo Gabinius & Piso consules designati sunt, praetor ipse designatus esse, cum hoc anno consulatum cum Gabinio petierit? id quod in Vatiniana interrogatione Cicero significat his uerbis: L. Lentulum, hunc iudicem nostrum, flaminem Martialem; quod erat eo tempore Gabinij tui competitor. Fuisse igitur crediderim L. Lentulum Crus: qui cum C. Claudio Marcello aliquot post annis consulatum gessit. Sed ecce, cum aliud quaererem, locus in oratione in Pisonem de improuiso nobis oblatus, in quo L. hic Lentulus praetor nominatur. ALIOS } quattuor reliquos praetores. erant enim omnino octo.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 3.

MI FRATER, mi frater, mi frater, tu ne id ueritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine litteris miserim? aut etiam, ne te uidere noluerim? ego tibi irascerer? tibi ego possem irasci? scilicet enim tu me afflixisti, tui me inimici, tua me inuidia; ac non ego te misere perdidi. meus ille laudatus consulatus mihi te, liberos, patriam, fortunas, tibi uelim ne quid eripuerit praeter unum me. sed certe a te mihi omnia semper honesta, & iucunda ceciderunt; a me tibi luctus meae calamitatis, metus tuae, desiderium, maeror, solitudo. ego te uidere noluerim? immo uero me a te uideri nolui. nō enim uidisses fratrem tuum; non eum, quem reliqueras; non eum, quem noras; non eum, quem flens flentem, prosequentem proficiscens dimiseras, ne uestigium quidem eius, nec simulacrum, sed quandam effigiem spirantis mortui. atque utinam me mortuum prius uidisses, aut audisses. utinam te non solum uitae, sed etiam dignitatis meae superstitem reliquissē. sed testor oēs deos, me hac una uoce a morte esse reuocatū, quod omnes ī mea uita

partem aliquam tuae uitae repositam eße dicebant. quare peccati, sceleratéq. feci, nam, si cecidissem, mors ipsa meam pietatem, amoremq. in te facile defenderet. nunc commisi, ut uiuo me careres, uiuo me alijs indigeres, mea uox in domesticis periculis potissimum occideret, quae saepe alienissimis praesidio fuisset. Nam quod ad te pueri sine litteris uenerunt, quoniam uides non fuisse iracundiae caussa, certe pigritia fuit, & quaedam infinita uis lacrymarum, & dolorum. haec ipsa me quo fletu putas scripsiße? eodem, quo te legere certo scio, an ego possum aut non cogitare aliquando de te, aut umquam sine lacrymis cogitare? cum enim te desidero, fratrem solum desidero, ego uero suauitate prope fratrem, prope aequalem, obsequio filium, consilio parentem. quid mihi sine te umquam, aut tibi sine me iucundum fuit? quid quod eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio? effigiem oris, sermonis, animi mei. quid filium uenustissimum, mihiq. dulcissimum? quem ego ferus; ac ferreus e complexu dimisi meo, sapientiorem puerum, quam uellem: sentiebat enim miseriam, quod ageretur. quid uero tuum filium? quid? imaginem meam; quem meus Cicero & amabat ut fratrem, & iam, ut maiorem fratrem, uerebatur. quid, quod mulierem miserrimam, fidelissimam, uerebatur. quid quod mulierem miserrimam, fidelissimam coniugem me prosequi non sum passus; ut esset, quae, reliquias communis calamitatis, communes liberos tueretur? Sed tamen, quoquo modo potui, scripsi, & dedi litteras ad te Philogono, liberto tuo quas credo tibi postea redditas eße: in quibus idē te hortor, & rogo, quod pueri tibi uerbis meis nunciarunt, ut Romam protinus pergas, & properes. primum enim te praesidio esse uolui, si qui essent inimici, quorum crudelitas non dum eßet nostra calamitate satiata: deinde congressus nostri lamentionem pertimui, digressum uero non tulißem: atque etiam id ipsum, quod tu scribis, metuebam, ne a me distrahi nō posses his de caussis hoc maximum malum, quod te nō uidi, quo nihil amantissimis, & coniunctissimis fratribus acerbius, ac miserius uidetur accidere potuiße, minus acerbum, minus miserum fuit, quam fuißet cum congressio, tum uero digressio nostra. Nunc, si potes, id quod ego, qui fortis tibi semper uidebar, non poßum, erigete, & confirma, si qua subeunda dimicatio erit. spero, si quid mea spes habet auctoritatis, tibi & integritatem tuam, & amorem in te ciuitatis, & aliquid etiam misericordiam nostri, praesidij laturam sin eris ab isto periculo uacuus, ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis. de quo scribunt ad me quidem multi multa, & se sperare demonstrant: sed ego, quid sperem, non dispicio; cum inimici plurimum ualeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint; qui in meo reditu fortassis reprehensionem sui sceleris pertimescant. sed, ista qualia sint, tu uelim perspicias, mihiq. declares. ego tamen, quam tibi opus erit, si quid periculi subiendum uidebis, uiuam. diutius in hac uita esse non possum. neque enim tantum uirium habet ulla aut prudenia, aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere, scio fuisse & honestius moriendi tempus, & utilius: sed non hoc solum, multa alia praetermisi: quae si quaeri uelim praeterita, nihil agam, nisi ut augeam dolorem tuum, indicem stultitiam meam. illud quidem nec faciendum est, nec fieri potest, me diutius, quam aut tuum tempus, aut firma spes postulabit, in tam misera, tamq. turpi uita commoraui; ut, qui modo fratre fuerim, liberis, coniuge, copijs, genere ipso pecuniae baptissimus; dignitate, auctoritate, existimatione, gratia non inferior, quam qui umquam fuerunt amplissimi; is nunc in hac tam afflicta, perditaq. fortuna neque me, neque meos lugere diutius possim. Quare quid ad me scripsisti de permutatione? quasi uero nunc me non tuae facultates sustineant quain re ipse uideo miser, & sentio, quid sceleris admiserim, cum de uisceribus tuis, & filij tui satisfacturum sis quibus debes, ego acceptam ex aerario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim. sed tamen & M. Antonio, quantum tu scripseras, Coepioni tantundem solutum est. mihi ad id, quod cogito, hoc, quod habeo, satis est, siue enim restituimur, siue desperamur; nihil amplius opus est. tu, si forte quid erit molestiae, te ad Crassum, & ad Calidium conferas, censeo, quantum Hortensio credendum sit, nescio: me summa simulatione amoris, summaq. aßiduitate quotidiana sceleratißime, insidiosissimeq. tractauit, adiuncto quoque Arrio: quorum ego consilijs, promißis, praeceptis destitutus in hanc calamitatem incidi sed hanc occultabis, ne quid obsint. illud caueto; & eo puto per Pompeianū fouēdū tibi eße ipsum Hortensium; ne ille uersus, qui in te erat collatus, cum aedilitatem petebas, de lege Aurelia: falso testimonio confirmetur. nihil enim tam timeo, quam ne, cum intelligant homines quantum misericordiae nobis tuae preces, & tua salus allatura sit oppugnent te uehementius. Messallam tui studiosum esse arbitror: Pompeium etiā simulatorem puto. sed haec utinam non experiare. quod praecarer deos, nisi meas preces audire desiißent: ueruntamen precor, ut his infinitis nostris malis contenti sint: in quibus non modo tamen nullius inest peccati infamia, sed omnis dolor est. quod optimus factis poena est maxima constituta. Filiam meam, & tuum, Ciceronemq. nostrum quid ego, mi frater, tibi commendem? quin illud maereo, quod tibi, non minorem dolorem illorum orbitas afferet, quā mihi. sed, te incolumi, orbi non erunt. reliqua, ita mihi salus aliqua detur, potestasq. in patria moriendi, ut me lacrymae non sinunt scribere. Etiam Terentiam uelim tueare, mihiq. ac omnibus rebus rescribas. Sis fortis, quoad rei natura patietur. Idibus Iun. Thessalonicae. Vale.

EXPLANATIO

A. Gabinio,
L. Galpurnio Pisone, COS.

VIDERE *noluerim*] de prouincia decedentem. Scripta est haec epistola ab exsule Cicerone. ad Att. l. 3. SCILICET *enim tu me afflixisti*] alij legunt: scilicet. tu enim me afflixisti. non reprehendo. sed

sed malo sequi Bessarionis antiquum librum, sane descriptum accurate, & ubique fere uel ueritatem ipsam, uel uestigia ueritatis praeseferentem. est autem, scilicet enim tu me afflixisti, si continuato spiritu legatur, συμπαθέστερον. CONSVLATVS } siquidem, quae consul gessi pro salute patriae, ea me afflixerunt, rogatione a Clodio lata aduersus eos, qui ciues Romanos, indicta caussa, necassent. quod sane ueteres quoque leges uetabant. uerum in eo paruit Cicero senatusconsulto; quod in M. Catonis sententiam factum est. PRAETER *unum me*. } uereor enim, ne, qui me perdiderunt, ijdem, non plane mea pernicie satiati, eadem, quae mihi, eripere tibi conentur, dignitatem, patriam, fortunas. DESIDERIVM } mei absentis. MAEROR } ex mea calamitate. FLENS *flentem*, } non aliqua tristi de caussa ibat enim ad Asiam regendam Quinctus: sed hoc in digressu fratrum amantissimorum solet euenire, praesertim ubi uident futurum, ut absint alter ab altero & aliquandiu, & magno locorum interuallo seiuncti. PROSEQVENTEM } cum in Asiam imperio proconsulari profectus es. mos enim hic erat, nimirum laudandus ob humanitatem, ut non solum propinquos, uerum & amicos, ad prouincias administrandas proficiscentes, prosequerentur extra urbem. hinc illud ad Appium, fam. l. 3. Cum te paludatum prosequerer. PRIVS } quam qualis nunc sum. PECCAVI } quia mihi ipse manus non intuli, amissis rebus ijs, quae sunt in uita carissimae, & quarum caussa uita ipsa diligitur. SVPERSTITEM } uellem, inquit, obijsse ante huius meae miserrimae fortunae tempus. tunc enim superstes meae non solum uitae, uerum etiam dignitatis fuisses: nunc omnis mea dignitas concidit. itaque nulla iam a me, si uita excedam, in te transferri dignitas potest. DEFENDERET. } tueretur. sic enim factum esset, ne uiuo me careres, uiuo me alijs indigeres. nunc mea pietas, & amor in te uenire in dubium potest: quandoquidem commisi, ut uiuo me careres. COMMISI, } in quo mea pietas, atque amor desiderari a te potest. FRATREM *solum desidero*: } εἰρωνικῶς pronunciandum. PROPE *fratrem* } tolle, fratrem: sincerus erit, qui nunc mendosus locus est. nam quae solet inter aequales suauitas esse; (solet autem maxima) eandem prope inter ipsos esse Cicero dicit. ergo non fratrem solum desiderat, simul enim desiderat aequalem: desiderat filium: desiderat parentem. Quod autem de tollenda dictione, fratrem, diximus; somnium non est. nam Franciscus Petrarca, poeta sermonis Italici hodierni omnium elegantissimus, Latini ueteris haud ualde bonus, ita legit in epistola 107. habuit enim librum scriptum, ijs, qui nunc reperiuntur, emendatiorem. IMAGINEM *meam* } Tuam, magis placeret: sed, Meam, ferri potest. sunt enim, qui patrum fratres ore magis referant, quam patres ipsos. PROTINVS *pergas*, ne ad me uenias, sed protinus Romam pergas. TE *praesidio* } te ipsum tibi praesidio praesentem esse. nam si quid temporis in reditu poneres; fieri posset, ut aliquid interim absens calamitatis acciperes. Hoc & ad Atticum scribit lib. III. AVCTORITATIS } si modo quid apud te ualet hoc, quod me sperare uides, erige te, & confirma. spero autem tibi tuam integritatem, & amorem in te ciuitatis, & aliquid etiam misericordiam nostri, praesidij laturam. ISTO } quod ad te attinet. Timebat uidelicet, ne quis ei, in urbem reuerso, diem diceret ob prouinciam auare administratam. ad Atticum lib. III. REPREHENSIONEM } nam, si restituor, magis eorum exstabit iniquitas, qui cum inimico meo ad me perdendum consenserint. non enim restitueret, nisi mea pateret innocentie. SVI *sceleris* } quod amicum deseruerint, ac prodiderint. HONESTIVS } cadere enim in patria, fortiter cum inimicis pugnantem, honestum fuit. VTILIVS } forte enim crudelitatem inimicorum mors mea satiasset: qui nunc, mea calamitate non contenti, ualde timeo ne tibi immerenti negotium mea caussa facessant. TVVM *tempus* } tuum periculum. Non placet, inquit, uiuere; nisi si aut aliquid tuis rationibus, dum in periculo uersaris, possum consulere; aut spem, non dico aliquam, aut mediocrem, sed omnino firmam de meo reditu esse intelligis. non enim exigua in spe tantum pono, ut in tam misera turpiq. uita diutius uelim commorari. GENERE *ipso pecuniae* } placeret sic: Genero ipso, pecunia: ut C. Pisonem generum suum significet: cuius & mores, & ingenium uehementer Cicero probauit. uide de claris oratoribus. DE *permutatione* } te, cum ad urbem perueneris, pecuniam, permutatione sumptam, si ego uellem, mihi curaturum. quorsum hoc ad me retulisti? quasi uero nunc &c. ACCEPTAM } cum iturus esse in exsulium. EX *aerario* } quae tibi Asiae praetori de publico debebatur. certam enim pecuniam prouinciarum rectoribus resp. numerabat. fam. lib. II. FRVSTRA } cognosce summam Ciceronis exsulis desperationem: qui cum ea pecunia ad se sustentandum usus esset, *Frustra*, tamen dicat, quasi in res nos necessarias erogatam; quod in tam afflicta fortuna uitam sibi non necessariam, ac paene molestam duceret. ET *M. Antonio* } duo Quincti creditores, Antonius, & Caepio. nec tamen abundat particula ET, ut primo respectu uidetur. QVOD *cogito* } ipse se exponit, cum infert, Huic enim. MOLESTIAE, } ut aliquis, nostris malis non contentus, negotium tibi facessat. sic in proxima, quae sequitur, dixit, Si te satis innocentia tua & misericordia hominum iudicat a molestia. CONFERAS } auxilii caussa. nec dubium est, de M. Crasso dici, qui a Parthis caesus est; & de M. Calidio, qui fuit orator dulcis potius, quam uehemens; & praetor anno proximo de reditu Ciceronis legem promulgauit, ut est in oratione post reditum in senatu. ARRIO: } Q. Arrio, de quo lib. 2. ad Attic. & Varro de re rustica. FOVENDVM } summa fuit inter Hortensium & Pomponium Atticum amicitia, ut ait Nepos in uita. uult igitur Hortensium Cicero suae caussae per Pomponium conciliari. & Hortensium potius nominat, quam quemuis alium, quod is praeter ceteros nosse diceretur id, quod a Quincte contra leges commissum opinio erat. NE *ille uersus*, } uerebatur, puto, ne Quinctus frater de ambitu accusaretur; quod in petenda aedilitate pecuniam contra leges dedisset. quo tempore uersus quidam in eum de lege Aurelia, qui ambitum notaret, conferebatur. Licet autem existimare, lege Aurelia sancitum de ambitu aliquid fuisse. FALSO *testimonio* } Hortensii in te. CONFIRMETVR } ut id

nunc

nunc uetum esse dicatur, falsisq. testibus comprobetur, quod tunc significauerat ille uersus, te scilicet in honore petendo pecunia usum esse. MESSALLAM } eum, ut opinor, qui cum M. Pupio Pisone consul fuerat. ELIAM *simulationem* } etiam Pompeius, si minus ex animo nobis fauebit, saltem fauere se simulabit. quod ad nostram caussam subleuandam aliquid, atque adeo multum erit, cum homines Pompeium nostri studiosum suspicabuntur. AFFERET } iam enim de se, ut de mortuo, loquitur: & ideo infert, Sed, te incolumi, orbi non erunt.

Marcus S. D. Quincto fratri. 4.


AMABO te, mi frater, ne, si uno meo facto & tu, & omnes mei corruistis, improbitati, & sceleri meo potius, quam imprudentiae, misericordiaeque, assignes. nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi, a quibus nefas putaram esse me decipi, aut etiam quibus ne id expedire quidem arbitrabar. intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertimuit, aut mihi inuidit. ita mihi nihil misero, praeter fidem amicorũ, cautum meum consilium fuit. quod si te satis innocentia tua, & misericordia hominum uindicat hoc tempore a molestia; perspicis profecto, ecquaenam nobis salutis spes relinquatur. nam me Pomponius, & Sextius, & Piso noster adhuc Thessalonicae retinuerunt, cum longius discedere propter nescio quos motus uetarent. uerum ego magis exitum illorum litteris, quam spe certa, exspectabam. nam quid sperem, potentissimo inimico, dominatione obtrectatorum, infidelibus amicis, pluribus inuidis? De nouis autem tribunis pl. est ille quidem in me officiosissimus Sextius, &, spero, Curtius, Milo, Fadius, Gratidius, sed ualde aduersante Clodio: qui etiã priuatus eadem manu poterit conciones concitare: deinde etiam intercessor parabitur. haec mihi proficiscenti non proponebantur; sed saepe triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus. qoid tu igitur, inquies? quid? multa conuenerunt. quae mentem exturbarent meam, subita defectio Pompeij, alienatio consulum, etiam praetorum timor, publicanorum arma. lacrumae meorum me ad mortem ire prohibuerunt: quod certe & ad honestatem, & ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptissimum. sed de hoc scripsi ad te in epistola, quam Phaetonti dedi. Nunc tu, quoniam in tantum luctum, laboremq. detrusus es, quantum nemo umquã; si leuare potes communem casum misericordia hominum, scilicet incredibile quiddam assequeris. sin plane occidimus; me miserum, ego omnibus meis exitio fuero; quibus ante dedecori non eram: sed tu, ut ante ad te scripsi, perspice rem, & pertenta, & ad me, ut tempora nostra, non ut amor tuus fert, uere perscribe. ego uitam, quoad putabo tua interesse, aut ad spem seruandam esse, retinebo. tu nobis amicissimum Sextium cognosces, credo tua caussa uel Lentulum, qui erit consul. quamquam sunt facta uerbis difficiliora. tu, & quid opus sit, & quid sit, uidebis omnino. si tuam sollitudinem, communemq. calamitatem nemo despexerit: aut per te confici aliquid, aut nullo modo poterit. sin te quoque inimici uexare coeperint: ne cessaris. non enim gladijs mecum, sed litibus agetur. uerum haec absint uelim. Te oro, ut ad me de omnibus rebus scribas, & in me animi potius, aut consilij putes minus esse, quam antea, amoris uero, & officij non minus. Vale.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

MISERICORDIAEQ. } Quid hic habet loci mericordia? an ipsius misericordia factum erat, ut eijceretur? Malo igitur, quod indicat mihi meus ille, quem ego nunc ad singula uerba inspicio, Bessarionis antiquus liber; malo, inquam, pro Misericordiaeque, legere Miserieque: cum ueterem scripturam huiusmodi esse uideam, Miaeque, dictione contracta, unde fluxit error. DECIPI } ut a Pompeio, quem summis beneficiis ornaueram. PRAETER *fidem amicorum* } uerbum, obfuit, aut simile quid, prae dolore omisit. CAVTVM } cum discedere malui, quam pugnare. A MOLESTIA } ut tibi si ipsi nemo periculum intendat. SEXTIVS } P. Sextius tribunus pl. designatus. PISO, } gener Ciceronis, qui obiit ante reditum illius. RETINVERVNT, } litteris. MOTVS } urbanos: quorum exspectatione longius discedere nolui. EXITVM *illorum* } exitum illorum motuum. INIMICO, } P. Clodio tribuno pl. OBTRECTATORVM, } Pompeij, Caesaris, & Crassi; qui meae dignitati obtrectantes, inimicum meum fouerunt. DENOCIVS } sic antea. nos, De nouis, reposuimus. ut nouos pro designatis ponat, sicut libro ad Atticum III. Noui tribuni pl. si essent timidiores. & ibidem dixerat iam, Veterum tribuuorum pl. rogatio. Alii, Domitius autem tribunus pl. quorum est manifestus error; quod, ut iam ostendimus, inter illius anni tribunos Domitius non fuit. GRATIDIVS, } uideo sic esse & in libris manuscriptis. magis tamen placeret, Fabricius. nominantur enim octo tribuni pl. in oratione post reditum in senatu, T. Annius Milo, P. Sextius, C. Cestilius, M. Cispius, (sic enim in postrema nostrorum librorum editione reposuimus; cum legeretur, Mosopius) T. Fadius, M. Curtius, C. Messinius, Q. Fabricius: qui octo tribuni pl. de reditu Ciceronis promulgarunt. duo reliqui, quos in ea oratione non nominat, propterea quod promulgare simul cum collegis noluerant, fuere, ut apud Asconium legimus, Sex. Aulius Serranus, Numerius Quinctius. quos a me ideo nominatos omnes nolui, quo certius probarẽ,

in hac epiſtola &,Fabricius,potius legendum eſſe,quam, Gratidius;cui ſententiae ſubſcribere uidetur etiam oratio pro Sextio;& ijs aſſentiendum non eſſe, qui,Domitius,malunt,quam,De nouis,legere. INTERCESSOR } ex ipſis tribunis pl.aliquis. MENTEM *exturbarent meam* } omne mihi conſilium eriperent. CONSVLVM } deſignatorum,Lentuli,& Metelli.totam enim poſuerat ſpem in proximi anni magiſtratibus. TIMOR } quod timeo,ne praetores deſignati,ubi magiſtratum inierint, nobis non amici ſint. PVBLICANORVM *arma* } forte id eſt,quod dixit,Propter neſcio quos motus.ex armis autem grauior exſiſtit inter ciues diſſenſio:& ad reſtituendum Ciceronem ſumma omnium conſenſio requirebatur.uerum,quid ſi aliter diſtinguatur,ſic inquam?Alienatio conſulum,etiam praetorum,timor publicanorum,arma.mihi quidem placeret magis. MEORVM } uxoris,filiae,generi. nam filius annum aetatis uix ſeptimum agebat. PHAETONTI } liberto. COMMVNEM *caſum* } meam calamitatem, quae tibi communis eſt:quae non ut omnis auferatur, poſtulo:ſed,ſi aliqua ex parte releuabitur, magnū quiddam facies. SCILICET *incredibile quiddam aſsequeris* } ſcilicet, hic ad affirmandum uſurpatur, non,ut interdum,cum ironia,quae negandi uim habet,ſic ep.6.l.1.fam.Me in ſummo dolore maxime ſcilicet conſolatur ſpes &c.poteſt etiam hic locus aliter diſtingui,nec,ut arbitror,inepte,ſic:ſi leuare potes communem caſum,miſericordia hominum ſcilicet,incredibile quiddam aſſequeris. QVI *erit conſul* } iam enim deſignatus erat:quod inde patet,quia,in hac ipſa epiſtola mentio fit de tribunis pl.deſignatis. QVID *ſit* } rei aut ſpei ad ſalutem noſtram. VIDEBIS *omnino.* } poteſt & ſic interpungi:Videbis. omnino,ſi tuam &c. NE CESSARIS.} ne ſis languidior,ſed ſtrenue reſiſtas. NON *enim gladijs* } ſe ipſum nominat,cum de fratre intelligat,quod eandem utriuſque fortunam ducat.non,inquit,me,hoc eſt,te,gladiis, ſed litibus petent.




IN · EPISTOLARVM M. TVLLII. CICERONIS AD QVINCTVM · FRATREM LIBRVM. II.

PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS



Marcus S. D. Quincto fratri. 1.



PISTOLAM, *quam legisti, mane dederam. sed fecit humaniter Licinius, quod ad me, misso senatu, uesperi uenit, ut, si quid esset actum, ad te, si mihi uideretur, perscriberem. Senatus fuit frequentior, quam putabamus esse posse mense Decembri, sub dies festos. consulares nos fuimus, & duo consules designati, P. Seruilius, M. Lucullus, Lepidus, Volcatius, Glabrio, praetores. sane frequentes fuimus, omnino ad ducentos. commorat exspectationem Lupus. egit caussam agri Campani sane accurate: auditus est magna silentio. materiam rei non ignoras. nihil ex nostris actionibus praetermisit. fuerunt non nulli aculei in C. Caesarem, contumeliae in Gellium, expostulationes cum absente Pompeio. caussa sero perorata, sententias se rogaturum negauit, ne quod onus simultatis nobis imponeret: ex superiorum temporum conuicijs, & ex praesenti silentio, quid senatus sentiret, se intellere dixit. Milo coepit dimittere. tum Marcellinus, Noli, inquit, ex taciturnitate nostra Lupe, quid aut probemus hoc tempore, aut improbemus, iudicare. ego, quod ad me attinet, itemq. arbitror ceteros, iccirco taceo, quod non existimo, cum Pompeius absit, caussam agri Campani agi conuenire. tum ille se senatum negauit tenere. Racilius surrexit, & de iudicijs referre coepit: Marcellinum quidem primum rogauit. is cum grauiter de Clodianis incendijs, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiam dixit, ut ipse iudices per praetorem urbanum sortiretur: iudicum sortitione facta, comitia haberentur: qui iudicia impediuisset, eum contra remp. esse facturum. approbata ualde sententia, C. Cato contradixit, & Cassius, maxima acclamatione senatus, cum comitia iudicijs anteferret. Philippus assensit Lentulo. postea Racilius de priuatis me primum sententiam rogauit. multa feci uerba de toto furore, latrocinioq. P. Clodij: eum tamquam reum accusaui, multis, & secundis admurmurationibus cuncti senatus. orationem meam collaudauit satis multis uerbis, non mehercule indiserte, Seuerus Antistius; isq. iudiciorum caussam suscepit, antiquissimamq. se habiturum dixit. ibatur in eam sententiam. tum Clodius rogatus, diem dicendo eximere coepit. furebat, a Racilio se contumaciter, urbaneq. uexatum. deinde eius operae repente a Graecostasi, & Gradibus clamorem satis magnum sustulerunt, opinor in Q. Sextilium, & amicos Milonis incitatae. eo metu iniecto, repente, magna querimonia omnium, discessimus. Habes acta unius diei. reliqua, ut arbitror, in mensem Ianuarium reijcientur. De tribunis pl. longe optimum Racilium habemus. uidetur etiam Antistius amicus nobis fore. nam Plancius noster totus est. Fac, si me amas, ut considerate, diligenterq. nauiges de mense Decembri. Vale.*

EXPLANATIO

SCRIPSIT hanc P. Cornelio Lentulo Spinthere, Q. Caecilio Metello Nepote cos. mense Decembri, id est in extremo anno; cum mense Sextili, iisdem consulibus restitutus esset. Q. fr. erat in Sardinia, legatus, ut opinor, a Pompeio missus, rei frumentariae caussa. nam quindecim sibi eius muneris gratia Pompeius legauit, ep. 1. l. 4. ad Atticum, & apud historicos. SUB *dies festos*. } a XVII. Kal. Ianuarii ad usque fere extremum mensem dies erant festi, Saturnalia, Opalia, Angeronalia, Larentinalia, Iuuenalia. DUO *consules designati*, } Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Martius Philippus: quos immiscet consularibus. P. SERVILIUS, } Isauricus, pater eius, qui consul nouem post annis fuit cum C. Caesare. M. LUCULLUS, } frater, non germanus, sed consobrinus, ut ait Eutropius, L. Licinii Luculli, qui Mithridatẽ Tigranemq. deuicit. Periit autem paullo ante, quam haec epistola scripta est, certe his consulibus: quod uidemur satis probasse in commentario nostro epistolarum familiarium. & quamquam Liciniae gentis cognomen sit Lucullus, hic tamen non Licinius, sed Terentius est. cur ita censeam, argumentis, ut opinor, facile probabo. Primum actione tertia in Verrem consules simul M. Terentium & C. Cassium uideo nominari. collegam autem C. Cassij fuisse in consulatu M. Lucullũ, plane constat ex oratione pro Cluentio. Neque uero quisquam illud obijciat; alterutrum esse necesse, ut uel ex Licinia gente sit, cum Lucullus, quod eius gentis cognomen fuit, dicatur; uel, si ex Terentia est, Varro potius uocetur ut Terentiae gẽtis cognomine utatur. haerebit omnino, hac dubitatione impeditus, qui morem antiquum ignorat. mihi quidem facile uiam aperit antiquitatis obseruatio. legi enim saepe, ac notaui, eos, qui iure adoptionis in aliam familiam transissent, duobus cognominibus, uno prioris familiae, altero posterioris usos esse, ita, ut nouum cognomen ueteri anteponeretur. hoc ita esse, cum alia exempla, quae breuitatis caussa omitto, tum illud satis indicat in eo senatus consulto, quod insertum epistolae M. Coelius ad Ciceronẽ misit. sic enim est in eo. Q. Caecilius Q. F. Metellus Pius Scipio, cognomine Scipionis post Metelli ac Pij cognomen collocato: quia Scipionem Q. Metellus Pius, Numidici filius, adoptauerat. itidẽ hic noster & Varro, & Lucullus dicebatur, sed frequentius tamen Lucullus ob eam caussam, quia ueteri, quam nouo, cognomine notior erat. adducor autem in hanc opinionem eo libentius, quod lapides illi capitolini, proximis annis Romae reperti, Lucullum hunc consulem, dictionibus uetustate consumptis, ita ponunt: M. —— VS. M. F. —— R. LVCVLLVS. neque enim dubito, quin littera illa, R, quae ab illis duab. M. F. longissime distat, alterum cognomen sit, quod a Terentio, patre adoptiuo, Lucullus accepit, hoc inquam, VARR. quod, Varro, significat, sicuti LVCVLL. pro Lucullus, ibi scriptum uidemus, & in ijsdem lapidibus MARCELL. MESSALL. DOLABELL. NASIC. pro, Marcellus, Messalla, Dolabella, Nasica, ita diuisa syllaba postrema, ut interdum duae litterae, interdum una tantum omittatur: ut, cum scribebant, MAI. pro MAII. Quod autem, ubi nomen esse oportuit, lapis habet VS: supplementum esse uetũ dico, TERENTI, ut, quod imperfectum nunc est, integrum hoc sit, M. TERENTIVS M. F. VARR. LVCVLL. nisi si quis praenomen etiam aui putet adiungendum: quod sane desiderari suspicor in lapide. uideo enim inter F. & R. spatium esse paullo latius, quam ut tribus tantum illis litteris, VAR. quas ego addo, totum impleatur. praeterea, ubi lapis corruptus non est, auorum praenomina consulibus adiuncta licet animaduertere. praenomen autem illud, quod esset addendum, assequi diuinatione non possumus: cum is Varro, cuius filius Lucullum adoptauit, consulatum non gesserit, ac non modo in lapidibus illis, sed nec in historiarum monumentis, quod sciam, usquam nominetur. Est igitur hic, M. Terentius M. F. Licinianus, Varro, Lucullus; a quo, & ab eius collega C. Cassio, lex illa Cassia frumentaria lata est, de qua Cicero bis meminit in Verrem. LEPIDUS, } non M. Lepidus, qui postea triumuir perdendae rei publicae fuit, qui nominari non potuit inter consulares; cum non nisi multis post annis consul fuerit; sed, Man. Lepidus, qui consulatum gesserat cum L. Volcatio Tullo. itaque eos Cicero deinceps memorat. GLABRIO } Man. Acilius Glabrio; qui anno ante Lepidum & Volcatium consul cum fuisset, post eos tamen hic nominatur. quod mirari, puerile est. praetor fuit in caussa Verris. PRAETORES } cum ex praetoribus neminem nominet, apparet omnes affuisse. omnes autem hoc tempore octo omnino fuerunt. argumenta, quibus adducor, ut ita esse credam, haec sunt. Praetores, gesto magistratu, exibant in prouincias. hoc in dubium uocari non potest. plena exemplorum omnia. uidetur igitur esse rationi consentaneum, ut earum prouinciarum numerus cum praetorum numero congrueret. has porro in senatusconsulto, quod M. Coelius ad Ciceronem misit, octo uideo nominari. Itemq., inquit, senatui placere, in Ciliciam prouinciam, inq. octo reliquas prouincias, quas praetorij pro praetore obtinerent: & quae sequuntur, Et in oratione pro Milone, Erat, inquit, id temporis consul P. Lentulus, septem praetores, octo tribuni plebis, defensores mei. Septem nominat, uno Appio de omnibus excepto: quod aperte indicat in oratione in Pisonem, his uerbis: De me cum omnes magistratus promulgassent, praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, praeterq. duos de lapide emptos tribunos pl. legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegae Q. Metelli sententia. Et pro Sextio sic: Collegas Milo adiutores habebat. consulis alterius summum studium, alterius animus paene placatus. de praetoribus unus alienus. Quod si quis putet, unum quidem Appium ex uniuerso praetorum collegio a collegis in Cicerone reuocando dissensisse, collegas tamen ipsos non plane septẽ fuisse, locumq., iam a nobis ex oratione pro Milone recitatum, fortasse mendo non uacare; quod in notis

numerorum facile solet euenire: huic, opinor, hanc suspicionem eripiam, ipsius Ciceronis testimonio. nam in oratione post reditum in senatu, ubi commemorat eos magistratus, quorum ope redierat ab exsulio, nomina ponit octo tribunorum pl. & septem praetorum, eorum scilicet omnium, quos in ea pro Milone significauerat. Scriptum est etiam apud Dionem lib. XLII, de praetoribus a C. Caesare, post Cn. Pompeium in Pharsalia deuictum, decem creatis; ut gratiam bene de se meritis referret. ἵνα γὰρ, inquit, πλείους αὐτῶν ἀμείψηται, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀπέδειξε, καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον. quod si, plures ut remunerari posset, decem praetores, & plures, quam antea fuerant, sacerdotes creauit: nimirū constat, praetores non antea decem fuisse. Nam quod in Pomponio de origine iuris legitur; Cornelius Sulla quaestiones publicas cōstituit, ueluti de falso, de paricidio, de sicarijs, de iniurijs; & praetores quattuor adiecit: deinde C. Iulius Caesar duos praetores, & duos aediles, qui frumento praeessent, a Cerere Cereales constituit: id me minime conturbat. non enim dixit, adiecit quattuor praetores ad numerum ueterum praetorum; sed, adiecit quattuor de ijs, qui praetores erant, ad publicas quaestiones; ut quattuor ab ipso quaestionibus institutis, quattuor item praetores praeessent: quos autem duos ait praetores a C. Caesare adiunctos, eos, opinor, intelligit, de quibus meminit Dio, qui denarium numerum absoluerunt. Patet igitur de praetoribus octo usque ad tertium C. Caesaris consulatum. quid enim dubias coniecturas colligere opus est, in ea re, quae satis manifeste probatur & ex eo senatus consulto, cuius uerba recitauimus, & ex quattuor Ciceronis orationibus, & ex Dionis historia? Sed arguit nescio quis, ut decem praetores ostendat, hoc modo. Praetores publicis quaestionibus praeerant: publicae quaestiones erant septem, inter sicarios, de repetundis, peculatus, de ambitu, de maiestate, de ui, de falso; quae crimē ueneficii, & alia quaedam complectebatur. ergo, cum septem essent quaestiones, quod patet ex oratione pro Cluentio, & quaestioni inter sicarios duo praetores praeessent, reliquis autē singuli praetores: fuisse praetores octo, qui quaestionibus praeessent, & duos praeterea, quorum alter inter ciues, alter inter peregrinos ius diceret, necessarium uidetur. Dixi iam, non esse agendum coniecturis, aut argumentis, ubi ueterum testimonia perspicua sunt. nec uero illa, quae iam attuli, obscura uideri possunt. Quod uero ad numerum quaestionum attinet, diuersa ratio est. nam si numerum praetorum ad numerum quaestionum accommodabimus; non modo plures quam octo, sed plures etiam quam decem creari praetores necesse erit. est enim quaestio de falso, est de paricidio, inter sicarios, de iniuriis, de ueneficio, de ui, de ambitu, de maiestate, de repetundis, de peculatu, de incestu, aliae. Ego autem ad argumentum illud, ne quis eo in aliquam dubitationem uocetur, ita respondeo: primum, praeesse potuisse unum praetorem quaestionibus pluribus, sicuti non unus praetor, sed duo quaestioni inter sicarios interdum praefuerunt. possunt, exempli gratia, sex praetores ita distineri crebritate iudiciorū, ut nouis exorientibus quaestionibus uacare non liceat. potest eo tempore septimus praetor (reliquus erat unus urbanus, qui non quaerebat, sed ius dicebat) in ea quaestione minime occupatus esse, quae forte illi contigerat. hic, non dubito, quin ad eas quaestiones exercendas decreto senatus traduceretur, quibus uacare sex reliquos praetores non potuisse iam dixi. non enim committendum, ut impunita crimina differantur, nec sit locus, quo nocentes rei adducantur. Age uero, concedatur, quaestiones ab uno praetore plures exerceri non licuisse: sequitur ne necessario, ut ideo plures, quam octo, praetores, quia quaestiones plures quam octo, fuerint? non sane, mihi quidem ut uidetur: nisi si mihi illud ante rationibus probetur, quaestiones non potuisse ab aliis, quam a praetoribus, exerceri. quod si quis aggrediatur probare, fortasse haerebit. At nostra ratio quo modo procedit? optime uidelicet: nititur enim testimonio ueterum: a quo ego, quātum in me est, do operam ne discedā. quid igitur ueteres testantur? praefuisse & publicis quaestionibus, & capitalibus qui praetores non essent: qui iudices quaestionis dicebantur. nam quaestionem de ueneficio, quam exercuit praetor Q. Voconius Naso, apud quem Cicero Cluentij caussam egit, exercuerat ante C. Iunius, non ut praetor, sed ut iudex quaestionis, qui & quaesitor uocabatur. patet ex oratione pro Cluentio: patet etiam ex Asconij commētariis. iudicum autem quaestionis duo fuisse genera, alios praetores, ut Q. Voconium Nasonem in caussa Cluentii, alios non praetores, ut C. Iunium in caussa Oppianici, multis uerbis demonstratum est in libro de legibus. Atque hac ratione tueor locum illum in oratione pro Cluētio, in quo sex praetores cum nominasset Cicero, Q. Voconium Nasonem, M. Plaetoriū, C. Flaminium, C. Orchinium, se ipsum, C. Aquillium; subiunxit, Quid reliquae quaestiones? quibus ex uerbis reliquos praetores intelligi, falso conicit is, quem supra significatione tātum, ne cui uideamur uoluisse detrahere, appellauimus. uel enim, ut dixi, de iisdem praetoribus ibi nominatis, qui reliquas illas quaestiones exercere possent, licet intelligere; uel, quod iam probaui, de illis quaestionū iudicibus, qui cum praetores non essent, quaestionibus tamen non modo publicis, uerum etiam capitalibus (nec enim publicae capitales omnes erant) interdum praeerant. Reliqui duo praetores, Ciceronis collegae, P. Cassius, & C. Antonius fuere. Cassius de maiestate quaesiuit: Antonium, cum reliqui septem, quos nominauimus, omnes quaesierint, praetorem urbanum fuisse, iusq. dixisse, necesse prorsus est. Hic teneris, inquit, octo praetores nominasti, & peregrinum omisisti: quem adiungi necesse est: &, si adiungitur, plures erunt, quam octo. Explico me Pediani ope: cuius elegantem, plenumq. antiquitatis, ac uere aureum libellum non paenitebit umquam legendo contriuisse. is igitur in commentario orationis aduersus Antonium, & Catilinam, praetorem eum, qui de repetundis quaereret, eundē ius inter peregrinos dixisse demonstrat. quod nec a ratione uidetur discrepare. non enim ciuiū, sed sociorū, hoc est peregrinorū, caussa iudicia repetundarum sunt instituta. iure igitur idem praetor & ius dicebat inter peregrinos, &, ijs petentibus, de repetundis quaerebat. quod cum ita sit; ius inter peregrinos praetorem Ciceronem dixisse,

dixisse, qui de repetundis quaesiuit, pro certo putandum est. uerum Pediani uerba, ut eius testimonio res pateat, subscribamus. Antonius, inquit, multos in Achaia spoliauerat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas. deinde Graeci, quos spoliauerat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat. egit pro Graecis etiam tum adolescentulus C. Caesar, de quo paullo ante mentionem fecimus. & cum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decreuisset; appellauit tribunos Antonius, iurauitq. se ideo appellare, quod aequo iure uti non posset. quem locum & Plutarchus attigit in uita Caesaris, sed ita mendose, ut mirer eum in rebus Romanis tam turpiter esse lapsum. primũ P. Antonium nominat, qui C. fuit: deinde Macedoniae praetorem appellat M. Lucullum, qui praetor Romae fuit: tertio, de corruptis iudiciis accusatum ait Antonium, qui accusatus est de repetundis: postremo, tradit eum ideo tribunos pl. appellasse, quod sibi non licere cum Graecis diceret aequo iure in Graecia contendere: cum appellare in prouincia ad tribunos pl. qui Romae erant, nemo soleret. questũ potius ad senatum socii ueniebant, nec de corruptis iudiciis, sed de pecuniis ereptis, aut de nece iniusta. aut huiusmodi flagitiis: de quibus aut ad praetorem, aut etiam ad populum quandoque agebat accusator. quare Plutarchum hoc in loco non puto posse ab inscientiae culpa uindicari. Haec praeter consuetudinem meam, hoc est eam, quam puto esse tenendam in conficiendis commentariis, paullo fusius tractaui, non ambitione adductus, sed studio ueritatis; ne confirmaretur opinio illa de decem praetoribus ante bellum ciuile Caesaris & Pompeii. AD *ducentos* } hic tamen frequens senatus dici uere non potest. nam in epistola quadam ad Atticum CCCCXV, & in oratione post reditum in senatu CCCCX senatores nominantur. non igitur, frequentes, ex uniuersi senatus numero, sed, frequentes, ut mense Decembri. COMMORAT *exspectationem* } quia senatum coegerat, ut ageret caussam agri Campani. licebat enim senatum habere etiam tribunis pl. ut Gellius docet. hic autem senatum a Lupo esse habitum, non modo ex duabus illis dictionibus, Commorat exspectationem, coniicio. LVPVS } P. Rutilius Lupus. hic sine dubio tribunus pl. erat; cum rogandi sententias potestatem haberet, ut paullo post liquet, sententiae porro non nisi a magistratu rogabantur. sed quid opus est argumentari? in epistola ad Lentulum, quae scripta est Marcellino & Philippo cos. ep. fam. l. I. ep. 2. Lupus, inquit, tribunus pl. quod ipse de Põpeio retulisset. Quid autem, si quis ita obiiciat? fuisse Lupum tribunum pl. Marcellino & Philippo cos. quo in Ciliciam anno Lentulus Spinther profectus est: quod utrumque cognoscitur ex fam. lib. I. non posse igitur, quo anno scripta est haec epistola, hoc est, Lentulo Spinthere, & Metello Nepote cos. tribunum pl. esse. Inepta dubitatio non est, quaeq. rerum Romanarum imperitos facile perturbet. ea tamen diluitur, si sic obiicienti respondeas. Tribunus pl. sane fuit Lupus Marcellino & Philippo cos. idem tamen Lentulo quoque & Metello cos. utrumque enim licuit. nam, cum consules per totum Decembrem mensem magistratum gererent; tribuni autem plebis ad usque tãtum IV. id. Dec. sequebatur, ut per eius mensis dies reliquos consulibus ijs, qui ab exitu magistratus minimum aberant, noui tribuni pl. essent, ijdemq., cum primo Ianuarij die noui consules magistratum inissent, per totum insequentem annum, ad IV. id. Dec. qđ a Dionysio Liuioq. didicimus. erat igitur tribunus pl. Lupus Lentulo & Nepote cos. in extremo anno, hoc est, post IV. id. Decemb. annoq. insequenti, Marcellino & Philippo cos. ad eundem usque diem magistratum peregit. Collegas eius inuenio septem, L. Porcium Catonem, C. Caninium, L. Racilium, Cn. Plancium, A. Plautium, Sex. Antistium Veterem, * Cassium. ipsi praenomen fuit Publio, nomen Rutilio. fam. lib. I. pro Plancio, ad fratrem, Dio. praetor fuit belli ciuilis anno I. Lentulo & Marcello cos. quod Caesar in comm. de bel. ci. lib. I. docet, & Cicero ipse lib. IIX. & IX. ad Atticum. AGRI *Campani.* } C. Caesar in consulatu legem tulerat, ut ager Campanus, & qui publicus erat, & qui possidebatur a priuatis, plebi diuideretur. diuisitq. consul ipse partem eius agri publicam. reliquum a priuatis emi pecunia publica oportebat. a quo Lupi trib. pl. uoluntas cum abhorreret, disputauit in senatu contra legem Caesaris accurate. uide hic ep. 5. & ep. 9. l. I. fam. ad Lentulum. MATERIAM *rei* } quae ipsa sibi audientiam facit. NOSTRIS *actionibus* } laudauit omnia, quae acta sunt a me in consulatu, ne ager Campanus P. Seruilii Rulli tribuni pl. lege ueniret. IN *C. Caesarem* } qui consul de agro Campano plebi diuidendo legem tulerat. Suetonius, Appianus, Dio, Plutarchus, ad Atticum non semel lib. II. GELLIVM } L. Gellium crederem, qui cum Cn. Cornelio Lentulo consul fuit: sed eum inter consulares nominasset. aut igitur alius Gellius est: aut, si consularis est, non affuit in senatu, sicuti nec Caesar aderat, nec Pompeius; quorum in alterum aculei, cum altero expostulationes fuerunt. EXPOSTVLATIONES } cum quererentur, agrum Campanum a Caesare diuisum esse, consentiente Pompeio. ad Atticum lib. II. Plutarchus, alij. ABSENTE *Pompeio* } aberat rei frumentariae caussa. ad Atticum, lib. IV. ad hunc, ep. 9. ABSENTE } non erat in senatu, quia, rei frumentariae praepositus, ad urbem cum imperio erat. imperium autem hãbentibus urbem ingredi non licebat. SENTENTIAS *se rogaturum* } & hic apparet, tribunum pl. fuisse Lupum. praeter enim magistratus, rogandi sententias potestatem, ut iam dixi, nemo habebat. NE *quod onus* } nolle se a senatoribus sententias dici; ne, cum aduersus uoluntatẽ alicuius loquerentur, in simultates, & inimicitias inciderent. CONVICIIS } meminerat enim, quae in senatu superioribus temporibus, cum ageretur de agro Campano, altercationes, & conuicia fuissent. inde, quid quisque sentiret, poterat intelligere. nam cum antea conuicia in eos, qui de agro Campano diuidendo agebant, essent a senatoribus plerisque coniecta; tunc autem, ipso uenditionem suadente, mirum silentium esset: ex eo silentio, probari, quod ipse uellet, ita cognoscebat, ut antea, quod de agro Cãpano ferebatur, improbari, de conuiciis intellexerat. MILO *coepit dimittere* } senatũ. sed in uoce, Milo, insignẽ esse mendã existimo. fuit omnino trib. pl. T. Annius Milo ijs consulibus, quibus haec epistola scripta est: sed exierat iam e magistratu;

cuius, ut diximus, extremus erat dies v. id. Dec. suumq. magistratum noui tribuni plebis, quorum unus erat Lupus, inierant. quare potestatem dimittendi senatus, cum tribunus pl. non esset, habere Milo non potuit. puto igitur, haec tria uerba de Lupo esse dicta; ut, qui senatum uocauerat, idem coeperit dimittere. neque uero, quod ad correctionem attinet, quo me coniectura ducat, non habeo: sed ego non is sum, qui, cum aliquid sine antiquorum librorum ope, aut sine manifesto historiae consensu corrigo, ipse mihi magnopere placeam. dicam tamen, quod sentio. pro, Milo coepit dimittere, reponi posset, una tantũ addita, littera In illo coepit dimittere: hoc est, in postremis illis uerbis. Se intelligere, quid senatus sentiret. MARCELLINVS } consul desigńatus; qui paucis post diebus, hoc est, Kal. Ianuarij, consulatum iniuit, propterea primus a Racilio tribuno pl. sententiam rogatus est: quod proxime sequitur. sententiam enim primi rogabantur consules designati. qua de re plenius in libro de senatu. CVM *Pompeius absit*, } qui cum bello Mithridatico se diuisurum suis militibus agrum Campanum ostendisset; ipso absente, agri Campani caussam agi, non satis aequum uidebatur. SE *senatum negauit tenere*. } dixit, quod ad ipsum attineret, licere senatoribus abire; cum illis uerbis uteretur, quae magistratuum erant peculiaria in dimittendo senatu: Patres conscripti, nemo uos tenet. Liuius. RACILIVS } L. Racilius, tribunus pl. de quo fam. lib. I. hic senatum, Lupo dimittente, retinuit, pro potestate tribunicia. SVRREXIT } ex hoc loco, stantes magistratus in senatu uerba fecisse, constat: quod de senatoribus tradit Podianus. &, Surrexit, nimirum cum in senatu sederet. quo foedior patefit error Dionis, ac Valerij Maximi, quorum uterque non licuisse tradit ingredi senatum tribunis pl. DE *iudicijs* } ut iudicia fierent in eos, quibus dicta dies erat. & unum maxime Clodium animo spectabat. IS *cum grauiter de Clodianis incendijs* } paucis ante diebus idem senserat: quod ad Atticum Cicero scripsit his uerbis: Proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam nostram caussam, areae, incẽdiorum, periculi mei, iudicio complecteretur. eaq. omnia comitijs anteferret, proscripsit se per omnes dies comitiales de caelo seruaturum. VT *ipse iudices per praetorem urbanum sortiretur*: } Clodius de ui, accusante Milone, reus erat; quod in ep. ad Lentulum, illa uerba significant: Impunitatem est eorum sententijs assecutus, qui, cum tribunus pl. poenas a seditioso ciue per bonos uiros iudicio persequi uellet, exemplum praeclarissimum in posterum uindicandae seditionis de rep. sustulerunt. Et in oratione pro Sextio. In eum igitur Marcellinus ipse sortiri iudices, praetoris urbani opera, uolebat. quamquam rectius, meo quidem iudicio, legeretur: Vt ipse iudices praetor urbanus sortiretur. forte enim, cum in libro uetere aliquo scriptum esset, Praet. urb. hoc est, praetor urbanus; addita ab imperito homine, mendosum locum suspicante, particula, per. quod si legatur, ut dixi; intelligendum erit, hoc anno non urbanum praetorem, sed alium e collegio de ui quaesiuisse, iudicesq. sortitum esse: porro Marcellinum munus illud sortitionis ad praetorem urbanum noluisse transferri; fortasse quod eius praetoris, qui de ui quaereret, diligentiae, aut fidei non ita confideret. atque haec, quae tantum a coniectura manant, nec ullius loci testimonio confirmantur, examinari paullo accuratius uolumus ab eruditis. SORTIRETVR: } ex uniuerso numero; qui ex tribus ordinibus, senatorio, equestri, plebeio, constabat. quod multis docemur exemplis. COMITIA } aedilicia, quibus petebat Clodius; & ob eam caussam ante iudicia haberi comitia uolebat, ut, aedilis factus, Milonis accusationem facilius eluderet. quod ita contigit. hinc illud ad Atticum lib. IV. Ille postea, si sua comitia non fierent, urbi minari. HABERENTVR: } paucis ante diebus fieri iudicia Marcellinus ante comitia uoluerat: itaque dixit Cicero, in ea, quam nominaui, ad Atticum epistola, Eaq. omnia comitijs anteferret. nunc sententiam ex parte mutat. concedit enim, ut comitia habeantur ante iudicia, sed sortitione iudicum prius facta cum eo, ut, habitis comitijs, iudicia statim fiant: qui iudicia impedierit, is contra remp. fecisse iudicetur. ita nec impedit comitia; &, caussam iudiciorum eripi cupientibus bonis, non patitur. C. CATO, } tribunus pl. epist. 3. & 4. & epist. fam. lib. I. CASSIVS } & hic tribunus pl. ACCLAMATIONE } aduersus Cassium; quia comitia fieri ante iudicia uellet. PHILIPPVS } L. Marcius Philippus, Octauij, cui Augusto postea cognomen fuit, uitricus. hic cum designatus consul esset cum Lentulo Marcellino, sententiam post eum proximus rogatus est. nam qui priore loco designatus consul erat, priore item loco sententiam rogabatur; ut in libro diximus de senatu. DE *priuatis* } ergo post omnes magistratus. DE *toto furore* } non de eo solum, quod expulisset fabros de area nostra; quod Catuli porticum, quae ex senatusconsulto, consulum locatione, reficiebatur, disturbasset; quod Quincti fratris domum inflammasset; quod insecutus esset me lapidibus, fustibus, gladijs; quod Milonis domum, meamq. incendere conatus esset; quorum criminum nomine reus erat; sed plane de omnibus delictis, quae, immani quodam furore incitatus, aut in me, aut in alios, aut in ipsam remp. commiserat. SECVNDIS } assensum indicantibus, ductum a uentis: quibus cum utimur secundis, fertur, quo uolumus, recto cursu nauis. SEVERVS *Antistius* } cũ in ep. M. Bruti Veterẽ Antistium uocari uideam, suspicor hic de menda. & forte legendũ sic: Sex. Vetus Antistius: aut, Vetus Antistius quod dictio, uetus, in uerus, duarũ litterarum, t & r, similitudine, conuersa facile sit; & uerus, deinde abierit in seuerus: ut sunt homines ad ea mutanda procliues, quae statim ut intelligerent, uel rei difficultate, uel ingenij uitio nõ successit. nã quod, Vetus Antistius, si legatur, nomini cognomẽ anteponet; eo minime perturbor, qui huius generis exẽpla saepe notauerim. dixit enim infra ep. 4. Macer Licinius: ad Atticum ep. 15. l. 8. Balbi Cornelij: & ep. 8. l. 2. fam. Gallus Caninius. IVDICIORVM *caussam suscepit*, } cum haec uerba ut Antistium tribunum pl. existimem fuisse, me adducunt; tum illa, quae sunt in clausula epistolae: De tribunis pl. longe optimum Racilium habemus. uidetur etiam Antistius amicus nobis fore. nam Plancius totus noster est. IN *eam sententiam* }

tiam } quam? an Antistij, qui, se antiquissimam esse habiturum iudiciorum caussam, proxime dixerat? non puto. nam, cum tribunus pl. esset, certe ante Ciceronem, inter ceteros magistratus, rogatus erat sententiam. laudauit enim potius Ciceronem Antistius, quod, ut optimatem decet, ita locutus erat, quam sententiam dixit. expono igitur, *Eam*, Marcellini, cui Philippus assenserat, & Cicero deinde multis uerbis. Quod autem inquit, IBATVR, non puto, pedibus, subaudiri. non dum enim sententiam rogati omnes erant: quod ubi factum non esset, eundi pedibus in sententiam initium non fiebat. Ibatur, igitur, omnium paene consensu. DIEM *dicendo eximere* } licebat enim senatori, & qua de re uellet, & quam diu uellet, dicere. qua potestate abutebantur multi; cum oratione longa diem consumerent, ne quid in senatu contra uoluntatem eorum decerneretur ep. 3. l. 4. ad Att. & l. 3. de leg. & Gellius l. 4. c. x. A RACILIO } qui cum de iudicijs retulit, libera cumprimis, ac minime uerecunda oratione, adsperso multarū facetiarum sale, (id enim est Vrbane) Clodium uexauerat. liber Magnuli habet, Inurbane: & puto sumptum a libro manuscripto: quia, Inurbane, rubris litteris factum est: qua ille, ut iam diximus, ueteris libri nota utebatur. nec male congruet, Inurbane, cum dictione, contumaciter: ut Clodius ideo fureret, quod esset contumaciter, & inurbane uexatus. A GRAECOSTASI } locus fuit ante curiam: de quo Varro. GRADIBVS } quibus ad curiam adscendebatur. OPINOR, *in Q. Sextilium*, } opinor, dicit, quia Clodii operae in eos, qui senatus ad fores adstabant, incitatae sunt: quos autem de ijs, plane scire non poterat, cum ipse esset in senatu. & Sextilium nominat; quod is eius multitudinis, quae Milonem extra senatum, mox exiturū, opperiebatur, quasi dux esse uideretur. habebat enim, ut Clodius, sic & Milo suā factionem. Ideo autem, In Sextiliū & amicos Milonis incitatae, quia Clodium Milo de ui accusabat. VT *arbitror, in mensem Ianuarium* } quia reliqui erant Decembris mensis dies, quibus haberi senatum liceret, paucissimi, nempe quattuor, ut opinio mea fert. nam, cum ab idibus Decembris, quo die senatū a Lupo esse habitum existimamus, (cur ita existimemus, supra ostendimus) ad Kal. Ianuarii dies XVIII. numerentur; ex ijs porro festi sint V. comitiales IX fasti IV. sequitur, ut per quattuor tantum dies, hoc est fastos, haberi senatus posset. nam, festis diebus non potuisse, notius est, quam ut probari debeat: comitialibus item, facile intelliget, qui senatusconsultum, quod est in epistola Coelij ad Ciceronem, attente legerit. sic enim in eo scriptum est, D. E. R. I. C. uti C. Paullus, C. Marcellus cos. cum magistratum iniissent ad ex Kal. Mart. quae in suo magistratu futurae essent, de consularibus prouinciis ad senatum referrent, ne ue quid prius ex Kal. Mart. ad senatum referrent, ne ue quid coniunctim de ea re referretur a cos. utiq. eius rei caussa per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent. Nominatim de comitialibus diebus non dixisset, ut per eos senatum haberent, si haberi alioqui licuisset. & ut ijs, qui acuti nimium uideri uolunt, dum ab aliis excogitata delicato quodam fastidio reiiciunt, omnis calumniandi praecludatur occasio; uerba Ciceronis, quae id, quod agimus, aperte probant, ex epistola sequenti recitabimus. Consecuti sunt, inquit, dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. PLANCIVS } men dose (sic enim puto) legebatur in omnibus libris, Plautius. nos, Plancius, reposuimus: primum, quod hunc esse Cn. Plancium credidimus; quem tribunum pl. eodem anno cum L. Racilio fuisse, oratio pro ipso, quae exstat, a Cicerone habita demonstrat: deinde, quod apud me ponderis est maximi, quia Bessarionis in libro, Plancius, non Plautius, plane uideo scriptum esse. placet tamen hoc anno & Plautium tribunum pl. fuisse: quod a Dione lib. XXXIX. traditum est. sed hic de Cn. Plancio malim, quam de A. Plautio, quem nominat Dio, intelligere. sequor enim antiquum librum: sequor historiam: sequor etiam illud, quod, cum dicat Cicero, Noster totus est, magis id conuenit in Plancium, Ciceronis amicissimum, quam in Plautium, cui nullam cum Cicerone intercessisse insignem necessitudinem legimus. & fortasse is est Plautius Hypsaeus, de quo in epistola I. ad Lentulum his uerbis: Libonis, & Hypsaei non obscura concursatio, & contentio in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere uideatur. Hypsaeus enim Plautiae gentis cognomen. DE *mense Decembri*, } usitata ueteribus locutio, pro, mense. qualia sunt, de nocte, de die, & similia. Cicero pro Murena: Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas. & in epistola ad Atticum, libro VIII. Obsignata iam epistola, quam de nocte daturus eram. Horatius:

Offensus damnis media de nocte caballum
Arripit. Catullus:
Vos conuiuia sumptuosiora de die facitis.

Scripserat Quinctus, ut ex his Marci uerbis coniicio, sibi constitutum esse, Romam hoc mense transmittere. quod tamen nec omnino quattuor post mensibus ab eo factum, sequentes epistolae declarant.

Marcus S. D. Quincto fratri. 2.

NON occupatione, qua eram sane impeditus, sed paruula lippitudine adductus sum, ut dictarem hanc epistolam, & non, ut soleo, ad te ipse scriberem. Et primum me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso. me enim adhuc nemo rogauit, num quid in Sardiniam uellem: te puto saepe habere, qui, num quid Romam uelis, quaerant. Quod ad me de Lentuli, & Sexti nomine scripsisti; locutus sum cum Cincio. quo modo res se habet, non est facillima. sed habet profecto quiddam Sardinia appositum ad recordationem praeteritae memoriae. nā, ut ille Gracchus augur, postea quam in istam prouinciam uenit, recordatus est, quid sibi in campo Martio, comitia consulum habenti, contra auspicia accidisset: sic tu mihi uideris in Sardinia de forma Minuciana, &

de

de nominibus Pompeianis in otio recogitasse. sed ego, adhuc emi nihil. Culleonis auctio facta est. Tusculano emptor nemo fuit. si condicio ualde bona fuerit, fortasse non omittam. De aedificatione tua, Cyrum urgere non cesso; spero eum in officio fore: sed omnia sunt tardiora propter furiosae aedilitatis exspectationem. nam comitia sine mora futura uidentur: edicta sunt ad XI. *Kal. Febr. te tamen solicitum esse nolo. omne genus a nobis cautionis adhibebitur. De rege Alexandrino, factum est S. C. cum multitudine reduci, periculosum reip. uideri. reliqua cum esset in senatu contentio, Lentulus ne, an Pompeius reduceret; obtinere caussam Lentulus uidebatur. in ea re nos & officio erga Lentulum mirifice, et uoluntati Pompeij praeclare satisfecimus. sed per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est. consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. quid futurum sit latrocinio tribunorum, non diuino: sed tamen suspicor per uim rogationem Caninium perlaturum. in ea re Pompeius quid uelit, non dispicio: familiares eius quid cupiant, omnes uident. creditores uero regis aperte pecunias suppeditant contra Lentulum. sine dubio res a Lentulo remota uidetur esse, cum magno meo dolore: quamquam multa fecit, quare, si fas esses, iure ei succensere possemus. Tu, si ita expedit, uelim, quamprimum bona, & certa tempestate conscendas, ad meq. uenias. innumerabiles enim res sunt, in quibus te quotidie in omni genere desiderem. Tui, nostriq. ualent. Vale.* XIV. *kal. Febr.*

EXPLANATIO

Cn. Lentulo Marcellino,
L. Marcio Philippo, COS.

EXCVSO } de litterarum infrequentia. TE *puto saepe habere* } posthaec uerba sequebatur, Etsi non semper. quod cum mihi numquam satis probatum fuisset, (absurdum enim, minimeq. necessarium uidebatur) tollere tamen, nisi meam opinionem scriptus liber confirmaret, numquam ausus sum. nunc in meo illo, mihi magnopere probato, Bessarionis antiquo exemplari uideo, quod coniecturae meae respondeat, scriptum esse, sic inquam: Te puto saepe habere, qui, num quid Romam uelis, quaerant. LENTVLI, *& Sexti* } ut a Lentulo & Sexto debitam tibi pecuniam exigamus; exactam Pomponio Attico, cui debes, persoluamus. CINCIO } L. Cincio, qui Attici negotia Romae procurabat. ad Atticum libro 1. AD *recordationem praeteritae memoriae* } ad excitandam eius rei recordationem, quam ex animo nostro deleuit obliuio. GRACCHVS } Ti. Sempronius, Tiberij, & Caij, clarissimorum oratorum, pater: qui cum recordatus esset, in designatione consulum non recte a se tabernaculum esse captum; deq. uitiosa designatione ad augurum collegium misisset; augures ad senatum retulerunt; senatus, ut consules abdicarent, censuit: consules abdicarunt. Historia est libro II. de natura deorum, libro primo de diuinatione, apud Valerium Maximum libro primo. VENIT } proconsul. etsi praetoria potius prouincia, quam consularis, erat Sardinia. sed interdum & a proconsulibus praetoriae administrabantur. quod exemplo Macedoniae, in oratione in Pisonem, demonstratur. IN *campo Martio* } ubi magistratus omnes creabantur. COMITIA *consulum habenti* } cum esset iterum consul cum M. Iuuentio Thalna. habuit autem ea comitia Gracchus potius, quam eius collega Iuuentius; quia qui priore loco creatus erat consul, is comitia sequentis anni consulibus rogandis habebat. itaque & Cicero, qui prior consul erat, consulem a se esse Murenam renunciatum, in oratione pro eo narrat. plura in libro de comitijs. CONTRA *auspicia* } Veteres nihil non auspicato gerebant. Gracchus autem, quia tabernaculum uitio cepisset, contra auspicia consules creauerat. DE *forma Minuciana*, } aedificium forte Quinctus ad eam formam, quam Minucius architectus fecerat, exstrui uolebat. qua de re uidetur significari infra, epist. 5. NOMINIBVS *Pomponianis* } pecunia, quam debes Pomponio Attico, & a Lentulo & Sexto solui uelles. EMI *nihil.* } ubi aedificetur ad formam Minucianam. AVCTIO } de bonis Culleonis mortui; quae fiebat inter coheredes, quo facilius ad suum quisque perueniret. CONDICIO } emendi Tusculani. CYRVM } architectum. ad Atticum epist. 3. lib. 2. & fam. epist. 14. lib. 7. & pro Milone. AEDILITATIS } quam Clodius petebat. COMITIA } aedilicia, nam consularia iam fuerant; cum de consulibus designatis mentio fiat in epistola proxima superiore. EDICTA *sunt* } edicto consulum Marcellini & Philippi. cur autem eo usque tracta erant comitia aedilicia; quae, si mos seruaretur, anno superiore fieri debuissent? quia, cum iudicium, quo Clodius de ui caussam dicturus erat, ante comitia fieri, & Marcellinus, & alij uoluissent; contra Clodius intelligeret, se iudicium effugere, nisi aedilis designaretur, non facile posse; ideoq. contenderet, ut comitia iudicijs anteferrentur: utriusque partis contentione factum est, ut iudicia simul, & comitia ultra spatium legitimi temporis producerentur. CAVTIONIS } ne quid Clodius, si euenerit ut aedilis creetur, nocere nobis possit. REGE *Alexandrino* } Ptolemaeo Aulete: qui, a suis ciuibus pulsus, ad senatum confugerat, petebatque, ut restitueretur. fam. lib. 1. Dio, & alij. restitutus demum est ab A. Gabinio Syriae proconsule; qui prouinciae suae terminis, pretio ductus, est egressus. quo nomine postea condemnatum, in Dione legimus. MVLTITVDINE } cum qua regem reduci, uetabant libri Sibyllini. hinc illa apud Lucanum carmina:

Haud

Haud equidem immerito Cumanae carmine uatis
Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles, ripasq. aestate tumentes.

Dio quoque Sibyllae uerba recitat lib. XXXIX.

LENTVLVS } P.Cornelius Lentulus Spinther, qui proximo anno consul fuerat, & in Ciliciam tunc pro consul ibat. OFFICIO } quia consul Lentulus ad senatum de Cicerone restituendo contra legem Clodiam retulerat; ut ei, cuius maxime beneficio restitutus esset, nihil Cicero non debere uideretur. VOLVNTATI *Pompeij* } quia, etsi pro Lentulo studiose, ita tamen egimus, ut animum Pompeij ne offenderemus. OBTRECTATORES *Lentuli* } aduersarios in reductione regis duos in primis Lentulus habebat, Catonem, & Caninium, tribunos pl. Catonem quidem, totam reductionem regis oppugnantem, nec minus Pompeio, quam Lentulo, infensum: quod ostendit ep.5. Caninium autem reduci regem, non a Lentulo, sed a Pompeio cupientem. & Cato eo processit iracundiae, ac maleuolentiae, ut de abrogando Lentulo Ciliciae imperio legem promulgauerit. quod ex eadem epistola cognoscitur. Nonius etiam haec Fenestellae uerba ex annali XXII. recitat. Vt magistratum, inquit, inierunt tribuni, C.Cato, turbulentus adolescens, & audax, nec imparatus ad dicendum, cōcionibus assiduis inuidiam & Ptolemaeo simul, quae iam ex urbe profectus erat, & P.Lentulo consuli, paranti iam iter, concitare, secundo quidem populi rumore, coepit. Caninius autem usque eo Pompeij studiosus fuit, ut legem ferre conatus sit, qua Pompeius cum duobus lictoribus Ptolemaeum reduceret. quod apud Plutarchum in Pompeio scriptū est. idq. Cicero ipse in epistola septima significat in his uerbis: Mihi semper tuae laudi fauere uisus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano. CALVMNIA } fictis ad impediendum caussis. dicit dem eadem de re in epistola ad Lentulum quarta. DIES *comitiales* } dixi iam de hoc genere dierum. LATROCINIO *tribunorum*, } Catonem in primis, & Caninium notat: quorum ad eripiendam Lentulo regis reductionem iniquissimos conatus latrocinium appellat: de quibus etiam epist.4. ad Lentulū sic: Qui nunc populi R. nomine, re autem uera sceleratissimo latrocinio, si qua conabuntur agere, satis prouisum est, ut ne quid saluis auspicijs, aut legibus, aut etiam sine ui agere possint. PER *uim* } satis enim prouisum erat, ne perferre eam sine ui posset. quod & proxime recitata uerba ex epistola ad Lentulum, & ea praeterea declarant in epist.2. ad eundem: Quod ad popularē rationem attinet, hoc uidemur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo ac saluis legibus, aut denique sine ui possit. ROGATIONEM } de qua proxime dixi, ut Pompeius cum duobus lictoribus Ptolemaeum restitueret: aut enim eam ferre legem Caninius iam conatus erat, aut se laturum ostenderat. nam de noua rogatione loqui Cicero uidetur. PERLATVRVM } non pertulit. non enim Pompeius, sed Gabinius regem restituit: quod ex Appiano, Dione, Plutarcho, ipso etiam Cicerone constat. NON *dispicio* } solebat enim Pompeius & silentio tegere uoluntatem, & aliud sentire, ac loqui. id ostendunt Ciceronis epistolae, lib.1. ad Lentulum epist.1. & 5. libro ad Atticum IV. epist. IX. & XIV. Coelius etiam epist.1. lib. IIX. Quam, inquit, Pompeius orationem habuerit, quamq. ostenderit uoluntatem, (solet enim aliud sentire, & loqui, neque tamen tātum ualere ingenio, ut non appareat, quid sentiat) fac mihi perscribas. FAMILIARES *eius* } Volcatius, Lupus, Afranius, Libo, Hypsaeus, Caninius. epist.1. ad Lentulum. CONTRA *Lentulum*. } ut reductio regis ab Lentulo, cui iam S. C. commissa fuerat, ad Pompeium transferatur. hinc in epistola ad Lentulum: Res agitur per eodem creditores, per quos, cum tu aderas, agebatur. regis caussa si qui sunt, qui uelint, qui pauci sunt, omnes rem ad Pompeium deferri uolunt. SI *fas esset* } fas non est, quia summum ab eo beneficium, patriae restitutus, accepi. SVCCENSERE } ob eam, credo, caussam, quod superficiem aedium non pluris, quam HS uicies, aestimasset. de quo queritur epist.2. lib.4. ad Atticum.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 3.

SCRIPSI *ad te antea superiora: nunc cognosce, postea quae sint acta. A Kal. Febr. legationes in idus reijciebantur. eo die res confecta non est. ad IV. non. Milo affuit. ei Pompeius aduocatus uenit. dixit Marcellus, a me rogatus. honeste discessimus. producta dies est in IIX. id. Interim, reiectis legationibus in idus, referebatur de prouincijs quaestorū, & de ornandis praetoribus. sed res, multis querellis de rep. interponendis, nulla transacta est. Cato legem promulgauit de imperio Lentulo abrogando. uestitum filius mutauit. Ad IIX. id. Milo affuit: dixit Pompeius, siue uoluit. nam, ut surrexit, operae Clodianae clamorem sustulerunt: idq. ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut conuicio, & maledictis impediretur. qui ut perorauit, (nam in eo sane fortis fuit; non est deterritus; dixit omnia, atque interdum etiam silentio, cum auctoritate peregerat) sed ut perorauit, surrexit Clodius. ei tantus clamor a nostris, (placuerat enim referre gratiam) ut neque mente, neque lingua, neque ore resisteret. ea res acta est, cum hora sexta uix Pōpeius perorasset, usque ad horam octauam; cum omnia maledicta, uersus etiam obscenissimi in Clodium, & Clodiam dicerentur. ille furens, & exsanguis interrogabat suos in clamore ipso, quis esset, qui plebem fame necaret? respondebant operae, Pompeius: quis Alexandriam ire cuperet? respondebant, Pompeius: quem ire uellent? respondebant, Crassum. is aderat tum, Miloni animo non amico. hora fere nona, quasi signo dato, Clodiani nostros consputare coeperunt. exarsit dolor. urgere illi, ut loco nos mouerent. factus est a nostris impetus*

petus; fuga operarum; eiectus de Rostris Clodius. ac nos quoque tum fugimus, ne quid in turba. senatus uocatus in curiam, Pompeius domum. neque ego tamen in senatum; ne aut de tantis rebus tacerem, aut in Pompeio defendendo (nam is carpebatur a Bibulo, Curione, Fauonio, Seruilio filio) animos bonorum offenderem. res in posterum dilata est. Clodius in Quirinalia produxit diem. ad II. id. senatus ad Apollinis fuit, ut Pompeius adesset. acta res est grauiter a Pompeio. eo die nihil perfectum est. ad VI. id. ad Apollinis S. C. factum est, ea, quae facta essent ad IIX. idus, contra remp. esse facta. eo die Cato est uehementer in Pompeium inuectus, & eum oratione perpetua, tamquam reum, accusauit: de me multa, me inuito, cum mea summa laude dixit, cum illius in me perfidiam increparet. auditus est magno silentio maleuolorum. respondit ei uehementer Pōpeius, Crassumq. descripsit; dixitq. aperte, se munitiorem ad custodiendam uitam suam fore, quam Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset. itaque magnae mihi res iam moueri uidebantur. nam Pompeius haec intelligit, nobiscumq. communicat, insidias uitae suae fieri, Catonem a Crasso sustentari, Clodio pecuniam suppeditare; utrumque & ab eo, & a Curione, Bibulo, ceterisq. suis obtrectatoribus confirmari; uehementer esse prouidendum, ne opprimatur, concionario illo populo a se prope alienato, nobilitate inimica, non aequo senatu, iuuentute improba. itaque se comparat: homines ex agris accersit. operas autem suas Clodius confirmat. manus ad Quirinalia paratur. in eo multo sumus superiores ipsius copijs. sed magna manus ex Piceno, & Gallia exspectatur; ut etiam Catonis rogationibus de Milone, & Lentulo resistamus. Ad IV. id. Sextius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus, & eodem die a quodam M. Tullio de ui. is erat aeger. domum, ut debuimus, ad eum statim uenimus, eiq. nos totos tradidimus: idq. fecimus praeter hominum opinionem, qui nos ei iure succensere putabant: ut humanissimi, gratissimiq. & ipsi, & omnibus uideremur: itaq. faciemus. sed idem Nerius index edidit ad allegatos Cn. Lentulum Vatiam, & C. Cornelium. Eodem die S. C. factum est, ut sodalitates, decuriatiq. discederent, lexq. de ijs ferretur, ut, qui non discessissent, ea poena, quae est de ui, tenerentur. Ad III. id. dixi pro Bestia de ambitu, apud praetorē Cn. Domitium, in foro medio, maximo conuentu incidiq. in eum locū in dicendo, cū Sextius, multis in templo Castoris uulneribus acceptis, subsidio Bestiae seruatus esset. hic προοικονομίαν *quiddam* εὐκαίρως *de ijs, quae in Sextium apparabantur crimina; & cum ornaui ueris laudibus, magno assensu omnium. res homini fuit uehementer grata. Quae tibi eo scribo, quod me de retinenda Sextij gratia litteris monuisti. Pridie id. haec scripsi ante lucem, eo die apud Pomponium in eius nuptijs eram cenaturus. cetera sunt in rebus nostris. cuiusmodi tu mihi fere diffidenti praedicabas, plena dignitatis, & gratiae; quae quidem tua, mi frater, prudentia, patientia, uirtute, pietate, suauitate etiam, tibi, mihiq. sunt restituta. Domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est. sed, ut spero, paucis mensibus post kal. Quinct. in tuam commigrabis. tuam in Carinis mundi habitatores Camiae conduxerunt. A te post illam Olbiensem epistolam nullas litteras accepi. quid agas, & ut te oblectes, scire cupio, maximeq. te ipsum uidere quamprimum. Cura, mi frater, ut ualeas; at quamquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites. XV. kal. Mart.*

EXPLANATIO

Ijsdem consulibus.

LEGATIONES } quibus audiendis, mense Februario senatus habebatur; idq. lege Gabinia; quod infra patet, ep. 12. & fam. lib. 1. ep. 4. A KAL. *Febr.* } legitimi habendo senatui dies erant, Kalendae, nonae, idus. reliquis diebus, modo comitiales non essent, haberi quidem senatus poterat; sed certus neque lege, neque more statutus erat dies. positum id erat in uoluntate magistratuum. legationes igitur a Kalendis in idus reijciebantur; non quia senatum haberi ante idus non liceret; sed quia, si haberetur, alia de re potius, quàm de legationibus, agi placeret, habitus autem quinquies ante idus est, primo nonis, ut opinor, de prouincijs quaestorum, & de ornandis praetoribus; iterum, tertio, quarto, IIX, VII, VI. idus, de Clodianarum operarū ui; quinto, IV. idus de sodalitatibus, & decuriatis. MILO *affuit:* } operaepretium est nosse, a quo accusaretur Milo, quo de crimine, apud quos iudices. accusabatur a P. Clodio aedili, de ui, apud populum. accusatorem & crimen illa demonstrant, quae sunt in oratione pro Sextio, manifeste de Clodio pronunciata. Nam quid ego de aedile ipso loquar? qui etiam diem dixit, & accusauit de ui Milonem. & infra ibidem: Volitat aedilis; accusat eum, qui aliqua ex parte eius furorem exsultantem repressit. & infert continenter, de Milone: Hic, qui se est tutatus sic, ut in priuata re deos penates suos, in rep. iura tribunatus, auspiciaq. defenderet, accusare eum moderate, a quo ipso nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs. Idem & Dio lib. XXXIX. demonstrat. Accusatum autem esse, non ad praetorem, sed ad populum, patet ex eo, quod ad Lentulum in epistola scriptum est, fam. libro I. epist. 5. Pompeius apud populum ad IIX. id. Febr. cum pro Milone diceret, clamore, conuicioq. iactatus est, in senatuq. a Catone aspere, & acerbe, omnium magno silentio, est accusatus. quod ipsum argumento est, reum de ui Milonem fuisse. nam etsi non de ui tantum, sed etiam de maiestate, ac de incestu, populi iudicium erat: ab horum tamen criminum suspicione Milonem absuisse, eo quidem tempore, notum est. Et, Affuit, in foro; ubi cuiuslibet generis exercebantur iudicia. ADVOCATVS } non ut pro Milone diceret, sed ut praesentia sua reum subleuaret. is enim aduocatus est, ut in Diuinatione Pedianus testatur. quartò igitur nonas Miloni aduocatus, octauo idus eidem patronus Pompeius uenit.

pit. MARCELLVS } non dubito, quin M. Marcellum significet, eum, quem, post deuictum acie Pharsalica Pompeium, a P. Magio Chilone interfectum fuisse, Ser. Sulpicij ad Ciceronem epistola declarat. existimo autem potius Marcum significari, quam aut Caium, eius fratrem, aut alium quemquam; quia & erat hic bonarum in rep. partium tutator, & Ciceronis amicissimus, & Milonis ipsius proprie studiosus, qui etiam ipsum, quo tempore de Clodij caede caussam dixit, cum Cicerone defenderit. ut omittam, quod, cum sine praenomine appelletur, de ipso potius, qui uirtute, & honore reliquis Marcellis antecellebat, quam de quouis alio, accipiendum uidetur. HONESTE *discessimus*. } hoc dicit, quia IIX. idus, quo die iterum Milo affuit, turpiter potius, quam honeste, fugientes discesserunt. INTERIM, } inter quartum nonas, & octauum idus, habito senatu, referebatur de prouincijs quaestorum, & de ornandis praetoribus. fieri enim potest, ut non modo nonis, hoc est, die legitimo, uerum etiam tertio nonas, & pridie nonas habitus senatus sit; cum de tribus diebus potius, quam de uno, significare uideatur dictio, Interim. DE *prouincijs quaestorum*, } ut quaestores anni superioris prouincias sortirentur. cuius rei ad consules relatio pertinebat. quaestores autem sorte in prouincias iuisse, docet oratio pro Murena. ET *de ornandis praetoribus* } malim, praetorijs: ut de prouincijs intelligatur. quod probat latine loquendi consuetudo. nam in epist. ad Atticum lib. III. Antequam, inquit, ad me scripsissetis, uestro consensu consulares prouincias ornatas esse. ad eundem lib. IV. Qui se dicerent in ornandis prouincijs consularibus scribendo affuisse. & in epistola ad Catonem, fam. lib. XV. Prouinciam, inquit, ornatam, & spem non dubiam triumphi neglexi. poterat enim facile triumphum sperare, cum ornatam prouinciam acciperet, hoc est, exercitu, pecuniaq. instructam. id est enim ornare prouinciam. quod etiam diximus in commentario ad Atticum. Suspicor autem apud Suetonium in Iulio mendose legi; Ac neque more, neque iure, antequam prouinciae ordinarentur, profectus est in ulteriorem Hispaniam; &, pro ordinandis, reponendum ornandis. QVERELIS *de rep.* } cum essent in senatu, qui non de prouincijs agi, sed de rep. uellent. Quid igitur, existet aliquis qui obijciat, non ad rempublicam prouinciae pertinent? sane: sed hic remp. accipio pro rebus urbanis: quae maioris esse momenti, quam prouinciae, quibusdam senatoribus uidebantur: ideoq. reipublicae nomine recte possunt appellari. CATO } C. Cato tribunus pl. qui triennio ante, Caesare & Bibulo cos. Pompeium priuatus dictatorem appellauerat. ep. 2. PROMVLGAVIT. } proposuit, ut deinde legem ferret. hoc de more diximus in nostro libro de legibus. ABROGANDO } non abrogauit tamen, Lentulo Marcellino consule dies comitiales, quibus ferre legem Cato potuisset, omnes eximente. infra, 314. & ex epistolis, quae familiares uulgo uocantur, satis constat, P. Lentulum non ante annum spatium, quod erat administrandae prouinciae legitimum, decessisse. IMPERIO } Ciliciae administratione. nam praefecti prouinciarum imperium habebat senatusconsulto & lege curiata. quamquam Appius P. Clodij frater, si curiata lex ferri non posset, ex senatuscósulto se esse in prouinciam iturum affirmauit. fam. l. 1. ep. 9. & ad Att. ep. 16. l. 4. LENTVLO } Spintheri, qui anno proximo cósul ab exsulio Ciceronem reuocauerat. uidetur autem hic Cato P. Clodij studiosus fuisse, qui contra Lentulum & Milonem, quorum in primis opera Cicero in patriam redierat, rogationes promulgauerit. infra, hac ipsa epistola. MVTAVIT. } sordidata ueste, ad commouendá misericordiam, sumpta: quod magnarum calamitatum in metu facere solebant: itaque, lege Clodia promulgata, uestitum & Cicero cum innumerabili amicorum clientiumq. multitudine mutauerat. PEREGERAT } Petrus Danesius, quem habet Gallia clarissimum ingenij doctrinaq. lumen, cum Venetiis ad eum saepe honoris caussa in aedes Georgii Siluae, Vaurensis episcopi, adolescentulus uentitaré, in sermone dixit, rectius legi posse, Semper egerat, quod idem mihi quoque nunc uidetur. & optime duae dictiones, interdum, semper, altera cú altera congruet: ut Pompeius silentio nó sane semper egerit, sed interdum; cum auctoritate uero semper. hanc enim operarum Clodij clamor eripere numquam potuit. SVRREXIT *Clodius.* } aedilis, Milonis accusator. ORE } cum immutatus color mentis solicitudinem indicaret; contra quam Pompeio euenerat; qui, clamor operarum minime deterritus, cum auctoritate semper egerat. HORA VI. } tertia diei hora, iudiciorum erat prima. docet hoc Martialis ille uersus, Exercet raucos tertia caussidicos, idé fere est hodie quoque in consuetudine positum. CLODIAM } P. Clodij sororem, eam de tribus, ut opinor, quae Q. Metelli Celeris uxor erat. nam etsi reliquae item duae, una, quae Q. Marcio Regi, altera, quae L. Lucullo collocata fuerat, male audiebant impudicitiae nomine, ut etiam cum fratre Clodio rem habuisse dicerentur: haec tamen Metelli uxor, quam Quadrátariam esse appellatam, Plutarchus tradit, infamia praestabat. & hanc significat Cicero libro ad Atticum II. cum appellat Βοῶπιδα: & in oratione de haruspicú responsis, cum ait: Ne id quidem sentis, coniuentes illos oculos abaui tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantes sororis? in ea uero pro Coelio, non modo exagitat eam, quia uirorum concubitum, instigante libidine, nimium petulanter appeteret, uerum etiam satis aperta suspicione carpit, quasi uenenú Metello coniugi dedisset. PLEBEM *fame necaret*. } quasi Pompeius, qui rei frumentariae praeesset, frumentum comprimeret. ALEXANDRIAM } restituendi Ptolemaei caussa. DE *Rostris* } non, quod accusatores in foro de Rostris loquerentur; sed, quia Clodius, Milonis accusator, aedilis erat; & iure magistratus ad populum de Rostris uerba facere poterat. SENATVS *uocatus in curiam*. } IIX. idus, hoc est, eo ipso, quo pro Milone Pompeius dixit, die. Licebat igitur fastis diebus haberi senatum, iudicijs uidelicet confectis; nisi quid maioris rei praeripi tempus cogeret. CVRIAM. } cum nihil additur, Hostiliam intelligi notum est. BIBVLO } M. Calpurnio Bibulo; qui cum C. Caesaris esse inimicissimus, generum eius Pompeium, & in ferendis legibus, hoc est in euertenda rep. consentientem, amare non poterat. CVRIONE } C. Scribonio Curione, uiro consulari, oratore non postremo; cum tamen neque memoria,

neque ulla omnino doctrina ualeret. pater eius Curionis fuit, qui ciuili bello Caesaris partes secutus, in Africa est interfectus. FAVONIO } M. Fauonio, Catonis aemulo in propugnatione reip. & loquendi libertate. occisus est inter captiuos a triumuiris, post Brutum & Cassiū Philippensi pugna uictos. SERVILIO *filio* } qui consul postea fuit cum C. Caesare, & addidit, Filio, quia uiuebat adhuc pater eius, P. Seruilius Isauricus. BONORVM } apparet, ab eo bonos uocari Bibulum, Curionem, Fauonium, Seruilium, quia libertatis caussam contra extraordinarias Caesaris, Pompeijq. opes tuerentur. QVIRINALIA } quae erāt XII. Kal. Martij. DIEM } accusationis. sed quaero, qui potuerit Quirinalibus, hoc est, die festo, iudicium exerceri. hoc sane mihi praeter consuetudinem uidetur. nisi si potestas in eo singularis fuit aedilium curulium, atque omnino ceterorum magistratuum. AD *Apollinis* } non modo qui Graeci sciunt, sed qui Latinas litteras uix primoribus, quod aiunt, labris attigerunt, in hoc loquendi genere subauditi aedem intelligunt. & senatum modo in templa, modo in sacras aedes uocari solitum, ex Varrone constat; qui distinguit a templis aedes sacras. VT *Pompeius adesset*. } puto, quia prope templum Apollinis Pompeius habitaret: qui longius a suis aedibus discedere, metu Clodij, non audebat. ideo, paucis ante uersibus legitur, eum, senatu in Hostiliam curiā uocato, domesticis se parietibus tenuisse. CATO } tribunus pl. quod iam diximus; qui antea Pompeium dictatorem appellauerat, nunc, mutata uoluntate, uehementer eundem accusat. ME *inuito* } nam cur laudari se ab eo uellet, quem contra suae salutis auctores, Milonem, & Lentulum, rogationes uideret promulgasse? PERFIDIAM } cum Pompeius contra fidem suam Ciceronē destituit, pelliq. in exsulium a P. Clodio passus est. MALEVOLORVM } eorum, quibus immoderata Pompeij potentia grauis erat. ex his quattuor iam nominauit. hac de re fam. lib. I. DESCRIPSIT } non nominatim appellauit, sed quasi quibusdam coloribus ita depinxit, ut, eū notari, homines intelligerent. AFRICANVS } minor: cuius uita non exstat; cum tamen eam Plutarchus litteris mandauerit, ut ipse testatur in Gracchis. C. CARBO } de gente Papiria, tribunus pl. quo Africanus interfectus est anno . is, accusante L. Licinio Crasso, singularis eloquentiae uiro, cantharidas sumpsisse dicitur. fam. lib. IX. & in Bruto. Plutarchus tamen in Gracchis suspicionem ait fuisse de M. Fuluio, & C. Graccho, neque Carbonem nominat. in epitome Liuiana, libro LIX. eius facinoris culpa in Semproniam confertur, Africani uxorem, Gracchorum sororem, quibus cum simultates Africanus exercuerat. Cic. in Laelio, epitome Liuiana, Velleius l. 2. Plutarchus in apophr. Appianus lib. I. de bel. ci. SVPPEDITARI } a Crasso, Romanorum omnium ditissimo, Pompeij potentiae semper infenso. CONCIONARIO *illo populo* } ea maxime populi parte, quae ad conciones tribunorum pl. facile soleret accurrere. quam populi fecem appellat infra. ALIENATO } nam ante popularis maxime fuerat Pompeius, cū alijs de caussis, tum ob eam, quod populo tribuniciā potestatem, ereptam a L. Sulla dictatore, consul restituerat. Alienato autem, quia Pompeius Milonē, inimicum P. Clodij, accusatum ab eo, defenderat. infra. NOBILITATE } de principibus loquitur ciuitatis, Crasso, Bibulo, Curione, & alijs. epist. 2. diximus enim iam, nobiles esse dictos non patricios tantum, sed quicunque honoribus ac dignitate pollerent. NON *aequo senatu* } non optime in ipsum animato. argumentum eius rei minime dubium habebat, quod C. Catonis orationem magno silentio audiri, hoc est comprobari, uiderat. IVVENTVTE } quae nec antea Pompeium amauerat. ad Atticum lib. II. QVIRINALIA } quo die Milonem Clodius erat accusaturus. MAGNA *manus* } clientum, Pompeij, Ciceronis, Lentuli, Milonis. VT *etiam* } ut non modo Clodius aliquid in nos per uim agere non possit, sed nec Cato rogationes eas perferre, quas de Milone & Lentulo promulgauit. DE *Milone* } quid Cato de Milone promulgasset, compertum non habeo: nisi si hoc, ut, quando gladiatoribus, & bestiarijs contra leges esset usus, poenas daret. hoc mihi uideor posse cōijcere ex illis uerbis, quae sunt infra, ep. 5. Ille uindex gladiatorum & bestiariorum. LENTVLO } ut ei abrogaretur imperium. RESISTAMVS. } si per uim eas perferre conetur, auspicijs, aut intercessionibus, aut denique legibus neglectis. SEXTIVS } Publius, qui anno proximo tribunus pl. cum septem collegis de Cicerone restituendo rogationem pertulerat. INDICE } nō in hac caussa indice, cum esset accusator, sed Indice; quod ante quasi cognomen illud, ex aliquo fortasse indicio, accepisset. PVPINIA } ex tribu Pupinia. sic. n. loquebantur; quod Pedianus notauit. Pupiniā inter tribus rusticas fuisse; & ab agro Pupinio nuncupatam, ex Festo, alijsq. cognosci tur. uerum de tribubus diximus alio loco satis multa. DE *ambitu* } quod tribunatum plebis, corruptis pecunia tribubus, cēpisset. aut intelligendum de quaestura, quam gessit Cicerone & Antonio cos. quod ex oratione pro ipso cognoscitur. POSTVLATVS } apud praetorem. iudicium. n. de ambitu praetor exercebat: itaque subiūgit proxime. Dixi pro Bestia de ambitu apud praetorem Cn. Domitium. Postulare aūt simpliciter accipit Vlpianus pro, in iure agere contra aliquem. ego duobus modis expono; ut postulet is, qui nomen alicuius defert apud magistratum, & postulet idem, cū, post nominis delationem, in iure agit, hoc est contra reū uerba facit. Vtrūque probabimus, recitatis e Cicerone exemplis. Ac primum quidem uel hic ipse locus, de Sextio postulato, indicat, accusationi postulationē antecedere. nam infra sequitur: De ijs, quae in Sextium apparabantur crimina. non dum igitur acta caussa erat, cū dicat, apparabantur. Accedit illud, quod est in epistola primi libri III. ad hunc ipsum. Gabinium tres adhuc factiones postulant; Lentulus, qui iam de maiestate postulauit; Ti Nero, C. Memmius. ad urbem accessit ad XII. Kal. Oct. nihil turpius nec desertius. sed de iudicijs nihil audeo confidere. & in eodem libro, admodum aperte: De ambitu postulati sunt omnes, qui consulatum petunt, a Memmio Domitius, a Q. Curtio Memmius, a Q. Pompeio Messalla, a Triario Scaurus. magna res in motu est: propterea quod aut hominum, aut legum interitus ostenditur. opera datur, ut iudicia fiant. & in Vatinium: Postea quam es postulatus, ex legatione redijsti, ne quis te iudicia defugere arbitraretur. & in epistola Coelij: Pilus de repetundis eum postulauit:

postulauit: magna illico fama surrexit; & de damnatione feruenter loqui est coeptum. Postulatio igitur, quod ex his locis facile liceat intelligere, accusatoris actionem anteit. quod si ita est: aut postulatio, nominis est delatio; aut, quid praeterea esse possit, ego quidem non uideo. Rursus, postulare, non esse idē, quod nomen deferre; locum habeo, qui clarissime demonstret. scribit. n. haec Coelius in epistola ad Ciceronē: Non dubito, quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum. & paullo post: Illud mihi occurrit, quod inter postulationem & nominis delationem uxor a Dolabella discessit. Quid igitur? an sibi ueteres non constabant, & modo hoc, modo illud? ego hanc inconstantiam non appello, sed libertatē, qua in usu angustius usurparent; latius, ut cum, postulare, dicebant pro, accusare, sicuti nunc de Sextio postulato dixit Cicero; angustius, ut cum propriam uerbi significationem intelligi uolebant; quale illud, ex epistola Coelij, quod recitauimus, Inter postulationē & nominis delationem. Sic, Accusare, modo ualet nomen deferre, modo caussam ipsam iudicio contra reum agere. exemplis abundamus. A QVODAM *M. Tullio* } cui cognomen fuit Albinouano; quod interrogatio in Vatinium docet. DE *ui* } apud M Aemilium Scaurum praetorem, ut ipsa Ciceronis oratio declarat. uim autem re uera non attulerat, sed passus erat Sextius. quod in oratione pro eo multis uerbis probauit Cicero: iudicesq. ita esse crediderunt. absolutus n. est Sextius omnibus sententijs; ut infra in epistola proxima. VT *debuimus* } ob eius in nos merita: quia tribunus pl. nostram caussam studiosissime iuuerat. IVRE *succensere* } ob eius peruersam, morosamq. naturam. sic. n. de eo scribit in epistola sequenti. ITAQVE *faciemus* } nostram operam, ut polliciti sumus, ita praestabimus. EDIDIT *ad allegatos* } praeter eos, quos aiebat esse conscios, & participes eiusdem criminis, nominauit Cn. Lentulum, & C. Cornelium. eodem sensu dixit in oratione pro Cluentio, Crimen Oppianici indicio Auilij probabatur; in quo inter allegatos Oppianici nomen primum esse constabat. EODEM *die* } ergo, ut iam diximus, & iudicia, & senatus eodem die. SODALITATES } sodalitates in urbe fiebant multarum rerum caussa. hic de sodalitatibus intellige ambitus caussa factis, quae Coitio dicebatur. DECVRIATIQ. } & uerbum, Decuriare, & Decuria saepe non pro decem tantū hominibus, sed pro aliquo numero in unum coacto, & tamquam in decuriam descripto, eiusdem rei tractandae caussa. sic Phil. v. Non improbos decuriabat? nō solicitabat agrarios? Et in oratione pro Plancio saepe utitur hoc uerbo, cum loquatur de ambitu: item in Verrem, & alijs in locis. DISCEDERENT } de campo Martio; cū ad creandos magistratus, qui eo anno creati ob factiones nondum erant, populus conuenisset. DE *ui* } publica: nam priuatam leuior poena sequebatur. de publica uero condemnati, praesertim homine necato, ciuitatem amittebant, diximus copiose in libro de legibus. BESTIA } L. Calpurnio Bestia, qui cōsulatum Ciceronis reprehendere solitus est. a quibus. n. iniuriam tulerat, eos saepe Cicero defendit, ut P. Vatinium, A. Gabinium: eiusq. rei caussam exponit his uerbis in epistola ad Matiū: Cogor non numquā homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt, defendere. DE *ambitu* } puto Bestiam de ambitu ob emptam praeturam esse accusatum, & condemnatum. nā, nisi iudicio notatus esset, numquā de familiaritate Bestiae, de opera ei nauata in petitione praeturae, accusator obiecisset M Coelio. qua de re Cicero sic in oratione: Ac prima pars fuit illa: fuisse Bestiae Coeliū familiarē, cenasse apud eum, uentitasse domum, studuisse praeturae. CN. *Domitium* } Caluinum, qui post biennium consul fuit cum M. Valerio Messalla: tribunatum pl. gesserat, cōsulibus Caesare & Bibulo; ut in oratione pro Sextio: praeturā gerit hoc anno, id est consulibus Lentulo & Philippo; quod itē eadem pro Sextio, & interrogatio in Vatiniū demonstrant. IN *foro medio,* } non. n. semper in foro, sed pro arbitratu, modo in hac, modo in illa urbis parte praetores tribunal habebant: omnes tamen & eodem simul in loco, &, ubi magistratus initio, ibi per totū annum. In libro de iudicijs. MAXIMO *conuentu* } Taciti uerba sunt haec in dialogo de oratoribus: Satis constat, C. Cornelium, M. Scaurum, T. Milonem, L. Bestiā, P. Vatinium, concursu totius ciuitatis & accusatos, & defensos. ACCEPTIS, } a Clodianis, cū esset tribunus pl. Legatur oratio pro ipso. Προφχηονομαάμην } tamquam bonus caussae Sextianae gubernator praemuniui quiddam oportune, cum pro Bestia dicerem, quod in Sextij iudicio prodesse posset. EVM } Sextium potius, quā Bestiam. VERIS } uere. n. & in quaestura & in tribunatu plebis rationibus reipublicae fuerat utilissimus. EIVS *nuptiis* } cū Piliam duxit uxorem: ex qua suscepit Atticam, quae deinde Agrippae nupsit. hinc error patet eorū, qui legendum putant in Attici uita, Statuas aliquot ipsi & Pilae posuerunt: cum (omitto alia ornamenta) statuas illas adolescenti Attico posuerint Athenienses, Piliam autem uxorem duxerit iam quinquagenarius. LVCVM *Pisonis* } qua in regione urbis, antiqua monumenta non indicant. KALENDIS *Quinct.* } is dies terminus erat locatarum aedium. Suet. in Tiberio, & Martialis lib. & 12. epigr.

,, O Iuliarum dedecus Kalendarum.

CARINIS } in quibus erat auita Ciceronis domus. eam fortasse Quinctus in diuisione bonorum a fratre acceperat. P. Victor in regione quarta. MVNDI } amatores elegantiae. CAMIAE } cuius gentis hoc fuerit cognomen, non dum reperi. uidendum est, an Lamiae, legi possit; qui ex gente Aelia fuerunt. OLBIENSEM } Olbia datam. ep. 5. HIEMS } qua parte anni non ita morbis tentamur. SARDINIAM } prouinciam graui caelo; eoq. te diligentius cura.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 4.

SEXTIVS *noster absolutus est ad 11. id. Mart. &, quod uehemēter interfuit reip. nullā uideri in eiusmodi caussa dissensionē esse, omnibus sentētijs absolutus est. illud, quod tibi saepe curae esse intellexerā, ne cui*

iniquo relinqueremus uituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret; nisi illius peruersitatem quibusdam in rebus quam humanissime ferremus, scito hoc nos in eo iudicio consecutos esse, ut omnium gratissimi iudicaremur. nam in defendendo moroso homine cumulatissime satisfecimus. &, id quod ille maxime cupiebat, Vatinium, a quo palam oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, dijs hominibusque plaudentibus. quin etiam Paullus noster, cum testis productus esset in Sextium, confirmauit, se nomen Vatinij delaturum, si Macer Licinius cunctaretur: & Macer a Sextij subsellijs surrexit, ac se illi non defuturum affirmauit. quid quaeris? homo petulans, & audax, Vatinius ualde perturbatus, debilitatusq. discessit. Quinctus tuus, puer optimus, eruditur egregie. hoc nunc magis animaduerto, quod Tyrannio docet apud me. Domus utriusque nostrum aedificatur strenue. redemptori tuo dimidium pecuniae curaui. spero nos ante hiemem contubernales fore. De nostra Tullia, tui mehercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi. ceteroqui confectum erat. Latiar erat exiturus. *

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

ABSOLVTVS } iudicio de ui, accusante M. Tullio Albinouano. exstat Ciceronis oratio. nam iudicium de ambitu factum esse non existimo, forte quia Nerius accusandi consilium abiecerat. OPPVGNABATVR, } dixit enim testimonium Vatinius in *Sextium*. ARBITRATV *nostro* } cum id mihi per omnes, quatenus ego uellem, licet. itaque infert, Dijs, hominibusq. plaudentibus. pessime enim Vatinium omnes paene homines oderant. ex quo Catullus, Odissem te odio Vatiniano. Macrobius libro II. Satur. Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse uellet: forte ijs diebus Casellius iurisconsultus consultus a quodam, num nux pinea pomum esset, si in Vatinium missurus es, inquit, pomum est. PRODVCTVS } cogebantur legibus, atque etiam nunc coguntur homines, uel in amicissimos, postulante accusatore, testimonium dicere. produci autem testes dicebantur, siue uoluntarij, de quo uellent homine, siue coacti legibus, in quem nollent, testimonium dicerent. de uoluntarijs exemplum illud habemus (ut omittam alia) in Vatinium: Cum in eundem nuper ab eadem illa furia productus ad populum cupidissime falsum testimonium dixeris? de coactis legibus, hoc, de Paullo in Sextium producto. NOMEN *Vatinij delaturum*. } non enim accusandi Vatinij materia deerat. ita multa praeter leges commiserat. quod in ipsum Ciceronis interrogatio significat. MACER *Licinius* } unus de Sextij patronis, & forte Licinius ille Caluus, eloquentiae laude insignis, filius C. Macri, qui reus Cicerone praetore de repetundis factus, cum se damnatum iri uideret, uoluntaria morte iacturam rei familiaris effugit. qui enim in reatu, ut iurisconsulti uerbum usurpemus, obierat, eius bona subijci hastae leges uetabant. Plutarchus, Valerius. CVNCTARETVR } nisi statim Licinius Vatinium accusaret. SVBSELLIIS } erant subsellia iudicum, reorum, accusatorum. ILLI } Vatinio potius, quam Paullo: hoc est, se esse Vatinio diem dicturum affirmauit. quod uidetur fecisse. Nam Tacitus in dialogo de oratoribus maxime probat accusationes Calui, quae in Vatinium conscribuntur, ac praecipue secundam orationem. DEBILITATVSQVE } animo fracto, ac demisso. refertur enim ad, Audax: Perturbatus uero ad, Petulans. TYRANNIO } satis usitatum grammaticis nomen. nam & is, qui Aristotelis Theophrastique uolumnia, dictatore Sylla Athenis reperta, digessit, Tyrannio dictus est. APVD *me* } domi meae, non, ut ante, domi tuae. VTRIVSQVE *nostrum* } de una domo sermo uidetur esse; cum sequatur, Spero nos ante hiemem contubernales fore. & rursus duas domos illud ostendit, Redemptori tuo dimidium pecuniae curaui: & illud, quod utriusque domos Clodius euerterat, atque inflammarat, ut est ad Atticum 5 5: item illud, quod hic infra subijcitur: In aream tuam ueni: &, Domus erit egregia: &, Itemq. nostra celeriter aedificabatur. quare statuamus fuisse domos omnino duas, quae inuicem contingerent: ut, cum in suis uterque aedibus habitaret, contubernales tamen essent, quia domus utriusque nullo interiecto spatio disiungerentur. REDEMPTORI *tuo* } Longilio. CRASSIPEDE: } Furio. nupsit Tullia tribus, contra Pediani Plutarchiq. sententiam, primum L. Calpurnio Pisoni Frugi, deinde Furio Crassipedi, postremo P. Cornelio Dolabellae. Piso Cicerone perijt exsulante: Crassipes Tulliae nuncium remiserit, an e uita excesserit, incertum est: Dolabella diuortium fecit. hoc, ipso suis in libris narrante Cicerone, cognoscuntur. LATINAS } si Varronem & Macrobium sequamur, antiquitatis utrumque peritissimum, conceptiuae feriae erant Latinae, non statiuae; concipiebanturq. in dies uel certos, uel incertos. Liuius tamen statiuas indicat fuisse, cum ait libro XXV. Romae consules, praetoresq. usque ante diem V. Kal. Mai. Latinae tenuerunt. eo die perpetrato sacro in monte, in suas quisque prouincias proficiscuntur. non enim simile ueri est, consules, cum uictor Hannibal uastaret Italiam, consulto in V. kal. Mai. qui dies a primo initi magistratus die, hoc est ab idibus Martij, XLIII. dierum spatio distat, Latinas distulisse; ut ipsi sibi diutinae in urbe mansionis necessitatem imponerent: cum ire in prouincias neque consulibus, neque praetoribus liceret, nisi Latinarum sacro perpetrato. aut igitur eas e statiuis in ordinem conceptiuarum postea transisse credendum est: aut latentem caussam alij perscrutentur. placet enim indicare, in quo, cum ipse mihi non satisfaciam, eorum, qui magis ingenio doctrinaq. praestant, elaborare possit industria. RELIGIOSI } quibus aut priuatim, aut publice quidquam fieri, maioris

momenti

momenti quod esset, religio uetabat. Confectum } eo perducta res erat, nihil ut iam esset reliquum, nisi ut mulier uiro desponderetur. quod postea factum est nonis Apr. ut ex epistola, quae sequitur proxima, intelligitur. Latiar } mendosa uox: & in mendo consentiunt ueterer libri. multa mihi, de correctione cogitanti, ueniunt in mentem, nec tamen quidquam, quod magnopere probem. Lucceius erat exiturus, legi possit, si sententia tantum spectetur: sed affinitas abest illa litterarum, quam ego in locis emendandis maxime quaero. Lucceium quidem exiturum fuisse, & in Sardiniam iturum, in ea, quae proxima sequitur, epistola his uerbis scriptum est: Lucceium conuenire nō potueram, quod abfuerat: uidere autem uolebam, quod eram postridie Roma exiturus, & quod ille in Sardiniā iter habebat. Posset etiā reponi, Latiare, & coniungi cum antecedentibus uerbis: ut sit: Ceteroqui confectū erat Latiare. deinde: Erā exiturus. ut hoc dicat: De Tullia & Crassipede alioqui confectū erat, confectū autē ipso Latinarum die. nam Latiare, latinarū sollemne significat: quod ex Macrobio constat. hanc ego amarem correctionem: uidetur enim, ut ita dicam, uerecunda; quia fit unius tantum litterae adiectione, & eius litterae, quae prima sequentis dictionis est. ex quo minor quodam modo licentia uidetur: cum, litteram aut elidere, aut addere in ultima dictione, quae sit eadem cum prima dictionis insequentis, unum sit de priuilegijs illis, quae ueterum scripta corrigentibus iure conceduntur. ergo, ut illa prior emendatio placet in sententia, displicet in litteris: ita haec contra, cum in litteris maxime, in sententia tamen haud ualde probatur. nam illud, Ceteroqui, uniuersum quiddam, quod non uno tempore de nuptiis actum sit, significat. Latiare, autem si addatur, quo dies unus intelligitur; nimis in angustum uniuersum illud contrahetur. uerum ego fortasse calumnior, prae nimio studio ueritatis; & imitor Caluum illum, qui cum optimam in dicendo rationem quaereret, nimium inquirens in sese, metuensque, ne uitiosum sanguinē colligeret, uerum etiam deperdebat. quare satis habeamus, quae nostra sententia sit, ostendisse. uera sit, an secus, uolo diiudicandi potestatem ad alios pertinere. Erat *exiturus.* } Crassipes, rediturus post duos religiosos dies. aut, si cui, Erat, referri ad Crassipedem non placet; eidem fortasse, Eram exiturus, placebit; si modo, uere hoc a Cicerone de se ipso scribi posse, intellexerit. intelliget autem ex illis uerbis, quae sunt infra: Lucceium uidere uolebam, quod eram postridie Roma exiturus.

Marcus. S. D. Quincto fratri. 5.

Dederam ad te litteras antea, quibus erat scriptum, Tulliam nostram Crassipedi pridie non. Apr. esse desponsatam; ceteraq. de re publica, & priuata perscripseram. postea sunt haec acta. Nonis Apr. S. C. Pompeio pecunia decreta in rem frumentariā ad HS MCCCC. sed eodem die uehementer actum de agro Campano, clamore senatus prope concionali. acriorem caussam inopia pecuniae faciebat, & annonae caritas. Non praetermittam ne illud quidem. M. Furnium Flaccum, equitem Romanum, hominem nequam, Capitolini, & Mercuriales de collegio eiecerūt, praesentem, ad pedes uniuscuiusque iacentem. Ad IIX id. Aprilis sponsalia Crassipedi praebui. huic conuiuio puer optimus Quinctus tuus, meusq. quod perleuiter commotus fuerat, defuit. Ad VI. id. Apr. ueni ad Quinctum, eumq. uidi plane integrum: multumque is mecum sermonem habuit, & perhumanum de discordijs mulierum nostrarum. quid quaeris? nihil festiuius. Pomponia autem etiam de te questa est. sed haec corā agemus. A puero ut discessi, in aream tuam ueni. res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorē cohortatus sum. fidem mihi faciebat, se uelle nobis placere. domus erit egregia. magis enim cerni iam poterat, quam quantum ex forma iudicabamus. itemq. nostra celeriter aedificabatur. eo die cenaui apud Crassipedem. cenatus, in hortos ad Pompeium lectica latus sum. Lucceium conuenire non potueram, quod abfuerat. uidere autem uolebam, quod eram postridie Roma exiturus, & quod ille in Sardiniam iter habebat. hominem conueni; & ab eo petiui, ut quamprimum te nobis redderet. statim, dixit. erat autem iturus, ut aiebat, ad III. id. Apr. ut aut Labrone, aut Pisis conscenderet. tu, mi frater, simul ac ille uenerit, primam nauigationem, dummodo idonea tempestas sit, ne omiseris. ἀμφιλαφίαν autem illam, quam tu soles dicere, bono modo desidero, sic prorsus, ut aduenientem excipiam libēter, latentem etiam nunc non excitem. Tribus locis aedifico: reliqua reconcinno: uiuo paullo liberalius, quam solebam. opus erat, si te haberem, paullisper fabris locum dare. sed & haec, ut spero, breui inter nos communicabimus. Res autem Romanae sic se habent. Consul est egregius Lentulus, non impediente collega, sic inquam bonus, ut meliorem non uiderim. dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinae instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. sic legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis. cui tamen egregie imposuit Milo noster. nam ille uindex gladiatorum, & bestiariorum emerat de Cosconio, & Pomponio bestiarios; nec sine his armatis umquam in publico fuerat: hos alere non poterat, itaque uix tenebat. sensit Milo: dedit cuidam non familiari negotium, qui sine suspicione emeret eam familiam a Catone. quae simul atque abducta est, Racilius, qui unus est hoc tempore tribunus pl. rem patefecit, eosq. homines sibi emptos esse dixit, (sic enim placuerat.) & tabulam proscripsit, se familiam Catonianam uenditurum. in eam tabulam magni risus consequebantur. hunc igitur Catonem Lentulus a legibus remouit, & eos, qui de Caesare monstra promulgarunt, quibus intercederet nemo. Nam quod de Pompeio Caninius agit, sanequam refrixit. neque enim res probatur; & Pompeius noster in amicitia P. Lentuli uituperatur. & hercule non est idē. nam apud illam perditissimam, atque infimam faecem populi propter Milonem suboffendit: & boni multa ab eo desiderant, multa reprehendunt. Marcellinus autē hoc uno mihi quidem non satisfacit, quod eum nimis aspere tractat. quamquam id senatu non inuito facit. quo ego me libentius a curia, & ab omni parte reip. subtraho.

subtraho. In iudicijs ij sumus, qui fuimus, domus celebratur, ita, ut cum maxime. unum accidit imprudentia Milonis incommode, de Sex. Coelio: quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accusatoribus mihi placuit accusari. ei tres sententiae taeterrimae in consilio defuerunt. itaque hominem populus reuocat: & retrahatur, necesse est. non enim ferunt homines; & quia, cũ apud suos diceret, paene damnatus est, uident damnatum. ea ipsa in re Pompeij offensio nobis obstitit. senatorum enim urna coplose absoluit, equitum adaequauit, tribuni aerarij condemnarunt. & hoc incommodum consolantur quotidianae damnationes inimicorum; in quibus me perlubente Seruius allisus est ceteri conciduntur. Cato concionatus est, comitia haberi non siturum, si sibi cum populo dies agendi essent exempti. & Appius a Caesare non dum redierat. Tuas mirifice litteras exspecto. atque adhuc clausum mare scio fuisse: sed quosdam uenisse tamen Olbia dicebant, qui te unice laudarent, plurimiq. in prouincia fieri dicerent. ijdem aiebant, nunciare, te prima nauigatione transmissurum. id cupio: & quamquam te ipsum scilicet maxime, tamen etiam litteras tuas exspecto. Mi frater, uale.

EXPLANATIO

Ijsdem consulibus.

DEDERAM *ad te litteras*] hoc, usque ad illa uerba, Ad pedes uniuscuiusque iacẽtem, librarii, genus hominum indiligens, atque imperitum, longe a sua sede transtulerant, & ad alterius epistolae partem, ipsam quoque quasi membrum a suo corpore auulsam, agglutinauerant. mihi hanc perturbationem ostendit ratio temporis, & earum rerum ordo, de quibus ad fratrem in his epistolis Cicero scribit. Bessarionis liber dissentit ille quidem ab impressis, mendo tamen minime uacat. nam hoc totum, a uerbo, Dederam ad, Iacentem, principium est in eo epistolae, sequunturq. continenter illa uerba, In eo multo sumus superiores ipsius copiis; quae sunt in epistola, cuius initiũ est, Scripsi ad te antea superiora, quae quam sint praepostere coniuncta, cuius, paullo attentius ea consideranti, dilucide patebit. cum igitur neque uulgatum in libris impressis ordinem ullo modo probarem; neque mihi, uerus alioqui ac certus ubique fere, Bessarionis liber hac quidem in parte satisfaceret: dedi me ad considerandum subtiliter argumentum, ut eo quasi filo ad ueritatem peruenirem. Primum agit Cicero de Tullia pridie nõ. Apr. Crassipedi desponsa. deinde subiungit, uelle se, quae post eum diem acta sint, perscribere. quis igitur pridie non. Aprilis consequitur dies? nonae. ab his igitur quasi narrandi capit initium, cum ait: Nonis Apr. senatusconsulto Pompeio pecunia decreta in rem frumentariam. Nonis autem quis proximus adiunctus est dies? IIX. idus. erant igitur mihi huius libri epistolae peruoluendae, donec acta IIX. iduum Apr. inuenirem. inueni. est enim illud: Ad IIX. id. Apr. sponsalia Crassipedi praebui. & quae deinde connexa his pone sequuntur. quod autem infra impressum est in nostro libro, Ad VI. id. Apr. non, ut in aliis libris, atque adeo in manuscriptis, Ad III. id. Apr. id feci coniectura ductus, contra ueterum librorum consensum. tres porro, cur in hanc opinionem uenerim, habeo caussas, unam, quod Cicero id agit, ut cõtinuatos aliquot mensis Aprilis dies persequatur: itaque a die pridie non. Apr. ad nonas trãsijt, a nonis ad IIX. id. ab IIX. id. autem ad III. id. omisso quattuor dierum spatio, numquam opinor transiecisset. quid enim? nihil ne daret illi ad scribendum de quattuor diebus ullus? totum ne quatriduum Cicero dormiuit, ut nihil omnino ipse ageret, nihil, actum ab aliis, posset cognoscere? prorsus credibile non est. Altera, cur VI. pro III. reposuerim, caussa illa fuit, quod Ciceronem, qui summum quendam in Quinctum fratrem his omnibus epistolis amorem declarat, Quinctum filium, & unicum filium, ita neglexisse uix crediderim, ut, eius inualetudine audita, non eum, nisi quattuor dierum interposita mora, uisitauerit. Postremo, qui fieri poterat, ut mendosa dies non esset, cum infra dicat Cicero de Lucceio. Erat autem iturus ad III. id. Apr. ex quo patet, ante III. id. Apr. epistolam certe scriptam esse. quocirca, quin VI. id. aut VII. id. (ut statim post sponsaliorum diem, nulla facta mora, ierit ad Quinctum) rectius multo sit, quam III. id. mihi quidem non uidetur esse dubitandum. erunt igitur haec quattuor dierũ acta: Pridie nonas desponsa Tullia; nonis decreta a senatu Pompeio pecunia, & actum de agro Campano, Flaccus de collegio eiectus; VII. aut VI. id. iuit ad Quinctum filium, in aream uenit, ad Pompeium delatus, Lucceium conuenit. DESPONSAM] hae litterae, de Tullia Crassipedi desponsa, non exstant. non enim de proxima superiore epistola licet intelligere: in qua scripsit, Spero nos cum Crassipede confecisse. quibus uerbis non, desponsam esse Tulliam, significat, sed sperare se futurum ut despondeatur. Addo illud. litterae de Tullia desponsa datae sunt pridie non. Apr. hoc est in ipso, quo desponsa est, die. nam in hac epist. quae post pridie non. acta sint, persequitur. at proximas superiores quis credat pridie non. Apr. datas, cum de Sextio III. id. Martii absoluto significet? eo ne usque tantam rem, tam exspectatam Quincto, distulisset? postremo, cum hic dicat Cicero, se scripsisse in iis litteris de re publica, & priuata; hoc in superiores litteras nos conuenire, satis patet. uerbum enim de republica nullum prorsus habent. REM *frumentariam*] cui senatus populusq. Pompeium, annonae subleuandae caussa, praefecerat. ad Atticum lib. IV. HS MCCCC.] his notis non, mille quadringenta, quod fortasse aliquis existimet, sed, millies quadringenties, intelligitur. millies autem quadringenties ualet, quadragies biscentena millia aureorum scutatorum pecuniae nostratis: ut ueterem nummariam rationem ex Plinij potius, & Celsi, quam

quam ex Budaei sententia exponamus. neque mirum est, in tanta annonae caritate tantam uim pecuniae in emptionem frumenti fuisse necessariam. nam, cum populus Romanus his temporibus hominum CCCCL millia censeretur; quod a Liuio traditum esse, epitome demonstrat; praeterea, cum peregrinorum, cum seruorum infinitus prope numerus esset; annonae uero subueniri, non per unum mensem, sed usque ad messem, hoc est, per tres menses, necessitas cogeret: immensus erat frumenti numerus, qui tantae multitudini satisfaceret, uidendus: quaeq. item ad emendum frumentum sufficeret, ingens erat pecunia comparanda. quod ita esse, si quis cogitauerit, multis partibus plures fuisse seruos, quam ciues; (ut peregrinos omittam) is, opinor, habita grauis admodum annonae ratione, mecum existimabit. De *agro Campano* } cum enim agri Campani partem, plebi diuidendam, emi a priuatis pecunia publica Caesar, lege lata, uoluisset; nec pecunia suppeteret: factum est s. c. nonis Apr. in sententiam Ciceronis, ut de agro Campano idibus Maij frequenti senatu referretur. fam. lib. I. ep. 9. Inopia *pecuniae* } eius, qua senatus agrum Campanum ex lege Caesaris emeret. Ne *illud quidem* } quod eodem die, hoc est non. Apr. factum est. singulorum enim dierũ acta Cicero persequitur; &, post hanc de Flacco mentionem, pergit ad XII. id. Apr. hoc est, ad eum diem, qui post nonas primus est. Equitem *Romanum* } uide, non eam modo plebem, quae infra equestrem ordinem censeretur, sed ipsos quoque equites in collegia distributos fuisse, uerum & collegia turpia fuere, ut opificum, & honesta, ut rei diuinae caussa, cum equitum etiam, ac senatorum sodalitates fiebant. Opificum uero collegia, multis & s. c. & legibus, sublata, ut a Pediano traditũ est, restituit lege lata P. Clodius tribunus pl. qui etiam noua quaedam addidit, ex omni fece urbis ac seruitiorum. ut in Pisonem Cicero dixit, constituta. Non igitur, in ea collegia esse adscriptum, honori fuit, quae senatus atque etiam populus saepe damnauerit, & in quibus sordidi ac sedentarij opifices, ut fabri, pistoresque, uersari solebant. at uero sodalitates quasdam ne ingenuo dignas homine non existimẽ fuisse, Catonis auctoritas facit, grauissimi uiri; quem de sodalitatibus, quasi honesta de re, loquentem induxit Cicero in libro de senectute. Sodalitates, inquit, me quaestore sunt constitutae. Nec dubito, quin sacrorum caussa. subiungit enim: Sacris Idaeis Magnae matris acceptis. Itidem igitur collegium illud, quo Flaccus est eiectus, de sacris rebus, ad Mercurij Iouisq. Capitolini templa pertinentibus, non artis sedentariae caussa, fuisse constitutum, facile licet existimare; cum equester ordo, quo ex ordine Flaccus erat, moechanicas artes non exerceret. Capitolini *& Mercuriales* } duo genera hominum, ex quibus collegium illud, unde Flaccus est eiectus, constabat. forte ita dicti, quia prope templum Mercurij, propeq. Capitolium, aut etiam in ipso Capitolio habitarent. Sponsalia *Crassipedi praebui.* } aliud igitur est despondere, aliud sponsalia praebere: cum desponsa Tullia sit pridie non. Apr. sponsaliorum uero dies fuerit IIX. id. Apr. quid autem sit, sponsalia, ipse indicat, cum ait, Huic conuiuio. Commotus } morbo potius, quam iracundia. nam sequitur: Ad Quinctum ueni, eumq. uidi plane integrum. quod est bene ualentis. unde integrũ corpus, integra ualetudo. praeterea, puto, indecorum, minimeq. sua persona dignum Cicero existimasset, uenire ad Quinctum puerum, ut eum iracundia commotum leniret. Veni } ergo non erat Quinctus apud ipsum. quod supra inde patefit: Tyrannio docet apud me. nisi si, Docet apud me, non quod apud eum Quinctus habitaret, intelligamus; sed quod, quas diei horas cognoscendis litteris daret, per eas horas eum apud se Cicero uellet a Tyrrannione erudiri; ut, quo ingenio ac uoluntate Quinctus puer, qua etiam fortasse diligentia, qua ue doctrina esset Tyrannio, posset animaduertere. Mulierum *nostrarum* } Terentiae, & Pomponiae. raro enim fit, ut inter duas duorum fratrum uxores conueniat. ac saepe carissimorum fratrum suauissimae coniunctiones earum dissensione dirimuntur. quod ipsemet, magno rei familiaris detrimento, maiore animi dolore, sum expertus. Festiuius } amabile quiddam est in pueris; quod si uerbis uelim describere, dicam esse id, quod aduersatur seueritati. itaque & in epistola ad Torquatum, Res, inquit, molesta est, ab ijs pueris abesse, quibus nihil potest esse festiuius. Etiam *de te* } ne Quinctus commoueatur, quia dixerat, De discordijs mulierum nostrarum, placato iam animo esse Pomponiam significat, quae apud ipsum de longiore, quam uellet, coniugis absentia familiariter ac libere questa sit. Multis *structoribus* } in aedificando utimur opera architecti, qui formam facit aedificij; redemptoris, qui totum opus impensa studioq. suo faciendum conducit; (ut interdum tamen architectus redemptoris item partes agat) structorum, qui calcem & lateres tractant; fabrorum, qui lapides aut ligna caedunt. Forma } quam Minucius fecerat. ep. 2. Redderet } non ut te secum Romam reduceret, sed ut te statim huc remitteret. Labrone } non dubito, quin de Ligurni, ut nunc appellant, portu intelligat. uocem corrupit, ut alias innumerabiles, uetustas. Ἀμφιλαφίαν } cum epistola Quincti, cui respondet Cicero, non extet: diuinare, quid sit ἀμφιλαφία hoc loco, nostrum non est. non enim placet eos imitari, qui, ne quid nescire uideantur diuersas in opiniones leui coniectura feruntur. Bono *modo* } non, omnino, sed, quadã ex parte: μετρίως quod Graeci dicunt, ut, Bono, temperamentum quoddam, non, ut alibi, magnitudinem significet. sic ad Atticum lib. XIII. De die tantum uidebis, & id ipsum bono modo. sed hoc aliquanto apertius ostenditur lib. II. Acad. in quo haec sunt: Hanc tibi, Luculle, si es ascensus Antiocho, familiari tuo, tam sunt defendenda, quam moenia: mihi autem bono modo, tantum, quantum uidebitur. Liberalius } quod minus restricte sumptus faceret, quod uiuendi rationem non ea, qua solitus erat, frugalitatis regula metiretur. Opus *erat* } opus erat ad relaxationem animi mei, ut paullisper ab his tumultibus secederem, ac fabris locum darem. defessus enim iam sum ex molestia, quam illis urgendis capio. id igitur facerem, si te haberem: tu enim, absente me, meam uicem eos exerceres. nunc eo non licet, quia, si pedem hinc mouero, nemo

fu-

futurus est, qui praesentia sua illos in opera contineat. SED & *haec* } dixerat iam, Sed haec coram agemus, cum de discordijs mulierum meminisset. recte igitur usus est particula, &: ut significet uelle se nō illa tantum superiora, sed & haec praesenti sermoni reseruare. atque haec de caussis una fuit, quae me, ut hanc epistolae partem, quae incipit a dictione ἀμφιλαφίαν, usque ad extremum, cum ea parte, in qua mentio fit de discordijs mulierum, connecterem. RES *Romanae* } a priuatis rebus ad publicas sermonem traducit. & cum dixit res Romanae, potius quam publicae, festiuū simul & amplum quiddam uidetur adamasse: quod, cum haec uox, res Romanae, magnum aliquid praeseferat, ipse tamen ea significet, quae infra Romani nominis dignitatem sint. unde & illud ad Atticum ep. 15. l. 4. Nunc Romanas accipe res. & ad eundem, quo in loco certum non habeo, sed ad eundem certe: Iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse. & hic, infra: Res Romanae sic se habebant. LENTVLVS } Marcellinus; quem hoc anno consulem fuisse cum Marcio Philippo, iam dixi. COLLEGA } cum sua sponte bono, tum, ut opinor, consilio maxime, atque exemplo M. Catonis, generi sui. Plutarchus. EXEMIT } sustulit: effecit, ne per eos lege agi posset: ne scilicet C. Cato tribunus pl. quas de P. Lentulo Spinthere, & Annio Milone rogationes promulgauerat, eas perferre posset. tollebantur autem comitiales dies cum aliis rationibus, quas in libro de comitijs attigimus, tum feriis indicendis: cum & comitialis, & festus dies idem esse non posset. ETIAM *Latinae instaurantur* } cum dicat, etiam, liquet; non instaurandis modo Latinis exemptos esse a Lentulo comitiales dies, sed alio etiam genere impedimenti, cuiusmodi erat, seruare de coelo. nam etsi augur non erat Marcellinus: nihil tamen obstabat, quin, pro potestate consulatus, seruare de coelo posset. quod aperte demonstrant illa uerba in oratione secunda in Antonium: Hic bonus augur eo se sacerdotio praeditum esse dixit, ut comitia auspiciis uel impedire, uel uitiare posset. in quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. quid enim? istuc, quod te sacerdotii iure facere posse dixisti; si augur non esses, & consul esses, minus facere potuisses? uide, ne etiam facilius. nos enim nuntiationem solum habeamus, consules & reliqui magistratus etiam spectionem. & interrogatione in Vatinium: Tribunus pl. fuisti: collegas habuisti uiros fortes nouem. ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas de caelo seruare, quos irridebas, quos priuatos esse dicebas. quibus ex locis liquido constat etiam ijs, qui augures non essent, seruare de caelo. nam certe neque Marcellinus, neque tres illi tribuni pl. Vatinii collegae, augures erant; quorum numerus supra quindecim esse non poterat; & inter eos nemo erat ex ijs, quos nominaui. omnes enim habeo diligenter notatos in meis lucubrationibus. LATINAE } feriae conceptiuae, a consulibus, aut ab eo, qui summum in urbe magistratum gereret, in Albano monte factae. primus eas in unum diem Tarquinius Superbus instituit: secundus dies additus, pulsis regibus: tertius post secessionem in Auentinum: quartus, plebe & patribus a dictatore Camillo in concordiam reductis. INSTAVRANTVR: } quasi, faciendis iis, aut praetermissum aliquid esset, aut, quod non oporteret, commissum. quibus de caussis, saepe legimus apud Liuium, instauratos esse ludos. instauratus autem decreto pontificum Latinas, ex Liuii lib. XXXII, planum est. SVPPLICATIONES } quae imperatoribus pro re bene gesta decernebatur: eaeq. dum fierent, lege agere non licebat. ILLE *uindex* } qui se uindicem quodam modo, atque assertorem gladiatorum & bestiarorum professus erat, lege in Milonem promulgata, quod gladiatoribus & bestiariis contra remp. usus esset. eā legem supra Cicero significat in eo loco: Magna manus ex Piceno, & Gallia exspectatur; ut etiam Catonis rogationibus de Milone & Lentulo resistamus. VNVS *est* } non quia re uera unus, sed quod unus inter omnes eo magistratu dignus esset. similiter locutus est in epistola ad M. Catonem: Et, si in ciuitate multi Catones essent; in qua unum fuisse mirabile est. in magno enim Catonum numero, singularem uirtute fecit M. Catonem. TABVLAM *proscripsit*, } in publico posuit; cum in ea scripsisset, seruos sese uenditurum C. Catonis: quod illi esse dedecori intelligebat. HVNC *igitur Catonem* } de quo haec; quae risum excitarent, sunt a me dicta. itidem eum infra locutum puto epistola 9. MONSTRA } quas, opinor, leges perniciosissimas paullo ante appellauit. INTERCEDERET *nemo*. } quibus enim legibus ab aliquo tribuno pl. intercessum iam erat, de iis impediendis, non erat, cur Marcellinus cogitaret: quibus autem intercederet nemo, iis, qua ratione poterat, obsistebat. has autem leges si uel pro Caesare, uel contra Caesarem scriptas fuisse dicam, uaticiner fortasse, & aberrem a uero: quod tamen consequi coniectura liceat, crediderim, pro Caesare fuisse. alioqui non iis impedimento fuisse Marcellinus: qui, cum Pompeio esset infensus, quod paullo infra Cicero declarat. Caesarem (est enim ita consentaneum) non amabat: cuius & affinitatem cum Pompeio, & perniciosum reip. cum eodem, & cum M. Crasso initam societatem boni & sapientes ciues oderant maiorem in modum, ac timebant. CANINIVS } tribunus pl. qui rogationem promulgauerat, ut Pompeius regem Ptolemaeum cum duobus legatis restitueret. hoc Cicero significat, obscure illi quidem, sed Plutarchus apertissime. REFRIXIT } quo diligentius hoc uerbum considero, eo minus existimo, Refrixit, ideo dictum esse, quia rogationi a Caninio promulgatae aliquis tribunus pl. intercessisset. libentius in eam sententiam delabor, ut in ipso Caninio remissionem quandam animi in re coepta significari existimem. quo spectare uidetur illud: Neque enim res probatur. Refrixit igitur, ipso remittente Caninio: qui de rogatione perferenda non laborauit, cum rem probari non uideret. sic locutus est, simili sententia, ad Atticum 18. Haec tota res, interpellata bello, refrixerat. VITVPERATVR } qui, cum a Lentulo fuisset ornatus, restituendi Ptolemaei regis honorem ei nollet eripere. ornamentum autem in Pompeium a Lentulo profectum, id fuit, quod, ut rei frumentariae praeficeretur, consul anno proximo retulerat: idq. significant illa, quae sunt in epistola ad Lentulum: Pompeio qui nolunt, iidem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici.

FAECEM *populi* } P. Clodij studiosam. PROPTER *Milonem* } defensum contra Clodij accusationem IIX id. Febr. qua de re supra. SVBOFFENDIT } non omnino, sed leuiter propter Milonem offendit. quod alioqui popularis maxime Pompeius esset. itaque & supra, cum hac ipsa de re loqueretur, ita locutus est: Concionario illo populo a se probe alienato. MVLTA *ab eo desiderant* } quae non praestat, cum deberet. MVLTA *reprehendunt* } quae committit, cum non deberet. HOC *uno* } quia dixerat iam, Consul est egregius Lentulus; unum excipit, asperitatem in Pompeium: ne, quae in hominē amicum, de seq. optime meritum fiant, ea probare uideatur. SENATV *non inuito* } iure. quid enim ei faueret, cuius nefaria contra libertatem consilia, coitione cum Caesare, & Crasso facta, cognouisset? supra: Cato est uehementer in Pompeium inuectus: auditus est magno silentio maleuolorum. & in epistola ad Lentulum: Pompeius in senatu a Catone aspere & acerbe, nimium ne in dicenda sententia uel bonos offendam, si pro magno silentio, est accusatus. A CVRIA } Pompeio sentiam; uel ingrate faciam in ipsum, si sequar eos, qui ab illo dissentiunt. CELEBRATVR } clientium frequentia. idem ad Att. 37. Rēp. nulla ex parte attingimus. in caussis, atque in illa opera nostra forensi, summa industria uersamur. domus celebratur. IMPRVDENTIA *Milonis* } non, quod ipse accusauerit imbecille, sed quod tum alieno tē-pore, tum ab accusatoribus minime firmis accusandum curauerit Sex. Coelium. SEX *Coelio* } censeo legendum, Sex. Clodio. is enim & Milonis ac Ciceronis fuit inimicissimus; & Marcellino & Philippo cos. accusatus, atque absolutus est. de quo sic in oratione pro M. Coelio in extremo fere: Oro obtestorq. uos iudices, ut, qua in ciuitate paucis his diebus Sex. Clodius absolutus sit; quem uos per biennium aut ministrum seditionis, aut ducem uidistis; iu ea ciuitate ne patiamini &c. congruunt igitur tempora: nec res ipsa discrepat. de temporibus dubitari non potest: cum oratio pro M. Coelio ijsdē, quibus haec epistola scripta est, consulibus habita sit, Marcellino, inquam, & Philippo. nam in oratione cum ait: Intelligis pro tua praestanti prudentia Cn. Domitij, cum hac sola rem esse nobis: facile aperit, quo anno illa dixerit. uideo enim, Domitium Caluinum, qui praetor quaestionem illa exercuit, praeturam gessisse consulibus Marcellino & Philippo. id quod, opinor, iam cognitum est. dixit enim supra: Ad III. id. Feb. dixi pro Bestia de ambitu apud praetorem Cn. Domitium. quam epistolam in consulatu Marcellini & Philippi scriptam ostendimus. Quod ad reum attinet; homo est, quem Milo pariter & Cicero perditum uoluerint. quod utrunque non ex oratione minus, quam ex hac epistola, colligitur. NEQVE *hoc tempore* } quod ei Clodius, qui tunc aedilitatem curulem gereret, prodesse suo studio plurimum posset. etiam illud: quod eo tempore sit accusatus, cum Pompeius neque clarus plerisqne de populo esset, propter Milonis patrocinium; & senatoribus offensus. ex quo paullo post: Ea ipsa in re Pompeij offensio nobis obstitit: senatorem enim urna copiose absoluit. ACCVSARI } de ui, ut opinor: cum, omnium seditiosissimum fuisse, Ciceronis scripta demonstrent. TETERRIMAE *defuerunt* } quae nisi defuissent, condemnatus esset. &, Teterrimae, cum odio. nam si absolutus est Sex. Clodius immerito, non tres plane sententiae, sed omnes, quae absoluerunt teterrimae. notat autem ordinem senatorium. nam tribuni aerarij damnarunt, equitum sententiae pari numero fuerunt, senatores plerique absoluerunt. quod subiungitur. notat igitur nominatim eas tres, quae condemnationis numero defuerunt. Verum quaero, cum tribus ordinibus unus absoluerit, alter damnauerit, tertius neque absoluerit, neque damnauerit, qui uideri potest Clodius absolutus? quia, non ordinum iudicia, sed sententiarum numerum spectari, lex iubebat. quod cum alijs exemplis, tum ex oratione pro Cluentio, & ex epistola 7. Coelij ad Ciceronem cognoscitur, lib. IIX. fam. idque Plutarchus in Mario comprobat. IN *concilio* } iudicum, ut infra. REVOCAT } rursus accusandum esse dicit. FVERVNT } malim, ferunt. nam, Non fuerunt homines, ineptū quiddam, atque eneruatum uidetur. APVD *suos* } quod ei iudices fauerent: opinor, quia non optime in Pompeium essent animati. sequitur enim: Pompeij offensio nobis obstitit. VIDENT *damnatum* } futurum credunt, ut damnetur. VRNA } tres erant urnae, cum tres ordines, senatores, equites, tribuni aerarij ex ea lege, quam tulerat in praetura L. Aurelius Cotta, iudicarent. in eas separatim cuiusque ordinis tabellae conijciebantur. TRIBVNI *aerarij* } genus hominum fuisse constat dignitate inferius ordine equestri: de quibus Varro: Quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent, tribuni aerarij dicti, hos ego existimo. perfunctos eo munere, nomen postea retinuisse. quo modo enim tot uno tempore tot in iudicijs tribuni aerarij? quid, si bellum esset nullum; nulli ne ideo tribuni aerarij? qui ergo tres ordines iudicarent? nomen igitur non a praesente magis, quam absoluto iam munere ceperunt. SERVIVS } antiquus Bessarionis liber, Seuius: alter, quo Magnulus usus est, Seius. quod potest esse uerum. Seius enim Romanum nomen. ALLISVS *est* } adductus quidem in aliquod condemnationis, ut naufragii, periculum, sed ex quo tamen emersit, me non inuito, qui non eo illum, quo ceteros Clodianos, odio persequor. CONCIDVNTVR } iudicio perduntur, damnantur. eadem narratione usus est supra: Vatinium arbitratu nostro concidimus. NON *siturum* } nec siuit, tribunicio intercedendi iure. nulla enim hoc anno habita comitia, ac ne duobus quidem proxime sequentibus, sed ex interregeno consules per triennium creatos, Cicero ipse aliquot locis, & Dio libro XXXIX. praeterea Plutarchus, Appianusque declarant. hoc autem anno, sublatis Comitijs a C. Catone tribuno plebis uestem senatus mutauit. epitome, Dio lib. XXXIX. EXEMPTI } eximebat Marcellinus consul, ut eius perniciosissimis legibus obsisteret. APPIVS } P. Clodij frater. A CAESARE } quo iuerat, forte ob eam caussam, ut ei suam consulatus petitionem commendaret. ualebat enim in comitiis Caesar uel plurimum, ut qui popularis semper in primis fuisset. & in Gallia togata, Caesaris prouincia, municipia erant multa, quae suffragium, in sua quodque tribu, aut centuria, Romae ferrent. itaque & M. Antonium ijs ad petitionem

 auguratus

auguratus Caesar commendauit. quod ab Hirtio scriptum legimus. aut igitur ob eam caussam Appius ad Caesarem iuerat: aut, ut ab eo tribunatũ mil aliquem auferret. quod ei a Domitio collega obiectum, infra scriptum est his uerbis: Etiam in senatu lusit, Appium collegam propterea isse ad Caesarem, ut aliquem tribunatum auferret. REDIERANT } Romam. Falsus igitur Plutarchus; qui, Appium Marcellino & Philippo cos. quo anno scripta est haec epistola, Sardiniam praetoris officio administrasse, in Caesaris uita significat. nam, si pro praetore Sardiniae Appius est; qui uagatur, ab urbe in Galliam, ex Gallia ad urbem? uerum, ut Sardiniani sortitus esset, fecit tamen, aliqua caussa retardatus, ut non ineunte anno, hoc est cum primum praetura in urbe perfunctus est, sed aliquot post menses in prouinciam proficisceretur. hoc ego ita suspicor: quia etsi Plutarchus in rerum Romanarum notitia saepe labitur, non errasse tamen, cum de Appii prouinciali huius anni praetura tradidit, eo mihi similius ueri fit, quod annus, quo Marcellinus & Philippus consulatum gesserunt, proximus eum annum sequitur, quo praeturam in urbe Appius administrauit: ut necesse sit, aut non iuisse Appium in prouinciam ex praetura, aut hoc anno iuisse. nam anno post Marcellinum & Philippum cos. certe ab urbe non discessisset, cum is ei ad petendum consulatum legitimus annus esset. distat enim biennio consulatus a praetura: & biennio Appius ipse post praeturam consul fuit. CLAVSVM } ob hiemem, quod eo uti per anni tempus non liceret. ita ueteres loquebantur. atque hac de re Vegetius de re militari lib. IV. cap. XXXIX. Ex die, inquit, III. iduum Nou. usque in diem VI. iduum Martij maria clauduntur. nam lux minima, noxq. prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas, uentorum, imbrium, uel niuium geminata saeuitia non solũ classes a pelago, sed etiam commeantes a terrestri itinere deturbat. OLBIA } Sardiniae urbe, de qua supra bis. IN *prouincia* } fecit aliquando haec uox, ut Quinctum existimarem in Sardinia fuisse pro praetore, extra ordinem, dum aliquis annuo legitimo imperio succederet: quia non ultra mensem Maium in Sardinia Quinctum fuisse constat. nunc, illum a Cicerone omnibus litteris Romam uocari cum uideam; opinionem muto. qui enim accerseret eum Cicero, quem sciret non ante successoris aduentũ posse decedere? fuit igitur potius in Sardinia Quinctus alia de caussa. quod illa indicant uerba 507: Tu, si ita expedit, uelim quamprimum bona & certa tempestate conscendas, ad meq. uenias. Certe enim, si Quinctus pro praetore Sardiniam regeret, non hoc Cicero diceret; Si ita expedit, statim conscendas. nec redijt Quinctus Romam, nisi quattuor fere post menses, mense Maio. quod si haec uerba, In prouincia plurimi fieri, uix in priuatum uidentur posse conuenire: credamus, iuisse quidem in Sardiniam eo nomine, ut suam rem ageret, cum libera tamen legatione, ut esset honoratior; aut potius, quod iam diximus, rei frumentariae caussa, Pompeii legatum. certe hoc anno, ut proxime ostendimus, pro praetore Sardiniam rexit Appius.

Marcus S. D. Quincto fratri. 6.

AD III id. Apr. ante lucem hanc epistolam dictaueram, scripseramq. in itinere, ut eo die apud T. Titium in Anagnino manerem. postridie autem in Laterio cogitabam; inde, cum in Arpinati quinque dies fuissem, ire in Pompeianum. rediens aspicere Cumanum; ut, quoniam in nonas Mai. Miloni dies prodita est, prid. non. Romae essem, teq. mi carissime, & suauissime frater ad eam diem, ut sperabam, uiderem. Aedificationem Arcani ad tuum aduentum sustentari placebat. Fac mi frater ut ualeas, quamprimumq. uenias. Vale.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

LATERIO } fundo Quincti, in Arpinati. ep. 1. lib. 3. & ad Atticum ep. 7. l. 4. & 1. lib. 10. POMPEIANUM, *Cumanum* } non Quincti, sed ipsius Marci fundos. DIES } iudicii. supra. PRODITA } sic Bessarionis, & Tertij liber, recte. quod enim usitatius uidebatur, Producta, quam prodita; forte minus notum uerbum in familiare conuertit aliquis, latinae linguae non omnino peritus. Prodita uero idem ualet, quod producta. sic Terentius: Saltem aliquot nuptiis prodat dies. AD *eam diem uiderem.* } non uidit, nisi post idus: ut in epistola, quae sequitur proxima. ARCANI } uilla Quincti fuit. SVSTENTARI } differri. pudet in iis uerbis immorari, quorum usum congesta in libros exempla declarant. tametsi in his ipsis, qui omnes diuitias nomine pollicentur, est sane cur aliquid, atque adeo multa, nec ea leuia, desiderentur.

Marcus S. D. Quincto fratri. 7.

O LITTERAS mihi tuas iucundissimas, exspectatas, ac primo quidem cum desiderio, nunc uero etiam cum timore. atque has scito litteras me solas accepisse post illas, quas tuus nauta attulit, Olbia datas. sed cetera, ut scribis, praesenti sermoni reseruãtur. hoc tamen non queo differre. Idibus Mai. senatus frequens

diuinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. adiurat Porcilius hoc nemini accidisse. foris ualde plauditur. mihi cum sua sponte iucundum, tum iucundius, quod me absente, (est enim εἰλικρινὲς iudicium) sine oppugnatione, sine gratia nostra. eram Antij. Quod, idibus, & postridie, fuerat dictum, de agro Campano actum iri, non est actum. in hac caussa mihi aqua haeret. sed plura, quom constitueram. coram enim. Vale mi optime, ac optatissime frater, aduola. idem te nostri rogant pueri. illud scilicet: cenabis, cum ueneris. Vale.

EXPLANATIO

Ijsdem consulibus.

CVM *desiderio* } antea, cum tuas litteras exspectabam, tui absentis desiderio tenebar; quia, non ita propinquum esse tuum reditum, intelligerem: postea uero quam, te esse iam iamq. ad nos nauigaturum, significasti; ita exspecto tuas litteras, ut interea me timor solicitet, eorum periculorum caussa, quae nauigantibus impendent. ita primo quidem erat, cur te absentem desiderarem: cur timerem, nō erat: nunc reditum maturum cum sperem, sublato desiderio timor est exortus. IDIBVS *Mai.* } hoc anno consules erant Marcellinus & Philippus. proximo superiore, Lentulo & Metello cos. Gabinius ineunte anno in prouinciam ierat. ergo ultra annum prouinciam administrauit. annum dico? immo, ultra triennium. rediit enim L. Domitio Ahenobarbo Ap. Claudio Pulchro cos. quod infra patet, epistola 1. l. 3. & ad Atticum epistola 16. libro 4. GABINIO } qui tunc Syriam proconsul regebat. PORCILIVS } antiqui libri, Procilius. cuius gentem nominis non dum inueni. Porcilius, placet: ut a Porcio deductum sit, quemadmodum a Sextio Sextilius, Quinctio Quinctilius, Curtio Curtilius. NEMINI *accidisse* } ut imperatoris litteris, bene gestam remp. nuntiantibus, senatus non crederet. quod Gabinio contigit. diuinus igitur senatus, quod postulanti supplicationem Gabinio frequens denegauit. hac de re his uerbis in oratione de prouincijs consularibus: Quae, inquit, homini, in quo aliquis si non famae pudor, at supplicii timor est, grauior poena accidere potuit, quam non credi litteris iis, quae rem bene gestam in bello nuntiarent? hoc statuit senatus, cum frequens supplicationem Gabinio denegauit; primum, homini omnibus sceleribus, flagitiisq. contaminatissimo nihil esse credendum; deinde, a proditore, atque eo, quem praesentem hostem reipublicae cognosset, bene rem geri non potuisse; postremo, ne deos quidem immortales uelle aperiri sua templa, & sibi supplicari, hominis impurissimi & sceleratissimi nomine. & in ea in Pisonem: Ab altero allatae litterae, recitatae; relatum ad senatum. dij immortales, id ne ego optarem, ut inimicus meus ea, qua nemo umquam, ignominia notaretur? ut senatus is, qui in eam iam benignitatis consuetudinem uenit, ut eos, qui bene rempublicam gesserint, nouis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere uerborum; huius unius litteris nuntiantibus non crederet, postulantibus denegaret? Et Phil. XIV. FORIS *ualde plauditur* } Foris, est in uulgus, ut in epistola ad Lentulum: Cum ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset. Plauditur autem, senatui, quia fecerit, quod antea numquam, ut allatis e prouincia litteris non crederet, ijs, quibus rem a se feliciter gestam Gabinius significauerat. *εἰλικρινὲς iudicium* } sincerum illud est ac simplex iudicium senatus: nihil in eo gratiae meae tribuit. POSTRIDIE } non uideo, si uerus est Macrobius, qui potuerit postridie idus agi de agro Campano, in senatu, cum omnes dies postridie Kalendas, nonas, idus, decreto pontificum atri fuerint. DE *agro Campano actum iri* } ex eo senatusconsulto, quod non. Apr. ex Ciceronis sententia factum erat. de quo sunt haec in epistola ad Lentulum. Quin etiam, Marcellino & Philippo cos. non. Apr. mihi est senatus assensus, ut de agro Campano, frequenti senatu, idibus Maii referretur. AQVA *haeret.* } quam in partem me dem, quid sententiae dicam, incertus sum ductum a clepsydris; in quibus non semper fluebat aqua, sed interdum haerebat immobilis. sic haerebat Cicero, dubius animi, quid ageret, utrum agri Campani uenditionem probaret, quod uidebatur e rep.; an Pompeio, de se optime merito, gratificaretur, qui diuidi potius agrum illum suis ueteranis militibus uoluisset; qui etiam Vibullium ad Ciceronem miserit cum mandatis, ut integrum sibi de caussa Campana ad suum reditum reseruaret. quod ita a Cicerone esse factum, aperte constat: quia scribit ad fratrem, non esse actum idibus de agro Campano. ILLVD *scilicet* } expono, scilicet, scire licet: ut ab eo, Illud, regatur. Sic Terentius, Scilicet facturum, pro, scire licet. CENABIS } forte scripserat Quinctus, qui erat in locis urbi admodum propinquis, se esse post cenam Romam iturum. Cicero, qui prae fratris uidendi desiderio moram illam non ferret, Aduola, inquit: nimirum cenabis, cum ueneris.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 8.

PLACITVRVM *tibi esse librum meum suspicabar: tam ualde placuisse, quam scribis, ualde gaudeo. Quod me admones de non curantia; suadesque, ut meminerim Iouis orationem, quae est in extremo illo libro: ego uero memini, & illa omnia mihi magis scripsi, quam ceteris. sed tamen postridie, quam tu es profectus, multa nocte cum Vibullio ueni ad Pompeium: cumq. ego egissem de istis operibus, atque inscriptionibus; perbenigne mihi respondit; magnam spem attulit, cum Crasso se dixit loqui uelle; mihique, ut idem facerem, suasit. Crassum consulem ex senatu domum reduxi. suscepit rem; dixitq. esse, quod Clodius hoc*

tempore cuperet per se, & per Pompeium consequi: putare se, si ego eum non impedirem, posse me adipisci sine contentione, quod uellem. totum ei negotium permisi, meq. in eius potestate dixi fore. interfuit huic sermoni P. Crassus. adolescens nostri, ut scis, studiosissimus. illud autem, quod cupit Clodius, est legatio aliqua, si minus per senatum, per populum, libera, aut Byzantium, aut Brogitarum, aut utrumque. plena res nummorum. quod ego non nimium laboro, etiamsi minus assequor quod uolo. Pompeius tamen cum Crasso locutus est. uidentur negotium suscepisse. si perficiunt, optime: sin minus, ad nostrum Iouem reuertamur. Ad III. id. Mai. S. C. factum est de ambitu in Africanii sententiam; quam ego dixeram, cum tu adesses. sed, magno cum gemitu senatus, consules non sunt persecuti eorum sententias, qui Afranio cum essent assensi, addiderunt, ut praetores ita crearentur, ut dies LX. priuati essent. eo die Catonem plane repudiarunt. quid multa? tenent omnia, idq. ita omnes intelligere nolunt. Vale.

EXPLANATIO

Cn. Pompeio Magno,
M. Licinio Crasso, COS.

LIBRVM MEVM } hic liber, quo erat in extremo Iouis oratio, qui fuerit, ignoratur. de his certe, qui exstant, nullus est, in quo Iupiter loquatur. crediderim, fuisse poema. nam, inducere Iouem loquentem, poeticum quiddam est, non oratorium. ac forte intelligendum est de uersibus illis, quibus acta consulatus sui persecutus est. mihi enim uenit in mentem cogitanti, Iouis in personam optime conuenire tres illos uersus, qui sunt in ad Atticum epistola III. libri II.

,, Interea cursus, quos prima a parte iuuentae,
,, Quosq. adeo consul uirtute animoq. petisti,
,, Hos retine, atque auge famam, laudesq. bonorum.

idq. uidetur illa oratio confirmare, quae Sallustii nomine in Ciceronem inscribitur. Quid ego, inquit, plura de tua insolentia commemorem? quem Minerua omnes artes docuit, Iupiter optimus maximus in concilio deorum admisit. ut Ciceronem Iupiter, admissum in concilium deorum, illa fortasse oratione, qua de nunc ad fratrem scribit, sit allocutus. DE *non curantia* } rara uox, & fortasse singularis, Curantia. itaque uidetur mihi, ceteris, opinor, item, duriuscule posita: tametsi, quae pariter desinant, aliarum uocum exempla non desunt, ut uigilantia, iactantia, arrogantia, atque etiam negantia. sed si, quia similia in usu multa sint, eam tueri uolumus: cuius tamen teretes aures, rotundaeq. sint, is, non uideo, qui ferre possit negantem illam particulam, quae antecedit. dixit quidem alibi Cicero, non corpus, cum exprimere uellet *ἀσώματον*: ut eadem forte licentia non curantiam pro *ἀμελίᾳ* dixerit. MIHI *magis* } ut meae uitae rationem ad eius orationis, quam Iupiter habet, quasi normam instituerem. SED *tamen* } ita loquimur interdum, cum, omisso, qui erat institutus, sermone, nouam aggredimur narrationem. non enim est hic, Sed tamen, ea sententia usurpatum, ut indicet contrarium aliquid iis, quae iam dixit. POSTRIDIE *quam tu es profectus* } redierat Quinctus e Sardinia superiore anno paullo post idus Maias, ut est supra in epistola, O litteras: hoc est, anno iam peracto. nam haec epistola scripta est post III. id. Maias cum in extrema de senatusconsulto III. id. Mai. facto mentionem fieri uideamus. rursus igitur Quinctus Roma discesserat. VIBVLLIO } Rufo, Pompeii studiosissimo, eiusdemq. praefecto fabrum. epistola longa ad Lentulum, ad Atticum saepe, & Caesar libro I. de bello ciuili. OPERIBVS } uidetur eiusmodi res fuisse, quae fieri sine publica consensione non posset. itaque dabat operam Cicero, ne Clodius aduersaretur, & ut Pompeio, Crassoq. adiutoribus uteretur. opera uero ipsa, atque inscriptiones, de quibus laborabat Quinctus, crediderim significari in epistola I. libri III. ubi mentio de Telluris aede fit. nam ad eam aedem fieri quiddam, atque inscribi, suo uidelicet nomine, Quinctus uolebat. id curauit Cicero, ut scribit ipse in eo loco, diligenter: statuam etiam fratris locauit. PER *Pompeium* } cum quo in gratiam anno proximo redierat, concionemq. acerbissimam in Marcellinum consulem, Pompeii Crassiq. conatibus obsistentem, habuerat. Dio libro XXXIX. P. CRASSVS } Marci consulis filius, eloquentiae cumprimis deditus; qui, lege Clodia promulgata, cum Romanae iuuentutis uiginti fere millibus uestitum Ciceronis caussa mutauerat. Plutarchus. LEGATIO *libera* } hac utebantur, qui sui negotii caussa, ut exigendae pecuniae, uisitandi templa deorum, abesse diutius uolebant. alioqui senatoribus per leges non licebat. erat autem ex hoc genere uotiua legatio. nam ad Atticum epist. 18. l. 2. Libera, inquit, legatio uoti caussa datur. harum legationum definitum fuisse tempus, lege a C. Caesare lata, ostenditur his uerbis in epistola ad Atticum II. libro XV. Et habent, opinor, liberae legationes definitum tempus lege Iulia; nec facile addi potest. ante legem Iuliam annum fuisse tempus lege ea, quam hic noster tulit in consulatu, ipse declarat libro III. de legibus. Hoc, inquit, genus legationis ego consul, nisi mihi leuissimus tribunus pl. intercessisset, sustulissem: tamen minui tempus, &, quod erat infinitum, annuum feci. ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. quo in loco liberas legationes, quasi turpes, nec satis aut ordine senatorio, aut republica dignas, multis uerbis exagitat. Nomen autem liberae legationis inde ortum uidetur, quod, introire in urbem, & rursus exire, liberam

beram legatione habentibus liceret, quod in ea ipsa, quam proxime nominaui, ad Atticum epistola declaratur. ceteri porro honores, qui extra urbem gererentur, ingredientibus in urbem deponebantur. PER *populum*] dandarum legationum ius ad senatum pertinebat. Clodius, si per senatum non posset, confugere ad populum cogitabat. id homines populares facere solitos esse, ut Caesarem de prouincia, Vatinium de legatione, animaduerti. BYZANTIVM, *aut Brogitarum*] ut a Byzantijs, quod eos tribunus pl. ab exsulio sua lege restituerat; a Brogitaro autem, quod eum Matris Magnae templo praefecerat, promissam pecuniam exigeret. ideo subiungit Cicero, Plena res nummorum. hac utraque de re satis aperte in oratione pro Sextio. Lege, inquit, tribunicia Matris Magnae Pessinontius ille sacerdos expulsus, & spoliatus sacerdotio est; fanumq. sanctissimarum atque antiquissimarum religionum uenditum tum pecunia grandi Brogitaro, impuro homini, atque indigno illa religione, praesertim cum eam sibi ille non colendi, sed uiolandi caussa appetisset: reducti exsules Byzantium, condemnati tum, cum indemnati ciues e ciuitate eijciebantur. & pro domo sua: Idem tu una lege tulisti, ut Cyprius rex cum bonis omnibus sub praecone subijceretur, & exsules Byzantium reducerentur. in ea uero de aruspicum responsis, Quid ego, inquit, id admiror, qui, accepta pecunia, Pessinuntem ipsum, sedem domiciliumq. matris deorum, uastaris, & Brogitaro Gallograeco, impuro homini, ac nefario, totum illum locum, fanumq. uendideris? Et, quod ad Byzantios exsules attinet, negotium illud, tradit Plutarchus, M. Catoni a Clodio esse commissum, ut eo diutius, dum eos lege Clodia, hoc est iussu populi restitueret, ab urbe abesset: quo scilicet ipse magis ad libidinem suam, Cicerone expulso, Catone amandato, remp. uexare posset. exeundi igitur Clodio caussa erat, ut syngraphas persequeretur suas. unde in ea de aruspicum responsis, Deiotarus, inquit, est rex iudicio senatus, per nos: Brogitarum putabo regem, si habuerit, unde tibi soluat, quod ei per syngrapham credidisti. Quod autem legitur, Aut Brogitarum, uix puto Latine dictum, cum hominis nomen sit, non loci: ideoq. particula, ad, uidetur addenda. AVT *utrunque*] uel, Vtroque, ut ad legationem referatur, malim legere: uel, si, Vtrunque, retinemus, ad uerbum, cupit, accommodetur. QVOD *nolo*] de operibus, & inscriptionibus, AD *nostrum Iouem*] ut ea, quae Iupiter in extremo illo libro praecipit, obseruemus. AD III. *id. Maij*] quam multa peccauit incuria librariorum. hoc & quae usque ad extremam epistolam sequuntur, recte nunc atque ordine sunt impressa in nostris libris, ijs, quos proxime edidimus. ceteris in omnibus, quotquot ad eam diem exierant, cum aliae partes erant praepostere collocatae, tum haec ipsa, quae nunc tractamus, quae Pompeio & Crasso cos. scripta esse facile cognoscitur, coniuncta legebantur cum ea epistola, cuius initium est, Dederam ad te: quam eo scriptam anno, quo Marcellinus & Philippus consulatum gesserunt, satis iam, cum eam exponeremus, probauimus: ut una epistola duobus annis perscripta uideretur. hoc uitium cum hactenus nemo animaduertisset, deprehendi statim, nec ita magno negotio, cum ad huc locum interpretando, peruenissem. uetus enim hoc nostrum est in exponendo, ut, cum aliquid, quod ad historiam pertineat, occurrit, illico reuocemus id ad temporum rationem; ne quid de nostro tantum sensu litteris temere mandemus. temporum autem ratio certissima est, annorum per consules consideratio. quae mihi saepe res, incredibile est, quantas ad uidendam ueritatem fenestras aperuerit, quantosq. eadem patefecerit aliorum errores, qui, genus hoc diligentiae aut, tanquam nimis laboriosum, refugientes, aut, quasi leue, contemnentes, ea suos in libros retulerunt, quae satis magnam reprehendendi studiosis hominibus materiam praebeant. DE *ambitu*] eorum magistratuum caussa, quos proxime creari oportebat. ij praetores erant. nam consules ex interregno creati iam erant Pompeius, & Crassus. qui cum id spectarent, quod etiam consecuti sunt, ut, petentibus praeturam M. Catone, & P. Vatinio, Catoni Vatinius, integerrimo ciui omnium nequissimus, anteferretur; neque id se posse obtinere sine ambitu sperarent; cauere sibi a legibus uoluerunt, senatusconsulto facto, ne, qui praeturam per ambitum cepisset, ei propterea fraudi esset. nimis hoc improbum atque iniquum uidetur, sed patet ex Plutarcho in Catone Vticensi his uerbis: οἱ δὲ κατὰ τοῦτο δείσαντες, ὡς τῆς στρατηγίας ἀξιομάχου διὰ Κάτωνα πρὸς τὴν ὑπάτειαν γενησομένης, πρῶτον μὲν ἐξαίφνης, καὶ τῶν πολλῶν ἀγνοούντων, βουλὴν συναγαγόντες, ἐψηφίσαντο, τοὺς αἱρεθέντας στρατηγοὺς εὐθὺς ἄρχειν, καὶ μὴ διαλιπόντας τὸν νόμιμον χρόνον: ἔπειτα διὰ τοῦ ψηφίσματος τὸ διδόναι δίκας ἀνεπεύθυνον κατασκευάσαντες, ὑπηρέτας αὐτῶν, καὶ φίλους ἐπὶ τὴν στρατηγίαν προσῆγον, αὐτοὶ μὲν δόντες ἀργύριον, αὐτοὶ δὲ ταῖς ψήφοις φερομέναις ἐφεστῶτες. & in Pompeio: τὸν Κάτωνα τοῦ δήμου στρατηγὸν αἱρουμένου, καὶ τὴν ψῆφον ἐπιφέροντος, Πομπήιος ἔλυσε τὴν ἐκκλησίαν οἰωνοὺς αἰτιόμενος, ἀντίαν δε, καὶ Βατίνιον ἀνηγόρευσαν, ἀργυρίῳ τὰς φυλὰς διαφθείραντες. est igitur hoc senatusconsultum non, ut alia, contra ambitum, sed pro ambitu. quod etiam inde fit apertius, quia factum est in Afranij sententiam, is enim nihil ad uoluntatem Pompeij non administrabat, utpote qui consulatum & eius opera adeptus esset, & eiusdem arbitratu gessisset, ut est ad Atticum, l. 1. ep. 14. & 16. addo illud, quod cum epistolam ita Cicero concluserit, Quid multa? tenent omnia; indicat, nihil, contra quam uellent, esse factum. QVAM *ego dixeram*] non, quam ego dixeram in senatu. non enim eo turpitudinis Cicero uenisset, ut, cum antea consul legem contra ambitum tulisset, idem sententiam in senatu diceret de impunitate ijs danda, qui per ambitum reliquissent. expono igitur, Quam dixeram, de qua tecum locutus eram. CONSVLES] Pompeius, & Crassus. NON *sunt persecuti*] uoluerunt, inquit, discessionem fieri a senatu, quo posset intelligi, probarentur nec ne eorum sententiae, qui Afranio &c. id est enim, persequi sententias, non, singulas omnium sententias rogare. AFRANIO *cum essent assensi*] hos necesse est non optime animatos in remp. fuisse, qui Afranij sententiam pro ambitu dictam secuti sint. id tamen argumentū uidetur mentis non omnino pessimae, quod addiderunt, ut praetores ita crearētur, ut dies LX priuati essent; eo nimirū consilio, ut accusare uolentibus eos, qui per ambitum

tum

tum praetores creati essent, spatium daretur. nam, si praeturam protinus inijssent, accusandi locus non fuisset. non enim eos, qui essent in magistratu, licebat postulare. sed consules hoc non latuit: itaque persequi sententias eorum noluerunt. scriptumq. est illud in senatusconsulto, quod supra posuimus, τοὺς αἱρεθέντας στρατηγοὺς ἰδιώτας ἄρχειν. neque uero quisquam miretur, mense Febr. de creandis praetoribus, agi, qui mense Quinctili, post ue designari soliti essent. nam ita producta comitia erant, ut, anni parte iá exacta, quo anno geri praeturam oportuisset, praetores tamen creati non dum essent: itaque dicit, Crearentur; cum designandi tempus abijsset. DIES LX. § si recte atque ordine ageretur, non LX. tantum dies, sed menses quinque, eoq. amplius, priuatos esse oportebat. Quinctili enim fere mense designabátur magistratus. REPVDIARVNT § Consules Pompeius & Crassus. nullam enim eius uidentur habuisse rationem, cum senatusconsultum pro ambitu fecerunt, uel potius, quia nomen eius, praeturam petentis, recipere noluissent: primum, quod uir optimus Cato, hoc est Pompeij Crassiq. improbis conatibus aduersarius: deinde, quod L. Domitio Aenobarbo affinitate arctissime coniunctus. eius enim sororem, quod ex Plutarcho liquet, Domitius habebat in matrimonio. Domitium porro consulatu deiecerant, cum legitimus eius esset annus, Pompeius & Crassus.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 9.

TV metuis, ne me interpelles? primum, si in isto essem, tu scis quid sit interpellare. ante Ateius? mehercule mihi docere uideberis istius generis humanitatem: qua quidem nihil utor abs te. tu uero ut me & appelles, & interpelles, & obloquare, & colloquare, uelim: quid enim mihi suauius? non mehercule quisquã μουσοπάτακτος libentius sua recentia poemata legit, quam ego te audio quacumque de re, publica, priuata, rustica, urbana. sed mea factum est inuisa uerecundia, ut te proficiscens non tollerem, opposuisti semel ἀντίσχετον caussam, Ciceronis nostri ualetudinem. conticui. iterum Cicerones: quieui. nunc mihi iucunditatis plena epistola hoc aspersit molestiae, quod uideris, ne mihi molestus esses, ueritus esse, atque etiam nunc uereri. litigarem tecum, si fas esset. sed mehercule istuc si umquam suspicatus ero, nihil dicam aliud, nisi uerebor, ne quando ego tibi, cum sum una, molestus sim. uideo te ingemuisse. sic fit. εἰ δ' ἄν, αἱ α ἴζησας: numquam enim dicam, ἴα πάσας. Marium autem nostrum in lecticam mehercule coniecissem, non illam regis Ptolemaei Anicianam. memini enim, cum hominem portarem ad Baias Neapoli octophoro Aniciano, machaerophoris centum sequentibus, miros risus non edere, cum ille, ignarus sui comitatus repente aperuit lecticam, & paene ille timore, ego risu corrui. tunc, ut dico, certe sustulissem, ut aliquando subtilitatem ueteris urbanitatis, & humanissimi sermonis attingerem. sed hominem infirmum in uillam apertam, ac ne rudem quidem etiam nunc, inuitare nolui. hoc uero mihi peculiare fuerit, hic etiam isto frui. nam illorum praediorum scito mihi uicinum Marium lumen esse. Apud Anicium, uidebimus, ut paratum sit. nos enim ita philologi sumus, ut uel cum fabris habitare possimus. habemus hanc philosophiam, non ab Hymetto; sed ab area Syra. Marius, ualetudine est, & natura imbecillior. De interpellatione, tantum sumam a uobis temporis ad scribendum, quantum dabitis. utinam nihil detis; ut potius uestra iniuria, quam ignauia mea cessem. De rep. nimium te laborare doleo, & meliorem ciuem esse, quam Philocteten; qui, accepta iniuria, illa spectacula quaerebat, quae tibi acerba esse uideo. amabo te, aduola, consolabor te, & omnem abstergebo dolorem. & adhuc, si me amas, Marium; sed appropera te. hortus domi est. Vale.

EXPLANATIO

Ijsdem consulibus.

IN ISTO § scripserat Quinctus ad Marcum, ideo se non exisse cum ipso, ne quando eum interpellaret. Marcus ita: Si in isto essem, quod tu scribis, ut tu me posses interpellare, ut mihi occupato tuus interuentus ullo modo molestus esset: sane, ut hac afficerer molestia, numquam accideret. tu enim, qui, quid sit interpellare, optime nosti; nihil aliud, inquam esse, quam intempestiue aliorum occupationibus interuenire; numquam ad me, nisi tempestiuus, accederes: ne, quod esse uitium scis in hoc genere, in illud incurreres. deinde uolo tibi hoc licere apud me, ut nulla temporis, aut occupationis meae ratione habita, cum libet, & quoties libet, appelles me, interpelles, obloquare, colloquare. AN *te Ateius* § ita mihi numquam esse molestus potes, quemadmodum nec tibi Ateius. An te Ateius, inquit, interpellat? aut interpellare potest? minime. itidem nec tu me: quando quidem, ut ille, ita tu scis, quid sit interpellare; & importuni numquam estis. ISTIVS *generis* § genus enim quoddam est humanitatis, cum ad eos, quos amamus, arbitratu nostro, qua uolumus hora, libere accedimus. quod, inquit, tu cum faceres, humanitatem docere quodam modo uidebaris. nunc autem, quando tibi uenit in mentem timere, ne me interpelles, hac humanitate te magistro non utor, sed quod ea, mihi uel sine tuo exemplo, nota est, & placet ipsa per sese. TV *uero* § dixerat, primum: subiungendum erat, deinde. id, ut interdum solet, omittit; sed ijs uerbis ututur, quae, si sententiam spectes, idem praestant. Primum, inquit, si huius uerbi, interpellare,

pellare,uim attendimus,tu me numquam potes interpellare.quod enim uitium interpellatio significat, id tu,cui notum est,uitares,cum ad me nūquam ires,nisi oportune. deinde,etiam si tu,quid esset interpellare.non teneres,me tamen uellem,qui meus est in te amor,& appellares, & interpellares, magis,cū tua uoluntas ita ferret,quam cum mea postularet occupatio. Μουσοπάταχθε } subito musarum furore percitus:cuiusmodi homines fundunt illi quidem,pede in uno stantes multas uersuum cēturias, eas tamen,quas,animo se datiore qui sunt,ne semel quidem possint perlegere;ipsi tamē sua poemata, praesertim illico postquam ediderunt,immoderate ac stulte nimis amant. INVISA } quam ego nunc odi, cum eius caussa factum intelligam,ut te ab urbe discedens,nō asportauerim,eadem scilicet, qua uectus ego sum,lectica; tibiq.,qui antea huius generis humanitatem colebas,occasionem dederim de interpellatione metuendi.Mouet me,quod ueteres libri pro,inuisa,habent,infusa.qua ego in dictione ut me diu torserim,&,ut ille inquit,labrum saepe momorderim, assequi tamen ingenio nihil potui, quod probarem.non enim,quae huic uocabulo,infusa,subiecta res est, ea certe (aut ego prorsus fallor) in hac sententia locum habet.inuisa uero neque longe distat ab,infusa , & cum sententia uidetur optime congruere. ἀντίλεκτον } placet,quod uideo scriptum esse in Bessarionis libro, ἀντιτάκτον hoc est,adductā contra uoluntatem meam.ita,cum habemus ex antiquo libro,quod sententiam satis aptam continet,coniecturis meliora quaerere non debemus. CICERONIS *nostri* } filij tui. ITERVM *ceteri omnes* } Iterum cum excusares te,quia mecum non ires,hoc attulisti , quod domesticorum omnium caussa tibi manendum esset. SVSPICATVS *ero* } non modo si tu dixeris,te uereri,ne mihi molestus sis; sed etiam, si,hoc te animo esse,suspicione assequi potuero: nihil equidem propterea dicam;te tamen pari ulciscar uia.uerebor enim,&c. SIC *fit* } sic ulciscor eos,a quibus lacessor immerito. οὐδ' ἐν αὐτῷ ἴζησας } exemplo graecae sententiae cum utitur Cicero,fere aut prima tantum attingit uerba,reliqua, tāquam nota, praetermittit;aut ita totum recitat,ut aliqua tamē mutatione ad id, quod sibi propositum est, accommodet. utriusque generis plenae sunt epistola.hic singula uerba quid ualeant , nemo est , qui non uideat . quid omnia simul spectent, mihi quidem obscurum est . quod si , quonam ex poeta (certe enim haec a poeta aliquo uidetur Cicero mutuatus) sumpta essent,tenerem; facile,opinor,esset sibi quid uellent , assequi. nunc,quia locum ignoramus,uel quod non exstet,uel quod aliquando cognitus, memoriam nostrā effugerit;affirmare de sententia certe nihil licet. nec placet inani coniectura nubes & inauia captare. MARIVM *autem nostrum* } eum,ad quem scribit libro VII.epistolarum,ut uulgo appellant, familiarium, hominem incommoda ualetudine, litterarum studio deditum. Scripserat Quinctus , libenter Marium quoque fuisse exiturum cum Marco,si esset inuitatus. caussam,cur eum proficiscens non sustulerit,confert Cicero tum in ipsius infirmam ualetudinem , tum etiam in uillam apertam , ac ne rudem quidem . CONIECISSEM } uerbi tralatio quiddam habet ad suam fruendi Marij cupiditatem indicandam. REGIS *Ptolemaei* } quam Ptolemaeus, Aegypti rex, qui a suis ciuibus eiectus, Romae aliquamdiu fuit, Anicio dono dederat, uni fortasse de suis creditoribus. OCTOPHORO } quem octo serui gestarent. quod ipsum regiam potius , quam priuati hominis lecticam arguit fuisse. ANICIANO } de quo mihi Anicius commodauerat,& est is,de quo paullo post. MACHAEROPHORIS } machaera uidetur fuisse, quam nunc spatham appellant.certe uagina condi solitam.iocus apud Plautum paullo obscenior demōstrat. CENTVM } non puto,Ciceronem huiusmodi comitatu esse usum.uix hoc Milonis, aut Clodij insaniae tulissent.ac,si Ciceronem secuti essent,non extimuisset Marius,quasi ad aspectum nouae rei. crediderim igitur, casu contigisse, ut eadem uia post octophorum Anicianum sequerentur illi machaerophori,quibus uisis,Marium,qui non animo minus,quam ualetudine, esset infirmus , hominum & machaerarum subita specie perterritum,paene corruisse. TVNC } forte uerius,hunc:de quo scilicet locuti sumus. facit enim hoc Cicero,cum de aliquo aggressus dicere, de eodem aliquid a re tamen proposita seiunctum,interpnit:ut supra,cum de C. Catone tribuno pl. orsus esset dicere , deinde interposuisset quiddam de familia uendita , rursus ad id , quod coeperat, reuersus, hoc utitur loquendi modo: Hunc igitur Catonem Lentulus a legibus remouit. SVBTILITATEM } acumen . VETERIS *urbanitatis* } ueterum sales magna ex parte amissos esse,alibi quoque Cicero conqueritur. Hoc *uero mihi peculiare &c.* } Peculiaria nostra sunt,quae a nobis proprie possidentur , sic, ut ad neminem praeterea neque possessio , neque fructus pertineat. Hoc *uero* } quod si,inquit,Marius tecum uenturus est,ut significas; mea erit haec propria suauitas,mihi nullo cum homine communis,ut homine ingeniosissimo, atque humanissimo Mario ubi que fruar,non modo in illis praedijs,quorum ille,mihi uicinus , quasi lumen est , uerum etiam hic,ubi nunc aedifico . ISTO } qui tecum uenturus uidetur,Mario. ILLORVM } quae tibi nota sunt in agro Pompeiano:ubi uillam Marij fuisse, patet ex epistola 3.ad ipsum, fam.lib.7. LVMEN } luminis loco;aeque gratum,ac lumen ipsum.nam,quae lumine carent, loca,iocunditatis habent minus, quam quae Sol illustrat. PARATVM *fit* } Marij caussa ; ut sit, ubi homo infirmus commode excipiatur.nam ego ita sum philologus,hoc est, ita litterarum studiosus , ut mollis tamen minime sim : quales fere sunt,quos librorum consuetudo tenet. possum,inquit,uel cum fabris habitare.non enim mea philosophia luxum,& uoluptatem,& mollitiam sequitur.ea me,non oblectauit in Hymetto,monte Atticae amoenissimo,sed in area cum seruis Syris,qui aedificant,duriter exercuit. Iocatur,cum se philosophari in area , hoc est, suum studium in fabris exercendis ponere significat. AREA *Syra* } in qua serui Syri opus faciunt. DE *interpellatione* } ad epistolae partem respondet,in qua scripserat Quinctus,futurū, ut ipse & Marius eum,quam minime possent,interpellarent. DE *rep.* } hoc uidetur dicere. Philoctetes,ille Herculis comes,accepta a suis ciuibus,hoc est, a Graecis, iniuria, cū in Lemno insula destitutus

est,

est, execrabatur eos, a quibus eam iniuriam immerito tulisset. tu contra; cum eos ciues, qui nos indignissimis & iniquissimis modis uexarunt, doles tamen non optimo in statu esse, mutuis discordijs agitari. hoc animo te esse, mihi, inquit, molestum est. uellem, Philoctetem imitareris. De Philoctete, in Lemno a Graecis Troiam proficiscentibus derelicto, exstat Sophoclis tragoedia. ILLA *spectacula*] calamitates, & miserias suorum ciuium grauissimas. CONSOLABOR] quasi praesens remedium manu teneat, ita pollicetur: credo, quia significet, facile esse, rationibus Quincto ostendere, quam sine caussa doleat. HORTUS *domi est*] Ruri uicinitas horti requiritur maxime: ut sit, non modo quo opsonia condiamus ad suauitatem, uerum etiam quo languentem stomachum quarundam herbarum acrimonia excitemus. Hortensia, inquit, non longe petemus.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 10.

EPISTOLAM *hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui. nam res quidem ipsa, & is dies, quo tu es profectus, nihil mihi ad scribendum argumenti sane dabat. sed quemadmodum, coram cum sumus, sermo nobis deesse non solet: sic epistolae nostrae debent interdū alucinari. Tenediorum igitur libertas securi Tenedia praecisa est, cum eos, praeter me, & Bibulum, & Calidium, & Fauonium, nemo defenderet. De te magis ab Sipylo mentio est honorifica facta; cū te unum dicerent postulationi L. Sextij Pansae restitisse. reliquis diebus, si quid erit quod te scire opus sit, aut etiam si nihil erit, tamen scribam quotidie aliquid. Prid. id. neque tibi, neq. Pomponio deero. Lucretij poemata, ut scribis, ita sunt, multis luminibus ingenij, multae tamen artis. sed, cum ueneris, uirum te putabo: si Sallustij Empedoclea legeris, hominem non putabo. Vale.*

EXPLANATIO

NON puto hanc epistolam scriptam esse Appio & Ahenobarbo cos. quia, proxima quae sequitur, Ianuario mense scriptam esse constat. aut, suo loco minime collocata. quod si, Pompeio & Crasso, scripta est: ne sic quidem suum locum obtinebit. nam eam, quae ante proximam legitur, post IV. id. Mai. scriptam uidemus: haec porro ante pridie id. Apr. Quare siue Pompeio & Crasso, siue Appio & Ahenobarbo cos. est data; non est ad ordinis rationem constituta. crediderim tamen scriptam esse potius anno Pompeii & Crassi: quia, si anno Appij, & Ahenobarbi scripta esset, absque dubio de itione Quincti ad Caesarem mentionem aliquam fecisset; cum ad paucos dies ad eum Quinctus profecturus esset? nam Arimini Quinctum fuisse mense Maio, hoc est, in Caesaris prouincia, legimus infra. CONVICIO] acriter: quasi conuiciantum morem referrent, cum litterarum officium, diutius iam desideratum, Ciceroni exprobrarent. sic in epistola, quae sequitur proxima, cōuicio, dixit, pro querela satis libera, minime tamen pro conuicio. CODICILLI] scriptorum genus in ceratis tabulis, quo ueteres utebantur, ubi properanter aliquid, ac breuiter, quod instar epistolae non esset, exarare cogitarent: ut apud amicum in cena, foris, in itinere, uel naui, si charta praesto non esset. dabant deinde amanuensi, ut descriptae inde litterae mitterentur. interdum etiam ipsos mittebāt codicillos. quod haec ipsa ad Quinctum epistola perspicue probat. non missos uerba illa ad Papirium demonstrant: Accubueram hora nona, cum ad te harū exemplum in codicillis exaraui. NAM *res quidem ipsa*] ideo cōmisi, ut tu me de scribendo urgeres, quia neque res ipsa, de qua scire aliquid uelles, neque omnino ulla de re dies is, quo tu es profectus, argumēti quidquam dabat. DEESSE *non solet*] cum res tamen certa, de qua sermo fit, nobis deest. ALVCINAR:] certa re non proposita loqui, huc illuc errantium more ferri. est enim alucinari, aberrare, non consistere, ut ait Nonius: & ab ἀλύειν deductum, scripsit Cloatius Verres. propterea sine aspiratione, uno l, scribi debet: & in hoc antiquus item Bessarionis liber consentit. TENEDIORVM] petitum est a legatis ex insula Tenedo missis, ut Tenedij suis legibus uiuerēt. negatum. potius enim censuit senatus, ut eadem condicione, qua ceteri in prouincia populi Romani, tenerētur, hoc est, ut legibus a populo Romano aut a prouinciali magistratu datis uterentur. SECVRI *Tenedia*] ictu uehementi; cum uniuersus fere senatus contra Tenediorum libertatem consentiret. &, securi Tenedia, cum dixit, quasi quodam ioco allusit ad ueterem illam siue fabulam, siue historiam de Tenne rege, a quo insula nomen accepit; qui leges sanxit, si quis adulterum deprehendisset, ut eum securi interficeret: idq. seruauit ita diligenter, ut etiam de filio suo deprehenso interrogatus, quid fieri oporteret, respondisse dicatur; id fieret, quod lex iuberet. inde datus locus prouerbio de Tenedia securi, in ijs rebus, quae praeciduntur. Heraclides. ἐν τῷ περὶ πολιτειῶν. BIBVLVM] Marcum, C. Caesaris in consulatu collegam. CALIDIVM] Marcum, oratorem dulcem potius, quam uehementem; qui praetor in Cicerone restituendo diligenter operam nauauit. in Bruto, & oratione post reditum in senatu. FAVONIVM] Marcum, Catonis amicum, & aemulum in tuenda libertate, atque insectanda paucorum potentia. interfectum post obitum Caesaris triumuirorum iussu, Suetonius tradit. Et ordine Bibulus, Calidius, Fauonius, habita dignitatis gestorumq. magistratuum ratione, nominantur. nam Bibulus consularis, Calidius praetorius, Fauonius necdum aedilicius. quod in Catone scriptum est apud Plutarchum. DE *te*] quia Tenedum & Sipylum Quinctus, cū esset in Asia pro praetore, triennio ante rexerat. Sypili aūt legati potius, quam Tenedi, Quinctum in senatu

natu laudarant. VNVM } in eo consilio, ubi de Sextij postulatione deliberatum est. PANSAE } postulantis aliquid, opinor, pro publicanis contra Asiaticos, quod ei concedi, ius non esset. nam inter prouinciales & publicanos uectigalium caussa numquam defuit contentio. NEQVE *tibi, neque Pomponio decero* } forte, ut communem utriusque rem in aliqua caussa defenderet. POEMATA } si de ijs, qui nunc exstant, Lucretij uersibus intelligit; non uidetur, Poemata, satis proprie dixisse. poeticam enim, definit Aristoteles, imitationem esse. at in opere suo (de eo, quod in manibus est, loquor) non imitatur Lucretius, sed ipsam rem, ut est, ita docet. eadem oratione Empedoclem, qui uersibus de rerum natura scripsit, Aristoteles idem esse poetam negat. uerum alia praeterea, quae fortasse poemata recte possent appellari, scripsit Lucretius: quod ex Varrone, Carisio, alijs colligitur. aut puta Ciceronem, etiam si definitionẽ Aristotelis teneret, uoluisse tamen cum populo, quod e uersibus constaret, id poema nominare; item ut tribunatum pl. & ipse & Liuius magistratum appellant; quem tamen non esse magistratum, Plutarchus ἐν τῷ τῶν προβλημάτων multis probat argumentis. etiam in Oratore, non se rationem, sed consuetudinem in loquendo sequi, tradidit his uerbis: Vsum dicendi populo concessi, scientiam mihi reseruaui. VT *scribis, ita sunt,* } eiusmodi sunt, qualia tu scribis esse, multis illa quidem ingenij luminibus, multis tamen etiam artis. quibus uerbis plus in Lucretio declarat ingenij, quam artis, esse. quod sane hi quoque ipsi, qui ad nostram aetatem peruenerunt, sex illius libri satis indicant. HOMINEM *non putabo* } forte scripserat Quinctus, rediturum se esse in urbem, cum legisset ea, quae Sallustius Empedocleo more uersibus tractauerat. eam morandi caussam M. Cicero reprehendit. Virum, inquit, te putabo, cum ueneris: si Sallustij Empedoclea legeris, hominem non putabo. Laudis enim est, uirum uocari; hominem, non item. quia, etiam in quibus nihil laudes, homines tamen sunt; qui uero de hominibus ipsis excellunt, uiros cum laude nominamus. itaque in Bruto, Vidi, inquit, Mitylenis uirum, & uidi plane uirum. & ad Att. epist. 15. lib. 5. O uirum, o ciuem Memmium. & apud Terentium in Hecyra: Tu uirum me, aut hominem deputas adeo esse?

Marcus S. D. Quincto Fratri. 11.

GAVDEO tibi iucundas esse meas litteras. nec tamen habuissem scribendi nunc quidem ullum argumentum, nisi tuas accepissem. nam prid. id. cum Appius senatum infrequentem coegisset, tantum fuit frigus, ut populi cõuicio coactus sit nos dimittere. De Commageno rege, quod rem discusseram, mirifice mihi & per se, & per Pomponiũ blanditur Appius. uidet Appius. uidet enim, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum. eumq. lusi iocose satis: neque solum illud extorsi opidulum, quod erat positũ in Euphrate, & Zeugmate; sed praeterea togam sum eius praetextam, quam erat adeptus Caesare consule, magno hominum risu cauillatus. Quod nolit, inquam, renouare honores eosdem, quo minus togam praetextam quotannis interpollet. decernendum nihil censeo. uos autem homines nobiles, qui Busrenum praetextatum non ferebatis, Commagenum feretis? genus uides, & locum iocandi. multa dixi in ignobilem regem; quibus totus est explosus. quo genere commotus, ut dixi, Appius, totum me amplexatur. nihil est enim facilius, quam reliqua discutere. sed non faciam, ut illum offendam; ne imploret fidem Iouis hospitalis, Graios omnes conuocet, per quos mecum in gratiam redijt. Theopompo satisfaciemus. De Caesare, fugerat me ad te scribere. uideo enim, quas tu litteras exspectaris. sed ille scripsit ad Balbum, fasciculum illũ epistolarum, in quo fuerat & mea, & Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse; ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam. sed ex Balbi epistola pauca uerba intellexerat, ad quae rescripsit his uerbis: De Cicerone uideo te quiddam scripsisse, quod ego non intellexi: quantum autem coniectura cõsequebar, id erat huiusmodi, ut magis optandum, quam sperandum putarem. Itaque postea misi eodem illo exemplo litteras. Iocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus. ad quem ego rescripsi, nihil esse, quod posthac arcae nostrae fiducia conturbaret: lusiq. in eo genere & familiariter, & cum dignitate. amor autem eius erga nos perfertur omnium nuncijs singularis. Et litterae quidem ad id, quod exspectas, fere cum tuo reditu iungentur. reliqua singulorum dierum scribemus ad te, si modo tabellarios tu praebebis. quamquam eiusmodi frigus impendebat, ut summum periculum esset, ne Appio suae aedes urerentur. Vale.

EXPLANATIO

Ap. Claudio Pulchro,
L. Domitio Ahenobarbo, COS.

PRIDIE *idus* } Ianuarij, an Februarij? Februarij. nam pridie idus Ianuarij senatus haberi non poterat. erat. n. dies comitialis, ut uetus Romanum Kalendarium significat. pridie autẽ idus Ianuarij nefastus erat: quo dierum genere senatus habebatur. scripsit autem hanc epistolam idibus, mane, posteaq. quod idibus est actum, scripsit postridie idus: &, quod postridie idus, Lupercalibus. patet ex epistola sequenti. POPVLI } stantis ante fores curiae in Graecostasi, & gradibus. itaque in epistola 1. huius libri, Eius, inquit, operae repente a Graecostasi, & gradibus clamorem satis magnum sustulerunt.

Convicio } an Appio consuli populus conuicium diceret? nihil ne metueret illos fasces, quos in manibus lictorum, ante curiae fores consuli praestolantium, uideret? quid igitur est, Conuicio? clamore, & querela paullo liberiore. sic in proxima, quae antecedit, epistola: Epistolam hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui. Commageno } Antiocho, Commagenes rege: cuius regni caput Samosata fuit, in Asia, citra montem Taurum. de hoc rege meminit ep. 1. 3. & 4. lib. 15. fam. Rem } petierat, opinor, ut ei regni possessio senatusconsulto confirmaretur. idq. uidentur indicare quae proxime sequūtur uerba, de oppidulo extorto. Discvsseram } abieceram: ita contra eum locutus eram in senatu, ut tota res ad nihilū recideret. discusserat autem, non pridie idus, sed ante. nam pridie idus nihil actum in senatu uidetur. coactus enim consul populi conuicio senatum statim dimittere. Blanditvr } metuīne itidē exteris legatis, aut regibus, aliquid a senatu petentibus, obsistam. quod ideo Appius nolle uidebatur, quia, cum aliquid eorum caussa senatus decreuisset, munera mercedis loco, aut etiam pactam mercedem cōsuli, qui ad senatū retulisset, dare consueuissent. id significant illa uerba, quae sequuntur: Videt, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum. Hoc *genere dicendi* } quo facile cōsequi possum, ut ea, quae petuntur, senatus minime concedat. Febrvarivm } reliquos Februarij dies. nam epistola scripta est post idus Februarij. Et *Zeugmate* } affirmo, Et Zeugmate, Ciceronis non esse: &, ut olim in iure solebant, sic ego sponsionem facerem, ni glossema sit. oppidum. n. in Commagene, positum in Euphrate, nullū fuit, praeter Zeugma: de quo Plinius libro naturalis historiae v. sic: Latitudo a Seleucia Pieria, ad oppidū in Euphrate Zeugma, clxxv. m. p. & & ibidem infra: Oppida alluuntur Epiphania & Antiochia, quae ad Euphratem uocantur: item Zeugma, lxxii. m. p. a Samosatis, transitu Euphratis nobile in libro Bessarionis est, in Euphrate & Zeugmate. Caesare *consule.* } aut, quia consulatum Caesar solus gessit, Bibulo collega domi incluso: aut, quia Caesar ad senatum retulit de honore togae praetextae Commageno regi impertiendo. Qvod *uult* } hoc totum quid sibi uelit, non assequor: nec pudebit umquam fateri nescire, quod nesciam: etiā, si cuius me ex his tenebris eduxerit industria, aeque laetabor, ac si, quod nūc quaero, meo ipsius ingenio nactus essem. Decernendvm *nihil censeo* } ex sententia petentis Commageni. erat autem haec in sententijs senatorijs, ubi nihil nouari placeret, usitata conclusio: Decernendū nihil censeo. Sic & Liuius lib. xli. Ego, inquit, nihil noui censeo decernendum. Bvsrhenvm } regis barbari nomen; qui tamen paullo, quā Commagenus, erat nobilior. ei quoque permiserat senatus, ut praetexta, itidem ut magistratus Romani, posset uti; cum nobiles inique ferrent, eo barbaros honore impertiri, qui magistratuum Romanorum proprius esse deberet. Genvs, *& locum* } falsum genus, locum, materiam, eiusmodi, in qua dicta dicere facillimum sit. Reliqva *discutere* } ita contra reliquas legationes dicere, nihil ut omnino a senatu obtineant. quod si fiat, eripietur Appio pecunia, quam cupiditate iam ac spe deuorauit. Iovis *hospitalis* } cum, hospitibus meis, Graecis hominibus, intercedentibus, in gratiam cum eo redierim. Fvgerat } hactenus in mentem non uenerat, superiora scribenti. Optandvm, *quam spernādum* } uidetur Balbus ad Caesarē scripsisse, itemq., ut opinor, Caesar ipse; si uellet, Quinctum ad eum iturum, ut operam in bello nauaret. suam eius rei cupiditatem Caesar indicat, cum respondit, optandum magis, quam sperandum. Ne *sis aspernatus* } ita iocus est, ut serio tamen dictum uideri posset. Scripserat Caesar tale quid: argentum sibi non esse, unde Quinctum ditare posset: studium & beneuolentiam, quaeq. in sua potestate essent, ei non defutura. Arcae *nostrae* } iocus ioco relatus. si tu, inquit, eges; nos non abundamus. itaque arcae nostrae noli confidere. nam si decoxeris, ego te meis nūmis tuo aere alieno non expediam. Et est hic, conturbare, pro, decoquere. quo sensu dixit Martialis:

Conturbabit Atlas; & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse deum.

Singvlorvm *dierum* } ita uidetur fecisse. nam hanc epistolam scripsit, ut dixi, idibus, sequentem postridie idus, aliam, quae non exstat, Lupercalibus. alibi aliud significat, ut ostendimus in commentarijs ad Atticum. Vere autem iocus ille Caesaris fuit de sua egestate. uictis. n. saepe Gallis, ex eorum spolijs, & urbium direptione uim pecuniae maximam coegerat; ut qui, belli ciuilis initio, uni Paullo consuli talētorum m d dono dederit. Fere *cum tuo reditu iungentur* } id est, eo fere tempore proferentur ad te, quo tu reditum ad nos adornabis. Svae *aedes urerentur* } quod in domo consulis, quo salutandi ac deducendi caussa quam plurimi conuenirent, caminum esse oporteret, saeuiente frigore, luculentissimum.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 12.

Risi niuem atram: teq. hilari animo esse, & prompto ad iocandum, ualde me iuuat. De Pompeio, assentior tibi, uel tu potius mihi, nam, ut scis, iam pridem istum canto Caesarem. mihi crede, in sinu est; neque ego discingor. Cognosce nunc idus. Decimus erat Coelio dies. Domitius ad numerum iudices non habuit. uereor, ut, homo taeter, & ferus, Polla Seruius ad accusationem ueniat. nam noster Coelius ualde oppugnatur a gente Clodia. certi nihil est adhuc: sed ueremur. Eodem igitur die Tyrijs est senatus datus frequens. frequentes contra Syriaci publicani. uehementer uexatus Gabinius: exagitati tamen a Domitio publicani, quod eum essent cum equis prosecuti. noster Lamia paullo ferocius, cum Domitius dixisset, Vestra culpa haec acciderunt, equites Romani; dissolute enim iudicatis; Nos iudicamus, uos laudatis, inquit. actum est eo die nihil: nox diremit. Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum: &, quod Cabinia sanctum sit, etiam cogi, ex kal. Febru. usque

usque ad kal. Mart. legatis senatum quotidie dari. ita putantur detrudi comitia in mensem Martium. sed tamen his comitialibus tribuni pl. de Gabinio se acturos esse dicūt. Omnia colligo, ut noui scribam aliquid de te: sed, ut uides, res me ipsa deficit, itaque ad Callisthenem, & Philistum redeo: in quibus te uideo uolutatum. Callisthenis quidem uulgare, & notum negotium, quemadmodum Graeci aliquot locuti sunt. Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis, paene pusillus Thucydides. sed, utros eius habueris libros, (duo enim sunt corpora) an utrosque, nescio. me magis de Dionysio delectat. ipse est enim ueterator magnus, & perfamiliaris Philisto. Sed quod adscribis, aggrediaris ne ad historiam: me auctore potes. Et quoniam tabellarios suppeditas, hodierni diei res gestas Lupercalibus habebis, Oblecta te cum Cicerone nostro quambellissime.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

Risi *niuem atram* } de qua scripsisti. Anaxagorae fuit opinio, niuem atram esse, quod ex aqua fieret, quae nigra esset: inepto ac falso argumento. sed hoc nihil ad hunc locū. scripserat forte Quinctus iocose, niuem se atram inuenisse, illam inquam, Anaxagorae; quasi tristem minimeq. iocundā; quia scilicet ei per niues incommodissimo itinere eundum, ac forte etiam in ipsis niuibus cum hoste, nō sine summo uitae discrimine, pugnandum foret. De *Pompeio* } non debere nos unius Pompeij amicitia niti: Caesarem simul esse complectendum, ut amicum Pompeio firmiorem. Canto } in ore frequēter habeo, praedico. Terentius: - Qui harum mores cantabat mihi. In *sinu est, neque discingor* } faueo, neque fauere umquam desinam. ductum a rebus carissimis, quas in sinu gestamus; quae ne excidāt, non discingimur. Idus } Februarij. scripsit autem hanc epistolam postridie idus mane. quod extrema epistolae uerba declarant. Decimus *erat Coelio dies* } is dies, quo reus M. Coelius caussam de ui dicere praetoris edicto debebat. sic enim erat in consuetudine positum. nam & Pedianus in commentario Cornelianae, Reum, inquit, Cornelium duo fratres Cominij lege Cornelia de maiestate fecerunt. & cū L. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset; eoq. die ipse non affuisset: circumuenti sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus. Eos iurisconsulti iustos dies uocant. Coelio } M. Coelio Rufo, qui tribunatum pl. gessit, Cn. Pompeio Magno III. consule; aedilitatem curulem, L. Aemilio Paullo, C. Claudio Marcello; praeturam, C. Caesare, P. Seruilio cos. anno uno post aedilitatem, quod equidem miror: cum praetura biennio ab aedilitate distet. Domitius } Cn. Domitius praetor. Nolo quemquam in praenominibus errare. duo eodē tempore Cn. Domitij fuerunt: uterque praeturam gessit: ad utrumque Cicero dixit. horum alter est Cn. Domitius Caluinus, qui tribunus pl. fuerat Caesare & Bibulo cos. ut indicant oratio pro Sextio, interrogatio in Vatinium: & post biennium (aedilitatem enim omisit, ut multi) praeturam gessit, Marcellino & Philippo cos. ut eaedem duae oratio & interrogatio docent. in praetura de ambitu quaesiuit, & apud eum Cicero Bestiam defendit, ut in hoc ipso libro supra cognoscitur. anno, qui post annum, quo scripta est haec epistola, sequitur proximus, cōsulatum gessit cum M. Messalla. itaque satis patet, non esse hunc, qui de Coelio quaestionem exercuit: cum & inter praeturam consulatumq. biennium intercedat; &, praeturam ab illo, non hoc anno, hoc est Appio Ahenobarbo cos. gestam, sed Marcellino & Philippo cos. iam ostenderim. Alter est Cn. Domitius hic, qui de ui cognouit in caussa Coelij, quem in ipsa oratione Cicero appellat. consulatum numquam gessit. Ad *numerum iudices non habuit* } cum eo die, quo caussam dici ex edicto oporteret, iudices eo, quo opus erat, numero non affuissent; irrita fiebat accusatio; ut integrū tamen esset, si quis eam praeterea uellet instituere: quod in hac Coelij caussa timet Cicero, cum ait: Vereor, ne homo teter & ferus Pola Seruius ad accusationem ueniat. atque etiam renouatam esse accusationem M. Coelij, ipsa declarat Ciceronis oratio, initio mensis Aprilis habita, ludis festisq. publicis, satis longo post idus Februarias, qui decimus erat Coelio dies, interuallo. Posuimus caussam unā accusationis, quae instituta esset, omittendae. altera fuit, cum accusatores, quo die reus adesset, ad agendum non uenissent. hoc ex Pediani uerbis animaduerto. inquit enim sic, in eo, quo de proxime memini commentario. Postero die, cum P. Cassius praetor assedisset, & citati accusatores non adessent; exemptum est nomen de reis Cornelij. Ergo, cum in caussis quattuor interueniant, praetor, iudices, accusator, reus; ex numero iudicum, & ex accusatoris absentia fieri poterat, ut reus, quod quidem ad ceptam accusationem pertineret, dimitteretur. de reo autem dubium non est, quin, si ad diem dictam non adesset, condemnaretur. praetoris diuersa ratio fuit. nam etsi, quo die reum adesse iussisset, ipse non affuisset, deinde tamē peragere quaestionem poterat. idq. L. Cassij praetoris exemplo cognoscitur, de quo idem Pedianus in eodem loco. Quod ad iudicum numerum attinet, non eundem uideo fuisse in omnibus caussis. in caussa Milonis, quae & ipsa de ui fuit, unum & quinquaginta reperio. is fuerit ne legitimus & ordinarius numerus in omnibus caussis de ui, an tum primum noua Pompeij lege de ui institutus, satis est a nobis accurate consideratū in libro de iudicijs. Pola *Seruius* } nouum est, ut pronomen post cognomen ponatur. Liuius tamen semel, quod meminerim, ita locutus; cum Manlium Cnaeum appellat. Polam hunc aut de gente Clodia, plebeia tamen, aut certe gentis Clodiae studiosissimum opinor fuisse. nam in epistola M. Coelij ad Ciceronē, eius opera, uideo, Ap. Pulchrum, P. Clodij fratrem, iu accusando Coelio uti cogitasse. & puto Seruium istum

accusationes factitasse, primum, quia ferum hominem hic appellat Cicero; deinde, quod in ea Coelii epistola ita scriptum est: Non desistit accersere Polam Seruium accusatorem, inire cum Domitio consilia. VENIAT } non uenit tamen. nam accusauit Coelium Atratinus Sempronius adolescens, ut in oratione patet. NOSTER } primum, quia equitis R. filius, itidem ut Cicero: deinde, quia Ciceronis amantissimus: quod utriusque indicant epistolae: cui etiam curam collocandae filiae Cicero dedit, cum iret in prouinciam. AGENTE *Clodia* } quia Clodia, P. Clodii soror, quae Q. Metelli Celeris uxor fuerat, suas omnes ad oppugnandum Coelium opes contulerat; ut oratio pro ipso demonstrat. TYRIIS } legationibus Tyro missis, ut de publicanis quererentur. nam inter prouinciales & publicanos, ob nimis acerbam uectigalium exactione, aut nimis lentam solutionem, numquam fere negotium non fuit. SYRIACI } quia Tyrus in Phoenicia: quae Syriae pars fuit. VEXATVS } a publicanis, in quos iniquissimus fuerat: quod indicant illa uerba in oratione de prouinciis: Iam uero publicanos miseros tradidit in seruitutē. & quae sequuntur. & Dio libro XXXIX. & hic in ep. II. lib. III. GABINIVS } qui Syriae imperio proconsulari praefuerat, & hoc anno Romam decessit; ut infra, ep. 1. l. 3. DOMITIO } Aheno barbo, cos. PROSECVTI } cur enim ei nunc in senatu maledicerent, quem iam essent cum equis prosecuti? prosecuti autem quo? an, cum e prouincia decederet? non puto. nimium enim multo post Gabinius ad urbem peruenit: ut simile ueri uix esse uideatur, tot ab eo menses itinere esse consumptos. malo, cum iret in prouinciam. NOSTER *Lamia* } Veteres libri, C. noster Lamia. mallem, L. noster Lamia: ut intelligatur Lucius ille Aelius Lamia, princeps equestris ordinis, Ciceronis studiosissimus: de quo sic in epistola ad Brutum: Clodianis temporibus, cum equestris ordinis princeps esset, proq. mea salute accerrime propugnaret, a Gabinio consule relegatus est. & in oratione pro Sextio, & ubi non? Addo illud, Noster, dici, ob eandem, qua M. Coelius, caussam, quod, sicuti Cicero, equestri loco natus. EQVITES *Romani* } horum in numero Lamiam, qui respondit Domitio, fuisse constat. quod si eques Lamia; quo iure in senatum uenit? nam qui senatorium ordinem est adeptus; retinet ille quidem equestria ornamenta, annulum, equum publicum; eques tamen, & equestris ordinis neque est, neque dicitur, sed senator, & ordinis senatorij. itaque legitur apud ueteres, Pompeium, cum eques Romanus adhuc esset, triumphasse: quia scilicet non dum lectus esset in senatum. quo facto, desiit esse eques Romanus. ergo si eques Lamia; quod satis apparet; non ideo in senatu, quia senator esset; sed quia cum publicanis, qui erant omnes equites, quasi dux eorum ac princeps introierat. nam & in epistola, cuius proxime uerba recitaui, princeps equestris ordinis dicitur fuisse Pisone & Gabinio cos. hic postea gessit aedilitatem curulem, ut in eadem est epistola: deindeq. in senatum aditum habuit, non modo iure gesti magistratus, (hoc enim soli curules magistratus iuris habebant, ut in libro de senatu docuimus) uerum etiam quia proximis a censoribus, Appio & Pisone, lectum esse in senatu, uerisimile est. DISSOLVTE *enim iudicatis* } qui si uere iudicaretis, condemnarentur ij, quibus, improbe agendo, simillimum se Vatinius praebet. sperat enim, impune sibi fore, quia dissolute iudicatis. Diximus iam, hoc tempore lege Aurelia tres ordines iudicasse, senatores, equites, tribunos aerarios. LAVDATIS } reos: quos si absoluimus, quid reprehenditis, cum eosdem uos laudetis? Mos erat, ut auctoritate praediti uiri reos in iudicio, antequam sententiae ferrentur, laudarent. pleni exemplorum libri. NOX *diremit* } senatus haberi de nocte non poterat: ideoq. reprehendit Cicero in Philippicis quaedam senatusconsulta uespertina, quae fecerat Antonius. testatur idem & Gellius. COMITIALIBVS } qui nulli dum fuerant. nam toto mense Feb. comitiales qui fuerunt, omnes post Quirinalia, nec plures quam sex fuisse constat. comitiales autem erant de numero fastorum. sed eodem tempore & lege, & cum populo non agebatur: si lege, non cum populo: si cum populo, non lege. itaque licebat utrumque: sed eodem tempore utrumque nō fiebat. senatus autem per eos dies non habebatur. contraq. qui dies fasti non erant comitiales, iis & lege agi, & haberi senatum, idq. eo die, confectis iudiciis, licebat: factumq. animaduertimus. INTERPRETATVR } Hinc, opinor, suam Appius hauriebat interpretationem. Vetabat Pupia lex, haberi senatum a XIIX. Kal. Febr. usque ad Kal. Febr. tametsi dies essent duo, fastus unus, alter nefastus, ille IV, hic III. Kal. Febr. quibus, nisi Pupia lege contra sancitum esset, senatus haberi potuisset. Cautum erat praeterea eadem lege, ne, nisi perfectis, aut reiectis legationibus, alijs de rebus senatus haberetur. sic igitur suam opinionem, aut uoluntatem potius tueri Appius poterat. Quid uetat Pupia lex? id scilicet, haberi senatum mense Febr. nisi perfectis aut reiectis legationibus. ego legi pareo: senatum alia de re, praeterquā perficiendarum legationum caussa, non habeo. ea quidem me non impedit, quo minus audiendis legationibus senatum dem. nihil enim in ea tale scriptum est, sed hoc tantum, ne senatus habeatur, nisi perfectis aut reiectis legationibus. Cogi autem se Gabinia lege, contendebat Appius: quia, cum in lege scriptum esset, ut quotidie senatus legationibus daretur mense Februario; uerbum, quotidie, uolebat omnes Februarij dies comprehendere, siue comitiales, quibus haberi senatus non poterat, siue non comitiales. Gabinius autem, quotidie, dixerat; non de omnibus plane diebus, sed de omnibus ijs, qui quidem comitiales non essent; quia scilicet haberi senatum eo mense nulla omnino de re, nisi legationum caussa, uolebat. nec dubito, quin leges hae tribunitiae fuerint: siquidem senatum quibusdam quasi condicionibus coercent. de Pupiae sententia locus exstant in epistola ad P. Lentulum. ITA *putantur* } non dixit: detruduntur comitia; sed putantur detrudi: quia certum non erat, an Appius, id quod affirmabat, habiturus esset senatum per omnes reliquos Februarij dies, etiam comitiales. nam si, ut solebat, non habuisset senatum Appius comitialibus Febr. diebus; habere comitia potuisset. COMITIA } quid hoc? an comitiorum tempus adest ante Quinctilem mensem? numquam sane, si ordine res agatur: sed

extra ordinem interdum. nam, cum Appius ipse & Ahenobarbus consules essent creati ex interregno, creandorum praetorum cura ad eos pertinebat, qui proximo superiore anno designati non fuerant: eaq. comitia consules in hoc usque tempus duxerant: sicuti Pompeius & Crassus anno proximo, cùm ipsi creati essent consules ex interregno, comitia tamen rogandis praetoribus non ante mensem Maium habuerunt: quod supra ostendimus. his porro comitijs praetorem creatum M. Catonem, historiae, demonstrant; qui superiore anno iniquissimam, praelato homine improbo P. Vatinio, repulsam, tulerat. Plutarchus, & alij. HIS *comitialibus* } sex Februarij mensis diebus comitialibus, quibus habere senatum Appius constituerat. TRIBVNI *pl.* } maxime C. Memmius, qui eum de repetundis postulauit. ep. I. l. 3. DE *Gabinio* } ut ei, Syriam prouinciam contra leges & iura sociorum administranti, imperium abrogetur. ACTVROS } rogationem, ut puto, promulgaturos; sicuti biennio ante C. Cato tribunus pl. rogationem de abrogando Lentulo Spintheri imperio promulgauerat. epist. 3. CALLISTHENEM, *& Philistum* } quorum uterque scripserat historiam, Callisthenes Olinthius de rebus gestis Alexandri, Siculus Philistus cum alijs de rebus, tum de Dionysio Siciliae tyranno. REDEO } uidetur accipiendum, pro, uenio. nam neque in hac epistola, neque in superiore, pridie scripta, uerbum ullũ de Callisthene & Philisto. aut, Redeo, quia cum coepissem tuis litteris respondere; iamq. de niue atra, & de Põpeio scripsissem; interposui non nulla de rebus urbanis. redeo igitur ad tuas litteras, quibus coeperam respondere. VOLVTATVM } assidue uersatum. nota tralatio, sic, uersari in libris, uerbo idem significãte, paullo tamen, ut uidetur, leniore. VVLGARE *& notum negotium* } locutus est in historia sua Callisthenes, non exquisite, quod ad sententias attinet, sed quo modo homines uulgo loquuntur, itidem ut aliquot Graeci suis in libris. CAPITALIS } grauis, capita rerum attingens. DE *Dionysio* } ubi de seniore Dionysio scribit, a quo in exsulium missus est. nam de iuniore uix potuit, magnis districtus negotijs: de seniore spatium ei non defuit ad scribendum, cum circa Adriam otiosus exsularet. PVSILLVS *Thucydides* } est enim densus, & breuis, & semper instans sibi Dhucydides: quibus cum uerbis designauit Quinctilianus. pusillus autem, quia non ita multa scripserat, ut Thucydides. IPSE *etenim ueterator* } delectat me Philistus non tam, quia capitalis, creber, acutus, quam quod ipse Dionysius, de quo scribit, astutus in primis ac uafer est: quae tum, narrante Philisto, tum ipse per sese delectant. PERFAMILIARIS } loquitur enim Philistus de familiarissimo suo, & ea tractat, quae ipse nouit optime omnium. AD *historiam* } scribendam; cum ueteres iam legisset historicos. LVPERCALIBVS } cras. nam haec epistola scripta est postridie idus, mane. & Lupercalibus item mane scribere cogitabat ea, quae postridie idus essent acta. QVAM *bellissime* } quam potes iocundissime. bellum enim non ad pulchritudinem, sed ad iocunditatem & commoditatem quandã refertur: ut bella puella, non quae forma, sed quae elegantia, & quadam quasi gratia intuentium oculos tenet. sic epistolã bellam uocat ad Atticum l. IV. ep. 6. quã scripserat ad Lucceiũ; quod esset historiarũ pigmentis haud paullo, quã ceterae epistolae, nitidior, atque ornatior.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 13.

DVAS adhuc a te accepi epistolas, quarum alteram in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam. plures, quas scribis te dedisse, non acceperam. Ego me in Cumano, & Pompeiano, praeter quam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam; & aram in eisdem loci usque ad kal. Iun. futurus. scribebam illa quae dixeram, πολιτικὰ, spissum sane opus, & operosum: sed, si ex sententia successerit, bene erit opera posita; sin minus, in illud ipsum mare deijciemus, quod scribentes spectabamus: aggrediemur alia; quoniam quiescere non possumus. Tua mandata persequar diligenter, & adiungendis hominibus, & quibusdam non alienandis. maxime uero mihi curae erit, ut Ciceronem tuum, nostrumq. uideam scilicet quotidie, sed inspiciã, quid discat, quamsaepissime: &, nisi ille contemnat, etiam magistrum me ei profitebor. cuius rei non nullam consuetudinem nactus sum in hoc horum dierum otio, Cicerone nostro minore producendo. Tu, quemadmodum scribis, quod, etiam si non scriberes, facere te diligentissime tamen sciebam, facies scilicet, ut mea mandata digeras, persequare, conficias. Ego, cum Romanam uenero, nullum praetermittam Caesaris tabellarium, cui litteras ad te non dem. his diebus, (ignosces) cui darem, fuit nemo ante hunc M. Orfium, equitem Romanum, nostrum, & pernecessarium, & quod est ex municipio Atellano, quod scis esse in fide nostra. itaque eum tibi commendo in maiorem modum, hominem domi splendidum gratiosum etiam extra domum: quem, fac, ut tua liberalitate tibi obliges. est tribunus mil. in exercitu uestro. gratum hominem, obseruantemq. cognosces. Trebatium ut ualde ames, uehementer te rogo. Vale.

EXPLANATIO

Ijsdem consulibus.

DISCESSV *nostro* } statim postquam a te discessi. ARIMINO } primo prouinciae Caesaris oppido: cũ ad Caesarem Quinctus proficisceretur. CETERVM } alioqui, ceteroqui. DIXERAM } nõ quae dixerã me scribere, sed quae me esse scripturũ ostenderã. libros. n. de republica, quos intelligit, aggressus est scribere

bere in Cumano, ut ep. 5. l. 3. quos libros, magno litterarum detrimento, temporum extinxit iniuria, uno Scipionis excepto somnio; quod, quasi scalmum ex naufragio, fortuna seruauit. SPISSVM } difficile. nota significatio. ut fam. libr. 2. epist. x. ADIVNGENDIS } ad amicitiam: ut in posterum non modo reip. uerum etiam ipse mihi consulam, salutis pariter & dignitatis habita ratione. quod antea minus a me factum, nunc, meo malo doctus, te mandante corrigam. DISCAT } Tirannione docente. epist. 4. OTIO } quo in urbe egebat, iudicijs reiq. publicae procuratione districtus. MINORE } scio, recte dictum Minore; ut a maiore, Quincti filio, distinguatur; quo modo & Africanus maior, Africanus minor; Cato maior, Cato minor: moueor tamen suspicione non nulla, ne glossema fuerit, additum ad illud, Nostro. cur enim, cum ad fratrem scribat, adiungat, minore? non ne satis filium suum ab illius filio distinxit, cum de suo dixit, Nostro; de illo, Tuum? DIGERAS, *persequare, conficias,* } digerere, prudentiae est; persequi, diligentiae; conficere, constantiae: quibus tribus uirtutibus officium eius, cui aliquid mandatum est, omne continetur. SPLENDIDVM } refertur ad diuitias. nec desunt exempla. LIBERALITATE } officiis, humanitate. TRIBVNVS *mil.* } tribunorum mil. duo genera Pedianus facit, Rufulos, in exercitu creatos; & comitiatos, Romae.

Marcus S. D. Quincto fratri. 14.

AD IV. non. Iun. quo die Romam ueni, accepi tuas litteras, datas Placentiae, deinde alteras, postri die datas Blandenonae, cum Caesaris litteris, refertis omni officio, diligentia, suauitate. Sunt ista quidem magna, potius maxima: habent enim uim magnam ad gloriã, & ad summam dignitatem: sed mihi crede, quem nosti, quod in istis rebus ego plurimi aestimo, id iam habeo, te scilicet primum tam inseruientem communi dignitati, deinde Caesaris tantum in me amorem: quem omnibus ijs honoribus, quos me a se exspectare uult, antepono. litterae uero eius, una datae cum tuis, quarum initium est, quam suauis ei tuus aduentus fuerit, & recordatio ueteris amoris; deinde se effecturum, ut ego in medio dolore, ac desiderio tui, te, cum a me abesses, potissimum secum esse laetarer; incredibiliter delectarunt. quare facis tu quidem fraternae, quod me hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum unũ conferã. ego uero ardenti quidẽ studio, ac fortasse efficiam, quod saepe uiatoribus, cum properant, euenit, ut, si serius quam uoluerunt, forte surrexerint, properando etiam citius, quam si de multa nocte uigilassent, perueniant, quo uelint. sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormiui diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem, tum equis, tum uero, quoniam scribis poema ab eo nostrũ probari, quadrigis poeticis. modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. sed quid ago? quod mihi tempus, Romae praesertim, ut iste me rogat manenti, uacuum ostenditur? sed uidero: fortasse enim, ut fit, uincet tuus amor omnes difficultates. Trebatiũ quod ad se miserim, persalse, & humaniter etiam gratias mihi agit: negat enim, in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui uadimonium concipere posset. M. Curtio tribunatum ab eo petiui; (nam Domitius se derideri putasset, si esset a me rogatus. hoc enim est eius quotidianum, se ne tribunum mil. quidem facere. etiam in senatu lusit, Appium collegã propterea isse ad Caesarem, & aliquem tribunatum auferret) sed in alterum annum. id & Curtius ita uolebat. Tu, quẽadmodum me censes oportere esse in rep. & in nostris inimicitijs, ita et esse, & fore auricula infima scito mollior. Res Romana sic se habebant. erat nonnulla spes comitiorũ. sed incerta. erat aliqua suspicio dictaturae, ne ea quidem certa: summum otium forense, sed senescentis magis ciuitatis, quam acquiescentis: sententia autem nostra in senatu eiusmodi, magis ut alij nobis assentiantur, quam nosmetipsi.

Τοιαῦθ᾽ ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται.

Calamo & atramento temperato, charta etiam dentata res agetur. scribis enim, te meas litteras superiores vix legere potuisse. in quo nihil eorum, mi frater, fuit, quae putas. neque enim occupatus eram, neque perturbatus, neque iratus alicui. sed hoc facio semper, ut, quicũque calamus in manus meas uenerit, eo sic vtar, tamquã bono. Verum attende nunc, mi optime, & suauissime frater, ad ea dum rescribo, quae tu in hac eadem breui epistola πραγματικῶς *valde scripsisti: de quo petis, ut ad te nihil occultans, nihil dissimulans, nihil tibi indulgens, genuine, fraterneq. rescribam, idest utrum uolès, ut dixerimus, ad exspediẽdum te; si caussa sit, commorere. Si, mi Quincte, parua aliqua res esset, in qua sciscitarere, quid uellem: tamen, cum tibi permissurus essem, ut faceres, quod uelles, ego, ipse quid uellem, ostenderem. in hac uero re hoc profecto quaeris, cuiusmodi illum annum, qui sequitur, exspectem. plane aut tranquillum robis, aut certe munitissimum: quod quotidie domus, quod forum, quod theatri significationes declarant. neque laborant, quod mea conscientia copiarum nostrarum, quod Caesaris, quod Pomponij gratiam tenemus; haec me, ut confidam, faciunt. sin aliquis erumpet amentis hominis furor; omnia sunt ad eum frangendum expedita. haec ita sentio, iudico, ad te explorare scribo: dubitare te, non assentatorie, sed fraterne ueto. quare suauitatis equidem nostrae fruendae caussa cuperem te ad id tempus uenire, quod dixeras: sed illud malo tamen, quod putas, magis etiam illa, (etenim magni aestimo me)* ἀφιλαργυρίαν *illam tuam, & exspectationem debitorum tuorum. Illud quidem sic habeto, nihil nobis expeditis, si ualebimus, fore fortunatius. parua sunt, quae desunt, (quo, nostris quidem moribus) & ea sunt ad expiicandum exspeditissima. modo ualeamus. Ambitus redit immanis: numquã fuit par Idibus Quinct. fenus fuit ZZ ex Z, coitione Memmij est quo cum Domitio hanc Scaurus unũ uincere. Messala flaccet. nõ dico* ὑπερβολὰς *uel HS centies constituunt in praerogatiua pronunciare, res ardet inuidia. Tribunicij candidati compromiserunt, HS quingenis in singulos apud M. Catonem*

tonem depositis, petere eius arbitratu, ut, qui contra fecisset, ab eo condemnaretur, quae quidem comitia gratuita si fuerint, ut putatur; plus unus Cato fuerit, quam omnes leges, omnesq. iudices.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

BLANDENONAE } mendosum locum existimo, &, cur, existimem, caussas tres habeo, sententiam, geographiam, ueteres libros: sententiam, quia, cum dicat Cicero, Deinde alteras, dictio, Deinde, satis indicat non eum eodem die accepisse litteras & Placentiae datas & Blandenonae. itaque in, Blandenonae, dies, quo accepit eas litteras, uidetur inesse, sed mendo perturbata latet. geographia me monet, quia loci huius mentionem, ut geographos omnes euoluerim, nullam tamen inueni. suspicionem auget libri ueteres, quia dissentiunt ab impressis. nam in eo, qui Bessarionis fuit, uideo scriptum, Blãdenonae. quibus ijsdem adducor caussis, ut hominis egregie docti, &, quod hodie perquam rarum est, in iudicio litterarum elegantissimi, Caroli Sigonij coniecturam sequar, mirificeq. laudem: is, cum inter nos, ut fere pro nostra coniunctione & familiaritate quotidie solemus. hoc de loco satis multis uerbis collocuti essemus; rediit ad me postridie, quasi thesauro inuento, laetissimus, dixitq. se non magna mutatione excogitasse quiddam, quod a me probatum iri existimaret. quid, inquam? tum ille, hoc: pro, Blandenonae, reponendum puto, Laude, nonis. ut duas se dicat Cicero epistola accepisse, unã IV. non. Iun. Placentiae datam; alteram nonis, cum Caesaris litteris, Laude. quod oppidum adhuc esse, Placentiae proximum, qua transeundum erat Quincto in Galliam proficiscenti, nemo nescit. gratulatus homini amicissimo, properaui ad scribendum; cum eius sententiam, ut ceteri quoque iudicare possint, qui tamen haud sane dubito quin mecum sentientes eam probent, notam ac testatam esse uellem. ISTA } honores, quos, ut scribis, a me exspectare Caesar uult. VIM *magnam* } magnopere ualent ad gloriam: eiusmodi sunt, ut ornare me summa gloria, summaq. dignitate possint. QVEM *nosti* } quem scis mentiri non solere. VETERIS *amoris* } Clodianis temporibus interrupti: cum Caesar, nimia Ciceronis libertate commotus, quia in defensione C. Antonii quaedam aduersus potentes iniecerat, P. Clodium statim ad plebem traduxit. NOSTRVM *poema* } de quo infra ep. I. libri III. QVADRIGIS *poeticis* } dicturus uidebatur, tum equis, tum uelis: sed per iocum, pro uelis, intulit, quadrigis: quae & ipsae ad celeritatem faciunt. addidit autem, poeticis; ut cum alijs rebus, tum uero scriptis uersibus, gratiam se a Caesare initurum ostenderet. ita nec ab instituta tralatione discessit: nam tum equis, tũ quadrigis curritur: &, quid in Caesare colendo sui consilii esset, aperuit. ARDENTI *quidem studio* } faciam quod me mones: mea studia in Caesarem omnia conferam. sic ad Trebatium in Topicis: Verecunde tu quidem, sed ut te ardere studio cernerem. & in epistola ad Lucceium: Ardeo cupiditate. Voluntatis enim augetur significatio, cum &, studium, dicimus; & ad, studium, epithetum adiungimus; & epitheto ipso utimur tralato, & ab eiusmodi re tralato, quae maxime omnium rerum nota sit, maximamq. omnium uim habeat: cuiusmodi est ignis. BRITANNIAM } res, quas in Britannia geretis. iam enim, ut opinor, erant in itinere, Britãniam cogitantes. nam in epistola ad Atticum, mense Quinctili data, suspicari se dicit, Quinctum esse in Britannia. COLORIBVS *tuis* } ornamentis. ut Britannia sit poematis materia, ornamenta Quincti, ars Marci. satis enim bonus poeta Quinctus: aut, si minus, hoc tamen illi a fratre tribuitur. PENICILLO *meo* } ut, ornamentis, quibus quasi coloribus rem illustrare possem, a te sumptis, eum deinde ordinẽ, quem probauero, ipse adhibeam. ISTE } Caesar. ut eius absentis dignitatem, cum res postulet, Romae tuear, atque augeam. TVVS *amor* } tua caussa, qui legati locum apud Caesarem obtines, fortasse uel in summis occupationibus poema, de rebus a Caesare gestis in Britannia, conficiam. MISERIM } commendatum ijs litteris, quae ep. fam. lib. VII. leguntur. VADIMONIVM *concipere* } certa erat uerborum formula, qua sese inuicem uadarentur; quibus uerbis cum essent usi, cõceptum uadimonium dicebatur. Iocus Caesaris in eo fuit: Oportune Ciceronem fecisse, qui Trebatium iurisconsultum ad se misisset: nã antea in uniuersa praetoria cohorte, totoq. comitatu suo neminem fuisse, qui, cum litigare uellet, quibus uerbis uadaretur teneret: itaque esse, cur ea de re Ciceroni plurimum deberet. erat enim Caesaris prouincia, ut aliae quoque, non imperii solum, uerum etiam iurisdictionis. & quoniam in munere iurisconsulti hoc erat minimum, & leuissimum, docere quibus inter se litigantes uadari uerbis alter alterum, deberent, ne in concipiendo uadimonio peccatum irritam uadationem facerent: scripserat Caesar, se Ciceroni gratias agere: cum tamen, qua de re gratias agat, esse minimam significet. CVRTIO } quem rogatione ac testimonio Quincti diligebat. ep. I. lib. III. DOMITIVS } Ahenobarbus, cos. ROGATVS } ut ad Caesarem scriberet de tribunatu mil. Curtio mandando. quod si fecissem, derideri se putasset; qui peterem ab eo, ut inimicissimo suo Curtii honorem commendaret. Diffidebat autem capitali odio cum Caesare Domitius. nam & praetor in senatu retulerat, ut, quae Caesar anno proximo consul egisset, cognoscerentur; & biennio post, consulatus candidatus cum palam minaretur, consulem se effecturum, quod praetor nequisset, ademp turumq. ei exercitus, coitione Caesaris, Pompeii, & Crassi deiectus erat consulatu. NE *tribunum mil. quidem* } nedum legatos; qui tribunis mil. in castris honore praestabant. FACERE } non, Romae, comitiis; quibus, credibile non est, non potuisse studio consulis tribuna-

tribunatũ mil. fieri;sed in exercitu Caesaris,cõmẽdatione sua;quia.s. neminẽ oĩno ei,ullius honoris caussa, cõmendaret. Aut, FACERE} omnino non facere: cum tamen consul esset. consulum enim & dictatorum primis reip. temporibus haec fuerant beneficia, postea tribunatus mil. dari per populum coeptus est: postremo alios in exercitu imperator, alios Romae propulus creauit. Liuius, Pedianus. ISSE } non, in consulatu. nimis enim praeter dignitatem, atque omnino absurdum, consulem, maximarum rerum procuratione districtum, discedere paullo longius ab urbe, ut tribunatum mil. peteret a proconsule. intelligo igitur de itione illa, de qua epist. 6. Lentulo & Philippo cos. ante annum. AVRICVLA *infima*} neque acrem in tuenda rep. neque acerbum in persequendis inimicis, sed in utroque ita remissum, ac lenem, ut, quod dici solet, mollior auricula infima uideri possim. Monuerat Quinctus, ut ex illo doctus rationem haberet aliquando etiam salutis. hinc illud epistola 13. Tua mandata persequar &c. COMITIORVM} quae tamen hoc anno habita non sunt. nam Caluinus & Messalla, qui sequẽti anno consulatum gesserunt: ex interregno creati. SVSPICIO } postea non suspicio, uerum etiam sermo fuit multus, nam ad Atticum 65. Res, inquit, fluit ad interregnum; & est non nullus odor dictaturae, sermo quidem multus, qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuuit. Quibus uerbis, de Pompij dictatura hoc tempore homines loqui, significat. quod in commentario diximus. OTIVM *forense* } infrequens a iudicijs forum: iudicia frigent. SENESCENTIS} non quia desit, quod homines in foro agant: sed omniũ rerum taedio ciuitas languet. Videtur hoc dicere: Cum publicis in rebus male agatur, serpit idem morbus etiam ad priuata, & omnino nihil curatur. QVAM *nosmet ipsi* } quia, ne offendam eos, qui principes in republica sunt, quorum a uoluntate neque tu dissentire me uis, neque meorum temporum acerba recordatio patitur; cogor de recto illo meae mentis cursu paullulum deflectere. atque hoc ipsum tamen ita facio, ut me boni uiri, tamquam patriae parum amantem ciuem, reprehendere non possint. ijs igitur satisfacio: mihi non item: quia summum illud ius, simplex, inquam, illa, mihi antea proposita tuendae reip. ratio, temporis caussa non plane in meis sententijs defenditur.

„ Τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται}

„ Miseranda belli talia condicio efficit.

senarius Euripidis, in tragoedia, οἰκέτησιν. Haec, inquit, facimus aerumnarum metu. nimis enim magna mercede didicimus, quam, potentibus aduersari, non sit tutum. CALAMO} quattuor fit argumentis, ut hoc putem esse principium epistolae: primum, quod fortasse paullo infirmius uidebitur; ut homines diuersa sentiunt: quod haec uerba initium potius epistolae, quam epistolae partis, redolent: deinde quod apparet, respondisse iam Ciceronem duabus Quincti epistolis, Placentiae, & Blandenone datis: nunc autem uni respondet breui epistolae, quam post illas accepit. praeterea, si una esset epistola, bis ageret de rebus Romanis. nam & dixit iã: Res Romanae sic se habebant. Erat nonnulla spes comitiorũ, &c. infra uero rursus: Ambitus redit immanis, itaque, eadem esse repetita, credibile non est. postremo, quod hanc scriptam esse constat post idus Quinctiles; cum inferat: Idibus Quinctilibus fenus fuit ZZ ex Z. at superiora paullo post IV. nonas Iunias: ut ipse in prima epistolae parte significat. TEMPERATO } ita concinnato, ut ad pingendas litteras aptissimum sit. DENTATA } apri, aut etiam equi dente laeuata. quod item nunc, ubi quid scribimus accuratius, facere solemus, ad inaequalitatem chartae complanandam; quo calamus quasi currat expeditius. Nec uero mirari satis possum, quid Erasmo uenerit in mentem hoc in loco interpretari, charta dentata, pro acerba, & iracunde scripta: cum de litteris agi, quae bono calamo, temperato atramento, leui ac polita charta commodius formantur, illa uerba demõstrent: Scribis, te meas litteras superiores uix legere potuisse: & illas: Hoc facio semper, ut, quicumque calamus in manus uenerit, eo sic utar, tamquam bono. Verum hoc, itemq. alia, tum in adagiis, tum alibi non satis recte aut explanata, aut de Graecis conuersa, homini erudito, ac de litteris, quantum praestare potuit, bene merito largiamur. NIHIL *eorum* } non ob eas, quas tu suspicaris, caussas, parum perspicue scripsi. πραγματικῶς} more hominis in usu rerum uersati: qui te non segniter, sed sine ulla mora, si res exigat, ad me uolaturum confirmes. GENVINE} uere, sine arte, eo quo natura genuit modo. inde enim uidetur, Genuine, ductum. ID *est, utrum uoles*} mendi labes satis manifesta: nec eluere conabor: cum ab impressis libris minimum dissentiant scripti. tantum enim pro, commorrere, Bessarionis liber habet, commoneres. quod si pro, dixerimus, legeretur, dixerin, an: nihil, opinor, superesset uitij, hoc ordine: Id est, utrum uoles, (ut dixerim) an, ad expediendum te, si caussa sit, commorere. nec esset obscura sententia. nam, uoles, μεταφορικῶς usurpatum, pro, celeriter uenias, & commorere opponuntur. sed minus audeo, propter incertas maximeq. fallaces coniecturae uias. DOMVS } a multis celebrata. ep. 5. & ad Atticum epist. 22. lib. 2. FORVM} in quo, caussis agendis, amicitias, & clientelas mihi comparo. THEATRI } malis ciuibus, theatrum ingredientibus, plausum aut nullum, aut clamore, & sibilis dissonũ populus dabat bonis; & in republica praestantibus, magnũ, & aequabilem. ergo, quam quisque aut in uisus, aut carus esset populo, theatrum significabat. ad Atticum epist. 19. lib. 2. & 15. lib. 4. NEQVE *laborant* } hic alij fortasse uiderint acutius: ego plane τυφλόττω. obscuratur enim mendo sententia: neque est, ut aut ex antiquo libro, aut ex ingenio meo locum illustrare possim. tantum, pro, Neque, Nec habet liber Bessarionis. AMENTIS } P. Clodij. ILLVD *malo* } quod scribis: ut istic, si caussa sit, cõmorere. QVOD *putas* } putas enim e re tua esse, te istic commorari. MAGIS *etiam illa* } uolo equidem te istic manere tua caussa, sed mea etiam magis; qui, quod ad me pertinet, magni faciam. malo enim ἀμφιλαφίαν illam tuam, & expectationem debitorum tuorũ, quã aduentũ tuũ. Nec uero dubitandũ est, quin hae duae dictiones, ἀμφιλαφίαν, & exspectationem, Ciceronis rem utraque significet; cum dixerit proxime: Etenim magni aesti

mo

mo me. ἀμφιλαφίαν expono, cautionem utroque spectantem, ad dignitatem, & salutem: cuius magnam partem in eo positam intelligo, si diutius apud Caesarem sis, eumq. tibi tuis officijs ac studijs quammaxime deuincias. ILLAM *tuam*] quo tu uocabulo cautionem significare, duabus rebus utilem, consuesti. erat enim haec Quincto familiaris dictio. itaque supra, ep. 5. ἀμφιλαφίαν, inquit, illam tuam, quam tu soles dicere, bono modo desidero. EXSPECTATIONEM] exspectabo, ut, quae mihi debes, ea persoluas, ut, quae te facturum pollicitus es, re praestes. quae uero haec? ut Quinctus Caesarem ipsum, primū scilicet, deinde ut alios quoque & de cohorte, & de exercitu Caesaris, qui Romae aliquid possent, Marco fratri beneuolentia coniungeret: quo praesidiis firmioribus contra Clodij furorem in urbe muniretur. id autem Quinctus fratri mandanti ac roganti promiserat. huc enim spectare illud puto, quod supra dixit, 318. Mea mandata digeras, persequare, conficias. Nec, in castris quid aliud nauare Quinctus pro fratre posset, intelligo. EXPEDITIS] a molestia: nisi quid eueniat, quod impedimento sit: si per inimicos atque inuidos licebit. itaque, praesidij caussa, de retinenda, atque adeo augenda Caesaris gratia plurimum laborare debemus. quod cum ita sit; potius tibi de mansione, quam de discessu, uides esse cogitandum. QVO, *nostris quidem moribus*] & parua sunt, nec tamen nobis admodum curanda. quo enim? cum moribus nostris, temperatis scilicet, & ad frugalitatem compositis, satis ea sint, quae iam habemus. ualeamus modo, & liceat nobis esse expeditis. AMBITVS *redit*] redibat enim singulis annis ambitus comitiorum tempore, sed immanis, ut hoc anno, numquam. Ardet ambitus, hac de re dixit in ep. ad Att. ep. 15. l. 4. FOENVS *fuit ZZ ex Z*] duplicatum foenoris quaestum significat; idq. ipsum scribit ad Atticum ep. 15. l. 4. his uerbis, Foenus ex triente idibus Quinctilibus factum erat bessibus; hoc est, ut, centenis acceptis, octoni pro annuo foenore penderentur. atque his notis, ZZ, duos trientes, qui bes est, significari oportet: ut hic locus cum illo ad Atticum, iam recitato, congruat; & hoc dicatur, ex uno triente foenus esse factum duobus, hoc est, ex triente bessibus. quod idem est. nam bes duo trientes fuit. Bessarionis liber habet, Fuit & ex, pro, Fuit ZZ ex Z. utrumque suspicor esse mendosum. & forte sincerum hoc. Fuit -S-S- ex S. aut hoc: Fuit 33. ex 3. nam hac nota, 3, triens indicabatur, qui bessis dimidium est: item hac, S. ut, siue S-S reponas, quemuis notis bessem significari Demetrius tradit; siue 33, quas Demetrius idem uidetur probare; siquidem unam. 3. pro triente ponit; ab antiqua numerorum ratione nihil recedas. quia tamen in hac emendandi ratione eas maxime coniecturas approbo, quae quamminimum a deprauatis uerae scripturae uestigijs recedere uidentur; fit ut in hanc libentius inclinem, Fuit 3 ex 3, quam in illam, Fuit S ex -S-S-. quam enim facile ex 33 fieri potuerit ZZ, id est e duabus minusculis litteris eaedem maiusculae, omnes, ut opinor, intelligunt. COITIONE *Memmij*] hac, ut ipse & suus competitor Domitius Caluinus HS quadringena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, eum lex curiata ferretur, quae lata non esset; & duos consulares, qui se dicerent in ornandis prouinciis consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset. ad Att. ep. 18. l. 4. QVO *cum Domitio*] forte, cum Cn. Domitio. SCAVRVS] M. Aemilius, eius filius, qui princeps senatus fuit, Sullae dictatoris uitricus: pro quo exstat mutilata Ciceronis oratio. VNVM *uincere*] malim, Enuntiare; ut subaudiatur, coitionem: & sit, Enuntiare, pro enunciabat. MESSALLA] consularis candidatus. quattuor nominantur in epistola ad Atticum, Memmius, Domitius, Scaurus, Messalla. FLACCET] languet, ob consulum coitionem, & Pompeij studium in Scaurum. ad Att. ep. 15. l. 4. ὑπερβολάς] quae supra ueritatem sint. HS CENTIES] aureorum scutatorum nostratis pecuniae trecenta millia. IN *praerogatiua*] ea centuria, quae prima de consulatu mandando suffragium ferret; inde dicta, quod prima rogaretur, quos uellet consules fieri. eodemq. nomine prima quoque tribus appellabatur. ac possit hic, praerogatiua, non tam ad centuriam, quam ad tribum, referri: siquidem binis comitijs, cē turiatis, & tributis, consules creabantur. qua tota de re in libro de comitiis. PRONVNTIARE] polliceri se daturos, si eam tulerint, eiusq. suffragiis consules fuerint designati. uerbum in hoc genere proprium. itaque ad Att. ep. 14. l. 1. Qui nummos in tribu pronuntiauarit. quo loco, cum de comitiis consularibus agatur, tribu tamen dixit, non centuria. ut hic fortasse, praerogatiua, de tribu dictum sit, non de centuria. RES *ardet inuidia*] hac ipsa de re, Consules flagrant inuidia, dixit in epist. ad Atticum ep. 18. l. 4. HS QVINGENIS] quingenis millibus, quae efficiunt monetae nostratis aureorum scutatorum quindecim millia. CATONEM] qui praetor tunc erat. EIVS *arbitratu*] quo modo ille uoluisset, sine fuco uidelicet, ac fallaciis, more maiorum. fuit enim Cato, quod omnes historiae clamant, bonarum legum, omnisq. iuris acerrimus obseruator. CONTRA *fecisset*] tribunatum pl. contra praescriptum illius petiisset. CONDEMNARETVR] amitteret quod apud illum pecuniae deposuisset: idq. aliis, qui sine arte mala petiissent, tribueretur. & condemnatum ex iis nescio quem ab ipso Catone, legimus apud Plutarchum in eius uita. GRATVITA] non corrupta nummis, recte atque ordine habita. ad Atticum lib. IV. ep. 16. LEGES] quia Cato unus eos ad ueterem petendi consuetudinem, & tamquam intra girum rationis reuocauerit. quod neque legum, neque iudicum metus solet efficere.

Cicero S. D. Quincto Fratri. 15.

CVM a me litteras librarij manu acceperis, ne paullum otij me habuisse iudicato; cum autem mea, nullum. sic enim habeto, nūquam me a caussis, & iudicijs districtiorem fuisse, atque id mihi tempore grauissimo, & caloribus maximis. sed haec, quoniā ut ita praescribis, ferenda sunt: neque committendum, ut aut

ſpei, aut cogitationi ueſtrae ego uidear defuiſſe; praeſertim cum, tametſi id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiã, magnamq. dignitatem ſim collecturus. itaque, ut tibi placet, damus operam, ne cuius animum offendamus. atque ut etiam ab ijs ipſis, qui nos cũ Caeſare tam coniunctos dolent, diligamur, ab aequis uero, aut etiam a propenſis in hanc partem uehemẽter excolamur, & amemur. De ambitu cum atrociſſime ageretur in ſenatu multos dies, quod ita erant progreſſi candidati conſulares, ut non eſſet ferendum; in ſenatu non fui. ſtatui ad nullam medicinam reip. ſine magno praeſidio accedere. Quo die haec ſcripſi, Druſus erat de praeuaricatione a tribunis aerarijs abſolutus, in ſumma quattuor ſententijs, cum ſenatores, & equites damnaſſent. Ego eodem die poſt mortem Vatinium aderam defenſurus. ea res facilis eſt. comitia in menſem Septembrem reiecta ſunt. Scauri iudicium ſtatim exercebitur: cui nos non deerimus. σωδείπνους σοφοκλέους, quamquam a te actam fabellam uideo eſſe feſtiue, nullo modo probaui. Venio nunc ad id, quod neſcio an primum eſſe debuerit. O iucundas mihi tuas de Britannia litteras. timebam Oceanum: timebam litus inſulae. reliqua non equidem cõtemno, ſed plus habent tamẽ ſpei, quam timoris; magisq. ſum ſolicitus exſpectatione ea, quam metu. te uero ὑπόθεσιν ſcribendi egregiam habere uideo. quos tu ſitus, quas naturas rerum, & locorum, quos mores, quas gẽtes, quas pugnas, quem uero ipſum imperatorem habes? ego te libenter, ut rogas, quibus rebus uis, adiuuabo, & tibi uerſus, quos rogas, γλαῦκα εἰς Ἀθήνας mittam. Sed heus tu. celari uideor a te. quo modo nam, mi frater, de noſtris uerſibus Caeſar? primum librum legiſſe, ſcripſit ad me anteet, prima ſic, ut neget, ſe ne Graeca quidem meliora legiſſe: reliqua ad quendam locum ῥαθυμότερα: hoc enim utitur uerbo. dic mihi uerum. num aut res, aut χαρακτὴρ non delectat? nihil eſt, quod uereare: ego enim ne pilo quidem minus me amabo. hac de re φιλαλήθως, &, ut ſoles, ſcribe fraterne. Vale.

EXPLANATIO


Ijſdem conſulibus.

NE PAVLLVM *otij* } uidetur quibuſdam tamquam integumentis uelata ſententia; ſed oſtendetur hoc modo: Cum a me librarij manu litteras acceperis, ne quidquam otij me habuiſſe iudicato; cum autem mea, ne nullum. cum utor, inquit, librarij manu, prorſus otij nihil habeo; cum autem mea, non nihil hoc ſignificari, demonſtratur infra, initio II. epiſtolae libri III. ſic enim ibi eſt: Occupationum mearum ſignum tibi ſit librarij manus. cauſſamq. ſubſcribit occupationis hanc: Diem ſcito eſſe nullum, quo die non dicam pro reo. Hanc igitur epiſtolam librarii manu ſcripſit Cicero: nam infert hic quoque: Sic habeto, numquam me a cauſſis, & iudicijs diſtrictiorem fuiſſe. In epiſtola etiam ad Atticum 15. lib. 4. ſignum ait eſſe occupationum librarii manum. NVLLVM } ſubaudi, ne; quod proxime antecedit: ut ſit: Ne nullum otium. GRAVISSIMO } cum a morbis timendum eſt maxime. PRAESCRIBIS } ut amicorum, clientumq. copia muniamur. SPEI, *aut cogitationi* } putatis enim uos ea, quae ſpectatis, aut cogitatis, facilius poſſe conſequi, ſi ego in forenſi labore pergam. nihil enim ad comparandas amicitias, hominumq. ſtudia colligenda magis accommodatum. VESTRAE } tui, & Caeſaris, qui me hunc laborem etiam ſua cauſſa ſuſtinere uult. Supra dixit, ſe rogatum a Caeſare, ut Romae maneret. quod facit ad hanc ſententiam. ep. 14. PRAESERTIM } eo libentius operam dabo, ut aut ſpei, aut cogitationi ueſtrae defuiſſe ne uideat; quod ſimul ipſe mihi, hoc labore perferendo, optime conſulam. multum enim gratiae, multum inde colligam dignitatis. DIFFICILIVS } haec ferre. fuerit, inquit, id cum aliqua difficultate: praemii tamen hoc erit, magna gratia, magna dignitas. Videbitur, quod ſubiungam, fortaſſe humilius: ſed, haec humilia non contemnendo, ueteres illi Romani ſummam eloquentiae laudẽ ſunt adepti. Nomina quaedam ſunt, quae ſecundae comparationis appellant grammatici: quae cum ideo fuerint inuenta, ut augerent; minus tamen ſignificant, quam ea, quae iidem poſitiua dicunt. itaque illud Virgilianum,

„ Triſtior, & lacrymis oculos ſuffuſa rubentes,

exponit Seruius hoc modo: Triſtior, minus eſt, quam triſtis. exempla ſunt cum apud hunc noſtrum, tum apud alios eiuſdem ſcriptores aetatis innumerabilia. non igitur adductus feci nulla cauſſa, quod, Difficilius expoſui, cum aliqua difficultate. AB *ijs ipſis* } L. Domitio Ahenobarbo, huius anni conſule; M. Porcio Catone, praetore; M. Calpurnio Bibulo conſulari. hos enim maxime deſignat, acerrimos Caeſaris inimicos. AB *aequis* } quorum aequus in utramque partem animus eſt, neque ſtudio in Caeſarem affectus, neque odio. itaque nos cum Caeſare coniunctos neque dolent, neque laetantur. PROPENSIS *in hanc partem* } Caeſaris cauſa cupientibus. tria nominauit hominum genera; qui Caeſarem oderãt; qui nec oderant, nec amabant; qui amabant. EXCOLAMVR } nuſquam hac ſententia uſurpatum, quod meminerim, hoc uerbum inueni. uenit in mentem, cum ſequatur, ET, amemur, ſcriptum forte a Cicerone, ET colamur, & amemur. NON *fui* } cum quidem haec ſcripſit. poſtea uero fuit: quod ipſe ad Atticum ſcribit, li. 4. ep. 16. PRAESIDIO } niſi plures uideam eſſe, qui mecum ſentiant, quam qui contra: ut, ſi quẽ offenderit mea ſententia, ſocios, atque adiutores, ubi tempus ferat, multos habeam. DRVSVS } Liuiae gẽtis, plebeiae; accuſatus a Lucretio. ad Att. li. 4. ep. 15. pater fortaſſe Liuiae, quam Auguſtus a marito Ti. Claudio Nerone praegnãtẽ abduxit: quae alteri quoq; filiorũ Druſi cognomen impoſuit. PRAEVARICATIONE }

TIONE } praeuaricatur, qui susceptam caussam bona fide non agit. TRIBVNIS *aerarijs* } dixi iam, de tribus ordinibus iudicantibus unum fuisse tribunos aerarios. IN *summa* } ergo, quod ante posui, omnium ordinum sententiae numerabantur, & ex maiore parte uel absoluebatur, uel cõdemnabatur reus. ordinum ipsorum ratio non habebatur, poterat enim usu uenire, ut a duobus ordinibus condemnatus, ex uniuerso tamen sententiarum numero absolueretur. EGO *eodem die* } miram diligentiam, mirum amorem erga fratrem. absoluto Druso, quem ipse defenderat, reuersus domum haec scripsit, rediturus post meridiem in forum ad agendam Vatinii caussam. dictio tamen, Ego, non a Cicerone defensum Drusum, sed ab alio patrono, uidetur indicare, ac fieri potest, ut bis accusatus fuerit Drusus, & eum Cicero de uno crimine, de altero, de praeuaricatione scilicet, alter defenderit. locus certe ad Atticum ille, 63. Deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum; actas a Cicerone tum Drusi, tum Scauri caussas demonstrat. POST *meridiem* } bis igitur in die iudicia, ante meridiem, & post. de ijs, qui ante meridiem, non puto opus esse, ut probetur exemplis. patet ipsa per se res. post meridiem, uocari possit in dubium: sed illud in Verrem dubitandi caussam aufert. Nonae sunt hodie Sextiles: hora nona conuenire coepistis. & illud in ep. Coelii: Caussas agit, sed raro post meridiem. VATINIVM } defendit eum, cum accusasset antea, Cicero Caesaris caussa: cuius amicitiam quanti aestimet, hae ad fratrem epistolae declarant. nam Vatinius Caesare consule tribunatum pl. gesserat, legesq. pro Caesaris potentia multas, inuito senatu, collegis etiam suis de caelo seruantibus, pertulerat. itaque magnis sibi Caesarem beneficiis obstrinxerat. nec Caesar ei, nec Caesari Cicero, cuius in exercitu legatus erat Quinctus, poterat opem suam denegare. Est etiam illud in epistola ad Marium, ad hanc quasi leuitatem in hominibus iisdem & accusandis, & defendendis excusandam: Cogor non numquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt, defendere. Huius defensionis meminit Pedianus in commentarii prooemio pro Scauro, & ipse Vatinius in epistola. FACILIS } non deest, quod pro illo dicam. Fore significat, ut defensionem facile sequatur absolutio. REIECTA } non tamen futura. usque enim eo producta res est, ut consules, non habitis comitiis, magistratu abierint. SCAVRI } de repetundis accusati. Asconius. STATIM } falso putat. non enim statim, sed aliquot post diebus acta Scauri caussa est, IV. nonas Sept. ut Pedianus docet. hanc autem epistolam ante Septembrem esse datam, inde coniicio, quod proxime dixit: Comitia in mensem Septembrem reiecta sunt. EXERCEBITVR } apud M. Catonem praetorem. is enim de repetundis quaesiuit. Asconius, & hic ep. 8. l. 3. NON *deerimus* } ita non defuit, ut Scaurus, eo defendente, sit absolutus. σωνδείπνους σοφοκλέους } uidetur Quinctus in parte epistolae narrasse, quid sibi contigerit in quodam conuiuio, perquam simili cenae in Sophoclis fabula descriptae. nam si, conuersam in latinum a Quincto Sophoclis fabulam, quae σωύδειπνοι inscriberetur, significaret; numquam, opinor, fratris ingenium tam rustice notasset, ut diceret, quod subiungit, Nullo modo probaui. ACTVM } in eo conuiuio tu quidem egisti, quod eam fabellam repraesentaret: ego tamen nullo modo probaui. DE *Britannia* } de aduentu nostro in Britanniam. RELIQVA } de bello, quod in ea geretis. EXSPECTATIONE } de successu belli nihil timeo: futurum auguror, quod opto; eaq. me solicitat exspectatio. ADIVVABO } in Britannica historia componenda. QVOS *rogas*, } rogabat Quinctus fratrem, ut uersus, quibus ipse ad opus Britannicum pro suis uteretur, scriberet. id infra satis patet ep. 1. l. 3. ex illis uerbis: Tibi, quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiunt, si quid habebo spatii, scribam. & ep. 4. l. 3. ex illis: De uersibus, quos tibi a me scribi uis. γλαυκ' εἰς Ἀθήνας } cum ipse uersus optime facias. Infra dixit, eadem sententia: Quoniam ipsi fontes iam sitiunt. prouerbium iis de rebus usurpatum, quas ad eos, qui abundant, mittimus. noctua enim suos nummos Athenienses signabant. PRIMVM *librum* } forte intelligit tres libros; quos a se de suis temporibus conscriptos, in epistola memorat ad P. Lentulum: aut tres de consulatu, de quibus ad Atticum ep. 1. l. 2. aut poema illud, de quo ad eundem ep. 8. l. 4. ῥαθυμότερα } minus accurata, scripta indiligentius, uideri sibi aiebat. AVT *res, aut* χαρακτὴρ } aut argumentum, aut meum scribendi genus. quod uno uerbo se non posse satis exprimere significat, quia χαρακτὴρ, dicit. QVOD *uereare:* } si uerum dixerit. ego enim nihil me, quam antea, minoris aestimabo. φιλαλήθως } cum studio ueritatis, uere, & ex animo.



IN · EPISTOLARVM M · TVLLII · CICERONIS AD QVINCTVM · FRATREM LIBRVM . III.

PAVLLI . MANVTII COMMENTARIVS



Marcus S. D. Quincto Fratri. I.



Go ex magnis caloribus (non enim meminimus maiores) in Arpinati summa cũ amoenitate fluminis me refeci ludorum diebus, Philotimo tribulibus commendatis. In Arcano ad IV. id. Sept. fui. ibi Messidium cum Philoxeno, aquamq., quam ij ducebant non longe a uillá, belle sane fluentem uidi, praesertium maxima siccitate: uberioremq. aliquanto sese collecturos esse dicebant. Apud Herum recte erat. In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. sed tamen nihil ei restabat praeter balnearia, & ambulationem, & auiarium. uilla mihi ualde placuit: propterea quod summam dignitatem pauimentata porticus habebat: quod mihi denique apparuit, postea quam & ipsa tota patet, & columnae politae sunt. totum in eo est, quod mihi erit curae, tectoriũ ut continuum sit. pauimenta recte fieri uidebantur. cameras quasdam non probaui, mutariq. iussi. Quo loco in porticu, te scribere aiunt, ut atriolum fiat; mihi, ut est, magis placebat. neque enim satis loci esse uidebatur atriolo; neque fere solet, nisi in ijs aedificijs fieri, in quibus est atrium maius; nec habere poterat adiuncta cubicula, & eiusmodi membra. nunc hoc uel honestate * *testudinis, uel ualde boni aestiuum locum obtinebit. tu tamen, si aliter sentis, rescribe quamprimum. In balnearijs assa in alterum apodyterij angulum promoui: proptorea quod ita erant posita, ut eorum uaporarium, ex quo ignis erumpit, esset sub tectum cubiculi. subgrãde cubiculum autem, & hibernum altum ualde probaui; quod ampla erant, & loco posita, ambulationis uno latere, eo quod est proximum balnearijs. Columnas neque e regione Diphilus collocarat. eas scilicet demolietur; aliquando perpendiculo, & linea discet uti. omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore: curat enim diligentissime Caesius, qui tum mecum fuit. Ex eo loco recta; Vitularia uia, profecti sumus in Fusidianum fundum, quem tibi proximis nuncijs Arpini de Fusidio HS CCCIↃↃↃ ∞ emeramus. ego locum aestate umbrosiorem uidi numquam; permultis locis aquam profluentem, & eam uberem. quid quaeris? iugera L. preti Caesius irrigaturum facile te arbitratur. equidem hoc, quod melius intelligo, affirmo, mirifica suauitate te uillam habiturum, piscina, & salientibus additis, palaestra, & silua uiridicata. Fundum audio te hunc Bouillianum uelle retinere. de eo quid uideatur, ipse constitues. Caesius aiebat, aqua dempta, & eius aquae iure constituto, & seruitute fundo illi imposita, tamen nos pretium seruare posse, si uendere uellemus. scripsisse Messidium mecum habui. is se ternis nummis in pedem tecum transegisse dicebat: sese autẽ mensum pedibus aiebat passuũ CCCC. ∞ mihi plus uisum est. sed praestabo, sumpum nusquam melius posse poni. Chilonem arcesseram Venafro. sed eo ipso die quattuor eius conseruos, & discipulos Venafri cuniculus oppresserat. Idibus Sept. in Laterio fui: uiam perspexi: quae mihi ita placuit, ut opus publicum uideretur esse, praeter CL passus. sum enim ipse mensus ab eo põticulo, qui est ad Furinae Satricum uersus. eo loco puluis, nõ glarea iniecta est. & mutabitur: & ea uiae pars ualde accliuis est. sed intellexi aliter duci non potuisse,*


praeter-

praesertim cum tu neque per Locustae, neque Varronis uelles ducere. Velnus ante suum fundum prope * munierat: Locusta nõ attigerat: quem ego Romae aggrediar, & ut arbitror, commouebo: & simul M. Taurũ, quem tibi audio promisisse, qui nunc Romae erat; de aqua per fundum eius ducenda rogabo. Nicephorum uillicum tuum sane probaui: quaesiuiq. ex eo, ecquid ei de illa aedificatiuncula Laterij, de qua mecum locutus es, mandauißes. tum is mihi respõdit, se ipsum eius operi HS x ∞ conductorem fuisse; sed te postea multa addidiße ad opus, nihil ad pretium, itaque id se omisisse: mihi hercule ualde placet, te illa, ut constituebas, addere. quamquam ea uilla, quae nunc est, tamquam philosophia uidetur esse, quae obiurget ceterarum uillarum insaniam. uerumtamen illud additum delectabit. topiarium laudaui; ita omnia cõuestit hedera, qua basim uillae, qua intercolumnia ambulationis; ut denique illi palliati topiariam facere uideantur, & hederam uendere. iam ἀποδυτηρίῳ nihil alsius, nihil muscosius. Habes fere de rebus rusticis. Vrbanam expolititionem urget ille quidem & Philotimus, & Cincius, sed etiam ipse crebro interuiso; quod est facile factu. quamobrem ea te cura liberatum uolo. De Cicerone, quod me semper rogas, ignosco equidem tibi; sed tu quoque mihi uelim ignoscas. non enim concedo tibi, plus ut illum ames, quã ipse amo. atque utinam his diebus in Arpinati, quod & ipse cupierat, & ego non minus, mecũ fuißet. quod ad Pomponiam, si tibi uidetur, scribas uelim; cum aliquo exibimus, eat nobiscum, puerumq. ducat. clamores efficiam, si eum mecum habuero otiosum: nam Romae respirandi non est locus. id me scis antea gratis tibi esse pollicitum: quid nunc putas, tanta abs te mihi mercede proposita? Venio nunc ad tuas litteras: quas pluribus epistolis accepi, dum sum in Arpinati: nam mihi uno die tres sunt redditae, & quidem, ut uidebantur, eodem abs te datae tempore: una pluribus uerbis, in qua primum erat, quod antiquior dies in tuis fuisset ad scripta litteris, quam in Caesaris. id facit Oppius non numquam necessario, ut, cum tabellarios constituerit mittere, litterasq. a nobis acceperit, aliqua re noua impediatur, & necessario serius, quam constituerat, mittat, neque nos, datis iam epistolis, idem commutari curemus. Scribis de Caesaris summo in nos amore. hunc & tu fouebis, & nos, quibuscumque poterimus rebus, augebimus. De Pompeio, & facio diligenter, & faciã, quod mones. Quod tibi mea permißio mansionis tuae grata est; id ego, summo meo dolore, & desiderio, tamẽ ex parte gaudeo. In hippodamis, & non nullis alijs arcessendis quid cogites, non intelligo. nemo istorum est, quin abs te munus, fundi suburbani instar exspectet. Trebatium uero meum quod isto admisceas, nihil est. ego illum ad Caesarem misi; qui mihi iam satisfecit: si ipsi minus, praestare nihil debeo; teq. item ab eo uindico, & libero. Quod scribis te a Caesare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. Balbum uero, qui est istius rei, quemadmodum scribi, adiutor, in oculis fero. Trebonium meum a te amari, teq. ab illo, pergaudeo. De tribunatu quod scribis, ego uero nominatim petiui Curtio, & mihi ipse Caesar nominatim Curtio paratum esse rescripsit, meamq in rogando uerecundiam obiurgauit. si cui praeterea petiero, id quod etiam Oppio dixi, ut ad illum scriberet; facile patiar mihi negari: quoniã illi, qui molesti sunt, sibi negari a me non facile patiuntur. ego Curtium, id quod ipsi dixi, non modo rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo, quod litteris tuis studium illius in salutem nostram facile perspexi. De Britannicis rebus, cognoui ex tuis litteris nihil esse, nec quod metuamus, ne quod gaudeamus. De publicis negotijs, quae uis ad te Tironem scribere, negligentius ad te ante scribebam, quod omnia minima maxima ad Caesarem mitti sciebam. Rescripsi epistolae maximae: audi nunc de minuscula. in qua primum est de Clodij ad Caesarem litteris: in quo Caesaris consilium probo, quod tibi, amantissime petenti, ueniam non dedit, uti ullum ad illam furiam uerbum rescriberes. Alterum est de Caluenti Marij oratione, quod scribis, miror, tibi placere me ad eum rescribere, praesertim cum illum pueri omnes, tamquam dictata, perdiscãt. Libros meos, quos exspectas, inchoaui, sed conficere non possum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro, pro Plancio absolui. Poema ad Caesarem, quod composueram, incidi. Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiunt, si quid habebo spatij, scribam. Venio ad tertiam. Balbum quod ais mature Romam bene comitatum esse uenturum, mecumq. assidue usque ad id. Mai. futurum, id mihi pergratum, perq. iucundum erit. Quod me in eadem epistola, sicut saepe antea, cohortaris ad ambitionem, & ad laborem: faciam equidem. sed quando uiuemus? Quarta epistola mihi reddita est idib. Sept. quam ad IV. idus Sext. ex Britannia dederas. in ea nihil sane erat noui, praeter Erigonam: quam si ab Oppio accepero, scribam ad te quid sentiam: nec dubito, quin mihi placitura sit. Et, quod praeterij de eo, quẽ scripsisti de Milonis plausu scripsiße ad Caesarem existimare, illum quam maximum fuiße plausum. & prorsus ita fuit: & tamen ille plausus, qui illi datur, quodam modo nobis uidetur dari. Reddita est etiam mihi peruetus epistola, sed sero allata, in qua de aede Telluris, & de porticu Catuli me admones. fit utrumque diligenter. ad Telluris quidem etiam tuam statuam locaui. Item de hortis, quod me admones; nec fui umquam ualde cupidus, & nunc domus suppeditat mihi hortorum amoenitatem. Romam cum uenissem ad XIII. Kal. Oct. absolutum offendi in aedibus tuis tectum; quod super conclauia non placuerat tibi esse multorum fastigiorũ; id nunc honeste uergit in tectum inferioris porticus. Cicero noster, dum ego absum, non cessauit apud rhetorem. de eius eruditione quod labores, nihil est: quoniam ingenium eius nosti; studium ego uideo; cetera eius, suscipio, ut me putem praestare debere. Gabinium tres adhuc factiones postulant, L. Lentulus, flaminis filius, qui iam de maiestate postulauit; Ti. Nero, cum bonis subscriptoribus; C. Memmius trib. pl. cum L. Capitone. ad urbem accessit ad XII. Kal. Oct. nihil turpius, nec desertius. sed his iudicijs nihil audeo confidere. quod Cato non uolebat, adhuc de principijs repetundis non erat postulatus. Pompeius a me ualde contendit de reditu in gratiam; sed adhuc nihil profecit; nec, si ullam partem libertatis tenebo, proficiet. Tuas litteras uehementer exspecto. Quod scribis, te audiße, in candidatorum consularium coitione me interfuisse; id falsum est. eiusmodi enim pactiones in ea coitione factae, quas postea Memmius patefecit, ut nemo bonus interesse debuerit: & simul mihi committendum non fuit, ut ijs coitionibus interessem, quibus Messalla excluderetur: cui quidem uehementer satisfacio rebus omnibus; ut

ut arbitror, etiam Memmio. Domitio ipsi multa iam feci, quae uoluit, quaeq. a me petiuit. Scaurum beneficio defensionis ualde obligaui. adhuc erat ualde incertum, & quando comitia, & qui consules futuri essent. Cum hanc iam epistolam complicarē, tabellarij a uobis uenerunt ad xi. kal. Sept. uicesimo die. O me sollicitum: quantum ego dolui in Caesaris suauissimis litteris: sed, quo erant suauiores, eo maiorem dolorem illius ille casus afferebat. Sed ad tuas uenio litteras. primum tuam remāsionem etiam atque etiam probo, praesertim cum, ut scribis, cum Caesare communicaris. Oppium mirer quidquam cum Publio: mihi enim non placuerat. Quod interiore epistola scribis, me idibus Sept. Pompeio legatum iri, id ego non audiui; scripsiq. ad Caesarem, Vibullium Caesaris mandata de mea mansione ad Pompeium pertulisse, nec ad Oppium. quo consilio? quamquam Oppium ego tenui: quod priores partes Bibuli erant. cum eo enim coram Caesar egerat, ad Oppium scripserat. Ego uero nullas δευτέρας φροντίδας habere possum in Caesaris rebus. ille mihi secundum te, & liberos nostros ita est, ut sit paene par. uideor id iudicio facere: iam enim debeo: sed tamen amore sum incensus. Cum scripsissem haec infima, quae sunt mea manu, uenit ad nos Cicero tuus ad cenam, cum Pomponia foras cenaret, deditq. mihi epistolam legendam tuam, quam paullo ante acceperat ab Aristophane modo, ualde mehercule & suauem, & grauem; qua sum admodum delectatus. dedit etiam alteram illam mihi, qua iubes eum mihi esse affixum, tamquam magistro. quam illum epistolae illae delectarunt? quam me? nihil puero illo suauius, nihil nostri amantius. Haec inter cenam Tironi dictaui: ne mirere alia manu esse. Annali litterae tuae pergratae fuerunt, quod & curares de se diligenter, & tamē consilio se uerissimo iuuares. P. Seruilius pater ex litteris, quas sibi a Caesare missas esse dicebat, significat, ualde te sibi gratū fecisse, quod de sua uoluntate erga Caesarē humanissime diligentissimeq. locutus esses. Cū Romam ex Arpinati reuertissem, dictū mihi est hippodamum ad te profectum esse. non possum scribere, me miratum esse, illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis litteris ad te proficisceretur: illud scribo, mihi molestum fuisse. iam enim diu cogitaueram, ex eo, quod ad te diligentius perferri uellem, illi darem: quod mehercule hisce litteris, quas uulgo ad te mitto, nihil fere scribo, quod si in alicuius manus inciderit, moleste ferendum sit. Minucio me, & Saluio, & Labeoni reseruabā. Labeo autem tarde proficiscetur, aut hic manebit. Hippodamus ne num quidem quid uellem rogauit. T. Pinarius amabiles ad me de te litteras mittit, se maxime litteris, sermonibus, cenis denique tuis delectari. is homo semper me delectauit: fraterq. eius mecum est multum. quare, ut instituisti, complectere adolescentem. Quod multos dies epistolam in manibus habui propter commemorationem tabellariorum; ideo multa coniecta sunt, aliud alio tempore, uelut hoc. T. Anicius mihi saepe iam dixit, sese tibi suburbanum, si quod inuenisset, non dubitaturum esse emere. in eius sermone ego utrūque soleo admirari; & te de suburbano emendo, cum ad illum scribas, non modo ad me non scribere, sed etiā aliam in sententiam scribere: &, cum ad illum scribas, nihil te recordari de se, de epistolis illis, quas in Tusculano eius mihi ostendisti, nihil de praeceptis Epicharmi, γνῶθι, πῶς ἄλλῳ κέχρηται. totum denique uultum, animum, sermonem eius, quemadmodum coniicio, quasi. sed haec tu uideris. de suburbano, cura, ut sciam, quid uelis: & simul, ne quid ille turbet, uide. Quid praeterea? quid? etiam. Gabinium ad iv. kal. Oct. noctu in urbem introiuit. & hodie hora octaua, cū edicto Alfij de maiestate eum adesse oporteret, concursu magno, & odio uniuersi populi paene afflictus est. nihil illo turpius. proximus est tamen Piso. itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in secundum meorum librorum inducere, dicentem Apollinem in consilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset, quorum alter exercitum perdidisset, alter uendidisset. Ex Britannia Caesar ad me kal. Sept. dedit litteras, quas ego accepi ad iv. Kal. Oct. satis commodas de Britannicis rebus: quibus, ne admirer, quod a te nullas acceperim, scribit, se sine te fuisse, cum ad mare accesserit. ad eas ego litteras nihil scripsi, ne gratulandi quidem caussa, propter eius luctum. Te oro etiam atque etiam, mi frater, ut ualeas.

EXPLANATIO

L. Domitio Ahenobarbo,
Ap. Claudio Pulchro, COS.



MOENITATE *fluminis*] de Fibreno flumine intelligit: quo nihil amoenius, nihil frigidius: ut in libro II. de legibus. REFECI] recreaui, collegi, caloribus debilitatum, atque afflictum, LVDORVM] Romanorum: qui pridie nonas Sept. commissi, per nouem continuos dies in Palatio, ante Matris magnae templum ab aedilibus cur. fiebāt: rursusque, biduo intermissi, per quinque dies in circo. hoc & Kalendarium uetus Romanum, & alia ueterum monumenta declarant. TRIBVLIBVS *commendatis*] ut eis meo nomine ad spectandos ludos locum daret. moris enim erat, ut amicis & tribulibus & in circo & in foro locus ad spectandum daretur. ad Atticum epist. I. lib. 2. & pro Murena. Tribules autem intellige non eos tantum, qui Romae domicilium haberent, uerum & municipes, & si qui praeterea ciues in Italia habitarent: quos interdum ad urbem uenisse ludorum spectandorum caussa, simile ueri est. ARCANO] Quincti praedio: de quo epist. 3. & 9. MESSIDIVM *cum Philoxeno*] redemptores erant aquae deducendae. quod in hac ipsa epistola, infra, uidetur posse conijci. HERVM] uillicum in Arcano, ut Nicephorum in Laterio, quem infra nominat. MANLIANO] fundo, in quo uillam

Iam Diphilus architectus aedificabat Quincto. Nec dubito, quin & Manlianum, & Fufidianum, & Bouilianum praedia fuerint in Arcano, non ab Arcano seiuncta. nam in epistola huius lib. III. cum argumentum huius epistolae breuiter attingit, Arcanum, & Laterium dumtaxat nominat, omissis Manliano, Fufidiano, Bouiliano, quasi Arcano comprehensis. DIPHILO } se ipso: erat enim natura tardus. Diphilus, inquit, se ipsum tarditate superauit. AVIARIVM } locum in uilla, ubi aues alerentur, aliae oblectationis, aliae cibi caussa. PAVIMENTATA *porticus* } pulcherrimo strata pauimento. erant autem apud ueteres & ex marmore magnifica in primis pauimenta, & ex emblemate uermiculato, hoc est ex opere tessellato: cuiusmodi nonnulla hodieq. uisuntur in templis, adspectu perquam iucunda. TOTA *patet* } quod antea, dum aedificaretur instrumentis fabrilibus impedita, tota non pateret. COLVMNAE } circa porticum: quae rudes, & impolitae dum erant, speciem, aut dignitatem habere nullam poterant. TOTVM *in eo est* } tanti est, ut in eo sint omnia. sic locutus est ad Att. lib. V. epist. 20. CONTINVVM } ne incrustatio rimas agat, ne uitium faciat. EIVSMODI *membra* } quae atriolum nisi habeat quasi membra corpori adiuncta, non belle positum uidebitur. VEL *honestate testudinis* } ego mehercule huic loco, tamquam ulceri corrupto, manus admouere uix audeo: indicabo tamen, quae potuerit sententia Ciceronis esse: quo diligentius attendatur, si quid, quod ad eã uideatur accedere, in antiquis libris aliquãdo reperietur, una enim me litterula, in magna perturbatione errantem, saepe ad correctionem, quasi uia demonstrata, perduxit. hoc igitur fortasse Cicero sensit. Nunc hoc uel, in aestate, testudinis, uel, hieme, aestiuum locum obtinebit. ut hoc dicat. Verum (nam saepe, Nunc, pro uerum, Cicero usurpat: quod item Graeci faciunt) hoc, idest, quo modo poticus nunc est, in aestate loco testitudinis erit; hieme uero, quod habent aestiua loca, id obtinebit. optamus autem in aestate algorem, hieme teporem, & algorẽ quaerentes, fornicatis cameris, quae uocantur testudines, libenter utimur: quod aestate fit. teporem uero quia non habent nisi, quae sol aduersus diu spectat, loca, ea nos per hiemem tenent. porticus igitur, ut est nunc, id habebit commodi, quod in aestate testudines, hieme aestiua loca. ASSA } uidentur hic assa pro hypocaustro, qui locus in balnearijs ad sudandum fuit, usurpari. APODYTERII } ubi uestes ituri balnea deponebant. ἀπὸ τοῦ ἀποδύειν. SVB *tecum cubiculi* } Antiqui libri, quos uiderim, Subiectum cubiculi. placeret, Subiectum cubiculis. inferior. n. eorum cubiculorum, quae erant in uilla Quincti, contignatio uapore petebatur: quod incendij caussam praebere potuit. HIBERNVM } aedificantur in amplis aedibus quaedam ad aestiua anni tempora, quaedam ad hiberna. PROBAVI } sicuti tu fieri mandaras. PERPENDICVLO, *& linea* } perpendiculo, ut rectas; linea, ut e regione collocet. e regione autem columnae sunt, cum altera alteri ex aduerso respondet. CAESIVS } uillicus Quincti, aut certe procurator. PROXIMIS *nuncijs* } quem tibi a me emptum, proximis nuncijs significaueram. HS CCCIↃↃↃ ∞ } tria millia (ut ad nostratis pecuniae rationem numeremus) aureorum scutatorum. Sed illa nota, ∞, uidetur abundare, cum assium centum millia sic scribantur, CCCIↃↃↃ. QVOD *melius intelligo* } nam de irrogatione, qui huius generis non intelligens magnopere sim, haud ita affirmarim. SALIENTIBVS } aquis, quae sua sponte saliant: quam permultis locis aquam profluentem, & eam uberem, proxime appellauit; in ultima uero huius libri epistola Nilum, ut puto, a similitudine fluminis hinc inde in mare profluentis, nominauit. distinguuntur autem salientes ab ijs, quae oriendo cadunt, non saliunt: ut planis in locis saliant, de praecipitibus cadant. ADDITIS } ad suauitatem uillae accedet ea, quam piscina, salientes, palaestra, silua conferent. VIRIDICATA } nouum, & forte, in ijs quidem, qui exstant, ueterum libris, singulare uerbum. quasi, uirẽte. qua ratione & Albico, Nigrico usurpantur. BOVILIANVM } non est a familia, ut Fufidianus, quem proxime nominauit, fundus, (nulla enim Romae Bouilia familia) sed ab ignobili loco nomen ductum. Sunt, quibus placeat, Bouillianum, a Bouillis, ubi Clodius est interfectus: quos refellit geographiae ratio. Bouillae enim inter Ariciam, & Romam, fundus autem hic in Arpinati fuit. AQVA *dempta* } excepta in uenditione fundi; ut, alienato fundo, aqua tamen iuris tui sit: quam ad irrogãdos finitimos fundos illorum dominus locare posses. IVRE *constituto* } dicit hoc; si ius aquae constituatur, hoc est, si ius aquae Quincto seruetur, seruitutem fundo impositum iri illius aquae, neque tamen fore, ut minoris, quam quanti cum aqua uendi fundus possit. quam igitur aquam Messidius per tuos fundos deducendam redemit; (hoc enim proxime dicet) eam nolo te cum fundo Bouiliano alienare: sed, ius ei aquae suadeo constituas, hoc est in tuo iure retineas: ut ex duobus mancipijs, fundo, & aqua, unum emptoris fiat, alterum esse tuum pergat; ius, inquã, fundi migret ad emptorem, ius aquae penes te remaneat. SERVITVTE *fundo illi imposita* } quia fundus aquae seruiet, cum ea cogetur uti. unde enim irrigetur, aliunde non erit. ita, si fundum uendes, qui eius futurus dominus est, is tibi aliquid pendet, si fundo suo consultum uolet. MESSIDIVM } redemptorem deducendae aquae: qui singulos in pedes aluei faciendi ternis nũmis transegerat. supra de Messidio dixit, quod hanc sententiam confirmet: Vberiorẽ aquam sese collecturos dicebant. TERNIS *nummis* } sestertijs. duodecim igitur assibus, hoc est marculis in pedem. nam sestertius est duodecim trientes, hoc est asses quattuor: & quattuor sestertij denarius, hoc est asses XVI: & denarij septem in argenti uncia, drahmae autem octo: si Celso, & Plinio credimus. tanti enim Romae fuisse denarios a secundo Punico bello ad Plinij tempora, ipsius Plinij testimonio cognoscitur. CCCC ∞ } absurda mensura. sunt enim passuum quadringenta millia. ita plus, quam dimidium Italiae lõgitudinis, occupasset haec aqua. malim igitur, ordine praepostero, ∞ CCCC: ut sint mille quadringenti passus, hoc est pedum septem millia. quae summa ad DCXXX scutatos aureos nostratis pecuniae perueniet. NVSQVAM *melius* } quam

quam in aqua deducenda. DISCIPVLOS } quos fabricandi & architectandi artem Chilo dicebat. LATIRIO } Quincti fundo in Arpinati. ad Att. ep. 7. l. 4. & 1. l. x. AD *Furinae* } templū. antiqua locutio, e Graecis fontibus deriuata. Furinalia dies festus eius deae, IIX. Kal. Sext. Varro, Festus, uetus Kalendarium. SATRICVM } oppidum in Latio. MVTABITVR } inijcietur glarea, sublato puluere. ACCLIVIS } quam ego malim planam fuisse. DVCI } uiam. sic aquam deducere, supra. LOCVSTAE } fundum. Graeca locutio. VELVINVS } Varro. nam de ijsdem loquitur proxime nominatis. MVNIERAT } uiam. & hoc significat. cū tu id ius haberes, ut uiam ducere per Locustae, perq. Varronis fundum posses; neque tamen, quae tua fuit modestia, feceris: illi, ut quasi tibi gratiam referrent, eam uiae partem, quae ante fundos eorum est, munire debuerunt: quod Varro propemodum effecit: Locusta non dum attigit. PROBAVI } satis officio suo facere mihi uisus est. CONDVCTOREM } uillam habebat Quinctus in Laterio, frugaliter exstructam, ad eam cum addere quandam aedificatiunculam decreuisset, uillicus conduxit opus illud HS XM, hoc est aureis scutatis CCC. sed cum multo plura, quam conuenerat, adiungere Quinctus uellet, ad pretium autem nihil; uillicus eam aedificatiunculam omisit. QVAE *nunc est* } admodum frugalis, & parca, ualde infra earum, quae nunc fiunt, insaniam. TOPIARIVM } opus ex hedera. BASIM } inferiorē uillae partem. basis. n. quasi pes est ad sustentandum. INTERCOLVMNIA } spatium inter columnas. PALLIATI } marmorea hominum simulacra, secundum columnas utrinq. astantia. TOPIARIAM *facere* } qui topiariam faciunt, herbam, aut fruticē ad speciem aulaei, aut columnae, aut fontis, alterius ue rei conformāt. palliati igitur hi, inter columnas constituti, topiariam facere, aut hederam, qua intercolumnia uestitur, uendere uidentur. ALSIVS } alsum & alsiosum est subfrigidum, ab algo. MVSCOSIVS } non quia muscū habeat, sed quod aeque, ac muscus in humidis locis, oblectet. EXPOLITIONEM } Iam paene prorsus aedificauerant utriusque domum redemptores. expolitio restabat, perfectio scilicet aedium urbanarū. expolitur. n. quod factum quidem est, non dum tamen plane perfectum. Infra, ep. III. Expolitiones utriusq. nostrum sunt in manibus. PHILOTIMVS, *& Cincius* } ille Marci, hic Quincti nomine. Philotimus. n. Terentiae libertus, Cincius Attici procurator; cuius Pōponia soror, Quincti uxor erat. FACILE *factu* } quia domus utriusque cohaerebant, simulq. aedificabantur. patet supra, & infra. CICERONE } Quincti filio. IGNOSCO } quia non facis quod te decet, cum fratrem tui amantissimum tam saepe rogas: quasi mea tibi uoluntas, aut amor in dubium ueniat. IGNOSCAS } si dixero, non plus illum a te amari, quam a me. CLAMORES } mirabilia. dictio de magnis rebus atque admirabilibus usurpata: ubi clamores excitantur. ad Atticum l. 1. ep. 12. OTIOSVM } refertur ad utriusque otium. otiosum igitur, ut posset me per otium audire: quod in urbe non potest, propter meam occupationē. TANTA *mercede* } qua? quam diuinare, cū epistola Quincti non exstet, nemo potest. mercedem tamen non pecuniae, non fundi, sed amoris puto fuisse. forte. n. ita scripserat Quinctus: Si Ciceronem meum erudieris: ego te plus amabo. uide ep. 4. IN *tuis* } ad te scriptis a me. IN *Caesaris* } ad Caesarem scriptis ab Oppio. OPPIVS } Caesaris in urbe procurator, is, qui scripsit librum IIX. de bello Gallico. FOVEBIS } custodies, conseruabis. QVOD *mones* } forte, ut eum coleret, atque obseruaret. erat enim hoc tempore summa inter Caesarem & Pompeium, socerum uidelicet ac generum, necessitudo. postea, Iulia mortua, societas, quae non admodum, ex inuidia Pompeij, haerebat, prorsus dissoluta. DOLORE } quod a me absis. GAVDEO } quod istic uideo te libēter esse. HIPPODAMIS } qui equos domant. de uno autem intelligit hippodamo: etsi de pluribus cum cōtemptu & stomacho loquitur. infra, hac ipsa epistola. EXSPECTET } si ad te uenerint. QVOD *isto admisceas* } scripserat, puto, Quinctus, operam se daturum, ut illi, quos arcessierat, atque etiam Trebatius, liberaliter ab ipso tractarentur. hoc, inquit Cicero, nihil opus est. ego enim illum non ad te, sed ad Caesarem misi: qui mihi iam satisfecit; quoniam quidem eum, mea commendatione adductus, accepit humanissime. SI *ipsi minus,* } quod ei fortasse non admodum se familiariter praebeat, aut quod eum ad negotia non dum adhibuerit. PRAESTARE *nihil debeo* } quod amicitia, quae mihi cum Trebatio est, postulabat, id feci, ut eum Caesari studiosissime commendarem: reliqua praestare non debeo. AB *eo nindico* } nolo te Trebatij caussa laborare. libero te ista cura. satis amicitiae factum est, cum illum Caesari litteris accurate scriptis commendaui. quae exstat fam. lib. VII. BALBVM } L. Cornelium Balbum, Caesaris amicissimum, Gaditanum, urbe donatum: pro quo exstat Ciceronis oratio. IN *oculis fero.* } unice diligo. nota locutio. TREBONIVM } Caium. legatus erat hoc tempore in exercitu Caesaris: anno proximo tribunus pl. rogationem tulerat, ut Caesari Galliarum administratio in alterū quinquennium prorogaretur: praeturam gessit C. Caesare II. P. Seruilio Vatia cos. consulatum cum Q. Fabio Maximo: postremo, cum Caesarem, quem ciuili bello secutus erat, cum alijs coniuratis occidisset, Smyrnae a Dolabella primus eorum, qui Caesari mortem attulerant, est interfectus. CVRTIO } de quo ep. 14. li. 2. SALVTEM *nostram* } quo tempore nostra salus agebatur; cuius eiectus sum, cum restitutus. QVONIAM *illi* } Quoniam illis negare non possum; neget ipse mihi, quod eorum caussa peto. ipsi, negari sibi a me, nō facile patiuntur: ego, mihi a Caesare, facile patiar. MOLESTI *sunt* } in petendo. METVAMVS } belli caussa. GAVDEAMVS } ob praedam tenuem. alibi: Argenti audio in illa insula scrupulum non esse. VENIAM *non dedit* } cum tu peteres per amicitiam, ut ad P. Clodium rescriberet; (quia nolles Caesarē nostra caussa facere, ut respondendi officium omitteret) satisfacere tibi noluit. id enim significat, Tibi ueniam nō dedit. itaq. locutus est in ep. ad Atticum ultima lib. v. Dedi ueniam homini impudenter petenti: idest, concessi, satisfeci in eo, quod imprudenter petebat. CALVENTI *Marij* } L. Pisonem, cuius maternus auus, ut apud Pedianum legimus, Caluentius est appellatus, uidetur intelligere. Caluentium cur potius, quam

quam Caluentium, cur item Marium nominet, haud facile dixerim. nisi si inter Quinctum & Marcum iam conuenerat, ut eum fictis nominibus, Caesaris maxime caussa, qui Pisonis erat gener, appellarent. ORATIONE } quam in urbem reuersus in Ciceronem habuit; cuius e sententia senatus illum de prouincia reuocauerat. MEAM } de prouincijs consularibus, hoc est de Pisone Gabinioq. reuocandis. LIBROS *meos* } de republica. epist. XIII. lib. II. HIS *diebus* } uel, His diebus, quibus me a scribendo auocant iudicia: uel, quia opus ipsum esset eiusmodi, ut ijs diebus confici non posset, ac spatij plus omnino postularet. PRO *Scauro, & pro Plancio* } ita de repetundis, haec de ambitu, utraque exstat, sed pro Scauro mutilata. INCIDI } quia mihi non probaretur. Hoc poema non esse idem, atque illud, de quo in epistola XIV. libri II. ostendimus infra in epistola ultima huius libri. FONTES *iam sitiunt* } mirum est sitire fontes, unde aqua peti solet. itidem miror, uelle te, uersus tibi, optimo poetae, a me componi. Supra idem alio modo significauit: γλαῦκα, inquit, εἰς Ἀθήνας. epistola ultima lib. II. & epist. IV. & VI. huiusce libri. BENE *comitatum* } cum multis pecunijs. ioco enim usus erat Quinctus. AMBITIONEM } ut nullum studium praetermittam, dignitatis augendae caussa. VIVEMVS? } uita fruemur? sic alibi. ERIGONAM } tragoediam: quam se scripsisse, & ad Oppiū misisse, significauerat. amissam in itinere, ultima demonstrat huius libri epistola. Erigone soror Penelopes occisum a rusticis ebrijs patrem ita doluit, ut ipsa se suspenderit. miseratione deorum in caeleste signum conuersam, poetae fabulantur. PLAVSV } a populo Miloni dato. NOBIS } cum illi ideo detur plausus, qui consulem Lentulum Spintherem, legem comitijs centuriatis de meo reditu ferentem, enixe admodum iuuit. DE *aede Telluris* } de operibus, puto, loquitur, & inscriptionibus illis, de quibus epist. IIX. lib. II. DE *porticu Catuli* } non dubito, quin, quae ad aedem Telluris, eadem, aut similia fieri ad porticū Catuli Quinctus uellet. quod ex ijs conijcio uerbis, ad Telluris quidem. quasi, Hoc amplius ad aedem Telluris, quā ad Catuli porticum, quod ibi etiam tuam statuam locaui. ADMONES } ut emam. DOMVS } pecunia publica aedificata: quod ipse in Pisonem, alijq. docent. pecuniae uero summa HS uicies fuit, hoc est scutatorum LX M. ita porro magnifice, atque eleganter facta uidetur fuisse, ut neque uillas, neque hortos Cicero desideraret. nam & in epistola ad Leptam, Domus, inquit, est, quae nulli uillarum mearum cedat. MVLTORVM *fastigiorum* } tectum conclauia tegebat. id nolebat Quinctus descendere pluribus angulis, & lateribus, (sic enim multa fastigia habuisset) sed uno tantum fastigio uergere in tectum inferioris porticus. quod factum Cicero significat. HONESTE } decenter, speciose, minime turpiter. VERGIT } quia est unius fastigij, ideo uergit molli cliuo. non uergeret autem, inaequale si esset, lateribus lenem accliuitatem interrumpentibus. IN *tectum* } duo igitur tecta, quod supra conclauia, & quod supra porticum. CETERA *eius* } eruditionem significat. SVSCIPIO } ita promitto, ut uelim me, nisi is erit, quem tu esse uis, quasi praedem appelles. GABINIVM } e Syria reuersum. TRES } una de maiestate, L. Lentulus; duae de repetundis, Ti. Nero, & C. Memmius. accessit postea, item de repetundis, quarta factio, C. & L. Antonij; ut in epistola, quae sequitur: etiam quincta, de ambitu, P. Sulla, ut infra, & ad Atticum ep. 16. lib. 4. est autem absolutus Gabinius de maiestate, damnatus de repetundis. infra, & ad Atticum ep. 16. lib. 4. & Dio lib. XXXIX. ADHVC } quasi aliae praeterea possint exsistere, sicuti, ut dixi, exstiterunt quarta, & quincta. POSTVLANT } non dum postulauerant, sed postulaturi uidebantur. unus enim L. Lentulus postulauerat: quod proxima uerba declarant. LENTVLVS } quem, absoluto Gabinio, praeuaricatum multi credidere. ad Atticum epist. 16. lib. 4. FLAMINIS *filius* } ut distinguatur a L. Lentulo Crure. sic ad Atticum ep. 24. lib. 2. IAM *postulauit* } propterea de maiestate prius, quā de repetundis, Gabinius caussam dixit. infra, & ad Atticum ep. 16. lib. 4. DE *maiestate* } apud C. Alfium praetorem; quod prouinciae finibus excessisset, dum regem Ptolemaeum in Aegyptum reducit. TI. *Nero* } hic, opinor, is est, qui Tulliam Ciceronis filiam uxorem cupiuit, ut legimus ad Atticum ep. 6. lib. 6. & Liuiam postea duxit, ex qua Tiberium imperatorem genuit. Velleius. C. MEMMIVS } alius fuit C. Memmius, qui praeturam gessit Pisone & Gabinio cos. & hoc anno cum consulibus de sequentis anni consulatu coijt. ad Atticum epist. 18. lib. 4. CAPITONE } subscriptore. fuit autem Capito gentis Ateiae, plebeius; Memmius, plebeius; Nero Claudiae, patricius; (nam & Claudij Marcelli fuere, plebeij) Lentulus Corneliae, patricius. fuere & Cornelij plebeii, non tamen Lentuli. CATO } M. Cato praetor; qui de repetundis hoc anno quaesiuit. eo aegrotante, postulari Gabinius de repetundis non poterat. Sed cur tot annis praetor Cato post tribunatum pl. quem gessit Silano & Murena cos.? quia, qui fuit ei legitimus annus petendae praeturae, Pisone & Gabinio cos. eo anno in Cyprum Clodia rogatione ante comitiorum tempus emissus est: nec redit, nisi biennio post, Marcellino & Philippo cos. quo anno habita comitia non sunt: & ex interregno consules facti Pompeius & Crassus: quibus comitia praetorum habentibus, cum praetorem Catonem populus faceret, Pompeius, in Vatinium propensior, auspicia mentitus, comitia dissoluit. ita in annum sequentem reiecta Catonis petitio est: quo anno, Domitio & Appio cos. ex interregno creatis, praeturam obtinuit, & gessit. POMPEIVS } quo contendente, Gabinius de maiestate est absolutus. ad Atticum epistola 16. libro 4. NEC *proficiet* } immo proficit: ut etiam Gabinium, quem paullo ante accusauerat, mox rogatu Pompeij, non sine aliqua leuitatis nota, Cicero defenderit. Dio, & fam. ep. 1. libro 7. COITIONE } de qua iam diximus. ad Attic. ep. 18. libro 4. MESSALA } quem maxime Cicero diligebat. itaque, Noster, de eo dicit et infra: Enitemur, inquit, ut Messalla noster saluus sit. & in epistola ultima: Messallam nostrum, reliquosq. molestia liberatos, uehementer gaudeo. & ad Atticum epist. 16. li. 4. Messalla noster liberalis in populo ualde fuit. EXCLVDERETVR } coire enim turpi pactione noluit. ergo uir bonus. iam enim dixit Cicero:

Eiusmodi pactiones in ea coitione factae, ut nemo bonus interesse debuerit. SATISFACIO } efficio, ne quas in me amoris aut officij partes desideret: quod attinet ad illius petitionem consulatus. MEMMIO } qui poterat duobus Cicero competitoribus satis facere? quia neuter neutri oberat. Messalla.n.patricius, Memmius plebeius.ita nihil obstabat, quin uterq.simul consul creari posset. DOMITIO } Caluino, consulari candidato; qui consul fuit anno proximo cum Messalla. IPSI } non modo reliquis tribus, sed ipsi Domitio, qui non ea, qua illi, mihi est amicitia coniunctus. SCAVRVM } ultimum nominauit de consularibus candidatis.quattuor.n.omnes fuerunt, Messalla, Memmius, Domitius, Scaurus. defendit eum de repetundis accusatum, apud M.Catonem praetorem. VALDE *obligaui* } est.n.absolutus.ad Atticum.epist. 16.l.4.& Pedianus. QVANDO *comitia, & qui consules* } dixi iam, comitia hoc anno habita non esse; consules uero, anno sequenti, Messallam & Caluinum ex interregno fuisse. SEPT. } aut hoc tollerem, aut, *Oct.* reponerem.qui.n.potest epistolam complicare XI.Kal.Sept.cum meminerit iam in ipsa epistola de XII. Kal.Oct.seq. dixerit Romam uenisse XIII.Kal.Oct.? SVAVISSIMIS } refertis humanitate, atq. amore. ILLE *casus* } quem mihi Caesar litteris significarat qui casus? de interitu Iuliae filiae, dicet aliquis: alius, de legatis, & legione cum cohortibus caesa.ego neutrum. nam de filia, quae Romae obijt, satis ipse sine Caesaris litteris norat.nec diceret, Ille, ut de re longinqua: neque, Casus; sed, Luctus: de legatis autem, & legione ratio temporum non patitur intelligi. cladem enim illam non dum Caesar acceperat. hieme sequenti id euenit.quod libro V.commentariorum ipsius exponitur. itaque & Cicero ipse in epistola huius libri ultima, quam scripsit in extremo anno, calamitatem eam significat, cum Caesaris in summo dolore uirtutem & grauitatem commemorat. de filiae uero obitu in epistolae clausula significat, ubi Caesaris luctum nominat: quae in mortem proprie dictio conuenit. Casum igitur puto dici, naufragium multarum nauium in Oceano: de quo libro IV. commentariorum de bello Gallico mentio fit. tres enim aduersi, maximeq. tristes Caesaris euentus tribus in locis attinguntur, naufragium, interitus filiae, caedes legatorum. CVM *Publilio* } locutum.qua de re, incertum est. INTERIORE *epistola* } loca sunt in antiquorum scriptis, quae cum legimus, quasi plana praeterimus: deinde, quid ea sibi uelint, ubi quis interroget, haeremus, incerti quid respondeamus; ac tum denique nostram siue inscitiam, siue negligentiam, non sine aliquo pudore, agnoscimus. hoc, Interiore epistola, ecquis est, qui satis accurate perpendat? natura enim, ac ratione quoque ipsa comparatum est, ut ea, quae narranda proponuntur, paullo minus diligenter, quam eadem, cum narrantur, attendamus. quoniam igitur hic proponitur, non narratur res; (narratur autem in eo, Me Pompeio legatum iri) ideo fit, ut neque oculus in legendo, neque animus in considerando, pro eo, quantum opus sit, insistat. oculus praeteruolat; quasi res, quae studiose spectetur, parum digna sit: animum ad ea, quae proponuntur, cognoscenda cupiditas dicit. ita, quae duo uerba, (haec dico, Interiore epistola) uel diligenter considerata, minime tamen a multis, ut opinor, intelligūtur, ea ne considerantur quidem. de quibus ego sic existimo: interiorem epistolā uocari, non eam epistolae partem, quae a principio & a fine pari distet interuallo, sed eam, quae ab extremo propius absit, quā a principio id adeo cognoscetur, si, quod apud antiquos epistolae claudendae genus esset, ostendemus. non.n.tunc, eo, quo nunc solemus, modo, complicabantur, sed in orbem inuoluebantur epistolae, ita, ut, quae ultima scripta in pagina pars erat, inuolueretur prima; quae prima, ultima. itaque proprie uolumē una epistola & erat, & dicebatur. idq. Ciceronis testimonio cōprobatur; qui ad Appium scripsit his uerbis: Volumen a te plenum querelae iniquissimae reddiderunt. & infert: Eadem epistola petebas. morem eundem uideo teneri ab ijs, qui scriptum pretio faciunt: quos uulgo notarios nominant, scribas antiqui appellabant. quod.n.hoedinis uitulinis ue scripserunt in pellibus, id ita contrahunt, & quibusdam quasi spiris ipsum in sese conuertunt, ut inuolucrum efficiant; ne ue sua sponte laxetur, circūducto eiusdē pellis quasi uinculo, astringūt. eadem erat olim forma litterarum. hoc amplius: ne a tabellarijs aperiri possent impresso suo quisq. signo cauebat. inde litterarum fasciculus nomen sumpsit: quod, ut coniunctae constrictaeq. uirgae fascis est, item litterae a tabellarijs in unum, quasi uirgae in fascē, coniectae, colligataeq., quodam modo fascis exigui formā praeseferrent. proprie igitur uolumen de re in orbem collecta, ut de epistola, de fascia: improprie de re non orbiculata, ut de libro. tametsi olim, apud priscos illos, de libris quoque proprie. scribebantur.n.in libris, unde nomen sumpserunt, hoc est in codicibus arborū: ijq., quo essent ferentibus cōmodiores, conuoluebantur. Quod aūt Cicero dixit, Altera iam pagella procedit. in epistola ad D.Brutum, fam.l.XI. non de ipsa epistola, quam postea misit, sed de exemplo, quod in codicillis tunc exarabat, intellexit: in quibus unam iam pagellam totam, alterā non totam, sed magnā partem scribendo impleuerat. non enim, cum ita dixit, scripsisse eum in charta uerisimile est: cum illius epistolae breuitas ea sit, quae nec unius, quantumuis angustae, paginae locum, si de charta cogitemus, nedum unius & alterius, tenere potuerit. at in codicillorum pagellas, quae contractae admodum erant, optime conueniet. Quod si cui fieri posse uideatur, ut ipsos ad Brutum codicillos Cicero miserit: negabo. nam codicilli ad eos tantum, qui ijsdem, aut certe minime longinquis in locis essent, mittebantur: quod exempla declarant, ut in proximo libro, & fam.ep.12.lib.4. ad Brutum uero, tam longe remotum, Celticam Galliam pro consule administrantem, codicillos dare, cuius ineptiae fuisset? nam ne ad Papirium quidem, qui neq. prouinciae praeerat, ut Brutus, & multo, quam ille, propius aberat, hominē sibi familiarissimum, codicillos tamen Cicero mittendos putauit, sed epistolā e codicillis descriptā. fam.ep. ult.lib.IX. Neque uero mirandum est, in litteris, quas inuolui solitas dixi, paginas interdum nominari: quod ab orbiculata inuolucri forma satis alienū uideri potest. nihilo.n. minus inuoluebantur, quae pluribus paginis litterae, quam quae una tantū pagina scriptae fuerant, cumq. omnes eodem modo inuol-

uerentur

detentur; ideoq., si forma spectaretur, itidem omnes uolumina possent appellari: usitatius tamen erat, ut longioribus de litteris, quae plures haberent paginas, uoluminis uocabulum usurparetur. idq. satis patet ab exemplis. Pompeio } in Hispanias proconsule ituro. sic enim putabatur. uerum non iuit: easq. per tres legatos, Afranium, Petreium, Varronem, administrauit. decreta est ei lege Trebonia, Crasso uero collegae Syria, utrique in secundo consulatu. Plutarchus, alij. Non *audiui* } quo modo hoc? cum ipse ad Caesarem aliquot mensibus ante de hac legatione scripserit. exstat, quae hoc significat, epistola lib. VII. fam. in qua Trebatium commendat. loquitur igitur de recenti rumore: de quo se negat audisse. falsum tamen non fuisse, ex eo discitur, quod ad Atticum in extrema epistola lib. IV. scriptum est. Sed heus tu, inquit, scripseram ne tibi, me esse legatum Pompeio, & extra urbem quidem fore ex idibus Ian.? Scripsisse *ad Caesarem, Vibullium Caesaris mandata* } erit, cui non placeat iteratum Caesaris nomen. sed, si, cum, Caesaris, legimus, animo spectabimus, non Caesarem, ad quem Cicero se scripsisse narrat, sed Quinctum, qui haec leget; feremus. De *mea mansione* } quam Caesar cupiebat; ut eius ope, atque auctoritate, quibus in rebus opus esset, uti posset. Supra, quod hoc declaret, illud est: Quod mihi otium, Romae praesertim, ut iste me rogat, manenti? 318. Nec *ad Oppium*. } qui cum Caesaris in urbe omnia negotia procuraret, ad eum quoque Caesaris mandata perferre Vibullius debuit, ut is ageret cum Pompeio, ne me, si Caesaris caussa uellet, ab urbe remoueret. Qvo *consilio?* } fecit hoc Vibullius? non. n. hoc ad Caesarem placet referri: ne uideatur in eo consilium requirere. Qvamqvam *Oppium ego tenui* } quamquam non hoc ideo dico, quia uoluerim Oppium Vibullij uerbis, cognita Caesaris uoluntate, adduci, ut ageret cum Pompeio de mea mansione. quin ego illum, sua sponte satis incitatum, tenui. rectius. n. duxi; Vibullium primo, cui Caesar praesens praesenti mandauerat, deinde Oppiũ, cui scripserat, agere cum Pompeio. Bibvli } quid Bibulo cum Caesare? parum ne notae sunt quae inter eos omnium acerbissimae fuerunt inimicitiae? ego, & minima mutatione, & sententia postulante, libenter, pro Bibuli, reposuerim, Vibullij. nam & ad Att. ep. 2. l. 8. pro Vibullij, & Vibullius, libri sunt ueteres, qui, male omnino, tamen habeant, Bibuli, & Bibulus. tota res perpendatur: male omnino sensisse non uidebimur. Priores *partes* } ut is prior ageret cum Pompeio. Nvllas *δευτέρας φροντίδας* } Cum saepe litteris Marcus Quincto significasset, uelle se, quantum in ipso esset, Caesaris amicitiam tueri, eiusq. absentis dignitati quam maxime studere; neque in unius Pompeij beneuolentia omnia ponere; (id indicat illa verba lib. II. in epistola, Risi: De Pompeio, assentior Caesari, uel tu potius mihi. nam, ut scis, iampridem istum canto Caesarem: mihi crede, in sinu est, neque discingor: & illa, in epistola, Ad IV. non. eodem in libro infra: Quoniam in hoc homine colendo iam indormiui diu, cursu corrigam tarditatem) Quinctus qui iam audisset, fratrem Pompeio legatum iri, suspicatus est cõsilium ab eo mutatum, quippe qui, si cum Pompeio legatus iret in Hispaniam, de Caesaris rebus, quas Romae curari oporteret, minimum laborare uideretur. cupiebat enim Caesar Marcum sua caussa Romae manere. quod ex eo satis patet, in epistola proxime nominata: Quod mihi tempus, Romae praesertim, ut iste me rogat, manenti, uacuum ostenditur? ideo Quinctus, ea, qua dixi, suspicione commotus, his fere uerbis scripserat: Fortasse tibi δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι uidentur: hoc est, fortasse consilium de Caesare mutasti, qui cogites in Hispaniam: fortasse posterius aliquid cogitasti; idq. magis probas, quam quod antea constitueras. cui respondens Marcus. Ego uero, inquit, meas priores cogitationes, mea de Caesare colendo consilia nihil muto; posteriores in Caesaris rebus curas & cogitationes habere nullas possum. attigerat enim, & fortasse integrum recitauerat Quinctus senarium illum Euripidis in Hippolyto:

,, Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι:

ut qui Euripidis lectione mirum in modum teneretur. quod ipsius epistola ad Tironem fam. lib. XVI. epist. 8. testatur: in qua sunt haec: Euripidi quantum credas, nescio: ego certe singulos eius uersus singula testimonia puto. Quod autem, Ego uero, dicit; uis quaedam animi significatur, moleste ferentis, quod a Quincto scriptum erat de secundis curis. quo loco quasi punctus exsilij, &, ut de re molesta, Ego uero, inquit, &c. atque hic, ut alibi saepe in exponendo Cicerone, Erasmi, eruditi hominis, ingenium requiro: qui, cum in suis adagijs hunc locum interpretatur, prorsus aberrat a sententia. hoc ego ita iudico: si quis tamen contra, cedam meliora ostendenti. Paene *par* } secundum te, & liberos nostros, nihil mihi est Caesare carius. paene etiam aeque, ac tu, liberiq. nostri, mihi carus est. Iam } quia sibi nos sua iam liberalitate obstrinxit. Debeo } alios enim amamus, nec debemus, uoluntate quadam, & animi tamquam impetu compulsi: alios, quia nos id, quod facimus, recte & cum ratione facere iudicamus. Caesarem, inquit, eodem paene, quo te, & liberos nostros, loco habeo, quia debeo, summis illius in nos officijs, summa humanitate adductus: uerumtamen, ut haec non essent, quae sunt maxima, amore coactus idem facerem. ita prudenter admodum hanc partem attingit Cicero. nam in amando Caesare neque iudicium a uoluntate seiungit; ne uideatur id facere, quia debeat, potius, quam quia uelit: neque uoluntatem a iudicio; ne significet id se uelle, quod fortasse non debeat. ergo & facit iure, & libenter facit. quae duo simul in amore optanda sunt maxime. sed o, si quis omnes Ciceronis sententias, quae curiosis oculis non patent, aut hac, aut etiam multo maiore diligentia (quantulum enim id est, quod ego quidẽ praestare possum?) aperiret: quam multa manerent ad inuentionem praeclara. ex una mehercule re, tribus aut quattuor uerbis a Cicerone explicata, saepe intellexi, cũ ad cogitandũ me dedi, res propemodũ innumerabiles eiusdẽ generis, eiusdẽ elici sententiae posse. Verũ haec non ita nostri propositi tractatio est. terminis .n. quasi quibusdã interpretis officium definitur: quibus egredi nullo modo licet. quod si contigisset, id quod equidem maxime uellẽ, ut obsequi patriae meae roganti, eiq. meam industriã, saepe iam, primum

Egnatio aetate confecto, deinde Bonamico mortuo, denegatam, de loco superiore probare possem: a quo me munere, magno sane cum animi mei dolore, ualetudinis infirmitas exclusit: locus ille fuisset ad aperiendos ueteris eloquentiae fontes uehementer aptus. quae est una nobilibus in gymnasiis docendi ratio praestantissima: ad quam se suaq. studia honesto loco nati non adolescentes modo, uerum etiam uiri libenter adiungunt. enimuero latent in Cicerone quidē nostro paene innumerabiles, in Graecis Demosthene, & Isocrate, bene multae uirtutes eiusmodi; quae si ad artem ita redigantur, ut eas non oculis intueri modo, uerum etiam mente & cogitatione liceat complecti; facile uideo futurum, ut eleganter & cum laude scribere cupientibus egregiam facultatem, ualdeq. splendidam ac lautam orationis Latinae supellectilem biennii pariat exercitatio. hoc nimirum est, quod ego ab eo doctore, qui artem profiteatur, aut unum tradi, aut praecipuum certe uelim. nam, inani uel earum historiarum, quae a libris peti facile possunt, recitatione, uel figurarum, quas Demosthenes, aut Cicero ne somniādo quidem umquā uidit, commemoratione, tempus conterere; hominis est aut eius, qui suae potius ambitioni, quā aliorū utilitati, consultum uelit; aut eius, qui eam uiam, quae ad ueram solidamq. gloriam ducit, penitus ignoret. Ab *Aristophaneo modo* } sincerum illud puto, Ab Aristophane: corruptum, O modo. emendatio quidem a me nulla. quod si particula, Ab, tollatur; de qua tollenda quid statuam, non habeo, cum ea nonnullis a ueteribus libris absit, Bessarionis tamen in libro sit: minima distinctione sententia patefiet; nec iam suspicio mendi residebit ulla. distinguetur autem sic: Quam paullo ante acceperat, Aristophaneo modo: ut, Aristophaneo modo epistola dicatur, quae Aristophanis ad similitudinem accedat: puta, quia comicum quiddam in sententijs, ex Aristophanis genere, praeseferat. Et *suauem, & grauem* } quales patris ad filium puerum esse litteras decet: suaues, ob aetatem filii; cuius habenda ratio est: graues, ut pater patrio quodam tum naturali, tum legitimo iure seueritatem retineat. Affixum, *tamquam magistro.* } haerebant enim magistris pueri, donec praetexta utebantur. praetexta deposita, & uirili toga sumpta, adibant fere ad iurisconsultos, ut ius ciuile, caussis agendis maxime necessarium, cognoscerent. Annali } Villiae gentis, plebeiae. natum cognomen ab eo, qui legem de petendis magistratibus annalem in tribunatu pl. tulit. Liuius libro, opinor, xl. Et *tamen* } cum, de illo diligenter curare, satis esset; ea tamen cura non contentus, etiam consilium addidisti. Seruilius } Isauricum dici, manifestum est. Significat } ergo nō erat Cicero Romae. nā, significare, absentis est. Non *possū scribere* } quia mirādum non est, sordidi hominem artificii humanitatem ignorare. de hoc supra, 322. Saluio } is ad Quinctum profectus est vi. id. Oct. 325. Labeoni } Seguliae gentis, plebeiae. Reseruabam } ut iis darem eas litteras, quas in alienas manus incidere minime uelim. Ne *num quidem, quid uellem* } cum iret ad te, qui mihi frater es, debuit (alia mitto) hoc saltem, numquid uellem, rogare. T. Pinarius } Lucii fortasse frater, quem C. Caesar, nepotem sororis suae, heredem cum Q. Pedio, & C. Octauio reliquit. de quo Suetonius his uerbis: Nouissimo testamento tres instituit heredes, sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante, reliquos in ima cera. Frater *eius* } Lucius fortasse; quem dixi unum fuisse de Caesaris coheredibus. Adolescentem } adolescentes interdum appellabantur annos etiam plures, quam triginta, nati. itaque in ep. ad M. Coelium, Hominem, inquit, adolescentem non tam allicere uolui, quam alienare nolui. cum loquatur de C. Coelio: qui iam quaestor fuerat; & quaestura non ante annum xxxi. lege annali gerebatur, etiā in Oratore modo adolescentem, modo uirum appellat Isocratem. etsi, Virum, dignitatis caussa dictum in eo loco, item ut alibi, possit aliquis existimare. nunc adolescentis nomen de aetate solum usurpatur ea, quae anno incipit xiii. desinit xx. Aliam *in sententiam* } cum significes, minime te de suburbano emendo cogitare. De *se* } si loqueretur ex Anicii persona, hoc modo; Miratur Anicius, nihil te recordari de se: usitatum esset. nunc ex persona sua cum dicat; Soleo admirari, nihil te recordari de se: quam proprie, Se, pro eo, positum sit, grammatici uiderint. eiusmodi notauimus exemplum in oratione pro Comoedo: Societatis, inquit, non suas, lites redemit, cum fundum a Flauio Roscius accepit. quid ita satis non dedit, amplius a se neminem petiturum? nō enim dixit, A se, pro, a se ipso, sed pro, ab ipso Flauio; a quo fundum acceperat. Epicharmi } Siculi, poetae comici: quem Plautus imitandum sibi proposuisse putabatur: unde Horatii uersus: Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi. Γνῶθι } cognosce. quo modo alio usus est. Prius, quam credas aiebat Epicharmus, cognosce quemadmodū is, cui crediturus es, alio sit usus: ut, si se erga aliū recte, & optima fide gesserit, ei te tuto committas; sin minus, exemplo doctus caueas. apparet Anicium nō bona fide fuisse: itaque non facere Quinctum satis prudenter, qui eius opera in emendo suburbano cogitaret uti. Sermonem *eius.* } subaudi, narrasti, cum essemus una in Tusculano eius. Quemadmodum *conijcio,* } Imperfecta sententia: sed, opinor, hoc significat: Quemadmodum conijcio, quasi minime illum noris, ita res illi tuas cōmitis. incipit autem, fraterno amore adductus, hoc dicere: mox, ne fratrē uideatur nimis multis uerbis ut imprudentem mouere, extremā sententiae partem omittit. Quid *uelis* } cogites ne de emēdo, ut Anicius dicit, an secus, ut in tuis ad me litteris significat. Ne *quid ille turbet,* } ne quid misceat; ne sincera fide non agat; ne te implicet in eo negotio, sic, ut expedire te nisi cum damno nō queas. Quid *praeterea? quid? etiam* } genus in epistolis, praesertim iis, quae ad familiares mittuntur, in extremo usitatū. uarias. n. res cū scripsimus, nec iā memoria quidquam suppeditat; quasi nos haec per litteras collocutio delectet, ipsi nos interrogamus, nū quid praeterea scribendū supersit? deinde, alterū, Quid, est illud quidē ipsū quoq. cū interrogatione positū: sed responsio tamen ad priorē interrogationē quadā uidet. nā cum rogauit, quid praeterea est, quod scribā? respondet, quid scribā? quasi dicat: nūc quidē nihil uideo, quod praeterea possim scribere. mox inuēta re, subiungit: Etiam, etiam, inquit, praeter superiora

riora aliquid est. Tale illud ad Atticum.ep.x1.l.1.Noui tibi quidnam scribam? quid? etiam. & ep.6.l.1. Aliud quid? etiam. & ep.19.l.2. Quid aliud? quid? hoc, opinor. AD IV. *kal.Oct.* } fuerat igitur ad urbem per septem dies. accessit enim XII. Kal.Oct. quod supra scriptum est in hac ipsa epistola. NOCTV } quia conspici puderet. redibat enim, senatusconsulto de prouincia reuocatus: & eum tres factiones, una de maiestate, duae de repetundis postulabant. turpissimus igitur Gabinius, qui noctu introiret; cum ceteri imperatores & interdiu omnes, & plerique triumphantes. HORA *octaua,* } quae, quo modo nunc horis diem distinguimus, uigesima fere nobis esset. diem enim semper ueteres in horas duodecim tribuebant: quae, pro dierum inaequalitate, modo breuiores erant, modo longiores. EDICTO } edictorum duo genera, unum, quod, inito magistratu, publice proponebat praetor urbanus, ex quo toto anno ius diceret; alterum, quod ad singulas caussas pro re nata accommodaretur: quale est Alfij praetoris, quo Gabinium maiestatis reum adesse ad decimum diem iubet. hoc posterius commune est praetori urbano cum reliquis praetoribus, qui de criminibus quaerebant: illud praetoris urbani proprium. sed haec libro de iudiciis reseruemus: qui doctrinam, ut speramus, non omnino iurisconsultis inutilem complectetur. ALFII } praetoris, de maiestate quaerentis. in epistola, quae sequitur proxima, Quaesitor, inquit, grauis, & firmus Alfius. ADESSE } in iudicio, decimo, ut opinor, post nominis delationem die: nam Pedianus in commentario Cornelianae, cum de Cornelio, qui & ipse de maiestate accusatus erat, loquitur, his utitur uerbis: Cum L. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset. & apud hunc, supra, lib.11. epistola 12. Decimus erat Coelio dies. atque hic decimus Gabinio dies, non dubito, quin fuerit, III. Kal. Oct. post eum, quo in urbem introiuit, proximus: quo ipso die Cicero hanc epistolae partem scripsit. cadit igitur, diebus decem numeratis, nominis delatio in XII. Kal. Oct. hoc est in eum ipsum diem, quo ad urbem accessit: ut ei, post aduentum, nihil omnino spatii dederit Lentulus accusator. AFFLICTVS *est.* } cum iret ad iudicium. PROXIMVS } turpitudine: cum utrumque senatus de prouincia reuocasset, utrique ciuitas, memoria maxime Ciceronis eiecti, esset infensa. ἐμβόλιον } partem quandam ab argumento proposito seiunctam, interpositionem. MEORVM *librorum* } an de republica, quos in manibus habebat, quosq. & supra suos, in hac ipsa epistola, nominauit? uix opinor: non enim illos in libros, quorum esset ὑπόθεσις omnium grauissima, inducerentur huiusmodi fabulae. de poemate malim intelligere, non eo, quod ab ipso quaesierat Quinctus, (quibus enim libris Quinctus pro suis usurus esset, de iis non, opinor, dixisset Marcus, Meorum librorum) sed eo, cuius primum iam librum a Caesare lectum, & magnopere probatum, dixit in epistola libri 11. ultima, in extremo. REDITVS } ex prouincia. redierat autem Piso anno proximo, Pompeio & Crasso cos. ALTER *exercitum perdidisset, alter uendidisset* } perdidit Piso, uendidit Gabinius: ille, cum commisit, ut caederetur: hic, cum Ptolemaeum pretio conductus restituit. in oratione de prouinciis consularibus, in Pisonem, in historia. SATIS *commodas* } satis prospera significantes de Britannico bello, satis ex nostra uoluntate. AD *mare* } te relicto in interiore Britannia. GRATVLANDI } quod rem satis feliciter in Britannia gessisset. LVCTVM } ob interitum filiae: qui proprie luctus est.

Marcus S. D. Quincto fratri. 2.

AD VI. id Oct. Saluius Ostiam uesperi naue profectus erat cum iis rebus, quas tibi domo mitti uolueras. eodem die Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius, sic ut Calidio uerbum facere pro eo non licuerit. postridie autem eius dici, qui erat tum futurus, cum haec scribebam ante lucem, apud Catonem erat diuinatio in Gabinium futura inter Memmium, & Ti. Neronem, & C. & L. Antonios M. F. putabamus fore, ut Memmio daretur: etsi erat Neronis mira contentio. quid quaeris? probe premitur, nisi noster Pompeius, dijs, hominibusq. inuitis, negotium inuertit. cognosce nunc hominis audaciam, & aliquid in rep. perdita delectare. Cum Gabinius, quacumque ueniebat, triumphum se postulare dixisset, subitoq. bonus imperator noctu urbem hostium plane inuasisset, in senatum se non committebat. interim ipso decimo die, quo ipsum oportebat hostium numerum, & militum renunciare, in re haesit, summa infrequentia: cum uellet exire, a consulibus retentus est: introducti publicani. homo undique actus, cum a me maxime uulneraretur, non tulit, & me trementi uoce exsulem appellauit. hic, o dij, nihil umquam honorificentius nobis accidit: consurrexit senatus cum clamore ad unum. sic, ut ad corpus eius accederet; pari clamore, atque impetu publicani. quid quaeris? omnes, tamquam si tu esses, ita fuerunt. nihil hominum sermone foris clarius. ego tamen teneo ab accusando, uix mehercule, sed tamen teneo; uel quod nolo cum Pompeio pugnare; (satis est quod instat de Milone) uel quod iudices nullos habemus. ἀποτεύγμα formido. adde etiam maleuolentiam hominum; & timeo, ne illi me accusante aliquid accidat: nec despero rem & sine me, & non nihil per me confici posse. De ambitu postulati sunt omnes, qui consulatum petunt, a Memmio Domitius; a Q. Curtio, bono, & erudito adolescente, Memmius; a Q. Pompeio Messalla; a Triario Scaurus. magna res in motu est: propterea quod aut hominum, aut legum interitus ostenditur. opera datur, ut iudicia ne fiant. res uidetur spectare ad interregnum. Consules comitia habere cupiunt, rei nolunt, & maxime Memmius, quod Caesaris aduentu sperat se futurum consulem: sed mirum in modum iacet. Domitius cum Messalla certus esse uidebatur: Scaurus refrixerat. Appius sine lege curiata

riata

riata confirmat se Lentulo nostro successurum: qui quidem mirificus illo die, quod paene praeterij, fuit in Gabinium: accusauit maiestatis: nomina data, cum ille uerbum nullum. Habes forensia. Domi recte: & ipsa domus a redemptoribus tractatur non indiligenter. Vale.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

AD POPVLVM } quaero, nec tamen inuenio, quo de crimine Gabinij populus iudicauerit. nam de maiestate, deq. repetundis non populus, sed praetores cum consilio quaerebant. nec ullum praeterea Gabinio facinus obiectum reperio. fieri tamen potest, ut Memmius, cum tribunus pl. esset, pro potestate populum coegerit, ut de Gabinio suffragium ferret, uel de maiestate, uel de repetundis: sed, de repetundis, potius crediderim: quo crimine item ad praetorem constitui accusator, Ti. Nerone pari studio contendente, cupiebat. quod & supra in proxima epistola, & hic proxime planum fit. quem porro in iudicio populi Gabinius exitum habuerit, quo facilius intelligatur, ipsa Valerij Maximi, quae sunt in octauo libro, uerba subscribemus. A. Gabinius, in maximo infamiae suae ardore, suffragijs populi, Memmio accusatore, subiectus, abruptae esse spei uidebatur: quoniam & accusatio partes suas plene exhibebat; & defensionis praesidia inualida fide nitebantur; & qui iudicabant, ira perciti poenam hominis cupide expetebant. igitur lictor & carcer ante oculos obuersabantur: cum interim omnia ista, propitiae fortunae interuentu, depulsa sunt. filius namque Gabinii Sisenna, consternationis impulsu, ad pedes se Memmii supplex prostrauit, inde aliquod fomentum procellae petens, unde totus impetus tempestatis eruperat. quem truci uultu a se uictor insolens repulsum, excusso e manu anulo, humi iacere aliquandiu passus est. quod spectaculum fecit, ut Laelius tribunus pl. approbantibus cunctis Gabinium dimitti iuberet. LVCVLENTE *calefecerat* } non frigide accusauerat, sed ita uehementer, ut Gabinius calesceret. tralatio. agitati enim non modo corporis, uerum etiam animi motu, calescimus. sic M. Coelius in epistola: Si Parthi uos nihil calfaciunt. NON *licuerit* } clamore, conuicioq. populi. CALIDIO } M. Calidio; quem fuisse oratorem dulcem potius, quam uehementem, in libro de claris orat. ostenditur. CATONEM } praetorem, de repetundis cognoscentem. ergo, cuius futura de reo quaestio erat, is & de accusatore diligendo ante cognoscebat. DIVINATIO } contentio, quis deberet accusare. caussam nominis Pedianus exponit, quia non de facto quaereretur, sed de futuro, quae est diuinatio, uter deberet accusare. C. ET *L. Antonios* } tres igitur factiones Gabinium de repetundis postulabant, Memmius, Nero, Antonij: quos in epistola proxima non nominauit: non dum enim exstiterant: itaque ibi, quasi futurum diuinaret, non dixit, Tres factiones Gabinium postulant, sed, Tres adhuc factiones. nam postea quarta factio, Antonij postularunt, deinde & quincta P. Sulla, ut est in epistola ad Att. 16. lib. 4. Fratres fuerunt M. Antonii, postea triumuiri; filii Marci, eius, qui, gratia Cottae consulis, & Cethegi factione in senatu, curationem infinitam nactus totius orae maritimae, Siciliam & prouincias omnes depopulatus est; ad postremum, inferens Cretensibus bellum, morbo interiit. huius igitur filii Caius, & Lucius, nepotes uero Marci, clarissimi oratoris. M. F. } sic antiqui scribebant: non nulli postea sic, M. F.[os] inde natus error apud antiquitatis imperitos, ut, Meos, non M. F.[os] legendum putarent, ob similitudinẽ F. & E. quod ideo dictum a me uolui, quia uideo in aliquos etiam impressos libros hanc mendam irrepsisse. idq. ut monerem, operaepretium existimaui. NEGOTIVM *inuertit* } res Gabinii perditas restituit. hoc non sine caussa Cicero timebat. opes enim Pompeii maximae; qui etiam suo studio, ut Gabinius de maiestate absolueretur, obtinuerit. infra, & ad Att. ep. 16. l. 4. DELECTARE } odio senatus in Gabinium, amore in me. SVBITOQ. } cum hoc uerbum Cicero posuit, proxima spectauit, quod supra, quod infra; supra, quod dixerat, Triumphum se postulare dixisset; infra, quod infert, Bonus imperator noctu in urbẽ hostium inuasisset. altero enim Gabinii leuitas, & incõstantia coarguitur; qui, cum de triumpho ubique iactitasset, subito, abiecta triumphi postulatione, in urbem introisset: altero, eiusdem turpitudo, & improbitatis conscientia notatur; qui non interdiu sit ausus introire; cum intelligeret ita se de ciuitate ac de republica esse meritum, ut, si luce ingrederetur, ab occurrente populo non salutationes honorificas, non ullas laudes, sed omnia probra, omnes contumelias merito posset exspectare. *Subito* autem non ita restricte dictum, ut subito post aduentum Gabinii ad urbem intelligi debeat: mansit enim ad urbẽ per nouem dies, cum accessisset XII Kal. Oct. introisset IV Kal. sed, *Subito*, praeter exspectationem: cum ex eo rumore, quem ipse passim dissipauerat, triũphans potius ingressurus esse uideretur. BONVS *imperator* } ex ambiguo ludit. nam periti imperatores plerumque noctu irrumpunt in urbes hostium. iste uero, nequam imperator, cũ se odio esse ciuitati sentiret, sic, ut eũ hostis loco haberet, noctu introiuit, conuicia ueritus, & contumelias, si interdiu ingrederetur. HOSTIVM *plane* } ciues enim hostes ei plane sunt. INVASISSET } dicendum erat, Introisset: maluit, Inuasisset; ut in tralatione persisteret. noctu. n. Gabinius, praeter exspectationẽ, bonorum imperatorum exemplo, cũ urbes hostiũ inuadunt, introierat. ita tribus uerbis a Cicerone, eleganter sane, & apte de introitu Gabinii, cõprehensa tralatio est, his inquã, imperator, hostium, inuasisset. NON *committebat* } ut odiosa de re dixit proprie, committebat. timebat enim senatũ: oderat

oderat eum,eiq. pariter odio erat,iam inde a consulatu.dixerat enim in concione consul, hoc est is,qui tueri senatus auctoritatem deberet;Errare homines,si senatum aliquid in republica posse arbitrarentur. pro Sextio. IPSO } distulit,quoad potuit:ipso demum die decimo,ultra quem differre non poterat,in senatum uenir. DECIMO } ab introitu in urbem.ergo nonis Oct. nam introiuit IV. kal. OPORTEBAT } iubente lege;aut more maiorum. HOSTIVM } lege cautum erat,quod Valerius libro III.narrat, & Dio libro XXXVII.significat,ne quis triumpharet,nisi qui quinque millia hostium una acie cecidisset.hic, nō subito,quin aliud agatur.non enim triumphauerat Gabinius,aut,cum in urbem iam esset ingressus, de triumpho poterat cogitare.quare crediderim,non iis modo, qui triumphassent,aut triumphaturi essent, sed omnibus plane imperatoribus,e prouincia reuersis,usitatum hoc fuisse, ut caesorum non tam hostium,quam militum numerum in senatu exponerent.Bessarionis liber habet,Hostiarum. & in epistola M.Coelij,ubi legitur in impressis,Cum de hostibus ageretur,in scriptis aliquod uidimus, Hostiis. quo tamen in loco sequi maluimus eos,qui habent, hostibus,adducti Valerij Maximi auctoritate,qui legem illam de caesorum hostium & militum numero commemorat. IN *re haesit* } magis placet,quod aliis uideo,inrepsit:cum eo tamen placet,si ueteres libri consentiunt.nam Bessarionis liber,In re haesit, habet: quod est,in recitando,implicitus ignoratione rei.Inrepsit,uero ualet hoc,uenisse Gabinium in senatum & inuitum,& latenter more animalium repentium. cursu enim uoluntas maior declaratur. INFREQVENTIA } cum e prouincia reuersos,quo primum die ad senatum adeunt,propinqui,familiares,clientes comitatu maximo soleant honestare. EXIRE } hostium,& militum numero recitatio:quasi,praeterea quod ageret in senatu,nihil ei restaret. A CONSVLIBVS } Appio,& Domitio:quorum Domitius Pompeij caussa,inimicissimi sui,Gabinium oderat;Appius,quia missum in Syriam legatum,ut in Dione legimus, recipere noluerat:qui etiam illum eo die accusauit maiestatis: quod in hac ipsa scriptum est epistola. PVBLICANI } Syriani,Gabinio infensi.questum enim sua damna ad senatum uenerant: quod, cum Gabinius,finibus prouinciae suae contra leges egressus,Alexandriam ad restituendum Ptolemaeum cū exercitu profectus esse; praedones per eius absentiam maritima Syriae loca uastarunt. quo facto, publicanis ea,quae de publico redemerant exigere non licuit.Dio lib. XXXIX. ET *cum a me* } potest non abundare, etsi uidetur,particula,ET. nam est,cum uulneraretur,& a me maxime. potest etiā abundare:quod eam addiderit imperitus; qui cum uideret, A tuis, (sic enim est in libris aliquot scriptis, non, ut postremo impressis,Actus) copulam necessariam duxerit:ut ad uerbum,Vulneraretur,utrumque referretur,hoc modo:Cum a tuis,& a me maxime uulneraretur. VVLNERARETVR } accusaretur, a uenatione tralatio. ferae enim undique actae uulnerantur. ideo intulit,Vulneraretur; cum,Actus, iam dixisset. NON *tulit* } sustinere tacitus non potuit.sic in III. de orat. Cum homini,& uehementi, & diserto, & in primis forti ad resistendum Philippo quasi quasdam uerborum faces admonuisset,non tulit ille,& grauiter exarsit. TREMENTIS } ut hominis ira commoti. EXSVLEM } quia lege Clodia, ipso consule Gabinio, pulsus,per sexdecim menses urbe caruerat. huiusce nominis contumeliam,etiam a P. Clodio sibi obiectā,diluit ac purgat in paradoxo multis uerbis. IMPETV } impetum significauit senatus,cum dixit,Vt ad corpus eius accederet. PVBLICANI. } Gabinio,propter damna & iniurias ab illo acceptas,infensi; Ciceroni,consulatus beneficio, coniuncti. ut omittam,quod Cicero patre natus erat equite Romano,& publicani omnes equestris ordinis,quo uidebatur quiddam inter eos necessitudinis intercedere. FORIS } passim,non solum in senatu,sed apud caeteros etiam. sic locutus est in epistola longa ad Lentulum: Cū ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset. & ad Quinctum fratrem: Foris ualde plauditur. in uulgus alibi dixit,eadem sententia. CLARIVS } hac,quam senatus dedit,significatione uoluntati erga me. TENEO } antique,pro teneo me.Teneo se Cicero ab accusando Gabinio,quod infra quoque confirmat,in caussa maiestatis: de repetundis uero non modo non accusauit,uerum etiam rogatu Pompeii defendit:quod & Dio lib.XXXIX.narrat,& ipse in epistola ad Marium,fam.95.significat. Illud mirari nō satis possum,quod ab eodem Dione traditum uideo; Gabinium a Cicerone de maiestate grauissime accusatum. quod aperte falsum ostendit ipse Cicero & hic,& apertius etiam infra in epistola 4.nisi si, ut a teste Cicerone,non ut ab accusatore,Gabinium accusatum intelligas. acerbe enim testimonium in illum dixit:quod infra in ultima scribit epistola: Testis,inquit,uehemens fui,praeterea quieui. CVM *Pompeio* } qui Gabinij patrocinium ideo suscipiet,quod ipse Gabinium,ut Ptolaemeum in regnum reduceret,scriptis litteris impulerat. Dio lib. XXXIX. QVOD *instat* } in quo uereor ne Pompeij animum offendam. ille enim fauebit Guttae,ego Miloni,de me optime merito. infra,in ultima epistola. VEL *quod iudices nullos* } etiam in ad Atticum epistola lib. IV. causam absoluti Gabinij confert in Pompeij contentionem,iudicum sordes. item hic,infra. Quod autem est in impressis libris, Vel quod; mendosum existimo. Nam Bessarionis liber habet,id quod. unde factum suspicor,uel quod, eorum temeritate, quorum aures imperitae antiquam,non tamen satis usu peruulgatam,loquendi rationem inique ferrent.est enim,id quod,pro ideo quod. sic locutus est is,qui mihi est post Ciceronem familiarissimus Terentius in Heautontimorumeno:

Id quod est consimilis moribus,conuinces facile ex te natum. & in Hecyra:

Illico laetae exclamant,Venit,id quod me repente aspexerant. sic & Liuius

libro XLI. id quod erat uetusta coniunctio cum Macedonibus.totum igitur hunc locum ita legerem,ac distinguerem; Teneo ab accusando,uix mehercule,sed tamen teneo, id quod nolo cum Pompeio pugnare: (satis est,quod instat de Milone) id quod iudices nullos habemus;ἀπότευγμα formido. quemadmodum enim,ubi est in impressis, Vel quod iudices,mendosum esse Bessarionis liber ostendit:sic illud,

Vel

Vel quod nolo, non sincerum esse, facile possum suspicari: cum eadem utrumque potuerit caussa deprauare. ἀπότευγμα } absolutionem Gabinij, propter iudicum sordes, formido. timeo, inquit, ne non assequar, quod uelim, nam ἀποτυγχάνω, spe frustror, non obtineo. MALEVOLENTIAM } in ipsum, an in Gabinium? in ipsum: nam caussas colligit, cur ab accusando se teneat, haec sunt, Pompeius, iudices, hominum maleuolentia. suos enim ipse quoque maleuolos habebat. ALIQVID *accidat.* } contra quam accideret me non accusante. timeo, ne absoluatur, nam, qui me oderunt, fortasse illum, me accusante, subleuarent. NEC *despero* } nam, ne sperem omnino, Pompeius, & iudicum infirmitas facit. NON *nihil per me* } qui ut non accusem, aliis tamen accusantibus opem aliquam subministrabo. & , Non nihil, ne, si uehementer, Pompeium a se abalienet: cum quo pugnare nolebat. CONFICI } ut iudicio cõdemnetur. A MEMMIO *Domitius* } candidatus a candidato. absolutum constat, quia consul fuit anno proximo cum Messalla: nec Domitium modo, sed omnes plane candidatos. nã in ultima epistola, Messallam, inquit, iam nostrum, reliquosq. molestia leuatos, uehementer gaudeo. aut igitur is, qui exsulauit Athenis, ad quem scribuntur a Cicerone epistolae lib. fam. XIII. alius Memmius est; (meminimus autẽ supra quoque de duobus Memmijs. quorũ utrique praenomẽ fuerit Caio) aut, si hic est, postea in alio iudicio condẽnatus. A Q. *Curtio* } hunc ignoro prorsus. Magnuli liber, ad manuscripti exemplũ emẽdatus, Acutio, mendose; fortasse tamen cum uestigio ueritatis. Q. POMPEIO Ruso, ut Atticum epist. 16. l. 4. Sullae dictatoris ex filia nepote, ut apud Pedianum. hic biennio post tribunus pl. occiso Clodio, saepe atque acriter in Milonem, ac Ciceronem etiam ipsum concionatus est. Pedianus. exsulẽ significat Coelius in epist. 1. lib. IIX. fam. TRIARIO } adolescente, qui cum paullo ante de repetundis accusauerat, paratum fuisse ad dicendum, & nostrae industriae, Pedianus tradit. filius fortasse fuit eius, cuius orationem Ciceroplenam literae senectutis appellat in Bruto. AVT *hominum, aut legum* } aut candidatorum, si condemnatur; aut legum, si absoluuntur. leges enim uidentur interire, cum nocentes absoluuntur rei. culpá significat candidatorum, ut supra, cum dixit: Ita erant progressi candidati consulares, ut non esset ferendum. & ad Att. 64: Tres candidati fore rei putabantur. quid poteris, inquies, pro ijs dicere? ne uiuam, si scio. INTERITVS } calamitas, exsulium. mortis enim supplicium Sempronia lex a ciuibus R. amouebat. sic infra, Periturus reliquis iudiciis, de Gabinio dixit, cum damnationem intelligeret. VT *iudicia ne fiant.* } aliquo tribuno pl. intercedente. etiam edicto consulis iudicia sublata animaduerti, ut cum de ui Clodium accusauit Milo, Lentulo & Nepote cos. pro Sextio, Consul, inquit, praetor, tribunus pl. noua noui generis edicta proponunt: ne reus adsit, ne citetur: ne quaeratur: ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat. idemq. ep. 9. l. 1. fam. his uerbis: Cum tribunus pl. poenas a seditioso ciue per bonos uiros iudicio persequi nollet, exemplum praeclarissimum in posterum uindicandae seditionis de rep. sustulerunt. confirmat Dio libro, opinor, XXXIX. INTERREGNVM } quo deducta est. quod autem hic, Res uidetur spectare ad interregnum, ad Att. ep. 16. l. 4. dixit, Res fluit ad interregnum. REI *nolunt* } itaque obnuntiationibus dies comitiorum sustulerunt. quod in epistola proxima ostendetur & ad Att. ep. 16 l. 4. Nolebant autem ideo haberi comitia candidati consulares, quo plus haberent spatii ad hominum studia colligenda. MAXIME *Memmius* } cuius etiam caussa fore putaretur aliquis tribunus pl. qui comitia in aduentum Caesaris detruderet. ad Att. ep. 16. l. 4. CAESARIS *aduentu* } in urbem? minime: quia cum imperio Caesar erat: nemo autem cum imperio urbẽ introibat, exceptis qui triumphabant: quorum ipso triumphi die finiebatur imperium. Ad urbem? ne id quidẽ: praefectis enim prouinciarum egredi prouinciae terminis non licebat: & prouinciae Galliae, quam Caesar administrabat. Rubico flumen erat finis. Quo igitur? in Galliam Togatam, Caesaris prouinciae partem, quae ad suffragia ueniebat, non tamen uniuersa, sed coloniae tantum Romanae, & municipia. quod etiam diximus in commen. ep. 1. l. 1. ad Att. his igitur ad comitia uenientibus fore sperabat Memmius ut a Caesare commendaretur: simul illud, ut, cum peragendorum conuentuum caussa Caesar alpes transisset, de suis militibus Romam mitteret, qui Memmium in petitione consulatus adiuuarent. itaque ad Att. ep. 17. l. 4. Memmius, inquit, Caesaris commendetur militibus. & hic, in epistola ultima. IACET } minime futurus consul putatur. infra de eodem, Friget, dixit: supra de Messalla, Flaccet: & ad Atticum de eodem ep. 15. l. 4. Languet. haec ad copiam latinae linguae. VIDEBATVR } & fuit, plebeius cũ patricio. populum enim liberalitate deleniuerunt. ad Att. ep. 16. l. 4. Messalla noster, inquit, & eius competitor Domitius liberalis in populo ualde fuit. nihil gratius. certi erant consules. REFRIXERAT } desertius a Pompeio. nam in postrema epistola, Scaurum, inquit, iam pridem Pompeius abiecit. de quo etiam suspicio quaedam fuerat. nota enim erat Pompeii simulatio. itaque ad Att. ep. 15. l. 4. Pompeius Scauro studet, sed, utrum fronte, an mente, dubitatur. Refrixerat: desierat consul putari. amisso enim Pompeii studio, simul opinionem consulatus amiserat. SINE *lege curiata* } Aliquem, opinor, tribunum pl. cum ferretur curiata lex, timebat intercessorem. ideo etiam cum C. Memmio & Cn. Domitio Caluino turpissima pactione coiit, de qua ad Atticum l. 4 ep. 18. ut ambo HS cccc consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quae lata non esset. quo patefit summa in Appio prouinciae cupiditatis. Imperium dabat populus lege curiata, senatus lege Cornelia. qui lege curiata, sumptu publico, qui Cornelia, suo ibant in prouinciam. ideo in epistola ad Atticum 16. lib. IV. Appius, inquit, sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat. & fam. epistola 9. lib. I. LENTVLO *nostro* } Spintheri, Ciliciam administranti, qui Ciceronem consul ab exilio restituerat. ILLO *die* } de quo dixi iam, Ipso decimo die: cum Gabinius in senatu actus & uexatus undique est, ACCVSAVIT } non ad praetorem in foro, sed in senatu, DATA } prolata, eorum qui partici-

pes

pes aut conscij fuerant maiestatis imminutae: quibus testibus conuinci Gabinius posset. Ipsa *domus* } quod scilicet reliquum erat, expolitio. iam enim aedificatam magna ex parte crediderim; cum in proxima superiore epistola dixerit, Vrbanam ex politionem urget Philotimus. & in ea, quae sequitur proxima, Expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus. Nec unius Quincti, sed utriusque domum intelligo, cum sequatur, A redemptoribus, suum enim uterque redemptorem habebat. itaque ep. IV. l. II. Redemptori, inquit, tuo dimidium pecuniae curaui. quo itē in loco de utriusque coniuncta domo cognoscitur. ergo cum dixit, Domi recte, de utriusque pariter domesticis rebus intellexit. Tractatur *non indiligenter* } satis curatur strenue, urgentibus Philotimo & Cincio, ipso etiam Cicerone crebro interuisente. supra in epist. proxima. Et quod hic μεταφορικῶς dixit, Tractatur; in proxima epist. eadem tralatione usus, In manibus sunt.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 3.

Occupationum *mearum signum tibi sit librarij manus. diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo. ita, quidquid conficio, aut cogito, in ambulationis fere tempus confero. negotia nostra sic se habent: domestica uero, ut uolumus. ualent pueri, studio se discunt, diligenter docentur, & nos, & inter se amāt. Expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus, sed tua ad perfectum. iam, res rustica Arcani, & Laterij. praeterea de aqua, de uia nihil praetermisit quadam epistola, quin enucleate ad te perscriberem. sed me illa cura solicitat, angitq. uehementer, quod, dierum iam amplius* L. *interuallo, nihil a te, nihil a Caesare, nihil ex istis locis non modo litterarum, sed ne rumoris quidem affluxit. me autem iam & mare istuc, & terra solicitat: neque desino, ut fit in amore, ea, quae minime uolo, cogitare. quare non equidem iam te rogo, ut de me, de te, de rebus istis scribas: (numquam enim, cum potes, praetermittis) sed hoc te scire uolo, nihil fere me umquam ita exspectasse, ut cum haec scribebam, litteras tuas. Nunc cognosce ea, quae sunt in rep. Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnunciationibus, magna uoluntate bonorum omnium: tanta inuidia sunt consules, propter suspicionem pactorum a candidatis praemiorum. candidati consulares quattuor omnes rei. caussae sunt difficiles: sed enitemur, ut Messalla noster saluus sit: quod est etiam cum reliquorum salute coniunctum. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente priuigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio: cōtra dixit L. Torquatus, omnibusq. libentibus non obtinuit. quaeris. quid fiet. sciemus de maiestate triduo: quo quidem in iudicio odio premitur omnium generum: maxime testibus caeditur: accusatoribus frigidissimis utitur. consilium uarium, quaesitor grauis, & firmus Alfius, Pompeius uehemens in iudicibus rogandis, quid futurum sit, nescio: locum tamen illi in ciuitate non uideo. animum praebeo ad illius perniciem moderatum, ad rerum euentum lenissimum. Habes fere de omnibus rebus. unum illud addam. Cicero tuus, nosterq. summo studio est Paeonij sui rhetoris, hominis, opinor, ualde exercitati, & boni: sed nostrum instituendi genus esse paullo eruditius, & θετικώτερον, non ignoras. quare neque ego impediri Ciceronis iter, atque illam disciplinam uolo: & ipse puer magis illo declamatorio genere duci, et delectari uidetur in quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus. eodem enim peruenturum esse confidimus. sed tamen, si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem, consuetudinemq. inducemus. magna enim nobis a te proposita merces est: quam certe nostra culpa numquam minus assequemur. Quibus in locis, & qua spe hiematurus sis, ad me quamdiligentissime scribas, uelim. Vale.*

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

Quidquid *conficio, aut cogito,* } quidquid scribo, quidquid, quod deinde scribatur, cogito. Negotia *nostra* } quae ad me pertinent, ea quo modo se habeant, ostendi, cum dixi: Diem scito esse nullum &c. Expolitiones } aedium nostrarum. ep. I. huius libri. Sunt *in manibus,* } tractantur, curantur. epistola, quae antecedit, proxima, in extremo. Iam *res rustica* } siue sic, ut est in scripto Bessarionis libro, legas; siue, ut in impressis omnibus, praeter hunc nostrum postremo editum, Iam res est rustica; utroque, modo subesse mendum, intelligetur. mihi Bessarionis librum, cuius habeo iam satis per spectam bonitatem, sequi placuit: ad cumq. uolo, quasi minus remotum a ueritate, meam correctionem accommodare. opinor enim, nec fortasse non recte, legendum sic: Iam, res rusticas: ut Rusticas, dictum accusandi casu, uerbum, Perscriberem, infra positum spectet. nam & in ea ipsa, quam significat, epistola, cum de Arcano & Laterio plene scripsisset, conclusit eam partem his uerbis: Habes fere de rebus rusticis. deinde subiunxit de urbanarum aedium expolitione. Arcani, *& Laterij* } dixi iam, loca fuisse in Arpinati, quae Quinctus possidebat. quid aliud? etiam. nam mihi saepe, quae difficultatis habere nihil uidentur, in iis mea scrupulum iniecit cogitatio. Hic sine dubio quasi retractat Cicero breuiter ea, quae scripsit multis uerbis in epistola I. huius libri. dubitare igitur aliquis iure possit, cur hic Arcanum & Lateriū modo nominet, cum in ea epistola de Manliano praeterea, de Fufidiano, deq. Bouiliano

fundis mentionem fecerit. Ad hanc dubitationem id, de quo quidem mihi dubitatio nulla est, respondebo, Manlianum, Fufidianum, Bouilianum, non ab Arcano loca separata, sed ipsius Arcani partes fuisse: ut Arcanum loci generale nomen esset, quo multi fundi continerentur. PRAETEREA } ergo, cum dixit, Res rustica, Arcani, & Laterii, non de tota rustica re, sed de uillis tantum intellexit; cum adiungat, De aqua, de uia. ENVCLEATE } diligenter, & plane. hoc enim uocabulum Nonius explanat, purgate, exquisite, sine asperitate, aut duritia. ductum a nucleis nucum. EX *istis locis* } ex Britannia. MARE *istuc, & terra* } maritimae tempestates, terrestres pugnae. TOLLVNTVR } sublatos ad usque pridie Kal. Oct. constat ex epistola ad Atticum 26. lib. 4. OBNVNCIATIONIBVS } per Q. Mucium Scaeuolam tribunum pl. interpositis, opera candidatorum cōsularium; qui produci comitia uolebant, quo possent, nummis interea distributis, populi uoluntatem sibi adiungere. significauit iam hoc in epistola proxima, dixit ad Atticum ep. 16. l. 4. Obnunciare quid sit, notum satis est. BONORVM } qui comitia haberi eo anno a consulibus nolebant, ne praemia consequerentur pacta a Mēmio & Caluino, consularibus candidatis. SVSPICIONEM } nondum enim pactionem illam Memmius in senatu recitauerat. ad Att. epist. 18. l. 4. PRAEMIORVM } HS quadringena, hoc est scutatos aureos duodecim millia. ep. ult. lib. IV. ad Att. QVATTVOR } manifestum est, significari duos patricios, Messallam, & Scaurum; duos plebeios, Caluinum, & Memmium. REI } de ambitu postulati. epistola quae huic antecedit. DIFFICILIS } quae non facile defendi possint. quorum enim ita progressa licentia est, ut nummos contra leges, palam, tributim, uno loco diuiserint, pro iis quid est quod quisquam possit dicere? ad Att. ep. 26. l. 4. ENITEMVR, } studio, & precibus, non patrocinio. non enim puto defensum a Cicerone Messallam. nam etsi in epistola ad Att. 16. l. 4. cum dixit, Quid poteris, iniquies, pro iis dicere? ne uiuam, si scio: fore, uidetur significare, ut eorum caussas suscipiat: tamen, id ut existimem non esse factum, adducor iis uerbis, quae sunt infra in ultima epistola: Messallam iā nostrum, reliquosq. molestia leuatos, uehementer gaudeo. non enim de suo patrocinio tacuisset. CVM *reliquorum salute* } Messallae enim absolutio reliquorum candidatorum caussas praeiudicio subleuabit. Ergo Messallae iudicium uidet Cicero primo loco factum iri, deinde reliquorum. P. SVLLA } is, qui de ambitu, accusante L. Torquato competitore, damnatus est, postea de ui a Cicerone defensus: quae exstat oratio. dextrum in exercitu Caesaris cornu rexit in acie Pharsalica. ipsi enim Caesari, de se ipso scribenti, fidem habeo potius, quam Plutarcho, qui dextro cornu Caesarem, sinistro Antonium praefuisse tradit, de P. Sulla uerbum facit nullum. hunc opinor significari in epistola ad Dolabellam, fam. lib. 12. & de off. l. 2. Sed inquiro ipse in me, ne quid in historia peccem, nominum similitudine deceptus. quam esse lubricam admodum rationem, ideoq. labi in ea permultos animaduerto. Nam cum statuissem iam, ut omnino nihil dubitans, hunc esse P. Sullam, qui consul cum P. Autronio Paeto designatus est, de ambituq. L. Torquato accusante damnatus: orta mihi suspicio est, cū hic Sulla Gabinium Romae reum faciat, non esse eum, qui iudicio de ambitu conuictus est. nam de ambitu damnatos exsulii poena sequebatur. quod in oratione pro Plancio declaratur his uerbis: Nunc postulatur a uobis, ut eius exsulio, qui creatus sit, iudicium populi reprehendatis. idq. in eadem infra confirmatur: Agitur, inquit, Plancii salus, patria, fortunae. Sane mihi haec aliquandiu molesta dubitatio fuit. postea quasi nodum soluit obseruatio. reperi enim in oratione pro Sulla id ipsum, quod quia suspicatus iam eram, attenta lectione quaerebam; hoc uidelicet: quo anno Sulla est damnatus, non dum ambitus poenam exsulium fuisse. sic enim in ea de Sulla, ambitus antea condemnato, Cicero loquitur: Abfuit ab oculis nostris, &, cum lege retineretur, ipse se exsulio paene multauit. Ergo, quo anno habita est oratio pro Plancio, exsulabant de ambitu damnati; quo damnatus est Sulla, non exsulabant. Placuit etiam quaerere, quo anno lex, quae exsulium irrogabat, lata sit. comperi. lata est ab ipso Cicerone consule, triennio post Sullam damnatum. docet hoc duobus in locis oratio pro Murena. hoc amplius ex Dione cognoscitur, exsulium illud per decem annos fuisse. FRATRE } uteri. ō, cum sit Caeciliae gentis: nam Sulla Cornelius. SVLLA *filio* } quem in ea, quam nominaui proxime, Cassius epistola significat, cum ait: Sectorem Caesar non desiderabit, cum filium uiderit. CONTRADIXIT } in diuinationis iudicio: accusator enim, Sulla reiecto, decipi uolebat. ad Att. ep. 16. l. 4. Gabinium, inquit, P. Sulla, non dubitans quin foris esset, postularat, contradicente, & nihil obtinente Torquato. TORQVATVS } is, qui hunc Sullā de ui accusauit, filius eius, qui eundem de ambitu accusauerat, & damnauerat: ut aeternas cum P. Sulla gerere inimicitias uiderentur. LIBENTIBVS } nimium enim infesti Sullae Torquati uidebantur. damnauerant ambitus: consulatum eripuerant: de ui accusauerant: an etiam alterius accusandi locum, ipso repulso, obtinerent? nimia haec quidem arrogantia. itaque propensiores in Sullam homines, quam in Torquatum, qui uetere inimici calamitate contentus non esset. OMNIVM *generum* } ut uniuersus paene populus ad iudicium concurrerit; parumq. abfuerit, quin eum discerperet. Dio libro XXXIX. CAEDITVR } accusatur, affligitur. ductum a pugnantibus. ACCVSATORIBVS } L. Lentulum, eiusq. subscriptores intelligit. epistola proxima, & ad Atticum epistola 16. lib. 4. CONSILIVM *uarium* } iudices non omnes boni, non omnes improbi. QVAESITOR } qui de maiestate quaerebat, qui quaestioni praeerat, praetor Alfius. quaesitor est quicumque de aliquo quaerit crimine etiam si praetor non sit. itaque C. Iunium, qui de Oppianici ueneficio, accusante Cluentio, quaesierat, Pedianus quaesitorem appellat: cum tamen is praetor non esset, ut pro Cluentio declarat oratio. praetor igitur omnis quaesitor est, praeter urbanum, qui numquam quaerit, sed tantū ius dicit, quaesitor autē non omnis est praetor. quod in libro de legibus Romanis demonstratū est. GRAVIS *& firmus* } quem nihil moueat, nihil flectat.

LOCVM

LOCVM *tamen* } etiam si de maiestate absoluatur;fore tamen uideo,ut aut de repetundis, aut de ambitu damnetur.itaque omnino locum in ciuitate non habebit: ibit in exsulium. MODERATVM } non nimis cupidum.testis enim fuit,praeterea quieuit.epist.ult. LENISSIMVM } quod euenerit, aequo animo feram. δειτικώτερον, } subtilius, philosophicis quaestionibus magis refertum. DECLAMATORIO } in quo illum rhetor Paeonius exercet: quod potius in quadam uerborum copia,quam in sententiarum acumine,consistit. MERCES } amoris augendi erga me tui.epistola huius libri prima. SPE } tui ditandi, uel ex praeda bellica,uel e Caesaris liberalitate.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 4.

GABINIVS *absolutus est.omnino nihil accusatore Lētulo,subscriptoribusq.eius infantius:nihil illo consilio sordidius.sed tamen, nisi incredibilis contētio,preces Pompeij,dictaturae etiam rumor plenus timoris fuisset,ipsi Lentulo non respondisset; qui cum illo accusatore, illoq. consilio sententijs condemnatus sit XXXI cum LXX tulissent. est omnino tam graui fama hoc iudicium,ut uideatur reliquis iudicijs periturus, & maxime de pecunijs repetundis. sed uides nullam esse remp.nullum senatum, nulla iudicia, nullam in ullo nostrum dignitatem. quid plura de iudicibus ? duo praetorij sederunt,Domitius Caluinus : is aperte absoluit,ut omnes uiderent: & Cato: is,diruptis tabellis, de circulo se subduxit,& Pompeio primus nunciauit. Aiunt non nulli,item Sallustius,me oportuisse accusare. his ego iudicibus committerem?quid essem,si me agente esset elapsus ? sed me alia mouerunt. non putasset sibi Pompeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen: in urbem introisset: ad inimicitias res uenisset. cum Aesernino Samnite Pacideianus comparatus uiderer :auriculam fortasse mordicus abstulisset : cum Clodio quidem certe rediisset in gratiam . ego uero meum consilium , si praesertim tu non improbas,uehementer approbo. ille, cum a me singularibus meis studiis ornatus esset;cumq. ego illi nihil deberem,ille mihi omnia;tamen in rep.me a se dissentientem non tulit; (nihil dicā grauius)& minus potens eo tempore,quid in me florentem posset , ostendit. nunc,cum ego ne curem quidem multum posse,res quidem publica certe nihil possit,unus ille omnia: cum illo ipso contenderem ? sic enim faciendum fuisset . non existimo te putare id mihi suspiciendum fuisse. Alterutrum , inquit idem Sallustius: defendisses , idq. Pompeio contendenti dedisses . etenim uehementer orabat . lepidum amicum Sallustium , qui mihi aut inimicitias putet periculosas subeundas fuisse , aut infamiam sempiternam . ego uero hac mediocritate delector . Ac mihi illud iucundum est, quod, cum testimonium secundum fidem, & religionem grauissime dixissem , reus dixit , si in ciuitate licuisset sibi esse, mihi se satisfacturum ; neque me quidquam interrogauit. De uersibus , quos tibi a me scribi uis,deest mihi quidem opera , quae non modo tempus , sed etiam animum uacuum ab omni cura desiderat : sed abest etiam ἐνθουσιασμός. non enim sumus omnino sine cura uenientis anni, etsi sumus sine timore . simul & illud , (sine ulla mehercule ironia loquor)tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo , quam mihi . De bibliotheca tua Graeca supplenda , libris commutandis , Latinis comparandis, ualde uelim ista confici , praesertim cum ad meum quoque usum spectent. sed ego , mihi ipsi ista per quem agam ,non habeo . neque enim uenalia sunt,quae quidem placeant , & confici nisi per hominem & peritum , & diligentem non possunt . Chrysippo tamen imperabo, & cum Tyrannione loquar . De fisco quid egerit Scipio , quaeram. quod uidebitur rectum esse,curabo.De Ascanione , tu uero,quod uoles,facies:me nihil interpono.De suburbano,quod non properas,laudo:ut habeas,hortor. Haec scripsi ad IIX.Kal.Nou.quo die ludi committebantur, in Tusculanum proficiscens,ducensq. mecum Ciceronē meum in ludum discendi , non lusionis , ea re non longius , quam uellem , quod Pontinio ad triumphum ad III.non. Nou. uolebam adesse. etenim erit nescio quid negotioli.nam Cato, & Seruilius praetores prohibituros se minantur:nec,quid possint,scio.ille enim & Appium consulem secum habebit,& praetores , & tribunos pl.sed minantur tamen , in primisq. Aρη τρίων Q. Scaeuola. Cura, mi suauissime, & carissime frater, ut ualeas .*

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

ABSOLVTVS } de maiestate. SORDIDIVS } improbius.sic ad Atti.epist. 16.lib.4.de iisdem,Iudicum sordes,dixit. DICTATVRAE } quam Pompeio delatum iri,omnes uidebant,principi ciuitatis.hic igitur iudices timor commouit.quod in ad Atticum epistola confirmatur ab his uerbis: Est nō nullus odor dictaturae,sermo quidem multus,qui etiā Gabiniū apud timidos iudices adiuuit. XXXII.} in antiquis libris,XXII.ego,XXXII.ex epistola ad Atticum 16.l.4.LXX}in oratione in Pisonem LXXV. cōmemorat.RELIQVIS *iudicijs*}de repetundis,de ambitu.supra.PERITVRVS}quod euenit.damnatū enim Dio scribit lib.XXXIX.SEDERVNT}de iudicibus proprie.passim exempla in Ciceronis orationibus. Et,iudicasse praetorios,ne miremur: cū uniuersa iudicū sortitio de tribus ordinibus a quaestoribus urbanis fieret,altera deinde sortitio a singulis praetoribus.ita non modo praetorii, uerū etiā cōsulares interdū,

una cum ijs, qui nullos gesserant magistratus, iudicabant. APERTE } ergo praetorius homo & improbus, qui Gabinium, manifestae culpae reum, absolueret; & impudenter improbus, qui sic absolueret, ut omnes uiderent: cum ceteri sententias tecte ferrent. ex quo, quae tum fuerit forma reipublicae, quam inquinata uitijs, quam non similis antiquae, licet existimare: cum Caluinus, qui cum consulibus turpissima pactione coierat, quam C. Memmius, eiusdem pactionis particeps, in senatu recitauit; qui Gabiniũ, cuius crimina luce clarius patebant, aperte absoluerat; consul tamen fuerit anno sequenti. CATO } non is, qui postea Vticensis dictus est. erat enim hoc anno praetor, ut in prima huius libri epistola demonstratum est. praetores autem in aliorum praetorum consilio iudices sedisse, non est ut credi possit. Accedit illa ratio, quod, uir omnium optimus, & constantissimus cum esset, numquam, adulandi gratia, Gabinium absolutum primus Pompeio nuntiasset. est igitur alius Cato, uel Porcius, uel Hostilius; qui sua sententia Gabinium uidetur absoluisse. de C. Catone, qui tribunus pl. fuit Marcellino & Philippo cos. non licet intelligi. non enim uno tantum anno post tribunatum gerere praeturam potuit. DIRVPTIS } malim diremptis, pro, discretis, dinumeratis: ut, quae absoluissent, quae damnassent, cognosceretur. non enim discessit Cato, nisi postea quam, tabellis dinumeratis Gabinium uidit absolutum. eademq. coniectura ductus, legendum crediderim in oratione pro Plancio diremptio, non direptio. sic Lucanus lib. v. Et non admissae dirimit suffragia plebis. sic apud Varronem l. 3. de re rustica: dum dirimuntur suffragia, uillae publicae utamur umbra. CIRCVLO } ubi iudices circa praetoris tribunal sedentes, sententias tulerant. POMPEIO } extra urbem. nam erat cum imperio. id confirmant illa, quae paullo post sequuntur, uerba: In urbem introisset. & Dio lib. XXXIX. non affuisse Pompeium tradit: cum enim ad hoc iudicium uenire uoluisset, paulloq. tardior fuisset, ad urbem iudicii exitum exspectasse. NVNTIAVIT } cupiens cupienti. COMMITTEREM? } caussam. QVID essem, } quam apud homines turpis? ELAPSVS? } non hic tantum, sed alibi saepe hoc uerbum pro, absolutus, usurpatum. DE sua dignitate } quasi ego uellem experiri, uter plus ualeret, ipse ad absolutionem, ego ad condemnationem Gabinii. INTROISSET } quod, me accusante, plus impendere periculi Gabinio uideret, quam accusante L. Lentulo. nunc. n. in urbem non introiuit: me accusante introisset, sicuti ante introierat, ut laudaret P. Sextium. cuius rei mentio fit ep. fam. I I. impetrabant hoc, opinor, a senatu, qui erant ad urbem cũ imperio. CVM Aesernino } insigne par gladiatorum inductum uideretur, ut Pacideianus, cum Aesernino pugnaturus: de quibus Lucilius poeta, uide libellum de optimo genere oratorum. AVRICVLAM } quod inter pugnátes, ubi ad complexum uentum est, quandoque contigit. non discedit a similitudine gladiatorum. CLODIO } inimico suo, ut constat ex ep. III. l. II. MEVM consilium } quod Gabinium eam ob caussam maxime non accusauerim, ne Pompeium offenderem. SINGVLARIBVS } cum & praetor Maniliam rogationem, de committenda Pompeio belli Mithridatici cura, luculenta, quae exstat, oratione suaserit, & consul, Mithridatico bello confecto, supplicationem ei dierum duodecim decreuerit. ep. fam. 12. & in oratione de prouincijs. DISSENTIENTEM } cum Cicero pro republica loqueretur; contra, Pompeius, Caesar, Crassus ad suam potentiam omnia referrent. NON tulit } offensus enim ob eam caussam, eiici me, contra quã promiserat, in exsulium a Clodio passus est. NON dicam grauius } Non dicã, quod uere possem, prodidit. eius enim in me perfidiam leuiter notatam uolo. MINVS potens } nam postea, discessu Caesaris, & Crassi, potentia Pompeii ad summum peruenit. ALTERVTRVM } si Pompeii caussa, Sallustius aiebat, Gabinium accusare noluisti, at eiusdem caussa defendisses. DEFENDISSES } elegans & antiqua locutio, pro eo, quod uulgo dicunt, defendere debebas. sic l. 3. in Verrem. Voconia lex te uidelicet delectabat: imitatus esses illũ ipsum C. Voconium. & de off. III. Male Curio, cum caussam transpadanorum aequã esse dicebat; semper autem addebat, Vincat utilitas. potius diceret; non esse aequam, quia nõ esset utilis reipublicae, quã, cum aequam esse diceret, non esse utilem fateretur. CONTENDENTI } uehementer oranti: ut se ipse proxime sequentibus uerbis exponit. INIMICITIAS } cum Pompeio, si Gabinium accusarem. INFAMIAM } si defenderem. HAC mediocritate } cum neque accusauerim, neque defenderim, sed mediam quasi uiam tenuerim, citra periculum, & infamiam. Infra, in ultima epistola, Illum, inquit, neque ursi, neque leuaui: testis uehemens fui: praeterea quieui. GRAVISSIME } uehementer. nam infra, Testis, inquit, uehemens fui. IN ciuitate } si absolutus esset. damnati enim de maiestate exulabant. SATISFACTVRVM } gratiam relaturum, quod eum non accusassem, testimonio contentus. NEQVE me interrogauit } hoc faciebant rei, quo testes in mendacio deprehenderent. sic apud Pedianũ, interrogatos a reo Milone testes, quos accusator produxerat, legimus. fuit igitur honorificum Ciceroni, a reo nihil interrogari: quasi nihil, nisi secũdum fidem & religionem, dixisset. COMMVTANDIS } quia uel mendose, uel non belle scripti. TIBI scrib. } quibus uteris, ut tuis. supra in ep. ult. lib. II. in extremo, & prima lib. III. OPERA } operam in hac re ponere non possum. ἐνθουσιασμός } furor ille, qui poetis diuinitus inspiratur. quod in epistola sequenti dixit, Non satis commoueor animo ad ea, quae uis, cauenda. SINE cura } timebat omnino, ne praetor esset anno sequenti P. Clodius. id. n. erat ei legitimus annus, cum aedilis fuisset Marcellino & Philippo cos. CHRYSIPPO } & hic, & Tyrannio serui erant litterati, Tyrannio etiã Quincti filii magister. supra, & ad Atticũ. FISCO } aerario. hac de re extrema epistola sequẽti his uerbis: Ab aerario puto confectũ esse, dũ absum: quaerere praeterea, quid plane rei sit, inepti hominis esset, uereq., quod aiunt, nodũ in scirpo quaerẽtis. DE Ascanione } seruo fortasse manumittẽdo. quod Cicero nõ uidetur probare, sicuti nec de Statio probauerat. DE suburbano } emẽdo. de quo scripserat Quinctus ad Anitiũ. ep. huius l. I. IIX. Kal. Nou. } forte, VI. nam in uetere Romano Kalendario primũ uideo ludorũ Victoriae diem VI. Kal. Nou. COMMITTEBANTVR } cõmitti ludos, pro incipi, ignorat, opinor, nemo. QVAM uellem } nõ placet haec loquẽdi ratio,

Non longius, quam uellem. perpendatur ſententia: ineſſe quiddam, quod terretes aures offendat, ſentietur. forte abundat, Quam uellem.. PONTINIO } C. Pontinio, de Allobrogibus triumphaturo. praeturam geſſit Cicerone conſule. eiuſdem in Cilicia legatus fuit. III. *Non.* } in ad Atticum epiſtola 16. li. 4. eſt, IV. Non. SERVILIVS } Iſaurici filius. SECVM *habebit* } uide noſtrum commentarium. quo in loco illud expoſuimus, Erit cum Pontinio Appius conſul. ep. 16. li. 4. ἄρη πνέων } Martem ſpirans. dictum de ijs, qui terribile quiddam uultu praeſeferunt. ſic in Atticum ep. XI. li. 15. Hoc loco, fortibus ſane oculis, Caſſius, (Martem ſpirare diceres) ſe in Siciliam non iturum. ἄρη βλέπων, dixit Ariſtophanes. SCAEVOLA } tribunus pl. ad Atticum ep. 16. lib. 4.

Marcus S. D. Quincto fratri. 5.

QVOD quaeris, quid de illis libris egerim, quos, cum eſſem in Cumano ſcribere inſtitui: non ceſſaui neque ceſſo: ſed ſaepe iam ſcribendi totum conſilium, rationemq. mutaui. nam, iam duobus factis libris, in quibus nouendialibus ijs ferijs, quae fuerunt Tuditano, & Aquillio coſ. ſermo eſt a me inſtitutus Africani, paullo ante mortem, & Laelij, Phili, Manilij, Q. Tuberonis, & Laelij generorum, Fannij, & Scaeuolae; ſermo autem in nouem & dies, & libros diſtributus de optimo ſtatu ciuitatis, & de optimo ciue; (ſane texebatur opus luculenter; hominumq. dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat) hi libri cum in Tuſculano mihi legerentur, audiente Salluſtio, admonitus ſum ab illo, multo maiore auctoritate illis de rebus dici poſſe, ſi ipſe loquerer, de rep. praeſertim, cum eſſem non Heraclides Ponticus, ſed conſularis, & is, qui in maximis uerſatus in rep. rebus eſſem: quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea uiſum iri ficta eſſe: oratorum ſermonem in illis noſtris libris, quod eſſet de ratione dicendi, belli a me remouiſſe, ad eos tamen retuliſſe, quos ipſe uidiſſem: Ariſtotelem denique, quae de rep. & praeſtante uiro ſcribat, ipſum loqui. commouit me, & eo magis, quod maximos motus noſtrae ciuitatis attingere non poteram; quod erant inferiores, quam illorum aetas, qui loquebantur. ego autem id ipſum tum eram ſecutus, ne in noſtra tempora incurrens, offenderem quampiam. nunc & id uitabo; & loquar ipſe tecum; & tamen illa, quae inſtitueram, ad te, ſi Romam uenero, mittam. puto enim te exiſtimaturum, a me libros illos non ſine aliquo meo ſtomacho eſſe relictos. Caeſaris amore, quem ad me perſcribis, unice delector: promiſſis ijs, quae oſtendit, non ualde pendeo; nec honores ſitio; nec deſiderio gloriam: magisq. eius uoluntatis perpetuitatem, quam promiſſorum exitum, exſpecto: uiuo tamen in ea ambitione, & labore, tanquam id, quod non poſtulo, exſpectem. Quod me de faciendis uerſibus rogas: incredibile eſt, mi frater, quam egeam tempore: nec ſane ſatis commoueor animo ad ea, quae uis, canenda. ὑποτέρως uero, & ea. quae ipſe ego ne cogitando quidem conſequor, tu, qui omnes iſto eloquendi, & exprimendi genere ſuperaſti, a me petis? facerem tamen, ut poſſem: ſed, quod te minime fugit, opus eſt ad poema quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt. abduco equidem me ab omni reip. cura, dedoq. litteris: ſed tamen indicabo tibi, quod mehercule in primis te celatum uolebam. angor mi ſuauiſſime frater, angor, nullam eſſe remp. nulla iudicia, noſtrumq. hoc tempus aetatis, quod in illa auctoritate ſenatoria florere debebat, aut forenſi labore iactari, aut domeſticis litteris ſuſtentari. illud uero, quod a puero adamaram,

Αἰὲν ἀριςεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,

totum occidiſſe: inimicos a me partim non oppugnatos, partim etiam eſſe defenſos: meum non modo animum, ſed ne odium quidem eſſe liberum: unumq. ex omnibus Caeſarem eſſe inuentum, qui me tantum, quantum ego uellem, amaret; aut etiam, ſicut alij putant, hunc unum eſſe, qui uellet. quorum tamen nihil eſt eiuſmodi, ut ego me non multa conſolatione quotidie leniam. ſed illa erit conſolatio maxima, ſi una erimus. nunc ad illa uel grauiſſimum accedit tui deſiderium. Gabinium ſi, ut Panſa putat oportuiſſe, defendiſſem, occidiſſem. qui illum oderunt, (ij ſunt toti ordines) propter quem oderunt, me ipſum odiſſe coepiſſent. tenui me, ut puto, egregie: tantum ut facerem, quantum omnes uiderent. & in omni ſumma, ut mones ualde me ad otium, pacemq. conuerto. De libris, Tyrannio eſt ceſſator, Chryſippo dicam: ſed res operoſa eſt, & hominis perdiligentis, ſentio ipſe, qui in ſummo ſtudio nihil aſſequor, de latinis uero quo me uertam, neſcio: ita mendoſe & ſcribuntur, & ueneunt: ſed tamen, quod fieri potuerit, non negligam. Crebrius, ut ante ad te ſcripſi, Romae eſt: & qui omnia adiurant, debere tibi ualde renunciant. Ab aerario puto confectum eſſe, dum abſum.

EXPLANATIO

Iiſdem conſulibus.

DE *illis libris* } de republica. libro II. epiſtola, Duas. NOVENDIALIBVS } nouem dierum, ut proxime patebit. AFRICANI } minoris, ut ex Macrobio colligitur. LAELII } duo C. Laelij fuere, alter maioris Africani, alter minoris amiciſſimus, hic cum Q. Seruilio Caepione, ille cum L. Cornelio Aſiatico conſul. nunc de poſteriore fit mentio. PHILI } P. Furij Phili, qui conſul fuit cum Sex. Atilio Serano. MANILII } M. Manilij, qui cum L. Marcio Cenſorino conſul fuit. TVBERONIS, } Q. Aelij

Aelij Tuberonis; qui minoris Africani sorore, L. Aemili Paulli filia, natus est. in oratione pro Murena, & alibi. FANNII, *& Scaeuolae* } quos in libro de amicitia cum socero colloquentes facit. Rutilium hic non nominat; de quo mentionem facit ad Atticum epist. 16. lib. 4. NOVEM *dies* } feriarum. ideo Nouemdiales dicti. LIBROS } quos tamen in sex postea contulit. SALLVSTIO } de quo in epistola proxima superiore. SI *ipse loquerer* } ut Aristoteles in politicis, omisso dialogo. HERACLIDES *Ponticus* } mollis philosophus, ut pro, Ponticus, Pompicus uocaretur. Laertius. CONSVLARIS } quem oratio de statu ciuitatis optimo, deq. optimo item ciue decere uideretur. dignitas enim personae pondus affert orationi. NOSTRIS *libris* } tribus de oratore. BELLE } cum caussa: ne uiderer mihi perfectam dicendi rationem arrogare. VIDISSEM } uidit enim Cicero, ac saepe dicentes audiuit, Crassum, Antonium, Scaeuolam, Catulum, Caesarem, Cottam, Sulpicium, quibus tribuit sermonem de ratione dicendi: at uero Africanum, Laelium, Philum, Manilium, Tuberonem non uidit: unum Scaeuolam puer cognouit: ut est in libro de amicitia. DE *rep. & praestante uiro* } scribit enim in suis, qui exstant, politicis libris Aristoteles & de optima rep. & de optimo ciue. quales erant, qui perierunt, & Ciceronis libri. itaque dixit proxime, De optimo statu ciuitatis, & de optimo ciue. COMMOVIT *me* } suum tamen institutum Cicero persecutus est. loquitur enim in somnio Scipionis Scipio ipse, Laelio respondens, querenti nullas Nasicae, qui Ti. Gracchum, perniciose de re publica cogitantem, occiderat, statuas in publico locatas. OFFENDEREM *quempiam* } cum attingerem maximos motus nostrae ciuitatis. ID *uitabo* } ne quempiam offendam. LOQVAR *ipse tecum* } te & me de rep. loquentes inducam. quod tamen, ut proxime ostendi, non fecit. QVAE *institueram* } duos libros, quos iam nominauit. ROMAM } scripsit igitur epistolam in aliqua uillarum suarum. STOMACHO } quod ingenij sui quasi partum non libenter imperfectum abiecerit. RELICTOS } omissos; cum me Sallustij sermo commouisset. IN *ea ambitione* } nullam enim ex ijs rebus, unde parantur honores, praetermitto: cum de honoribus tamen ipsis, quos mihi Caesar promittit, non laborem. epistola huius libri ante ultimam. VERSIBVS } quos edas pro tuis. epistola, quae antecedit proxima. COMMOVEOR *animo* } abest ἐνθουσιασμός. sic enim dixit in proxima. CANENDA. } aptius, quam scribenda: quod poetarum, qui animo commoueantur, quibus scilicet ἐνθουσιασμὸς ille adsit, canere proprium est. ὑπόθεσις } poematis argumentum: res, de quibus scribatur. EA } hoc non ad ὑπόθεσιν, sed ad uersuum elegantiam spectat. quod indicant proxima uerba: Tu, qui omnes &c. IPSE *ego* } cum mea caussa conor: nedum consequi pro te possim. NE *cogitando quidem* } tu autem ita haec a me petis, quasi uel sine cogitatione possim praestare. ISTO } uersibus faciendis. ANIMI *alacritate* } tria iam, quae ad poema requirantur, attigit, ἐνθουσιασμὸν, otium, animi alacritatem. TEMPORA } quia uideo, nullam esse remp. nulla iudicia. AVCTORITATE } ob magistratus administratos, maximasq. res pro republica gestas. SENATORIA } aequum enim erat, ut homo hoc aetatis, ijs honoribus, iis rebus gestis, ea tantum, quae in senatu grauiter agenda sunt, curarem. FORENSI *labore* } agendis in foro caussis. IACTARI } quod eum, qui summos honores gesserit, summa in remp. merita contulerit, decere non admodum uidetur. iactari, enim grauitatem non habet. DOMESTICIS } quibus domi operam do. SVSTENTARI } malis reip. fractum. hoc enim eo uerbum spectat. αἰὲν ἀριστεύειν } uersus Homericus in Iliadis Z, a Glauco pronunciatus. sed integra duobus uersibus sententia comprehenditur.

„ πέμπε δέ μ' ἐς Τροίην, καί μοι μάλα πόλλ' ἐπέτελλεν,
„ αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. idest:

misit autem me ad Troiam, & mihi ualde multa mandauit, semper strenue fortiterq. agere, & aliis praestare. TOTVM *occidisse* } nullo prorsus modo fieri. cur? quia, cum inimicos suos partim non oppugnarit, ut Gabinium Pompeij caussa, partim etiam defenderit, ut Vatinium propter Caesarem; quod utrumque in his epistolis iam demonstratam est; nimirum plane illud amisit, αἰὲν ἀριστεύειν. NON *modo animum*, } non modo, inquit, libere sentire non possum, sed nec odisse quos debeo; ne scilicet eorum, qui nunc principes in rep. sunt, animos offendam. QVI *uellet* } quasi unus Caesar non alicuius commodi spe, sed uere, atque ex animo, planeq. sua sponte amaret; alii simulate, & astute. quod de Pompeio creditum est: (ideo dixit, sicut alii putant) qui Ciceronem, quem, contra datam fidem, pelli passus erat, ideo reuocauit ab exsulio, ut eius opera cum senatu rediret in gratiam. Plutarchus. MVLTA *consolatione* } domesticis litteris. quod proxime dixit. & hic, eodem spectans, intulit, Quotidie. quotidiana enim tractatio litterarum. PANSA } C. Vibius Pansa, qui consul cum Hirtio fuit, anno post Caesaris necem proximo. is, opinor, in exercitu Caesaris cum Quincto locutus erat de Gabinio defendendo. scripsit Quinctus: respondet Marcus; & rationem affert, cur eum non defenderit. CONCIDISSEM } collectam multis praeclare factis gratiam bonorum, hac una re profudissem, ac perdidissem. TOTI *ordines* } non modo omnes ordines. (hi tres erant, senatorius, equester, plebeius) sed omnium ordinum omnes homines. PROPTER *quem oderunt*, } odisse coepissent: qui me simul cum rep. crudelissime ab illo consule uexatum recordantur. TENVI *me* } progressus neque in hanc partem sum, neque in illam: non accusaui, non defendi. VIDERENT } dixi in illum, quae nota erant: praeterea quieui. IN *omni summa* } quidquid ago, otium meum specto: inimicitias contentionesq. fugio. DE *libris* } de bibliotheca graeca supplenda, libris commutandis, latinis comparandis, supra. IN *summo studio* } quod ipse in curanda mihi bibliotheca pono. CREBRIVS

BRIVS } malo sic, quam, ut in impressis libris, Cerbrius: primum, quia Bessarionis librum, quem sequar, habeo: deinde, quia conuenit a creber ita deductum Crebrius, ut a ruber Rubrius. QVI *omnia adiurant* } qui cogunt sibi credi, iureiurando ad asseuerationem adiuncto. RENVNCIANT } mihi, dum in uillis meis sum. nam infert, Dum absum. forte a Quincto Crebrius hic beneficia acceperat in Gallia. monet enim me illud, Romae est. AB *aerario* } quod supra dixit in proxima, De fisco quid egerit Scipio.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 6.

QVATTVOR tragoedias XVI. diebus absoluisse cum scribas, tu quidquam ab alio mutuaris? & κλέος quaeris, cum Electram, & Troadem scripseris? cessator esse noli, & illud, γνῶθι σαυτόν, noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, uerum etiam ut bona nostra norimus. sed & istas, & Erigonam mihi uelim mittas. Habes duas epistolas proximas. Vale.

EXPLANATIO

Ijsdem consulibus.

AB ALIO } a me scilicet: quem de uersibus tibi scribendis saepe rogas. supra quattuor in locis. κλέος quaeris? } laudem aliunde quaeris; cum in te ipso sit, unde illam pares? ISTAS } Electram, & Troadem. ERIGONAM } quam, a Quincto ante missam, quod ex huius libri epistola 1. liquet, tabellarius amiserat: quod epistola ultima declarat. PROXIMAS } hanc breuem, & proximam superiorem, utramque in eundum fasciculum coniectas. nam, cum illam scripsisset, atque obsignasset; alteram hanc, litteris a Quincto acceptis, illico scripsit, breuiorem omnino, quam ut uideri posit ad fratrem trans alpes usque missa: uerum, si, cum proxima simul missam, intelligamus, tollitur admiratio. Aut dicamus epistolam falso putari: particulam enim potius epistolae superioris esse. quod eo etiam uerisimilius uidetur, quia, cum dixit, Epistolas proximas, epistolam non appellaret sex aut septem uersus. quod si ita est; epistolas proximas uocabit, duas superiores, quia simul utramque miserit. Ac uereor, ne item ea, quae sequitur, epistola cum hac sit coniungenda: ut eam de se ipso scripserit Marcus, superiora omnia ad Quincti litteras responderit.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 7.

ROMAE & maxime Appia, ad Martis, mira proluuies: Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernae plurimae: magna uis aquae usque ad piscinam publicam. uiget illud Homeri.

ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς. *cadit enim in absolutionem Gabinij,*
ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ:
Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

sed haec non curare decreui. Romam cum uenero, quae perspexero, scribam ad te, & maxime de dictatura; & ad Labienum, & ad Ligurium litteras dabo. Hanc scripsi ante lucem, ad lychnuchum ligneolum; qui mihi erat periucundus, quod eum te aiebant, cum esses Sami, curasse faciendum. Vale, mi suauissime, & optime frater.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus.

APPIA, *ad Martis* } Appia uia, ad aedem Martis. & Appia uia, ad portam Capenam, extra urbem. ea ducebat usque Brundisium, omnium uiarum celeberrima, ab Ap. Claudio censore munita. Martis autem templum, quod in Appia uia fuit, significat. nam de altero etiam intra urbem legimus. PISCINAM *publicam* } eam P. Victor collocat in regione XII. VIGET *illud Homeri* } accidit plane, quod in illis uersibus, Iliados π, dixit Homerus: Iouem magnos imbres fundere, cum est hominibus, iustitiam non colentibus, iratus. uidetur enim ideo proluuiem hanc immisisse, quia Gabinium contra leges absolutum inique ferat. HAEC } quae fiunt in rep. non recte. DE *dictatura* } ad quam res uidetur spectare. discordiis enim ciuium comitia producuntur: quas dictatoris potestas sedabit. supra, & infra, & ad Att. epist. 16. lib. 4. LABIENVM } T. Atium Labienum, Caesaris in Gallia legatum, qui postea

postea ciuili bello ad Pompeij partes transijt, tribunus pl. legem tulerat, auctore Caesare, ut sacerdotia, collegijs erepta, populus mandaret. LIGVRIVM } A. Ligurium, Caesaris familiarem: de quo ad Atticum epist. 9. lib. XI. & fam. 263. DABO } uidetur hoc Quinctus a Marco petijsse; ut eorum, quos maxime Caesar diligeret, amicitiam litteris tueretur. LYCHNVCHVM } quo lucerna sustinetur. SAMI } cum, Asiam pro praetore administrans, Samum uenisses. fuit enim Samus in prouincia Quincti. epistola 1. libri 1.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 8.

SVPERIORI epistolae quod respondeam, nihil est: quae plena stomachi, & querellarum est, quo in genere alteram quoque te scribis pridie Labieno dedisse, qui adhuc non uenerat. deleuit enim mihi omnem molestiam recentior epistola. tantum te & moneo, & rogo, ut in istis molestijs, & laboribus, & desiderijs recordere, consilium nostrum quod fuerit profectionis tuae. non enim commoda quaedam sequebamur parua, ac mediocria. quid enim erat, quod discessu nostro emendum putaremus? praesidium firmissimum petebamus ex optimi, & potentissimi uiri beneuolentia ad omnem statum nostrae dignitatis. plura ponuntur in spe, quam in pecunijs: reliqua ad iacturam struentur. quare si crebro referes animum tuum ad rationem & ueteris consilij nostri, & spei; facilius istos militiae labores, ceteraque, quae te offendunt, feres, & tamen, cum uoles, depones. sed eius rei maturitas neque dum uenit, & tamen iam appropinquat. Etiã illud te admoneo, ne quid ullis litteris committas, quod si prolatum sit, moleste feramus. multa sunt, quae ego nescire malo, quam cum aliquo periculo fieri certior. Plura ad te uacuo animo scribam, cum, ut spero, se Cicero meus belle habebit. tu uelim cures, ut sciã, quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde litteras mittemus, Caesaris ne tabellarijs, ut is ad te protinus mittat, an Labieno. ubi enim isti sunt Neruij, & quam longe absint, nescio. De uirtute, & grauitate Caesaris, quam in summo dolore adhibuisset, magnam ex epistola tua accepi uoluptatem. Quod me institutum ad illum poema iubes perficere: etsi distentus cũ opera, tum animo sum multo magis, quoniam tamen ex epistola, quam ad te miseram, cognouit Caesar me aliquid esse exorsum, reuertar ad institutum, idq. perficiam his supplicationem otiosis diebus: quibus Messallam iam nostrum, reliquosq. molestia leuatos uehementer gaudeo: eumq. quod certum consulem cum Domitio numeratis, nihil a nostra opinione dissentitis. ego Messallam Caesari praestabo. sed Memmius in aduentu Caesaris habet spem. in quo illum puto errare. hic quidem friget. Scaurum autem iam pridem Pompeius abiecit: res prolatae: ad interregnum comitia adducta: rumor dictatoris, iniucundus bonis; mihi etiam magis, quae loquuntur. sed tota res & timetur, & refrigescit. Pompeius plane se negat uelle. antea ipse mihi non negabat. Hirrus auctor fore uidetur: o dij, quam ineptus, quam se ipse amans sine riuali. Crassum Iunianum, hominem mihi deditum, per me deterruit. uelit, nolit, scire difficile est. Hirro tamen agente nolle se non probabit. aliud hoc tempore de rep. nihil loquebantur: agebatur quidẽ certe nihil Serrani Domestici filij funus perluctuosum fuit. ad IV. kal. Dec. laudauit pater scripto meo. Nunc de Milone. Pompeius ei nihil tribuit, & omnia Guttae; dicitq. se perfecturum; ut in illo Caesar incumbat. hoc horret Milo, nec iniuria: & si ille dictator factus sit, paene diffidit. intercessorem dictaturae si iuuerit manu, & praesidio suo. Pompeium metuit inimicum; si non iuuerit, timet, ne per uim perferatur ludos apparat magnificentissimos, sic inquam, ut nemo sumptuosiores: stulte, bis, terq., non postulatus: uel quia munus magnificum dederat: uel quia facultates non erant: uel quia magister: uel quia potuerat magistrum se, non aedilem, putare. Omnia fere scripsi. Cura, mi carissime frater, ut ualeas.

EXPLANATIO

Ijsdem consulibus.

SVPERIORI *epistolae* } tres Quinctus ad Marcum epistolas dederat, primam Labieno, qui non dum uenerat; alteram, quam Marcus ante primam accepit; tertiam, quae ultima Marco est reddita. STOMACHI, *& querelarum* } ex militiae laboribus, ex urbis desiderio. adde, ex periculo illo maximo, in quo his temporibus, Ambiorigis fraude, uersatus est. Caesar comm. lib. V. MOLESTIIS, *& laboribus* } molestiis animi, laboribus corporibus. DESIDERIIS } urbis, & tuorum. DISCESSV *nostro* } ut alter ab altero disiungeremur. PLVRA *ponuntur in spe* } plus in spe constituitur emolumenti, & praesidij, quam in pecunijs: quas in hac legatione potes colligere. RELIQVA } praeter spem: aut, praeter ea, quae iam habemus, a nobis ipsis parta. quaecunque, inquit, struas, ad iacturam struentur; id est, eiusmodi erunt, ut aliquid ex iis quotidie possis amittere. at Caesaris praesidium erit firmissimum: idq. petijmus ad omnem statum nostrae dignitatis. CVM *uoles* } arbitratu enim tuo in urbem redire tibi licebit. PROLATVM } diuulgatum. forte non nihil in superiore illa epistola scripserat Quinctus, quod Caesar si nosset, non aequo animo ferre potuerit: ut, se non ea, quae sperauerat, a Caesare commoda obtinere. quod etiam illa uerba uidentur significare: Non enim commoda quaedam sequebamur parua, ac me-

ac mediocria.& illa: Plura ponuntur in spe, quam in pecunijs. LABIENO } uidetur Labienus aliquandiu Romae fuisse mansurus; cum loquatur Cicero de multis epistolis, quas ad Quinctum deinde daturus erat. NERVII } ubi nunc hibernas cum legione. Caesar comm.lib.v. IN *summo dolore* } ob legatos cũ legione,& cohortibus caesos.comm.lib.v. POEMA } non illud, de quo in epist.huius lib.prima.dixit.n. se incidisse, iam compositum,& confectum.at hoc habere se scribit; neque compositum, sed institutum appellat.neque uero illud alterum poema significat, de quo in epistola ultima libri II.in extremo. nam ad Caesarem id non uidetur esse missum. sed illud, de quo in eiusdem libri epistola, Ad IV.non.in qua sunt haec uerba: Quoniam scribis poema ab eo nostrum probari. quod non esse id, de quo in extrema eius libri epistola fit mentio, inde patet, quia in ea, quae incipit, Ad IV.non.indicat se cognouisse ex litteris Quincti, poema suum a Caesare probari: in ea uero, quae ultimum in eo libro locũ obtinet, rogat fratrem, ut iudiciũ Caesaris de suis uersibus perscribat: nihilq.omnino ea de re Quincto significat ante se accepisse, quod ait: Sed heus tu, celari uideor a te.sunt igitur tria Ciceronis poemata, quae in his ad fratrem epistolis nominantur; unum ad Caesarem, de quo non absoluto, sed instituto legitur in epistola, Ad IV.non.lib.II.& in hac huius ultimi libri ultima: alterum, de quo in extrema eius epistolae parte, quae librum II.concludit: quod non esse ad Caesarem missum, probauimus: tertium, & ipsum ad Caesarem: quod cum absoluisset, incidit. de quo in epistola huius libri prima. CVM *opera, tum animo* } supra, non ijsdem uerbis, idem dixit: Deest mihi opera, quae non modo tempus, sed etiam animum uacuum ab omni cura desiderat. SVPPLICATIONVM } quas Caesari fortasse ob Ambiorigem profligatum senatus decreuerat. OTIOSIS } per dies enim supplicationum lege non agebatur. ita otium illi a forensi labore futurum erat. ne cum populo quidem tum potuisse agi, indicat illud in epistola, Dederam ad te, lib.II.Lentulus dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinae instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. RELIQVOSQVE } candidatos. MOLESTIA *leuatos* } ambitus iudicio absolutos. id fore diuinauit in epistola ad Atticum 16.l.4. inquit enim: Candidati consulares omnes rei ambitus. accedit etiam Gabinius. sed omnes absoluentur. cum tamen nocentes iudicaret, ut in eadem ad eundẽ, & hic in epistola huius libri II.postea tamen Memmius, & Messalla damnati.ad Att.ep.I.l.6. Appianus lib.II.fam.ep.4.lib.8. PRAESTABO } efficiam, si erit consul, ne quid agat in magistratu contra Caesaris uoluntatem. ADVENTV } hoc iam exposuimus in epistola II.huius libri. PVTO *errare* } forte, quia Caesar consulem nolet eum, quem sibi fuisse inimicum in praetura meminerit. Suetonius. etiam Dio lib. XXXVIII.tradidit, hoc ingenio Caesarem fuisse, ut, quos accepta iniuria odisset, eos tamen illico non ulcisceretur. itaque fieri potest, ut Memmius eum, delata superioris temporis memoria, sibi amicum fore crediderit in consulatu petendo. ABIECIT } quem adiuuandum susceperat. ad Att.ep.15.l.4. RES *prolatae* } negotia dilata. ita loquebantur, cum illud tempus. quo feriari hominibus licebat, intelligerent. iterare eadem non placet. diximus hac de re satis in commentario nostro in ep.ad Att. ubi rerum prolatio nominatur, ep.12.l.7. ADDVCTA } affirmat id Cicero quod etsi pro certo habere non posst, (nam post id tempus, quo prolatae res dicebantur, dies praeterea multi supererant comitiales, quibus haberi comitia liceret) omnino tamẽ ob ciuium discordias futurum uidet. LOQVVNTVR } boni: de nimia Pompeij potentia, cui etiam dictatura deferretur. HIRRVS } Lucceiae gentis, plebeiae. AVCTOR } opinor, quia designatus tribunus pl. quod eo quoque, infra quod sequitur, uidetur confirmari: Hirro agente nolle se non probabit. ut omittam, quod magistratuum ordo consentit. petijt enim aedilitatem post: & aedilitas cur. post tribunatum pl. petebatur. ep.2.3. 4. 6. lib.8.fam. FORE } cum inierit magistratum: cuius erat primus dies IV. id. Dec. ut iam diximus. SE *ipse amans* } qui etiam cum Cicerone, homine consulari, non dum ipse aedilicius auguratum biennio post, Pompeio III.cos. petere sit ausus. CRASSVM *Iunianum* } quae sit hic mea coniectura, dicam: ea probari debeat, nec ne, iudicium aliorum esto. libenter legerem, Crassum Licinianum: ut, cum esset Licinius Crassus, in aliam postea familiam, adoptionis iure, transierit. at quam familiam? opinor, Coeliam. placet enim, hunc esse Coelium illum, qui in M. Coelij epistola ad Ciceronem, fam.114. Coelius Vicinianus male nominatur: cum, Licinianus, uideatur esse reponendum.& congruit hic de dictatura locus cum illo. nam hic uerbum, Deterruit, significat, eum, quod instituerat de dictatura, omisisse: in epistola uero M.Coelij, promulgatam ab eo de dictatore legem, scriptum est. Eundemq. crediderim esse Coelium illum, qui lib.IV. de bello ciuili Vincianus uocatur, mendose, pro Licinianus. Praeterea, tribunũ pl. hunc eodem anno cum C Hirro fuisse, ideo credibile est, quia eodem etiam anno aedilitatem simul biennio post petierunt. quod ex ea, quam nominaui, M.Coelij epistola constat. Vt omittã, quod hunc ipsum, qui de dictatore Põpeio egit, Lucilium uideo apud Plutarchũ nominari. ut Liciniani nomen in Vicinianũ, Lucilium, ob similitudinẽ facile uideatur abijsse. Neq. uero quidquã obstat, cur, etsi Coelius ex Licinio sit factus, prioris tamen familiae nominibus Crassus Licinianus appellari non possit. nã Scipionis cognomen retinuit is, qui Magni Põpeij socer fuit; qui tamen Caecilius, adoptante Metello Pio, factus erat: & Lucullus, frater L.Luculli, cum Terentius Varro per adoptionem factus esset, quod supra probauimus, Lucullus tamen, nouo cognomine omisso, uetere conseruato, nominatur. PER *me deterruit* } mea opera Pompeius effecit, ut captũ de dictatura consiliũ Crassus abiecerit. Hoc enim, & quae sequuntur, ad Pompeium, non ad Hirrũ, conuenit referri: si tamen is est, de quo Plutarchus, qui inito tribunatu egit de dictatore Pompeio. DETERRVIT } opinor tamen, ab eo mox, post initum tribunatum, promulgatã legem de dictatore Pompeio. aut, Deterruit, cũ iam legem promulgasset, ante quam tribunatũ pl. iniret. VELIT *nolit,* } quia Põpeius aliud sentire, & loqui solebat. ad Att.

ep.10.& 15.lib.4.& ep.1.lib.8.fam. AGENTE } ad populum,ubi magistratum inierit. in epistola, quae sequitur,Hirrus inquit,parat. NON *probabit* } non persuadebit hominibus,cum per eius amicum agatur. secutus est autem Hirrus Pompeium ciuili bello contra Caesarem.comm.lib.1.quo in loco, Vlcillē Hirrum,mendose legitur: cum potius,Lucceium Hirrum,legendum uideatur.Lucceiae enim gentis cognomen Hirrus fuit.fam.lib.8. SERRANI. } gentis Atiliae. DOMESTICI } cognomen aut Serrani ipsius,aut filii. SCRIPTO *meo* } cum orationem,ei a me scriptam de laudibus filii,legeret. NIHIL *tribuit*, } minime illi,anno sequenti consulatum petituro,studet,maxime uero Guttae. petiit anno sequēti consulatum Milo.etsi non habita,propter dissensiones candidatorum,comitia,uel ex Pediano cognoscitur. uideo autem eum,interuersa praetura,consulatū petiisse: qui Lentulo & Metello cos.tribunatum pl.Pompeio & Crasso aedilitatem gesserit;Caluino autem & Messalla consulatum petierit. GVTTAE } non habeo certum, quis hic sit Gutta,competitor Milonis in consulatu anno proximo futurus. Pedianus candidatos consulares tres dumtaxat nominat,omnes plebeios,T.Annium Milonem,P.Plautium Hypsaeum,Q.Caeciliū Metellum Scipionem,Pompeii Magni socerum. ILLO } Gutta ad consulatum efferendo. DIFFIDIT } se posse consulatum adipisci. INTERCESSOREM } tribunum pl.tribuno, rogationem de dictatore dicendo ferenti,intercedentem.multi autem intercessuri uidebantur.epistola,quae sequitur. PER *uim* } spreta intercessione:quod ante,quo anno C.Caesar,quo Pompeius consul fuit,euenerat. quod si uim ui repellet Milo,ualebit intercessio. LVDOS } ut eum honoraret mortuum, cuius legatam sibi testamento hereditatem creuerat.cui & munus dederat. SVMPTVOSIORES } scribit Pedianus, Milonem in scenicorum ludorum,& gladiatorii muneris impensas,effusasq. largitiones tria patrimonia effudisse.idq.Cicero tum in oratione pro ipso,tum in epistola ad Curionem significat his uerbis: Studium habemus uulgi, ac multitudinis,propter magnificentiam munerum,liberalitatemq. naturae. TERQ. } ut fortasse trinos in ludos tria illa patrimonia,in singulos singula,profuderit. NON *postulatus* } a populo.solebat enim ludos interdum populus postulare.fam.lib.9.ep.8. MVNVS } gladiatorium. FACVLTATES *non erant* } binis iam ludis,& in gladiatoribus consumptae. MAGISTER } hereditatis curandae inter coheredes. Dicit, opinor, hoc.magistratum non gerit Milo: ut eum ad impensas huiusmodi uideatur dignitas impulisse. tantum est magister,uile scilicet ministerium. NON *aedilem* } uidetur hoc significare.ludos dare,magistrorum non est,sed aedilium.debuit igitur Milo,cum magister,non aedilis,esset, ludis abstinere. Haec mihi non omnino probatur interpretatio.nam si hoc Cicero significaret,idem diceret, quod proximis uerbis:Vel quia magister.dicit autem diuersum quiddam, & hoc forte, cum is, cui mortuo ludos dat, aedilis fuerit hoc ipso anno: putat Milo, se, qui magnam bonorum eius partem testamento acceperit, quodam modo in eius locum successisse,ludosq. dare pro aedili debere.uerum potuerat se magistratum putare,sicut est,non aedilem,qui re uera non sit.

Marcus S. D. Quincto Fratri. 9.

*DE Gabinio nihil fuit faciendum istorū,quae amētissime cogitata sunt. τό τε μοι χάνοι. feci summa cum grauitate,ut omnes sentiunt, & summa cum lenitate,quae feci.illum neque ursi,neque leuaui. testis uehemens fui, praeterea quieui:exitum iudicij foedum,& perniciosum leuissime tuli. quod quidem bonum mihi nunc denique redundat,ut his malis reip. licentiaq.audacium,qua ante rumpebar, nūc ne mouear quidem.nihil est enim perditius his hominibus, his tēporibus. itaque ex rep. quoniam uoluptatis nihil iam capi potest;cur stomacher,nescio.litterae me,& studia nostra,& otium,uillaeq.delectant,maximeq.pueri nostri.angit unus Milo:sed uelim finem afferat consulatus. in quo enitar non minus, quam sum enisus in nostro:tuq.istinc,quod facis,adiuuabis.de quo cetera, nisi plane uis eripuerit, recte sunt. de re familiari timeo. ὁ δὲ μαίνεται οὐ κἔτ᾽ ἀνεκτῶς, qui ludos HS ccc comparet:cuius in hoc uno considerantiam & ego sustinebo,ut potero,&,tu ut possis,est tuorum neruorum. De motu temporum uenientis anni,nihil te intelligere uolueram domestici timoris,sed de communi reip. statu. in quo,etiam si nihil procuro, tamen nihil curare uix possum.quam autem te uelim cautum esse in scribendo,ex hoc coniicito,quod ego ad te ne haec quidem scribo,quae palam in rep.turbantur; ne cuiusquam animū meae litterae interceptae offendant. quare domestica cura te leuatum uolo.In rep.scio quam solicitus esse soleas.uideo Messallam nostrum consulem;si per interregem,sine iudicio;si per dictatorem,tamen sine periculo.odij nihil habet.Hortensii calor multum ualebit. Gabinij absolutio lex impunitatis putatur. ἐν παρέργῳ. De dictatore tamen actum adhuc nihil est. Pompeius abest:Appius miscet:Hirrus parat:multi intercessores numerantur:populus non curat:principes nolunt: ego quiesco.De mancipijs,quod mihi polliceris, ualde te amo:& sum equidem uti scribis,& Rombe,& in praesidijs infrequens.sed caue,amabo,quidquam, quod ad meum commodum attineat, nisi maximo tuo commodo,& maxima tua facultate,mi frater, cogitaris. De epistola Vatinij risi.sed me ab eo ita obseruari scio, ut eius ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquā. Quod me hortaris,ut absoluam;habeo absolutum suaue,mihi quidem ut uidetur,ἔπος ad Caesarem.sed quaero locupletem tabellarium; ne accidat quod Erigonae tuae,cui soli,Caesare imperatore,iter ex Gallia tutū non fuit. * quid,si cementum bonum non haberem, deturbem aedificium?quod quidem quotidie mihi magis placet;inprimisq.inferior porticus, & eius conclauia fiunt recte. De Arcano, Caesaris opus est,uel mehercule etiam elegantioris alicuius.imagines enim istae, & palaestra,& piscina, & nilus multorum Philotimorū est,non Diphilorum,sed & ipsi ea adibimus, & mittemus,*

mus, & mandabimus. De Felicis testamento, tum magis querere; si scias. quas enim tabulas se putauit obsignare, in quibus in uncijs firmissimũ tenuerat, (lapsus est per errorem & suum, & Sicurae serui) non obsignauit: quas noluit, eas obsignauit. ἀλλ' οἰμωζέτω: nos modo ualeamus. Ciceronem, & ut rogas, amo, & ut meretur, & ut debeo: dimitto autem a me, & ut a magistris ne abducam, & quod mater Pomponia discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco. sed sumus una tamen ualde multum. Rescripsi ad omnia. Mi suauissime, & optime frater uale.

EXPLANATIO

Iisdem consulibus, in extremo anno.

NIHIL *istorum* } sine dubio scripserat Quinctus, debuisse Marcum & Pompeii, & Caesaris caussa reo Gabinio de maiestate adesse. atque hoc facile mihi persuadent illa, quae proxime sequuntur, Graeca uerba: τότε μοι χάνοι: hoc est, tunc mihi dehiscat lata terra: cum hoc scilicet flagitij commisero. integrum enim est hemistichium apud Homerum, duobus in litteris Iliadis Δ, Θ, τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. NEQVE *ursi, neque leuaui.* } neque accusaui, neque defendi. NVNC *denique redundat* } hoc bonum, quo antea nimium indigebam, (bonum appellat, animi siue patientiam siue fortitudinẽ quandam in malis reip. leuiter ferendis) mihi nunc denique satis superq. est. CVR *stomacher*, } si quid accidit iniquius: cum respublica iam plane desperata tota sit. ANGIT } consulatus caussa: quem petet aduersante, ut uidetur, Pompeio: cum ego utrique summe debeam. FINEM } solicitudinis meae. uelim, inquit, post consulatum, qui est honorum summus, nihil accidat praeterea, quod illius caussa me angat. ENITAR } quam enisus sit, intelliget, qui epistolam ad Curionem libro II. fam. legerit. ISTINC, } ut Caesaris amicis in petitione Milonis utamur. DE *quo* } de consulatu, nisi ui res agatur, spero fore quod uolumus. TIMEO } ne sustinere tantos sumptus non possit, ne ad inopiam redigatur. μαίνεται &c. } recte, & proprie, quod modum superat, insania uocatur. unde illud, de emptione, ad Atticum 216: Nec tamen insaniturum puto. &, de sumptu, in oratione pro Milone: Insanas illas P. Clodij substructiones. recte igitur & hic, de Milone nimiam pecuniam in ludos erogante, ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς: quod est: Hic autem insanit sic, ut ferri amplius non possit. finis exametri uersus apud Homerum, Iliadis I. 78. quod .n. ille de Ciclope Polyphemo, ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς; Cicero de Milone, paullulum quiddã sententiae caussa, ut solet, immutans, ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς. HS CCC } scutatis aureis decem millibus, & centum septuaginta sex, marculis, ut appellant, qui olim asses erant, sexaginta quattuor. CONSIDERANTIAM } immo contra: cum in sumptibus insaniat. malim igitur, Inconsiderantiã, uocabulo inusitato, sed tamen ab, Inconsiderãte, usitato. & referetur ad μαίνεται. SVSTINEBO } & ego feram hoc in homine amicissimo uitium: & animi tui uires eae sunt, ut ipse quoque ferre possis. VENIENTIS *anni* } de quo ad te scripseram. SI *per interregem sine iudicio* } quem hic locum habet iudicij mentio; cum in proxima epistola iam dixerit, illum esse absolutum? intellige de altero, quod impendebat, de ambitu iudicio. nam & post consulatum de ambitu accusatus. id ego locis obseruatis cognoui, ad Att. ep. 12. l. 5. & fam. ep. 2. & 4. si consul, inquit, habitis ab interrege comitijs creabitur; iudicium uitabit; statim .n. consulatum inibit: & accusari magistratus non licet. sin a dictatore: fieri omnino potest, ut dictator pro ea, quã habet summam, potestate nolit eum inire antea consulatum, quam iudicium fiat: sed tamen, quin absoluatur, mihi dubium non est. uideo .n. qui illum oderit, esse neminem. Et, quod ait, Si per interregem, sine iudicio; uere dicit. nam, Messalla per interregem consule creato, iudicium de eo factum non est: peracto autẽ consulatu, bis accusatus de ambitu est, primo absolutus, deinde condemnatus. HORTENSII } fratris eius uterini: quod ex Plutarcho in Sulla conijcitur. CALOR } pro absolutione contentio. defensum ab eo Messallam, & absolutum, significat M. Coelius in duabus epistolis II. & III. lib. IIX. fam. LEX *impunitatis* } quasi lata lex uidetur, ut, qui peccauerint, ijs impune sit. his uerbis nocentem Messallam significat. fore tamen, ut absoluatur, tribus caussis, dixit; quod odij nihil habet: quod pro eo contendet Hortensius: quod, absoluto Gabinio, nemo iam uidetur ita nefarius, qui absolui non possit. innocentiam Messallae ad has caussas non admiscet. satis enim constabat, & ipsum, & reliquos candidatos pecuniam contra leges populo dedisse. quo nomine post consulatum damnatus est, ut proxime dixi. ἐν παρέργῳ } narrationem de rep. duas in partes tribuit; quarum ad Messallam una pertinet, ad dictaturam altera. atque hanc posteriorem ἐν παρέργῳ, hoc est, breuiter, & uelut in cursu, exequi se uelle significat. TAMEN } quamuis iam ante rumor fuerit. epistola, quae antecedit. ABEST } erat omnino Pompeius extra urbem, quia cum imperio, iturus, ut uidebatur, in Hispanias: sed non diceret Cicero, Abest, de eo, qui ad urbem esset. longius, opinor, discesserat, nimirum rei frumentariae caussa: quod legimus apud Dionem l. XXXIX. in extremo. APPIVS *miscet*: } notat hominis ingenium, miscentis potius, quam agentis. Miscet autem, non quia dictatorem, sed quia comitia uellet. nam in epistola huius libri III. Consules, inquit, comitia habere cupiunt. quam uideo scriptam post rumorem de dictatura natum. nam in ea consulares ait candidatos de ambitu postulatos: & ad Atticum 65: ubi eosdem reos memorat, odorem esse nõ nullum dictaturae dicit. Atque hoc ideo dictum uolui, ne quis Appium dictaturae, quam Pompeio delatum iri

credebatur, existimet fauere, quia filiam suam Pompeii filio collocasset, ut est in fam. 41. PARAT } ut legem ferat de dictatura, cum scilicet tribunus pl. erit. nunc enim designatus erat. quod in epistola proxima significatum est in eo: Auctor fore uidetur. Quod si quis obiiciat, designatum esse non potuisse, cū Cicero comitia non dum habita significet: is, consularia quidem comitia hoc anno habita non esse, tribunicia uero esse habita, ab historia discat. nam Plutarchus, Catone praetore, idest hoc anno, habita, perspicue demonstrat. & hic noster ad Att. ep. 15. l. 4. cum dixisset de consularibus comitiis: Comitia puto fore ut ducamur: de tribuniciis intulit: Haec ego pridie scribebam, quam comitia fore putabantur. NVMERANTVR } quod certo iam sciretur, qui ferenti legem Hirro de dictatura intercessuri uiderentur. NON *curat* } siue lex feratur, siue non feratur. PRINCIPES } uidetur eos significare, quos in epistola proxima bonos nominauit. QVIESCO. } te monente, ut calamitate iam doctus inimicitias uitem. supra: In omnia summa, ut mones, ualde me ad otium pacemq. conuerto. MANCIPIIS } ad me mittendis, Gallico, aut Britannico bello captis. INFREQVENS } cum paucis admodum mancipiis. quo magis te amo; quia, quod mihi opus est, id polliceris. FACVLTATE } nihil ut mea caussa cures, nisi quod facillime possis. ISTA *odia* } de quibus ad me scribis. quia Vatinius, litteris Roma ad Caesarem missis, quaecumque diceret ageret ue Cicero, tamquam explorator significabat. ex quo Quinctus, litteris iis inspectis, de odio illius in Marcum coniecit. CONCOQVAM } prorsus minimi faciam, facile feram. sic, Deuorare hominum ineptias, in Bruto. ἔπος } poema: de quo in epistola proxima. LOCVPLETEM } cui meum ἔπος bene credatur. iocus: quia missa a Quincto Erigona tragoedia perierat in itinere, tabellarii culpa. ideo dixit in epistola, Quatuor, Erigonam mihi uelim mittas: cum tamen, eam aliquanto ante missam esse, iam significauerit in epistola huius libri prima. CAESARE } qui omnia multis uictoriis tuta reddidit. QVID, *si caementum* } minime placet haec ab ἔπος ad aedificium subita transitio. nec dubito, quin huius partis, in qua de Quincti agitur uilla, fortasse in Laterio, initium desideretur. itaque uisum est, ut hac nota *, quasi lacunam loci significaret, a superioribus inferiora disiungentem. ARCANO } Quincti fundo: de quo in epistola huius libri prima. CAESARIS *opus* } maximum uidelicet. magnifica enim Caesaris monumenta: qui forum usque ad atrium libertatis explicare, deinde in campo Martio saepta, & tecta marmorea facere cogitauerit: ut est ad Atticum ep. 17. l. 4. legimus etiam apud Tranquillum, Italiae, Galliarum, Hispaniarum. Asiae quoque, & Graeciae potentissimas urbes, eius munificentia, praecipuis operibus exornatas. IMAGINIS } quas in Arcani uilla constitui Quinctus mandauerat. NILVS } ut opinor, plures riuulos, e salientibus aquis, in piscinam diuersis partibus confluentes, appellat Nilum: quod, ut hoc flumen ostiis septem profluit in mare, sic salientes illae in piscinam riuulis multis, quasi patuus Nilus, perueniant. hanc ego coniecturam duco ex huius libri epistola 1. in qua, cum de uilla, quae erat in agro Fufidiano, hoc est in Arcano, meminit; (iam enim, fundum Fufidianum in Arcano fuisse, ostendimus) piscinas, & salientes, & palaestram simul nominat. Nili etiam mentionem facit lib. I I. de legibus in prooemio. PHILOTIMORVM *est, non Diphilorum* } diligentiam Philotimi, negligentiam Diphili significat. hoc, inquit, Diphili negotium non est, sed Philotimi; neque uero unius Philotimi, sed multorum. Diphili tarditatem notauit iam illis uerbis: In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. is in Arcano Quincti uillas curabat; Philotimus autem urbanam expolitionem urgebat. quod utrumque in eadem I. epistola. IN *uncijs* } assis nomine tota significatur hereditas. as, qui & libra, duodecim in partes, quae dicuntur. duodecim igitur partes bonorum suorum, postea quam esset mortuus, fieri Felix uolebat. sed, ut in propinqua morte, mente perturbatus, Sicurae etiam serui imprudentia, tabulas de uncijs non obsignauit. ratae autem erant tabulae testamenti, quae non essent eius, qui testamentum fecerat, anulo obsignatae. FIRMISSIMVM *tenuerat* } consilium illud de bonis suis in XII partes inter coheredes diuidendis mutare noluerat. LAPSVS *est per errorem* } errauit imprudentia. sic in Tusc. v. Labi errore sermonis. ex lib. 3. de Rep. apud Lact. lib. 5. cap. 15. & in epitome cap. 50. Qui aut aurum pro aurichalcho, aut argentum pro plumbo uendat per errorem. ἀλλ' οἰμωζέτω } iubent Graeci οἰμώζειν eos, quibus male precantur. Aristoph: ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι. uidetur autem esse finis senarij ex aliqua uetere comoedia. nec uero dubium est, quin de mortuo loquatur. nam uiuens testamentum mutasset, erroremq. suum correxisset. VALEAMVS } & hoc ad mortuum pertinere, ἀλλ' οἰμωζέτω, significat. illi mortuo male sit, qui tam male suis consuluerit: nos ualeamus. DIMITTO } patior eum ire cum matre; cum antea mecum habitaret. supra dixit, Tyrannio docet apud me. MAGISTRIS } duobus, Tyrannione grammatico, Paeonio rhetore. quo de utroque iam facta mentio est. POMPONIA } glossema puto, ab imperito librario positum. PVERI } annum XIII. Quinctus filius, cum haec scripta est epistola, hoc est Appio & Ahenobarbo cos. non dum impleuerat. id ex eo coniicio, quia togam puram sumpsit Paullo & Marcello: quam non nisi anno aetatis XVI. finito sumi solitam, satis constat. ad Att. ep. 20. l. v. & 1. lib. vi. SVMVS *una tamen* } ergo non exierat urbe Pomponia, sed ex illa domo, quam Ciceronis cum domo iunctam fuisse iam diximus, in aliam Quincti domum transierat.

AD. OCTAVIVM. EPISTOLA. QVAM. CICERONIS ESSE. VIX. CREDIMVS

SI per tuas legiones mihi licitum fuisset, quae nomini meo, populoq. R. sunt inimicissimae, uenire in senatum, coramq. de rep. disputare, fecissem, neque tam libenter, quam necessario. nulla enim remedia, quae uulne-

uulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quã quae sunt salutaria. sed quoniam cohortibus armatis circumscriptus senatus nihil aliud uere potest decernere, nisi timere; in Capitolio signa sunt; in urbe milites uagantur; in campo castra ponuntur; & Italia tota legionibus, ad libertatem nostram conscriptis; ad seruitutem adductis, equitatuq. exterarum nationum distinetur; cedam tibi in praesentia foro, curia, & sanctissimis deorum immortalium templis: in quibus, reuiuiscente iam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. post etiam paullo, temporibus ita postulantibus, cedam urbe: quam per me conseruatam, ut esset libera, in seruitute uidere nõ potero: cedam uita; quae quamquam solicita est, tamẽ, si profutura est reip. bona spe posteritatis me consolatur; qua sublata non dubitanter occidam: atque ita cedam, ut fortuna iudicio meo, non animus mihi defuisse uideatur. illud uero quod & praesentis doloris est iudicium, & praeteritae iniuriae testimoniũ, & absentiũ sensus significatio, non praetermittam, quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens prosim, siquidem mea salus aut utilis reip. est, aut coniuncta certe publicae saluti. nam per Deum immortalium fidem (nisi forte frustra eos appello, quorum aures, atque animus a nobis abhorret) perq. fortunam populi R. quae quamquam nobis infesta est, fuit, aliquando propitia, &, ut spero, futura est, quis tam expers humanitatis, quis huius urbis nomini, ac sedibus usque adeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum uitet? nam, ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & nouissima conferam primis, quae non, posterior dies acerbior priore, & quae non insequens hora antecedente calamitosior populo R. illuxit? M. Antonius, uir animi maximi, (utinam etiam sapientis consilij fuisset) C. Caesare fortissime, sed parum feliciter reip. dominatione semoto, concupierat magis regium, quam libera ciuitas pati poterat, principatum: publicam dilapidabat pecuniam: aerariũ exhauriebat: minuebat uectigalia: donabat ciuitates ex commentario: dictaturam gerebat: leges imponebat: prohibebat dictatorem creari legibus: S. C. ipse repugnabat in senatu: prouincias unus omnes concupiebat, cui sordebat Macedonia prouincia, quam uictor sibi sumpserat Caesar. quid de hoc sperare, aut exspectare non oportebat? extitisti tu uindex nostrae libertatis, ut tunc quidem, optimus; (quod utinam neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset) & ueteranis in unum conductis, & duabus legionibus a pernicie patriae ad salutem auocatis, subito prope iam afflictam, ac prostratam remp. tuis opibus extulisti. quae tibi non, ante quam postulares, maiora quem uelles, plura quam sperares, detulit senatus? dedit fasces, ut eum auctoritate defensorem haberet, non ut imperio se aduersum armaret: appellauit imperatorem: hostium exercitu pulso tribuens honorem, non ut sua caede caesus ille fugiens exercitus te nominaret imperatorem: decreui in foro statuam, locum in senatu, summum honorem ante tempus: si quid aliud est, quod dari possit, addat. quid aliud est maius, quod uelis sumere? sin autem supra aetatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnem tributa: cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficij scelerate circumscribis senatum? quo te misimus? a quibus reuerteris? contra quos armauimus? quib. arma cogitas inferre? a quibus exercitum abducis? aduersus quos aciẽ struis? cur hostis relinquitur, ciuis hostis loco ponitur? cur castra medio itinere longius aduersariorũ castris, & propius urbẽ mouentur? o me numquam sapientem, & aliquãdo id, quod non erat, frustra existimatum. quantum te populo R. de me fefellit opinio. o meam calamitosam, ac praecipitem senectutem. o turpem exacta, dementiq. aetate canitiem. ego patres conscriptos ad parricidium induxi: ego remp. fefelli: ego ipse senatum sibi manus afferre coegi, cum te Iunonium puerum, & matris tuae partum aureum esse dixi. at te fata patriae Paridem futurum praedicabant, qui uastares urbem incendio, Italiam bello, qui castra in templis deorum immortalium, senatum in castris habiturus esses. o miseram, & in breui tam celerem, & tam uariam reip. commutationem. quisnam tali futurus ingenio est, qui possit haec ita mandare litteris, ut facta, non ficta, uideantur esse? quis erit tanta animi facilitate, qui, quae uerissime memoria propagata fuerint, non fabulae similia sit existimaturus? cogita enim Antonium hostem iudicatum, ab eo circumsessum consulem designatum, eundemq. reip. parentem: te profectum ad consulem liberandum, & hostem opprimendum, hostemq. a te fugatum, & consulem obsidione liberatum, deinde paullo post, fugatum illum hostem, accersitum tamquã coheredẽ mortuae rep. ad bona populi R. capienda; consulẽ designatũ rursum inclusum eo, ubi se nõ moenib. sed fluminibus, & montib. tueretur. haec quis conabitur exponere? quis credere audebit? liceat semel impune peccare. sit erranti medicina cõfessio. uerũ.n. dicã. utinã te potius Antoni dominũ non expulissemus, quãhunc reciperemus: non quod ulla sit optanda seruitus, sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna serui. in duobus autem malis cum fugiendum maius sit, leuius est eligendum. ille ea tamen exorabat, quae uolebat auferre: tu extorques. ille consul prouinciam petebat: tu priuatus concupisti. ille ad malorum salutem iudicia cõstituebat, & leges ferebat: tu ad perniciem optimorum. ille a sanguine, & incendio seruorum Capitolium tuebatur: tu cruore, & flamma cuncta delere uis. si, qui dabat prouincias Cassio, & Brutis, & illis custodibus nominis nostri, regnabat, quid faciet, qui uitam adimit? si, qui ex urbe eijciebat, tyrannus erat: quem hunc uocemus, qui ne locum quidem reliquit exsulio? itaque, si quid illae maiorum nostrorum sepultae reliquiae sapiunt; si non una cum corpore sensus omnis uno atque eodem cõsumptus est igni; quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus R. respondebit aliquis nostrum, qui proximus in illam aeternam domum discesserit? aut quem accipiente de suis posteris nuncium illi ueteres Africani, Maximi, Paulli, Scipiones? quid de sua patria audient, quam spolijs, triumphisq. decorarunt? an esse quendam annos XX natum, cuius auus fuerit argentarius, adstipulator pater, uterque uero precarium fecerit quaestum, sed alterusque ad senectutem ut non negaret, alter a pueritia, ut non posset non confiteri: cum agere, rapere remp. cui nulla uirtus, nullae bello subactae, & ad imperium adiunctae prouinciae, nulla dignitas maiorum conciliasset opem potentium, sed forma per dedecus pecuniam, & nomen nobile consceleratum

ratum impudicitiae dedisset; ueteres uulneribus, & aetate confectos Iulianos gladiatores, egentes, reliquias Caesaris ludi, ad rudem compulisset, quibus ille septus omnia misceret, nulli parceret, sibi uiueret? qui tamquam in dotali matrimonio remp. testamento legatam sibi obtineret? audirent duo Decij, seruire eos ciues, qui ut hostibus imperarent, uictoriae se deuouerunt. audiet C. Marius, impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere uoluit, nisi pudicum. audiet Brutus, eum populum, quem ipse primo, post progenies eius a regibus liberauit, pro turpi stupro datum in seruitutem. quae quidem si nullo alio, me tamen internuncio ad illos celeriter deferentur: nam si uiuus ista subterfugere non potero, una cum istis uitam simul fugere decreui.

EPISTOLAM ad Octauium, ultimo loco impressam, & quia satis aperta, & multo etiam magis, quia, Ciceronis non esse, ἐκ τοῦ χαρακτῆρος intelligo, non placuit interpretari.

F I N I S.

VERBA . GRAECA, LATINIS . EXPRESSA

EX . LIBRO . I.

ep. 1. ἀδύνατον: *quod fieri non potest.*
eadem. ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον οὐδὲ βοείην: *quoniam non agitur de uictima, neque de bubulo tergore. Ex Homero enim uerbum ἀρνύσθην subauditum est.*
eadem. ἑρμαθῆνα: *Hermathena, Mineruae, Mercuriiq. statua.*
ep. 5. χρηστομαθεῖ: *utilia discentem, hoc est, deditum literis non uulgaribus.*
eadem. γυμνασιώδη: *apta gymnasio.*
ep. 7. Εὐμολπιδῶν πάτρια: *Eumolpidarum ritus patrios.*
ep. 8. οἰκεῖον: *proprium.*
ep. 10. σκέψεις, καὶ ἀναβολαὶ: *considerationes, & dilationes.*
eadem. ταὐτόματον ἡμῶν: *casus noster.*
ep. 11. ἐν τοῖς πολιτικοῖς: *in ciuilibus.*
eadem. τοποθεσίαν: *loci descriptionem.*
eadem. Ἀττικώτερα: *magis Attica.*
eadem. φιλορήτορα: *rhetoricae studiosum.*
ep. 2. πανήγυρις: *conuentus.*
eadem. μάλ᾽ ἀριστοκρατικῶς: *ualde pro statu optimatum.*
eadem. γενικῶς: *generaliter.*
eadem. ληκύθους: *pigmentorum ampullas.*
eadem. ἀνεπεπρατεραράμην: *uenditaui me.*
eadem. ἐπιχειρήματα: *argumenta.*
eadem. ὑπόθεσις: *materia.*
eadem. Ἄρειος πάγος: *Areopagus.*
eadem. ἀπρακτότατος: *rebus agendis ineptus, ignauissimus.*
eadem. κακέκτης: *habitu uitiorum deprauatus.*
ep. 13. φιλέλληνες: *Graecorum studiosi, & amatores.*
eadem. παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο: *omnis uirtutis reminiscere.*
ep. 14. ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς: *ordine conuerso, Homerice.*
eadem. πρὸς τὸ πρότερον: *ad prius.*
eadem. ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι: *dicite nunc mihi musae. hemistichium Homericum.*
eadem. παῤῥησίαν: *loquendi licentiam.*
eadem. ἀγῶνα: *certamen.*
eadem. ἐπισημασίας: *significationes.*
eadem. ἀποθέωσιν: *consecrationem.*
eadem. φιλοσοφητέον: *philosophandum.*
eadem. ἀμαλθεῖον: *Amaltheum, bibliotecas. sua.*
eadem. Ἀμαλθεία: *Amalthea.*
ep. 15. τοποθεσία: *loci descriptione.*
ep. 16. ἀφελέστατος: *simplicissimus.*
eadem. πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ᾽ ὄναρ: *ciuilis uir ne in somnio quidem.*
ep. 17. τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον: *in lente unguentum. prouerbium.*
eadem. ἐπιφωνήματα: *acclamationes.*
eadem. νῆφε, καὶ μέμνασ᾽ ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν: *uigila, & memineris non credere. hi sunt nerui sapientiae.*
eadem. τίς πατέρ᾽ αἰνήσει: *quis patrem laudabit?*
eadem. ἐγκωμιαστικὰ: *laudatiua.*
eadem. ἱστορικά: *historica.*
ep. 18. οἱ μὲν πάρ, οὐδὲν εἰσιν, οἷς δ᾽ οὐδὲν μέλει: *hi, qui adsunt, nihili sunt, illis uero, nihil curae est.*
eadem. ὑπώπιον: *liuor.*

EX . LIBRO . II.

ep. 1. μυροθήκιον: *unguenti, & pigmentorum arculam.*
eadem. ὑπόμνημα: *commentarium.*
eadem. σεμνότερός, καὶ πολιτικώτερος: *grauior, & ciuilior aliquis.*
eadem. ἀποσπάσματα: *partes quaedam auulsae.*
eadem. φιλόπατρις: *studiosus patriae.*
eadem. πολιτεία: *republica.*
eadem. ἅλις σπουδῆς: *satis studij est.*
ep. 2. θεῖοι: *patrui.*
eadem. Πελιναίων: *Pelinaeorum. (sunt autē populi.)*
eadem. Κορινθίων, καὶ Ἀθηναίων: *Corinthiorum, et Atheniensium.*
eadem. Ἡρώδης: *Herodes.*
ep. 3. εὐαγγέλια: *boni nuncij praemia.*
eadem. Κύρου παιδείαν: *Cyri institutionem.*
eadem. τὰς διαιτάσεις: *lucidas radiorum egressiones.*
eadem. ἔστω ὄψις μὲν η, α, τὸ δὲ ὁρώμενον, β γ ἀκτῖνες δὲ δ καὶ ε: *sit aspectus η, α: quod autem uidetur β, γ: radij uero δ, & ε.*
eadem. κατ᾽ εἰδώλων ἐμπτώσεις: *per simulacrorum incursiones.*
eadem. εἴδωλα: *species, imagines.*
eadem. ἔγχυσις: *effusio.*
eadem. ὑπόστασιν: *statum.*
eadem. πολιτείαν: *remp.*
eadem. σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον: *more Socraticorum in utramque partem.*
eadem. τὴν ἀρέσκουσαν: *sententiam quae placeat.*
eadem. κατάκρισις: *sanctio.*
eadem. Ἀριστοκρατικῶς: *pro statu optimatum.*
eadem. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης: *unum augurium optimum defendere patriam. Homeri uersus ἰλ. μ.*
eadem. Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας: *Theophrasti de honorum studio.*
ep. 5. αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους: *uereor Troianos, & Troianas longis indutasq. Homeri uersus ἰλ. ζ.*

πουλυ-

eadem. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει: Polydamas mihi primus uitio dabit. Homeri uersus ιλ χ.
eadem. Θεοφάνης: Theophanes.
eadem. φιλοσοφεῖν: philosophari.
eadem. ἐπὶ σχολῆς: in otio.
ep. 6. γεωγραφικὰ: de terrae descriptione commentarios.
eadem. ὁμοειδεῖς: uniformes.
eadem. ἀνθηρογραφεῖσθαι: floride scribi.
eadem. πολιτεύτεον: nauanda opera reip.
eadem. ἀνέκδοτα: non edita.
eadem. πολιτεύομαι: publice curo.
ep. 7. κατὰ τὸ πρακτικὸν: ad agendi rationem quod spectet.
eadem. καὶ ὑπὸ στέγη Πυκνᾶς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί: & sub tecto frequentem audire gut tam dormienti animo. est autem finis uersus, & uersus integer.
ep. 9. Βοῶπις: bonis oculos habens.
eadem. παλινῳδίαν: mutationem cantus.
eadem. διβάφῳ: bis tincta purpura.
eadem. σοφιστεύειν: sapientiae studium exercere.
eadem. ἐπαγγέλλομαι ἄνδρ' ἀπαμύνεσθαι ὅς τις πρότερος χαλεπήνῃ: profiteor me ulturum, quicumque prior laeserit.
eadem. Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον: Cicero paruulus salutat Titum Atheniensem.
ep. 10. ὑποσόλοικον: subabsurdum.
eadem. ἀναφαίνεσθαι: apparere.
ep. 13. τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. οὔ τι ἔγωγε Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι: Aspera, sed bona puerorum nutrix: nequaquam ego ea terra possum dulcius quidquam adspicere.
ep. 12. εὐαγγέλια: boni nuncij.
eadem. συγχώρημα: casum.
eadem. ζώσης φωνῆς: uiuae uocis.
eadem. Βοώπιδος: bouis oculos habentis.
eadem. ἀσελγοῦς: intemperantis.
eadem. ὀξύπεινος: famelicus, auidissimus.
eadem. συμπόσιον: conuiuium.
eadem. τατ' ὀπώρην τραχύτης: autumno ipso asperitas.
eadem. ἀδικοάρχαι: iniusti magistratus.
eadem. καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται: & Cicero philosophus Titum salutat reip. deditum.
ep. 13. αὐθωρεὶ: eadem hora.
eadem. Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην: Telepylum urbem Laestrigoniam.
eadem. φιλοσοφῶμεν: philosophemur.
ep. 4. εὐμεταπτώτους: quae facile possint immutari.
eadem. ἐντυραννεῖσθαι: sub tyranno esse.
eadem. Κικέρων ἀριστοκρατικώτατος παῖς: Cicero status optimatum studiosissimus puer.
ep. 16. φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ: intumescit enim non paruis tibiolis amplius, sed efferis follibus sine lingula.
eadem. ἐσοφίζετο: cauillabatur, malitiose cogitabat.
eadem. τὸν πρακτικὸν βίον: uitam in agendo positam.
eadem. τὸν θεωρητικὸν: quae in rerum contemplatione collocatur.
eadem. πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ: ante leo, post uero. Hom. Il. ξ, & D. Hieron. in ep. ad Rusticū monachum, de uiuendi forma.
eadem. εἰ δὲ μὴ: si uero non.
ep. 17. ὁμολογουμένως τυραννίδα σκευάζεται: sine dubio ad tyrannidem uiam struit.
eadem. εὐελπιστία: bona spes.
eadem. ἀδιαφορία: aequanimitas.
eadem. ἀφιλόδοξον: ambitione uacans.
eadem. κατὰ τὸ κηδεμονικὸν: curiose.
eadem. ὑποθήκας: documenta.
eadem. περὶ τῶν ὅλων: de summa rerum.
ep. 18. σκοπὸς: scopus.
eadem. κατὰ λεπτὸν: minutatim.
ep. 19. ἅλις δρυός: satis est quercus .i. glandium.
eadem. τυφλώττω: caecutio.
eadem. τῷ καλῷ προσπέπονθα: erga honestum sum affectus.
eadem. ἀσφάλειαν: securitatem, cautionē, praesidium ad furorem Clodij.
eadem. ἀκκιζόμεθα: dissimulamus.
eadem. ἐν αἰνίγμασιν: obscure dictis.
ep. 20. ἀλληγορίαις: allegorijs.
ep. 25. ἑλικτὰ, καὶ οὐδὲν: inuoluta, & nihil.
eadem. τὰς τῶν κρατούντων: est autem initium senarioli, qui est huiusmodi apud Euripidem in Phoenissis. τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών: Potentiū stultitias ferre oportet.

EX. LIBRO. IV.

ep. 3. μυστικώτερα: secretiora.
ep. 4. συλλάβους: indices ex membranula.
ep. 5. παλινῳδία: mutatio cantus.
eadem. ὑποθέσει: argumento.
ep. 6. πολιτικὸς. reip. deditus.
eadem. ὀπαδοὶ: affectatores aliorum in militia.
eadem. ταγοὶ: duces.
eadem. σπάρταν ἔλαχες ταύταν, κόσμει: Spartam sortitus es hanc, orna.
eadem. βάθος: profunditas.
eadem. εὐκαιρότερον: opportunius.
ep. 7. οὐχ ὁσίη φθιμένοισι: impium mortuis. uide commentarium.
eadem. ὁ δ' οὐκ ἐμπάζετο μύθων: hic uero non curabat sermones.
ep. 8. μήπω μέγ' εἴπῃς πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς: nihil magnum dixeris prius, quam mortuum uideris. senarius.
eadem. σῦκον, μὰ τὴν Δήμητρα, σῦκον. οὐδ' ἐν Οὕτως ὅμοιον γέγονεν: fico, per Cererem, ficus nulla umquam tam similis fuit. est autem senarius, & senarij principium.
eadem. στάσις: status.
eadem. πολιτικῶς: ciuiliter.
eadem. γραμμὴν: lineam.
ep. 10. καὶ τὸ τοῦ Φωκυλίδου: & hoc Phocylidis.
ep. 15. οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντα εἰδέναι: nihil dulcius, quam omnia scire.
ep. 13. σκυλμὸν: uexationem, perturbationem.
eadem. ὀξύπεινος: ita curiosus, ut omnia scire cupiam: auidissimus, ut fame percitus.

τὸν

eadem. τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς: praesentem statum reip. quoquo modo informatum.
ep. 15. συμπάθειαν: parem animi affectionem.
eadem. ἡμερολεγδὸν: ut quaeque singulis diebus acciderunt.
eadem. ἀρεοπαγίτας: areopagitas.
eadem. τέμπη: loca amoena.
eadem. σῆμα δέ τοι ἐρέω: signum autem tibi dicam. Homerus. ἰλ. ψ.
eadem. ἐξοχή: excellentia.
ep. 16 ἐξωτερικοὺς: exteriores.
eadem. πολιτείᾳ: in libris de republica.
eadem. τεχνολογίαν: de arte ratiocinationem.
eadem. ἐμφιλοσοφῆσαι: philosophari.
ep. 17. ἀττικισμὸς: Attica locutio.
eadem. συμπάθεια: similis affectio.

EX . LIBRO . V.

ep. 3. σπουδαιότερον: grauius.
ep. 4. δυσδιάγνωστον: difficile cognitu.
ep. 5. διαλόγους: sermones.
ep. 9. φιλοπροσηνέστατα: studio benignissimo.
ep. 10. ἔρδοι τις: faciat quisque. (subaudi, quam nouit artem.)
eadem. δυσευκοίμητα: difficilia mitigatu.
eadem. βαθύτητα: profunditatem.
eadem. μελέτη: meditatio, exercitatio.
eadem. ἄνω καὶ κάτω: sursum, & deorsum.
ep. 11. ἄφρακτα: sunt naues, non tectae, nec munitae ad pugnandum.
eadem. ἐπίκωπον: genus nauigij.
eadem. οἵα τ᾽ ἂν δέσποινα: qualis bera fuerit.
eadem. ἀνεξίαν: tolerantiam.
eadem. μετέωρος: suspensus.
eadem. ὑπομνηματισμὸν: decretum, monumentum.
eadem. συμπαθῶς: cũ affecti animi significatione.
eadem. νομανδρίαν: uide commentarios.
ep. 12. συνηγωνίων: cum illo maerebam.
eadem. πολιτικώτερον: ciuilius.
ep. 14. παράγγελμα ἐνιαύσιον: quod mandaui de annua administratione.
eadem. ἐνδόμυχον: occultum.
ep. 16. ἐπικεφάλια: tributa per capita.
ep. 17. συμφιλοδοξοῦσιν: simul gloriae seruiunt.
ep. 18. κεφάλαιον: caput.
eadem. συμπάθειαν: parem affectionem.
ep. 19. τὸ νεμεσᾶν: indignari.
eadem. τοῦ φθονεῖν: ab inuidendo.
ep. 20. ἐν ἐπιτομῇ: summatim.
eadem. πανικά: subita quaedam, tamquam auctore Pane deo, terricula.
eadem. κενὰ τοῦ πολέμου: inania quaedam in bello. Aristoteles lib. iij. ἠθικῶν.
eadem. μῶμος: qui omnia carpit.
eadem. πεφυσίωμαι: elatus sum.
eadem. λαμπρά: splendida.
eadem. ἐν παρόδῳ: in transcursu.
eadem. ἀπρόσιτον: non facilem accessu.
eadem. ἀδωροδόκητον: incorruptum largitione.
eadem. κέρας: cornu.
ep. 21. εὐημερήματι: felici eius diei successu.
eadem. ἀκροτελεύτιον: conclusionem.
eadem. γλυκύπικρον: dulce & amarum.
eadem. ὑπερβολικῶς: supra ueritatem.
eadem. τέθριππα: quadrigas.
eadem. κέρας: cornu.
eadem. ὁδοῦ πάρεργον: obiter.
eadem. ἐνδομύχῳ: arcano.

EX . LIBRO . VI.

ep. 1. οἰκονομίαν: domesticae rei ordinem.
eadem. οἴχεται: euanescit.
eadem. βαθύτητα: grauitatem.
eadem. ὑπομεμψιμοίρους: subquerulas.
eadem. ἐξ ἀφαιρέσεως: per extractionem.
eadem. προσανατρεφομένην: recreatam.
eadem. ἀκοινωνήτως: incommunicabiliter, ad tollendã amicitiae communionem.
eadem. ἐγκελεύσματα: hortationes.
eadem. τὸ γὰρ εὖ, μετ᾽ ἐμοῦ: quod enim bene est, mecum est.
eadem. ἱστορικὸν: historicum.
eadem. οὐκ ἔλαθες: non fefellisti.
eadem. ἀφελῶς: simpliciter.
eadem. οἰκονομία: dispositio.
eadem. χεδιάζοντα: temere, non ordine scribentem.
eadem. πολίτευμα: administrationem publicam.
eadem. κέρας: cornu.
eadem. ἰσοδυναμοῦσαν: quae idem ualeat.
eadem. διαίρεσιν: diuisionem.
eadem. ἄγραφον: non scriptum.
eadem. αὐτονομίαν: libertatem suis utendi legibus.
eadem. τὸ παραδοξότατον: inopinatissimum.
eadem. μηδὲν αὐτοῖς: nihil illis, subaudi, crede.
eadem. ὦ πραγμάτων ἀσυγκλώστων: o res quae coniungi non possunt.
eadem. πολυδεύκους: Pollucis aedem.
eadem. ἀνιστορησίαν: inscitiam historiarum.
eadem. ἠπόρησας: dubitasti.
eadem. εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας: Eupolim illum ueteris, s. comoediae scriptorem.
eadem. τί λοιπόν: quid reliquum?
eadem. πολλοῦ γε καὶ δεῖ: multum quidem abest.
eadem. χρύσεα χαλκείων: aurea pro aereis. Homeri locus ἰλ. ζ.
eadem. ἀναντιφώνητον: sine responsione.
eadem. αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ᾽ ὑποδέχθαι: ueriti sunt quidẽ recusare, timuerunt autem accipere. Homeri uersus integer ex ἰλ. η.
eadem. παριστορῆσαι: scire.
eadem. προπύλαιον: uestibulum.
ep. 2. ἱστορικώτατος: historiarum peritissimus.
eadem. νεόκτιστα: nuper aedificata.
eadem. τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ: in nauium enumeratione, apud Homerum uidelicet.
eadem. ἀναλογία: proportio, analogia.
eadem. φλιοῦς, ὀποῦς, σιποῦς: Phlius Phliuntis, urbs Lacedaemoniorum: Opus Opuntis, urbs Locrorum, per contractionem. integrum est ὀπόεις ὀπόεντος. Sipius Sipuntis, urbs Dauniorum in Apulia.
eadem. ὀπουντιοι, σιπουντιοι: gentile nomen, ab ὀποῦς, σιποῦς.
eadem. αὐτονομίαν: libertatem suis legibus u
eadem. ὑπερβολικῶς: supra modum.
peadem. εὐήθειαν: fatuam simplicitatem

ep. 3. πολλὰς δ' ἐν μεταιχμίῳ Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείης ἁλός: *multos autem in intermedio Auster uoluit fluctus lati maris. est enim proprie* μεταίχμιον *id spatium, quod est inter duos exercitus.*

eadem. ἀκοινώνητον: *aptum ad dirimendam amicitiam.* ꙅ ☩ π.

eadem. μυστικώτερον: *secretius.*

ep. 4. τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος (οἶσθα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι πρώην, ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. δέδοικα δὴ μή τι νοήσας εἷς δήπου τοῦτο περισκεψάμενος, τὰ λοιπὰ ἐξ ἀσφαλείας: *uxoris meae libertus (nosti quem dico) uisus est mihi dudum e uerbis, quae inconsiderate protulit, turbasse calculos, seu suffragia ex coemptione bonorum Crotoniatae tyrannicidae. timeo, ne quid intelligas. unus quidem hoc si consideraueris, reliqua in tuto.*

ep. 5. τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς ὁ ἐξελεύθερος, ἔδοξέ μοι θαμὰ βατταρίζων, καὶ ἀλύων τοῖς ξυλλόγοις, καὶ ταῖς λέσχαις ὑπότι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου. *uxoris meae libertus uisus est mihi saepe garriens, & in conciliabulis, & confessionibus nugantium aliquid turbasse calculorum in bonis Crotoniatae.*

eadem. ἐξ ἄστεος ἑπταλόφου τειχῶν παρέδωκεν ἡμῶν γάμου ὀφειλήματα ὁ Κάμιλλος, αὐτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κδ. ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν, καὶ ἐκ τῶν Χερρονησιτικῶν μη. καὶ κληρονομῆσαι χμ. κ. μ. τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι πάντων ὀφειληθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ. τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρί, μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι. ταῦτα οὖν, πρῶτον μέν, ἵνα πάντα σώζῃ: δεύτερον δέ, ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προειρημένης ἡμέρας, ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν, σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος, καί τι σχεδὸν ἐλπίσας. ἀπογνοὺς δέ, ἀλόγως ἀπέστη εἰπών, αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν. *e septicollis urbis moenibus tradidit (id est scripsit ad me) nostri coniugij (id est, uxoris meae) aes alienum Camillus. debere eam uidelicet minas 24. ex bonis Crotoniaticis, ex Cherrhonesiticis 48. ex hereditatib. autem percepisse 640.20.40. atque ex his ne obolũ quidẽ dissoluisse ex omni aere alieno, secundis mẽsis kalendis. libertum aũt ipsius eum, qui Cononis patri cognominis est, nihil ne ipsum quidem curasse: primũ igitur hoc; omnia ut custodias: deinde, ut ne usuras quidẽ negligas eas, quae currẽt, ab eo, quẽ ante diximus, die. Ego quidẽ, per eos dies, quibus illum (Timotheum uidelicet) pertuli ualde, magno in timore fui. erat enim apud nos, ut exploraret, ac aliqua etiã spe adductus. qua eum excidisset, temere abijt, fatus, Turpe quidẽ est remanere diu. Hoc autem postremum hemistichium est Homericum. totus uersus hic est,*

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.

Turpe quidem est remanere diu, uacuumq. reuerti. ἰλ. β.

eadem. λεληθότως: *latenter.*

eadem. ἄλλο πρόβλημα: *alia quaestio.*

ep. 6. πυροὺς εἰς δῆμον: *frumenta in populum.*

eadem. προπύλῳ: *uestibulo.*

eadem. ἐπέχειν: *haesitare, dubitare.*

eadem. ἐποχῆς: *dubitationis.*

eadem. παλιγγενεσίαν: *regenerationem.*

ep. 7. ἐν αἰνιγμοῖς: *aenigmatice.*

eadem. ἀφελῶς: *simpliciter.*

ep. 8. αἰσχρὸν σιωπᾶν: *turpe tacere.*

ep. 9. σύγχυσιν: *confusionem.*

eadem. παραφύλαξον: *obserua.*

eadem. τὴν τοῦ φυρατοῦ φιλοτιμίαν αὐτότατα: *turbatoris auaritiam quam maxime.*

eadem. κενόν: *inanem.*

eadem. ἄτυφον: *sine ambitione, parui animi.*

eadem. ἐπέχειν: *dubitare.*

eadem. ἀθέτησις: *improbatio.*

eadem. ἐποχή: *cunctatio.*

eadem. τοὐμὸν ὀνειροπεμπεῖ μοι: *meum mihi somnium. prouerbium est.*

eadem. ἐπιχρονία ἐποχή: *diuturna dubitatio.*

EX . LIBRO . VII.

ep. 1. φιλοτιμία: *ambitio.*

eadem. πρόβλημα: *quaestionem.*

eadem. ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες. Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος: *sed meũ numquam animum in pectoribus persuasisti. quod nihil dulcius sua patria.*

eadem. αἰδέομαι: *uereor.*

eadem. Τρῶας, καὶ Τρῳάδας: *Troas, & Troadas.*

eadem. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην καταθήσει: *Polydamas mihi primus probrum inferet.*

eadem. ὁδοῦ πάρεργον: *praeter propositum, ut egrediar a proposito.*

eadem. ἐπίκτητα: *fluxa, non diuturna.*

eadem. ἐκβολὴ λόγου: *egressio orationis.*

eadem. εὐπόριστον: *parabilem.*

eadem. φυράτης: *permistor.*

eadem. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ: *sed haec quidem facta esse sinamus, licet dolentes. id est, praeterita omittamus, licet cum dolore.*

eadem. ἄμεμπτα: *non accusanda.*

ep. 2. τῶν νεωτέρων: *iuniorum.*

eadem. αὐτόχθων: *natiua, & indigena.*

eadem. στοργὴν φυσικήν: *amorem naturalem.*

eadem. πρὸς τὰ τέκνα: *in filios.*

ep. 3. ἀμεταμέλητα: *non paenitenda.*

eadem. τὸ σκάφος τῶν Ἀτρειδῶν: *nauigium Atridarum.*

eadem. σύντομα: *compendiosa.*

eadem. δήμους: *uicos.*

eadem. ζήτημα: *quaestionem.*

ep. 4. τεκμηριώδες: *coniecturale, indicium.*

ep. 5. τοῖς ἀπαντῶσι μοι: *obuiam mihi uenientibus.*

eadem. δύσχρηστα: *inutilia.*

eadem. ἀπόστρεψαι: *abstergito.*

ep. 6. οὐ γὰρ ἂν τόδε μεῖζον ἕποιτ' κακόν: neque enim maius sequetur malum. Hom. ο δ μ.
ep. 7. παλινῳδία: mutatio cantus.
eadem. ἀνῆψε: quartanae correptio.
eadem. ἀβδηριτικόν: Abderiticum.
eadem. ἐμπολιτεύομαί σοι: tecum de republica disputo.
ep. 8. πολιτικὸν σκέμμα: ciuilis consideratio.
eadem. φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν: sapientius diiu dicabimus.
eadem. σύγχυσιν τῆς πολιτείας: confusionem reipublicae.
eadem. ξυνὸς ἐνυάλιος: communis Mars. Homeri locus ιλ. Σ.
eadem. πολιτικῶς: ciuiliter.
eadem. ἄμορφον ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην: deforme, & turpe est, aduersantis in republica debitorem esse.
ep. 9. διευκρινήσεις πρόβλημα πολιτικόν: diiudicabis quaestionem ciuilem.
ep. 11. τοῦ καλοῦ: honesti.
eadem. χρεῶν ἀποκοπάς, φυγάδων καθόδους: tabulas nouas, exsulum restitutiones.
eadem. τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ' ἔχειν τυραννίδα: dearum maximam ut obtineat tyrannidem. Euripides in Phoenissis.
eadem. ἐνσχολάζω σοι: otium tecum disputans cōsumo.
eadem. ἀπορῶ: dubito.
eadem. οὕτως που τὸν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν: sic sane superiorum lugebamus laudes uirorum.
eadem. ἐπίσκοπον: speculatorem, custodem.
eadem. ὁρμή: impetus.
ep. 12. φαλαρισμόν: Palaridis imitationem.
eadem. αἰδέομαι τρῶας: uereor Troianos.
ep. 13. ἀπορίαν: dubitationem.
eadem. ἥρωα: heroem.
eadem. πολιτικῶς: ciuiliter.
eadem. ἀστρατήγητος: regendi exercitus ignarus.
eadem. πρὸς τὸ ἀσφαλές: ad securitatem.
eadem. μάντις δ' ἄριστος: uates autem optimus.
ep. 16. σεξτιωδέστερον: magis Sextianum.
eadem. ὑπεκθέμενος: cum dimisero, transportauero.
ep. 17. ψευδησιόδειον: quod falso Hesiodo adscribitur.
eadem. μηδὲ δίκην: neque caussam. totum carmen est, μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς: ne caussam ante iudicaueris, quam utriusque partis orationem audiueris.
ep. 19. καὶ συναποθανεῖν: & simul mori.
ep. 20. φαινοπροσωπεῖν: apparere, uultum ostendere.
eadem. σκέμμα: consideratio.
eadem. ἀπορία: dubitatio.

EX. LIBRO. VIII.

ep. 2. διπλῆ: nota in margine adscripta, sic a Graecis appellata.
ep. 8. ἀπροσφωνήτους: insalutatos.
eadem. τὸ καλόν: honestum.
eadem. πρὸς ταῦθ', ὅ τι χρή, καὶ παλαμάσθων, καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων: ad haec, quod oportet, & faciant, & omnia in me fabricentur.
eadem. τὸ γὰρ εὖ, μετ' ἐμοῦ: quod enim bene est, mecum est.
eadem. πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ: multam salutem honesto.
ep. 9. εὐγενῆ: generosa, nobilia.
eadem. συνδιημερεύομεν: simul diem conterimus.
eadem. τέρας: monstrum.
ep. 11. σκοπός: scopus.
eadem. προθεσπίζω: praesagio
eadem. ἰλίας: ilias.
eadem. περὶ ὁμονοίας: de concordia.
ep. 16. ἀπολιτικώτατον: maxime ciuilis gubernationis expertem.
eadem. ἀστρατηγικώτατον: maxime imperatoriae artis ignarum.
eadem. ἀπαντήσεις: occursus obuiam.
eadem. αἰδέομαι τρῶας: timeo Troianos.

EX. LIBRO. IX.

ep. 1. κενόσπουδα: inanis studij plena.
eadem. ἀναπάντητον: in quo nemo occurrat.
ep. 12. ἀπὸ τὴν διάληψιν: sub ipsa accessione febris.
eadem. ἀπαρρησίαστον: minime liberam.
eadem. τίς δ' ἐστὶ δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν: quisnā est seruus, de morte securus qui sit?
eadem. ἀσμενιστόν: gratissimum.
ep. 4. θέσεις: materias.
eadem. Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένης: τυραννουμένης δὲ αὐ τῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν. εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα μὴ αὐτὸς ἀρθῇ. εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι εἰρήνῃ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ. εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι. εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην. εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις. εἰ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς. κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτό τε τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν, καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος: ἢ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε, καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν. ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας: an manendū in patria tyrannide oppressa; ea uerò tyrannide oppressa, an quouis modo tyrannidis euersio tentāda est, etiam si ciuitas propter id de summa rerum periculum subitura sit. Vtrum cauendum tyrannidem destruenti, ne ipse de medio tollatur. An tentādum ferre opem patriae pace potius, quam bello. Vtrum ciuile sit, secedentem aliquo, quiescere, oppressa a tyranno patria, an quodcūque subeundum discrimen pro libertate. an bellum inferendum regioni, eaq. sit obsidenda a tyranno oppressa. an etiam is, qui non probet, ut bello tyrannis dissoluatur, tamen subscribere optimatibus debeat.

An cum bene meritis & amicis una subeunda sint pericula, etiam si illi minus recte de summa rerum consuluisse uideantur. (hic Pompeium notat, ut ep. 1. huius l.) Utrum de patria bene meritus, ob eamq. caussam grauissima quaeque passus, & inuisus (hic se ipsum describit, qui, Catilinae coniuratione oppressa, pro maximis meritis crudelissima supplicia pertulerat) ultro pro patria discrimen subire debeat, an permittendum ei, ut sui ipsius interdum, & familiarissimorum rationem habeat, dimissis aduersus potentes concertationibus pro rep.

eadem. τῶν προὔργου τι: *quae sunt ex re.*
eadem. ἄκαιρος: *intempestiuus.*
ep. 5. εὐστομάχως: *bono stomacho.*
eadem. αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος: *statim enim tibi deinde post Hectorem mors parata.*
eadem. αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ κτεινομένῳ ἐπαμῦναι: *utinam statim obeam, postea quam non eram socio, cum interficeretur, suppetias laturus.*
eadem. ἑταίρῳ: *sodali.*
eadem. εὐεργέτῃ: *bene merito.*
ep. 6. οὐδέ μοι ἦτορ ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι: *neque enim mihi cor firmum, sed consternato sum animo. Homerus* ιλ. κ.
eadem. αἰσχροῦ φαντασία: *turpitudinis imago.*
eadem. ἐν δυνάμει: *in potestate.*
eadem. σύν τε δύ' ἐρχομένω: *pariterq. duo euntes.*
ep. 7. τὸ συνεχόν: *proximum.*
eadem. ἀπάντησις: *occursus.*
eadem. πολίτευμα: *actionem publicam.*
eadem. μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου: *ne mihi gorgoneum caput horrendi & grauis monstri.*
eadem. εἰδώς σοι λέγω: *sciens tibi dico.*
eadem. ἀχαριστίας: *ingrati animi.*
eadem. ὁ πλοῦς ὡραῖος: *nauigatio idonea.*
eadem. μέντορ πῶς τ' ἄρ' ἴω, πῶς τ' ἄρ προσπτύξομαι αὐτόν: *Mentor, quonam modo audeam, &, quonam modo amplexabor ipsum? Homerus* οδ. γ.
ep. 8. θέσεις: *materias.*
eadem. Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ: *Dionysius Corinthi.*
eadem. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών: *tunc mihi dehiscat lata terra.*
ep. 9. ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς: *in rebus amatorijs.*
eadem. ἀλογίστως: *inconsiderate.*
eadem. ὑποκορίζῃ: *leni uocabulo appellas.*
eadem. χρησμός: *oraculum.*
eadem. ἄσπονδον: *implacabile.*
eadem. φιλόπατριν, ac πολιτικόν: *studiosum patriae, ac ciuilem.*
eadem. γενικώτερον: *generalius.*
eadem. νεκυίαν: *turbam mortuorum.*
eadem. ἀπορῶ: *dubito.*
eadem. σκεπτέον: *probandum.*
eadem. τὸ μέλλον καραδοκήσεις: *quod futurum est, exspectabis.*
eadem. ὑπὸ τὴν λῆψιν: *sub accessionem quartanae febris.*
eadem. ἀσμενιστόν: *gratissimum.*
eadem. πολιτικόν: *ciuile.*
eadem. μακροψυχίαν: *affectionem animi longinqua spectantis.*
eadem. εὐδαίμονα: *felicem.*
ep. 10. οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος: *non est uerus sermo.*
eadem. εὐημερίαν: *felicem diei successum.*
ep. 11. συναγωγή: *collectio.*
eadem. ἐσάλπιζεν: *turba canebat.*
eadem. λάπισμα: *falsa quaedam ostentatio.*
eadem. γοητείαν: *praestigiationem.*
eadem. πειθανάγκην: *suasionem uiolentam.*
eadem. αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, φησὶ Πλάτων, οἶδ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις: *tyrannorum enim preces, inquit Plato, nosti quam permistae necessitatibus.*
eadem. ἀλίμενα: *sine portu loca.*
eadem. ὑπηρεσίαν: *ministerium.*
eadem. ἀδημονῶν: *se occultans.*
ep. 12. διατροπήν: *infamiam.*
eadem. αὐθεντικῶς: *auctoritate quadam domini utentem.*
ep. 14. τέτλα, κύντερον: *perfer, grauius tulisti. sumptum ex Homeri uersu de Ulysse suum cor alloquente.*
eadem. ἄλλα μὲν αὐτός: *alia quidem ipse.*
eadem. ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται: *alia autem uel deus suggeret.*
ep. 18. ἀναθεώρησις: *speculatio.*

EX . LIBRO . X.

ep. 1. μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην: *ne negligenter & inglorius peream.*
eadem. ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι: *sed magno aliquo facinore edito, quod uel a posteris audiatur.*
eadem. τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων: *maxime ciuilium considerationum.*
eadem. ἄλη: *error.*
eadem. πολιτευτέον: *uersandum in republica.*
ep. 7. τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής: *& praesentium, quae repente accidunt, minima deliberatione peritissimus cognitor, & futurorum optimus plerunque coniector.*
eadem. τότε ἄμεινον, ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα: *quid melius, aut quid peius, uel obscurissimis in rebus prouidebat maxime.*
eadem. πλουδοκῶν: *tempestatem ad nauigandum idoneam exspectans.*
eadem. στοργῆς: *amoris.*
eadem. σύντηξις: *colliquatio.*
eadem. συμπάθειαν: *parem affectionem animi.*
eadem. ζηλοτυπία: *aemulatio.*
ep. 8. τυραννικῶς: *tyrannice.*
eadem. αὐθεντικῶς: *pro certo.*
eadem. σκυτάλην λακωνικήν: *Scytalem Laconicam. ut de comment.*
eadem. σὺν θεῷ τοι λέγω: *saltem si deus fauerit.*
eadem. δυσουρία: *urinae difficultas.*
eadem. ἀρχῆ: *principium.*

ανθο-

eadem. ἀνηθοποίητον : nequaquam formatis moribus.
eadem. ἤθους ἐπιμελητέον : moribus adhibenda diligentia.
ep. 9. ὕπουλον: subdolum.
eadem. ἀφράκτῳ : detecto nauigio.
eadem. ἀποτόμως : concise.
eadem. θυμικώτερον : stomachosius.
ep. 10. παραπλευστέον: abnauigandum.
eadem. ἀλλὰ τὰ μὲν προτέτυχθαι, ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ: sed quae quidem ante acta sunt, omittemus quamuis tristes.
eadem. σφάλμα : error.
eadem. ἀρετή : uirtus.
eadem. διδακτὸν : res, quae tradi possit docendo.
ep. 11. περὶ κοιλιολυσίαν γίγνεσθαι : circa uentris solutionem esse.
ep. 12. ὦ πολλῆς ἀγεννείας : o multam ignobilitatem.
ep. 16. ἑπταμηνιαῖον ἀπότοκον : septimestrem salua peperit.
eadem. Κωρυκαῖοι : Corycaei.

EX. LIBRO. XII.

ep. 1. γεροντικώτερον : senilius.
eadem. λέσχη : confabulatio.
ep. 2. τί γὰρ αὐτῷ μέλει; quid enim illi curae est?
eadem. βεβίωται; uita traducta est?
eadem. πρόβλημα : quaestio.
ep. 3. ἀγοητεύτως : sincere, sine fuco.
eadem. μακάρων νῆσοι : beatorum insulae.
eadem. πάθει : affectione.
eadem. σκέψαι : considera.
eadem. ἀλογηθῇ : negligatur.
eadem. μελήσῃ : curae sit.
ep. 4. ἐρυθριώτερον : rubicundiorem.
eadem. πρόβλημα ἀρχιμήδειον : quaestio Archimedea.
eadem. ψευδῶς : falso.
eadem. ἄκουσμα : auditio.
ep. 5. ἔρανον: collationem.
eadem. διψῶσαν κρήνην : siticulosum fontem.
eadem. πειρήνην : Pirenen.
eadem. ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ πειρήνην : requiem, uerendam Alphei Pirenen.
eadem. ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψῃ; quonam haec modo excusabis.
eadem. γεωμετρικῶς : more geometrico.
eadem. ἀρχέτυπα : exemplaria.
ep. 6. πάντα φιλόδημον : omnem popularem.
eadem. θεωρίαν : speculationem.
eadem. τέλος : finem.
ep. 7. εὐπινὲς : uenustum.
ep. 10. ᾧ ἀπεραντολογίαν δοὺς : cui infinitam loquacitatem tribue.
ep. 12. συμπάσχω: una afficior.
ep. 13. ἀποθέωσιν : consecrationem.
eadem. μεθαρμόζομαι : adaptor. ἀνεμέσητον γάρ. nulla enim inuidia est.
ep. 22. πολιτικοί : optimates.
ep. 24. τετυφῶσθαι : tumefactum esse.
eadem. ἐγγήραμα: senectutis requies.
ep. 28. ἐντάφιον : sepulcrum.
ep. 34. ἀλόγως : sine ratione.
ep. 36. εἰς ἀποθέωσιν : in consecrationem.
ep. 37. Κύριος : nomen libri ab Antisthene scripti.
ep. 39. συμβουλευτικὸν : deliberatiuum.
eadem. Ἀριστοτέλους καὶ Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον. Aristotelis et Theopompi ad Alexandrum.
ep. 40. φιλαίτιον συμφορὰ : querula calamitas.
eadem. πρόπλασμα : praefigmentum.
ep. 43. συμπαθῶς : cum significatione animi.
eadem. οἰκοδεσποτικὰ : patrisfamilias officia.
ep. 44. συντάγματα : opera.
eadem. ἀκηδία : torpedo.
eadem. ἀνεκτότερα : tolerabiliora.
eadem. σύνναον : contubernalem.
eadem. ὑπόθεσις: argumentum.
ep. 50. τοῦτο δὲ μηλώσῃ : haec uero conijcies, dispicies, indagabis.
ep. 51. ἀπόγραφα: descripta.

EX. LIBRO. XIII.

ep. 1. καταβίωσιν : tenuem uictum.
ep. 4. εὔλογον : rationi consentaneum.
ep. 6. εὐλογώτατον : maxime rationi consentaneum.
ep. 8. Παναιτίου περὶ προνοίας : Panaetij de prouidentia.
ep. 6. ἐκτενέστερον: contentius.
eadem. φιλοστοργότερον : amantius.
eadem. ἄφατα : infanda.
eadem. ἀδιήγητα : inenarrabilia.
eadem. εὐκαίρως : opportune.
ep. 10. παρὰ τὴν ἱστορίαν : praeter historiam.
eadem. κοινότερα: communiora.
eadem. πολιτικώτερα : ciuiliora.
eadem. οὐ γὰρ ὄνειδος : non enim opprobrium.
ep. 12. φιλολογώτερα : eruditiora.
eadem. προσφώνησιν : nuncupationem.
eadem. καλλιππίδης : callipides.
eadem. αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λῷον : eadem mensura, & melius.
eadem. αἴκε δύνηαι : si possis.
eadem. περὶ τελῶν σύνταξιν: de finibus opus.
eadem. ἀκαδημικὴν : Academicam.
eadem. Ἀντιόχεια: Antiochia.
ep. 13. ζηλοτυπεῖσθαι : inuideri.
eadem. φιλαυτία : amor sui.
eadem. ἀπορῶ : dubito.
eadem. αἰδέομαι τρῶας : uereor Troas.
eadem. μέμψιν : accusationem.
ep. 16. παρὰ τὸ πρέπον : praeter decorum.
eadem. ἀπαιδευσία : ignorantia.
eadem. ἀτριψία : ruditas.
eadem. Ἀντιόχεια : Antiochia.
ep. 18. πολυγραφώτατος : in scribendo plurimus.
eadem. ζηλοτυπεῖν : inuidere.
ep. 19. ἀκίνδυνα : periculo carentia.
eadem. φιλένδοξος : ambitiosus.
eadem. ἀκαταληψίαν : opinionem eorum, qui nihil comprehendi posse dicunt.
eadem. κωφὸν πρόσωπον : muta persona.
eadem. Ἀριστοτέλειον : Aristotelicum.
eadem. περὶ τελῶν : de finibus.
eadem. περιπατητικὰ : peripatetica.
eadem. ἀζηλότυπον ; sine inuidia.

λογικώ-

eadem. λογικώτερα: eruditiora.
eadem. ἑρμαῖον: insperatum lucrum.
eadem. πιθανά: suasoria.
ep. 20. φιλαίτιος: contentionis cupidus.
eadem. φιλοσόφως: philosophice.
eadem. δεδῆχθαι: morsum esse.
eadem. μὴ γὰρ αὐτοῖς: ne enim ipsis.
ep. 21. προβολήν: ingressum.
eadem. ἐποχῇ: retentioni.
eadem. λόγοισι Ἑρμόδωρος: uerbis Hermodorus.
eadem. προσφωνῶ: nuncupo.
eadem. ἀδιόρθωτα: inchoata, non perfecta.
eadem. ἕωλα: obsoleta.
eadem. περὶ μικρὰ σπουδάζειν: paruis studere.
eadem. εὔληπτος: facile.
eadem. εὐγενέστερος: generosior.
ep. 22. ἀσμενέστατα: libentissime.
eadem. τὰ κατὰ μέρος: particularia.
eadem. εὐλογίαν: honestam rationem.
ep. 23. συμβίωσις: conuictus.
eadem. εὐλόγως: decenter.
ep. 24. διφθέρας: pellicea tegumenta.
eadem. αἰδέομαι Τρῶας: uereor Troas.
ep. 25. ἀσαφέστερος: obscurior.
eadem. δεινὸς ἀνὴρ, τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο: grauis uir, & qui forte uel insontem accuset.
eadem. περιοχάς: argumenta.
ep. 27. κολακεία: assentatio.
eadem. ἐπίτευγμα: lucrum, quod acquiritur.
eadem. ἀπότευγμα: damnum, uel quod amittitur.
eadem. παρακινδυνεύειν: periclitari.
eadem. μείλιγμα: lenimentum.
eadem. σπουδή: studium.
ep. 28. πρόβλημα Ἀρχιμήδειον: quaestio Archimedea.
ep. 29. ἀφίδρυμα: sedes rei quae dedicatur.
eadem. τὸν τῦφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον: elationi meae per deos morem gerito.
ep. 30. κολακεῖαι: assentationes.
eadem. πολιτικὸν σύλλογον: ciuilem conuentum.
ep. 31. καταβάσεως: descensus.
eadem. κιτρικά: fatua.
ep. 32. περὶ ψυχῆς: de animo.
eadem. διὰ σημείων: per notas.
eadem. σύλλογον: conuentum.
eadem. πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις: ostentare etiam personis.
ep. 33. δυσωπία: uitiosa uerecundia.
eadem. καταβάσεως: descensus.
eadem. εὔλογον: consentaneum.
ep. 37. ἀξιοπίστως: fide dignum.
eadem. φοβερὸν ἦν: formidabile erat.
eadem. ἀνεμοφόρητα: leuia, a uentis dissipata.
ep. 38. οὐκ ἐπέστησεν: non aduertit.
eadem. πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιαῖς ἀπάταις: utrum institiae murum altum, an obliquae fraudis. ἀναβὰς διαβῶν, sub intelligitur, quod ex Platonis lib. 11. de republica cognoscitur.
eadem. δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν: ambigit animus, ut uerum dicam.
ep. 39. σκολιά: obliqua, dissimulationem.
eadem. Φαίδρου περὶ θεῶν: Phaedri de dijs.
eadem. φιλοτέχνημα: comminiscendi artes.
eadem. τὰ ὅλα: cuncta.
ep. 40. σκολιαῖς ἀπάταις: obliquis fraudibus.
ep. 41. καὶ πάλα κατηφής: admodum tristis.
eadem. σὺ δέ, τί σῳώνοις: tu uero, quid cogitabundus?
eadem. ἀσπόνδου: immitis.
ep. 43. μνημονικὸν ἁμάρτημα: memoriae error.
ep. 46. ἀλόγως: temere.
ep. 47. μέμψιν ἀναφέρει: accusationem imponit.
ep. 49. πρὸς ἴσον ὅμοιον: ad aequalem, similemq.
eadem. ἀκολακεύτως: sine assentatione.
ep. 50. ἀμεταμέλητον: quem non paenitet.
eadem. ἐμετικόν: uomitum.
eadem. ἀδεῶς: intrepide.
eadem. οἱ περὶ αὐτόν: qui apud eum.
eadem. σπουδαῖον οὐδέν: studiosum, siue serium nihil.
eadem. φιλόλογα: erudita.
eadem. ἐπιπαθμίαν: diuersorium.

EX LIBRO. XIV.

ep. 2. σαλάκωμα: inanem iactantiam.
eadem. φαλάκρωμα: caluitium.
ep. 3. πανικόν: uanus terror.
eadem. διάθεσιν: affectum.
eadem. ἐπισημασίαν: significationem mentis e gestu.
ep. 4. ἥρωες: heroes.
ep. 5. ἐσίγησας: tacuisti.
eadem. μνημονικὸν ἁμάρτημα: memoriae error.
eadem. φυρμὸς πολύς: permistio multa.
eadem. εὐρίπιστα: instabilia, ab Euripo.
eadem. νεωτερισμοῦ: innouationis.
ep. 6. πολιτεύεσθαι: administrare remp.
eadem. σόλοικον: absurdum.
eadem. τυραννοκτόνους: tyrannicidas.
eadem. πεπολιτεύμεθα: remp. administrauimus.
ep. 7. πεπινωμέναι: eleganter scriptae.
ep. 10. γῆν πρὸ γῆς: terram terrae anteponendam. significat. se de metando solo cogitare.
eadem. ὑπηνέμιος: subiecta uento.
ep. 11. ἀκολασίαν: intemperantiam.
ep. 12. ὦ πράξεως καλῆς μέν, ἀτελοῦς δέ. o factum pulchrum quidem, sed imperfectum.
ep. 13. ἀλιτενεῖ: humili.

ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν,
Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα διοτρεφὲς εἰσορόωντες
Δείδιμεν, ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι.
sed non ea nobis curae sunt, quae in amabili conuiuio fiunt: immo uero intuentes graue damnum, a Ioue immissum, extimescimus; salusque, & interitus in dubio sunt.
Οὔ τοι τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.
Non tibi, mea progenies, data sunt opera bellica: at tu quidem placida curato munera eloquentiae. Verba sunt Iouis alloquentis Venerem: sed quod apud Homerum est γάμοιο, Cicero mutat in λόγοιο.

ep. 14. πολιτικώτερα: ciuiliora.
ep. 15. ἀναθεώρησιν: animaduersionem.
ep. 16. ἀριστείας: praeclarum facinus.

ἀναθεώρησιν:

eadem. ἀναθεώρησις: animaduersio. significat rem esse memorabilem, & quae multa in se contineat animaduersione digna; qualia sunt, quae supra tetigerat, de saxo, in crucem, columnam tollere, &c.

eadem. κατὰ μίτον: per filium. Vide comment.

ep. 17. μελήσει: curae erit.

eadem. ἀνέκδοτον: nō editum.

eadem. πρᾶξιν: facinus.

ep. 20. καθολικὸν θεώρημα: praeceptum, (sic enim θεώρημα Cicero uertit in libro de fato) quod in omnes conueniat.

eadem. μὴ πολιτεύεσθαι: accedendum non esse ad remp.

ep. 21. ὑποσόλοικα: subabsurda.

eadem. βεβίωται: acta uita est.

eadem. πεντέλοιπον: quod reliquum est de quinque. Vide commentarium nostrum.

eadem. λῆρος πολὺς: multae nugae.

ep. 22. ὑπόθεσιν: argumentum.

eadem. εὔλογον: rationi consentaneum.

eadem. φαιδροπροσωπητέον: hilari uultu agendum est.

eadem. ἰτέον: eundum.

eadem. ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον: aliis in bonis dedecus hoc effugiunt.

EX . LIBRO . XV.

ep. 1. οὐδὲν ὑγιὲς: nihil sani.

eadem. ὑπεραττικὸς: plus quam Atticus.

eadem. Δημοσθένους: Demosthenis.

eadem. ἀττικώτατα: in primis Attica.

ep. 2. πεντέλοιπον: quod reliquum est de quinque.

ep. 3. ἄνω ποταμῶν: retro fluminum, scilicet cursus est.

eadem. ἀπορία: dubitatio.

eadem. μελήσει: curae erit.

eadem. παρεγχείρησις: conatus.

ep. 5. θησαυρὸς ἄνθρακες: thesaurus carbones.

ep. 11. ἡ δεῦρ' ὁδὸς τί σοι δύναται νῦν θεο πρό τε, iter hoc tibi quid ualet nunc o uates?

eadem. βλάσφημα: maledictum.

ep. 12. καὶ μάλα σεμνὸς: & ualde grauis.

eadem. τὰν δ' αἰτίαν τὸν βρούτων τίς εἶχεν; caussam uero Brutorum quis tuebatur?

eadem. κατηχήσει: instructione.

eadem. ἐὰν διαμένῃ: si permanserit.

ep. 13. ἀναντιφωνησία: taciturnitas.

eadem. διάλογον: dialogum.

eadem. ἡρακλείδειον: Heraclideum opus.

eadem. φιλοσοφούμεθα: philosophamur.

eadem. τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος: quae de officio.

eadem. προσφωνοῦμεν: nuncupamus.

ep. 14. συντάξεις: confectionem librorum.

eadem. μετέωρος: animi pendens.

ep. 15. φιλόλογα: ab aequitate non aliena.

eadem. φιλοφρόνως: benigne.

ep. 16. πεπινωμένως: eleganter.

eadem. προκοπὴν: progressum in litteris.

eadem. οἶκος φίλος: domus cara.

eadem. φυτογραφία: scriptio de plantis.

eadem. ῥητορεύουσιν: rhetorisant.

ep. 17. φιλοστόργως: peramanter.

eadem. διδόμενα: data.

ep. 19. ἐργῶδες: laboriosum.

eadem. ἀνεκτὸν: tolerabile.

eadem. σχεδίασμα: ex tempore factum, subitum consilium.

ep. 20. πάσχω τι: patior aliquid, angor.

ep. 21. ἐποχὴν: retentionem.

eadem. ἀκεραίως: sincere.

ep. 26. ψευδογράφῳ: false perscripto.

eadem. ἀτοπώτατον: absurdissimum.

ep. 27. πάνυ φιλοστόργως: ualde amanter.

eadem. βουλύσει: uespera.

ep. 29. ἀμηχανία: inopia consilij.

eadem. σπείσασθαι: indutias facere.

eadem. ἐβδελυττόμην: abominabar.

eadem. σκοπὸς: scopus.

eadem. οὐ παρὰ τούτῳ: non apud hunc.

EX . LIBRO . XVI.

ep. 1. ἔλθωμεν: eamus.

eadem. ὁμοπλοΐᾳ: societate nauigandi.

eadem. λῆρος πολὺς: nugae multae.

eadem. γλίσχρως: parce, tenuiter.

ep. 3. σύνταγμα: uolumen elaboratum.

eadem. ἀρχέτυπον: archetypum, exemplar.

ep. 4. παρὰ λέξιν: praeter uerbum.

eadem. μετεωρότερον: suspensiore animo.

eadem. ἀσφαλὲς: tutum.

eadem. ῥοπὴ: momentum.

eadem. γαυριῶ: glorior.

eadem. μετ' ἀμύμονα: post expertem culpae. alludit autem ad illud Homeri, μετ' ἀμύμονα πηλείωνα.

eadem. ἀμύμων: reprehensionis expers.

eadem. ἄμβροτος: immortalis.

eadem. συναγωγὴ: collectio, uolumen.

ep. 5. δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες: longam nauigationem meditantes.

eadem. ἡ δεῦρ' ὁδὸς τί σοι δύναται; iter huic tibi quid potest?

eadem. σύγγραμμα: conscriptio.

ep. 6. ἀνεμέσητα: inuidia carentia.

eadem. εὐθανασίαν: facilem mortem.

eadem. σχόλιον: annotatiunculam.

eadem. ἀπολογισμὸν συντάξομαι: defensionem componam.

eadem. ἀναπολόγητον: quod defendi nequit.

eadem. δυσχρησία: difficultas uersurae faciendae.

eadem. πειράζεσθαι παραλύσει: tentare paralysi.

ep. 7. εὐκαιρίαν: occasionem.

eadem. ἀσφάλειαν: securitatem.

eadem. ἀπορία: dubitatione.

ep. 8. σκέπτομαι: considero.

eadem. ἀριστεία: actio praeclara.

ep. 10. παῖδες παίδων: nati natorum.

eadem. εἷς ἐμοὶ μυρίοι: unus mihi millae.

eadem. ἀδόλεσχος: loquax.

eadem. εὐμένεια: constantia.

eadem. εἰρωνεία: dissimulatio.

eadem. πεπλογραφίαν: pepli descriptionem

eadem. ταξιάρχης: ordinis ductor.

eadem. τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος: de officio.

eadem. τὰ κεφάλαια: capita.

eadem. περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος: de officio,

cui

cui quaedam adiecta est circumstantia.
eadem. προσφωνῶ: alloquor, scribo.
eadem. ἀνοικεῖον: alienum.
eadem. αἰδεσθὲν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι; pudebat quidem abnuere, ueriti sunt autem suscipere.
eadem. ἀπάντησις: occursus.
ep. 12. δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα: longam nauigationem cogitantem.
eadem. ἀπροσδιόνυσον: inexspectatum.
eadem. ἐν ἀριστερᾷ ἔχοντα: sinistra habentem.
ep. 14. ἐν πολιτικῷ: in ciuili.
eadem. μηδὲ σωθείην, εἴποτε τοιοῦτο: ne saluus quidem fiam, si quid tale umquam.
eadem. στρατηλάτης: imperator, dux.

EX . LIB. I. EPIS. AD BRVTVM.

ep. 1. ἐμφατικώτερον: expressius.

EX . LIB. I. EPIST. AD Q. FR.

ep. 2. ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν: sed semper quendam hominem ingentem.
eadem. ὀρθὰν τὰν ναῦν, ἅπαξ θανεῖν ἀφειλῶς: rectam nauim, & semel mori.

EX . LIBRO . II.

ep. 3. προῳκονομησάμην: praecuraui, prouidi.
eadem. εὐκαίρως: opportune.
ep. 7. εἰλικρινὲς: sincerum.
ep. 9. μουσοπάτακτος: a musis percussus.
eadem. ἀντίεκτον: aequilibrem.
eadem. εἰ δ' ἐν γᾷ ἔζησας: si uero in terra uixisses.
eadem. ἔα πάσας: mitte omnes.
ep. 17. πολιτικά: de republica.
ep. 14. τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται: talia aerumnosum bellum efficit.
eadem. πραγματικῶς: negotialiter.
eadem. ὑπερβολάς: supra quam res est.
ep. 15. συνδείπνους σοφοκλέους: concenatores Sophoclis.
eadem. ὑπόθεσιν: argumentum.
eadem. γλαῦκα εἰς Ἀθήνας: noctuam Athenas.
eadem. ῥαθυμότερα: segniora.
eadem. χαρακτὴρ: stylus.
eadem. φιλαλήθως: ingenue.

EX . LIBRO . III.

ep. 1. ἀποδυτηρίῳ: loco, ubi lauaturi uestes exuebant.
eadem. δευτέρας φροντίδας: secundas curas.
eadem. γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται: nosce, quemadmodũ alio usus fuerit.
eadem. ἐμβόλιον: interpositionem.
ep. 2. ἀπότευγμα: repulsam.
ep. 3. θετικώτερον: Philosophicis quaestionibus aptius.
ep. 4. ἐνθουσιασμὸς: diuinus furor.
adem. ἄρη πνέων: Martem spirans.
e e 5. ὑποθέσεις: argumenta.
eadem. αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων: semper strenue se gerere, & praestantiorem esse alijs.
ep. 6. κλέος: laudem.
eadem. γνῶθι σεαυτόν: nosce te ipsum.
ep. 7. ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς, ὅτε δή γ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ
Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
die autumnali cum abundantissimam pluit aquã Iuppiter, cum iam hominibus iratus succenset, qui per uim in foro aliquas sententias ferant, iustitiam autem expellant, deorum uocem non curantes.
ep. 9. τότε μοι χάνοι: tunc mihi dehiscat.
eadem. ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς: hoc autem non amplius tolerabiliter.
eadem. ἐν παρέργῳ: obiter.
eadem. ἔπος: tamen.
eadem. ἀλλ' οἰμωζέτω: sed ploret.

F I N I S.



CORNELIVS FRANGIPANIS
I. V. D.

Aldo Mannuccio S. D.

POSTVLASTI, *ut perdifficilem locum apud Cic. in his quae ad Atticum declarem; quo modo aequinoctium xvij. Kal euenturum scribat; quoniam tunc temporis non eo progressum neq. ratione, neq. auctoritate ulla animaduerteris. Iucunda fuit mihi sane postulatio tua: nam tibi uiro eruditissimo, deq. litteraria re optime merito aliquando, quamuis pusilla in re, inseruire ualuerim. Hunc locum perdifficilem esse aliorum interpretationes uariae, & inconstantes arguunt: ego uero, dum uetus Kalendarium retinendum absq. ulla restitutione temporum censerem; & annuam reuolutionem aequinoctium eliminare ad viij. Kal. Apriles, non solum praecedendo sedem suam, uerum aliquando postponendo probare per mathematicos nitebar; & cum importune flagitantibus, & obstinatis historias de hac re adducere nequiuerim; hunc locum ut acquiescerent in medium ferebam: praeterea & Macrobium, qui Caesarem non mutilum annum aliqua omissione dierum constituisse, uerum superaddendo aequinoctij eliminationem sublatulisse testatur: sic apparenter propositnm demostrabam; annuamq. quantitatem maiorem quam Caesar adinuenerit aliquando fuisse intelligebant; ut apud Aegyptios uere compertum est. & cum aduersantibus nullus aditus effugiendi pateret; contra Macrobium Solinum obijciebant, qui Caesarem, 21. dies non addidisse, uerum abstulisse scripsit; & Macrobium emendare, uel interpretari secus litteram laborabant: ego uero Dionem, & Censorinum cum Macrobio concordantes allegabam. ij Ciceronis locum postea deprauatũ contendebant; huiusq. opinionis assertorem patrem tuum afferebant; uel ex cõmentario Corradi M. Antoniũ sub nomine aequinoctij intelligi confirmabant; eo quod dies noctibus aequaret in luxu, & in facinoribus perpetrandis: & ego e contra, patrem tuum huius fictionis monstraui contemptorem; & uerba in epistola, quae de M. Antonio nihil significarent, & incongrua ibi aliqua contra stylum Ciceronis fore cogebam confiteri. Quod uero non esset suspectus locus, contra patrem tuum adducebam argumentum ex Aristotele in Meteor. lib. 1. cap. 6. ubi inquit, sub Euclo Molonis filio crinitam apparuisse mense* γαμηλιῶνος *tunc sole brumale signum obtinente; sed ordo huius est secundus a mense, quem uocant* ποσιδεῶνα, *quem Plutarchus in Caesare Ianuarium interpretatur; ergo tempus quo apparuit cometes ille, Februario; & si tunc in brumale tropicum sol reperiebatur, mense igitur Maij aequinoctiũ uernum incidisse necesse est. Haud aliter ex supra allegato loco Macrobij id confirmabatur, quia Caesar si aequinoctium in Martium transtulit additione septuaginta septem dierum, ergo in Maio antea uersabatur. sic ergo elicietur locum Ciceronis carere mendo. sordebunt igitur Turnebi, & Corradi commenta, suspicioq patris tui, & uersutia Ioannis Baptistae Pij, qui tempus ab epistola abstulit, oblitterentur oportet. Verum, quemadmodum eo aequinoctium progrederetur, id esto, quod realiter conijci potest. Cicero annuam restitutionem Caesaris in hac epistola omisit; & ueterem anni computationem obseruabat, sicut in alijs etiã, ut ad Lentulum, ad Ligarium, ad Marium, & in plerisq. ad Atticum subscripsit. tunc uero annus usualis Romanorum erat Lunaris, qui naturaliter diebus 354 tamtummodo constabat: hoc enim spatio ad amussim duodecim lunationes conficiebantur; Solaris uero circuitus undecim diebus illum superabundabat:*

abundabat: ne igitur Sol omitti uideretur, quia & ab eo anni auspicium esset accipiẽdum, neue in nothas stationes eius principium pererraret; prouisum est a Numa, ut scribit Macrobius, primum ut Ianuarius, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December uiginti nouem diebus constarent; Martius uero, Maius, Quinctilis, & October dies unũ, & triginta possiderent; & Februarius uiginti octo: sic annus trecentis quinquaginta diebus censebatur, addito die numeri imparis religione. Sed interim uagabatur aequinoctium; ut si aliquo anno incidebat in quintamdecimam Martij, altero per decem diem postponendo sedem priorem uigesima sexta succedebat; & sic deinceps alijs annis per totidem alios dies. Et, ne omnes menses aequinoctium ambiret, excogitata est restitutio in priora singulis 24 annis, quorũ periodus potior uisa est etiam Ptolemaeo; sed restitutio erat auxilio trium interkalationum singulo octennio; nempe duobus prioribus nonaginta dierum, tertio autem tantummodo sexaginta sex; sic aequinoctium intra certos limites ferebatur, & dies huic negotio deputabatur post sextum Kal. Martij, quo celebrabantur Terminalia, quoniam ibi termini annualis putabantur. & quia aequinoctia fiebant in octauis partibus signorum, ut Plinius, Columella, & reliqui scripserunt, signum intelligebatur terminus post 23 Februarij, quare aequinoctium octo diebus post Terminalia euenire contingebat; si hunc computum facies, tempus quo Cicero epistolam illam scripsit fuit ultimus annus secundi octennij, terminus enim, qui ad sextum Kal. Martij restitui solebat, in 7 idus, idest in nonã diem Maij, incidebat, ita ut octo diebus elapsis, uidelicet xvj. Kal. Iunij, i. 17 Maij aequinoctium futurum erat; quare eo anno interkalatio secunda nonaginta dierum instabat. Cumq. omnes ij dies pro momento temporis obseruari Cato putauit, ut Celsus memorat, praesides, qui domi forisq. magistratus gerebant, quia ipsis praeerant diuturniores per ipsam intercalationem, quando eueniret, aliqui ob taedium ut citius dignitates deponerent, sacerdotes, & quibus id muneris erat, demandatum rogabant, ne interkalarent; & e cõtra alij amore lucri; ut publicani, & qui publica redimebant. quare ad libidinem potentiorum recta interkalatio deprauabatur, teste Suetonio, Macrobio, Censorino, & ipso Cicerone; apud quem multoties de hac intercalatione desideria inuenies. Sed reliquum est scire, ut declaretur omnino epistola, cur apud antiquos mare ingredientes aequinoctium tamquam procellosum suspici consueuit. sed ea sufficere poterunt, quae scribit Aristoteles probleмате 28 sect. 26. cum aequinoctium, inquit, hiemis, atq. aestatis confinium sit, dum Sol nobis aequinoctium agit, aut iustum transgressus limitem regioni se dedit hibernae, accidit, ut uenti partis illius uernaculi spirent, quorum primus Africus est natura humidus; & eum Sol partem orbis terrarum hibernam perlustrat, statusq. regionis eiusdem mouet, euenit ut hiems suis fungatur muneribus; cuius generis imber est. Ad haec eum aequinoctium tamquam paribus examinatis uiribus hiemis, atq. aestatis constet, si alterutris quidquam additum sit, obitus momentum exsultabit conspicuum, ut in aequilibrio pondus lanci adiunctum alteri efficit. Ex his uidemus, quare Cicero iter ingressurus exspectaret aequinoctium. Sed plura, & maiora in nostro Kalendario, si aliquando concedetur edi, legere poteris, quae ad priscorum temporum cognitionem conducent; cum omnes contrarietates de ijs dirimere, & obscura declarare contentiones omnium penitus auferendo omni ingenio laborauerim. Vale.

INDEX

RERVM · ET · VERBORVM LOCVPLETISSIMVS

Quae in his Epiſtolis continentur



Ἀκουσμα

arcessam

C

prouincia

consi-

deducere

dij

discingor

ducere

exitus

F

M

metellus

mutuabimur

O nu-

O

propul-

quid

R

S

sortiri

sub-


T

tumor

uotiua

F I N I S.

INDEX
RERVM · ET · VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS
Quae in hisce Commentarijs continentur



A

quaginta

consilium

D

herma-

I

K

L

 serunt

Octauius,

S

V

uesto-

FINIS.

